Digitized by Google

OTECA NAZ.
orio Emanuele III
XXX
D
22
OLI

Digitized by Google

Digitized by Google

GABRIELIS FALLOPPII

MVTINENSIS,

Phyſici ac Chirurgi toto orbe clariſsimi,

IN TRIBVS GYMNASIIS ITALIAE FLORENTISSIMIS, Ferrarienſi, Piſano, Patauino, rem Botanicam, Anatomicam, Chirurgicam mira cum laude honore, apertaque diuini ingenij, ac ſummæ rerum peritiæ ſignificatione quondam profitentis, & exercentis.

OPERVM GENVINORVM


[illegible] AB AVCTORE IPSO CONSCRIPTA SVNT,

TOMVS SECVNDVS

Continens Tractatus Quatuor.

Cum duplici Indice: Primo Tractatuum: Secundo capitum cuiuſque tractatus huius Tomi.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDCVI.

Apud Io. Antonium, & Iacobum de Franciſcis.

Digitized by Google

CATALOGVS TRACTATVVM.

Qui in ſecundo Falloppij Operum Tomo continentur.

Tract. I. De Vlcerbus, & eorum ſpeciebus, de Morbo Gallico, de Vlceribus ſingularum partium, pagina 1.

II. De Vulneribus in genere, de Vulneribus Capitis, Oculorum, Naſi, Colli, Vaſorum, Thoracis, Medullæ ſpinalis, Abdominis, Neruorum, Sclopetorum, &c. pag. 236.

III. Commentarium in Hippocratis Coi librum de Vulneribus Capitis, pag. 411.

IV. De Cauterijs, pag. 457.

Digitized by Google

INDEX
OMNIVM CAPTVM,
QVAE CONTINENTVR
In ſingulis Tractatibus huius ſecundi Tomi.

Capita Tractatus primi de Vlceribus, & Morbo Gallico.

Cap. 1. *Præfatio.*
Cap. 2. *De vlceris definitione.* 4.
3 *De cauſis vlcerum.* 6.
4 *De differentÿs vlceris.* 7.
5 *De ſignis vlceris.* 9.
6 *De vniuerſali ſimplicis vlceris curatione.* 13.
7 *De curatione vlceris cum præſentia cauſæ efficientis, vel fouentis.* 19.
8 *De vlcere cum intemperie ſicca.* 21.
9 *De vlcere cum intemperie humida.* 24.
10 *De vlcere cum intemperie calida.* 26.
11 *De vlcere cum frigida.* 27.
12 *De vlcere cum dolore adiuncto. ibid.*
13 *De vlcere cum carne aut nimis molli, & laxa, aut nimis copioſa ſupercreſcente.* 32.
14 *De vlcere liuido ſeu nigro.* 40.
15 *De vlcere calloſo.* 41.
16 *De vlcere varicoſo. ibid.*
17 *De vlcere verminoſo.* 44.
18 *De vlcere cum oſſe corrupto.* 45.
19 *De vlcere cacoethico, ſeu mali moris, ſeu inueterato, & Chironio vocato.* 49.
20 *De vlcere herpetico, ſeu de Herpete exulcerato, pag.* 54.
21 *De Phagedena.* 60.
22 *De Vlcere Nomode.* 64.
23 *De Cancro exulcerato.* 67.
24 *De Sinu, ſeu cauernoſo vlcere.* 77.
25 *De Fiſtula.* 83.
26 *De Scabiei varÿs nominibus, ac differentÿs.* 88.
27 *De Pruritu.* 92.
28 *De Lichene, ſeu Mentagra.* 96.
29 *De Pſora, & Lepra.* 99.
30 *De Scabie vera, quæ & humida, & pinguis dicitur. pag.* 102.
31 *De Ambuſtis.* 105.
32 *MORBVS GALLICVS, quando, quomodo, vnde, à quo in Italiam fuerit delatus, & per totam deinde Europam diſſeminatus.* 113.
33 *De varÿs MORBI GALLICI appellationibus.* 115.
34 *An MORBVS GALLICVS nouus ſit, & non aliàs cognitus, anque cum aliquo affectu Antiquitati noto poſſit coniungi.* 115.
35 *Morbus Gallicus an ſit paſſio, vel affectio corporis vniuerſi, an determinatæ alicuius partis.* 120.
36 *Morbus Gallicus quid ſit, an ſit communis morbus, & ſingularis: an ſimplex, vel compoſitus: an ſoluta vnitas; l morbus in compoſitione, vt vel in numero, vel ſitu, vel in quantitate; & an ſit morbus manifeſtus, & in intemperie, vel occultus, atque in tota ſubſtantia.* 123.
37 *Gallicus morbus qs habeat cauſas, quomodo contrahatur, & in quas partes.* 128.
38 *Quæ ſint ſigna Gall morbi tum incipientis, tum confirmati, & quæ ſymptomata, atque affectus ipſum conſequant.* 130.
39 *De varia ac multiplici curatione morbi Gallici. pag.* 135.
40 *De Carie Gallica.* 1[illegible].
41 *De Bubone Gallico.* [illegible]4.
42 *De gonorrhæa Galli.* 187.
43 *De Gallico Pilorum effluuio.* 189.
44 *De Puſtulis, cruſtis Gallicis.* 193.
45 *De Doloribus Gallic.* 195.
46 *De Gummis Gallici.* [1]97.
47 *De Oſſium corruptione.* 198.
48 *De Vlceribus Gallic.* 200.
49 *De Rimis, & Callis pedum, ac manuum.* 201.
50 *De Tinea vulgo dict.* 203.
51 *De Aurium humiditate.* 209.
52 *De Aurium vlceribs.* 211.
53 *De Aurium vlcere ſimpliciſſimo.* 211.
54 *De Aurium vlcerum fætore, & depaſcentia. pag.* 212.
55 *De Aurium vlcerum vermibus.* 213.
56 *De vlcere Aurium cum carne ſuperaddita.* 214.
57 *De aurium vlcere cum oſſe corrupto. ibid.*
58 *De Oculorum vlceribus. ibid.*
59 *De vlcere oculorum cum procidentia vueæ.* 223.
60 *De fiſtula lachrymali.* 224.
61 *De vlceribus narium.* 228.
62 *De vlceribus palati, & oris.* 229.
63 *De Gingiuarum coroſione.* 230.
64 *De Papillarum ſciſſuris. ibid.*
65 *De fiſtula ani.* 232
66 *De rhagadibus, & de vlceribus pedum.* 468.

Capita Tractatus ſecundi de Vulneribus.

Præfatio. 236.
Cap. 1. *Soluta vnitas quid ſit, anque ſimplex, compoſitusve ſit morbus, & communis tam ſimilaribus, quàm organicis partibus, & quot ſint ſolutæ vnitatis ſpecies, ac differentiæ: & ex quibus, quotque locis ſumantur, ſecundum Recentiorum ſententiam: & ex quibus iuxta Græcorum opinionem.* 238.
2 *De Vulneris definitione.* 249.
3 *De differentÿs vulnerum.* [2]50.

De vul-

INDEX

4 *De Vulnerum cauſa quot generum ſint, & ob quem vſum cognoſcendæ.* 251.
5 *De Signis.* 251.
6 *De Vulnerum prognoſtico.* 252.
7 *De vniuerſali ſimplicis vulneris curatione.* 256.
8 *De vulnere cum ſymptomatibus.* 309.
9 *De vulneribus capitis.* 314.
10 *De ſimplici capitis vulnere.* 318.
11 *De vulnere capitis cum læſione & cutis, & pericranij.* 321.
12 *De Vulnere capitis cum læſione pericranij, & cranij.* 322.
13 *De vulnere Capitis cum denigratione membranarum cerebri.* 348.
14 *De vulnere capitis cum inflammatione membranarum cerebri.* 348.
15 *De vulnere capitis cum abſceſſu tunicarum cerebri.* pag. 349.
16 *De vulnere capitis cum ſectione membranarum cerebri.* 350.
17 *De vulnere cerebri.* 351.
18 *De vulnere capitis cum cerebri extuberantia.* 351
19 *De Cranij fractura, aut depreſſione, integra exiſtente cute.* 351.
20 *De Facici vulneribus.* 354.
21 *De correctione turpis Cicatricis.* 357.
22 *De Oculorum vulneribus.* 360.
23 *De Narium vulneribus.* 368.
24 *De vulneribus Auricularum.* 369.
25 *De vulneribus Colli.* 369.
26 *De ſanguinis Hæmorrhagia, ſeu de vulnere Venæ, Arteriæque.* 371.
27 *De vulneribus medullæ ſpinalis.* 379.
28 *De vulneribus Thoracis.* 380.
29 *De vulneribus Abdominis.* 389.
30 *De vulneribus Neruorum, & neruoſarum partium.* 398.
31 *De vulneribus Sclopetorum, & Bombardarum.* pag. 405.

Capita Tractatus tertij, ſeu Commentarij in Hippocratis librum de Vulneribus Capitis.

Cap. 1. *Præfatio, in qua genus Hippocratis, atque intentio proponitur.* 411.
2 *Scopus, ſubiectum, vtilitas.* 413.
3 *Ordo, & an liber Medicus ſit, an practicus, & titulus.* 413.
4 *De ordine, & diuiſione rerum tractandarum.* pag. 414.
5 *De capitum varietate.* 414.
6 *De natura oſſis caluariæ.* 416.
7 *De robore, & imbecillitate oſſium, & primò de imbecillitate ſincipitis.* 417.
8 *Dubitatio, an vulnera ſincipitis magis lethalia temporum vulneribus, & an cerebrum ſentiat.* pag. 419.
9 *De imbecillitate oſſium temporum.* 420.
10 *De oſſibus ceruicis.* 421.
11 *Reſpondetur obiectioni circa ſuperius explicata.* pag. 422.
12 *De ſuturis oſſium capitis.* 423.
13 *De fracturarum ſpeciebus.* 423.
14 *Quæſtio, an percuſſa una parte cranij contrahatur rima in altera, & oppoſita.* 427.
15 *De ordine ſeruato ab Hippocrate in curatione.* 429
16 *Curatio oſſis fracti, & indicationes eius.* 429.
17 *Quid agendum circa apertionem in fracturis oſſium pro fracturarum diuerſitate ex Hippocrate.* pag. 430.
18 *De ſignis oſſis denudati, fracti, atque quo fracturæ genere.* 431.
19 *De ſignis fracturarum in ſuturis.* 434.
20 *De ordine in curatione ſeruando.* 435.
21 *De curatione vulneris ſimplicis, quando os detectum non eſt.* 436.
22 *De curatione vulneris oſſe detecto.* 437.
23 *Experimenta quibus cognoſcimus os an fractum ſit.* 438.
24 *De prognoſtico, oſſe fracto exiſtente.* 439.
25 *De curatione, & primo de ratione victus.* 439.
26 *An debeamus ſecare venam.* 440.
27 *De pharmaco exhibendo.* 441.
28 *De curatione vulneris, cum oſſe fracto, circa locum affectum, & declarat, quam ſectam ſit ſecutus.* 442.
29 *De ſectione pericranij.* 443.
30 *De dilatatione vulneris.* 443.
31 *Quid agendum poſt primam vulneris detectionem, quando aperiendum os ex aliorum ſententia.* 444.
32 *Sententia propria, quando aperiendum os, quando non.* 445.
33 *Quid agendum in deraſione oſſis.* 446.
34 *Quando fracta eſt ſecunda lamina, quid agendum.* 446.
35 *De loco detegendo quantum oſſis auferendum.* pag. 447.
36 *Modus auferendi oſſa, & de inſtrumentis.* 448.
37 *De ratione curandi vulnera capitis, in quibus membrana nihil paſſa eſt.* 449.
38 *De ſiccanti ratione, qua vti poſſumus in membranis cerebri.* 450.
39 *De lenienti ratione, qua vtimur in cerebri membranis.* 451.
40 *Fracto oſſe, detecta membrana, exſiccata, & lenita, quid agendum circa reliquum vulnus.* ibidem.
41 *Quid agendum, denigrata exiſtente membrana.* pag. 452.
42 *Ad inflammatam membranam.* ibid.
43 *Ad membranæ abſceſſum.* ibid.
44 *Quid agendum, membrana vulnerata, & fluente ſanguinis copia.* ibid.
45 *De vulnerato cerebro.* 453.
46 *Quando os fractum eſt, integra adhuc cute, an aperiendum.* 453.
47 *Fracto oſſe, integra cute exiſtente, curatio.* 455.
48 *Signa indicantia mortem in vulneribus capitis.* ibidem.
49 *Curatio conuulſionis, & cauſa, quare pars affecta reſoluitur, oppoſita conuellitur.* ibid.

Capita

INDEX

Capita Tractatus quarti de Cauterijs.

1 *Quid ſit cauterium, eiusq; natura.* 457.
2 *De cauterijs actu ignis, & quot. ibid.*
3 *De cauterijs potentia, & ex quibus conficiantur; ac de primo eorundem genere.* 458.
4 *De modo parandi oleum ex ſulphure, & oleum ex vitriolo.* 459.
5 *De varia capitelli compoſitione.* 460.
6 *Quomodo prædicta medicamenta mitiora reddi poſſunt. ibidem.*
7 *De ſecundo medicamentorum genere, ex quibus cauteria fiunt.* 461.
8 *De olei ex Arſenico apparatu. ibid.*
9 *De medicamentis ex tertio genere, in quibus cauteria efformantur.* 462.
10 *De medicamento quarto ex genere mitioribus, quæ idem præſtant vt priora. ibid.*
11 *De cauſticis ex ſalibus.* 463.
12 *De cauteriorum vſu.* 466.
13 *Quæ requirantur perpendenda in vſu cauteriorum. ibidem.*

Digitized by Google

Errata, quæ in hunc ſecundum potius irrepſerunt tomum, quàm alios, ſic correximus; reliqua, ſi quæ ſunt, Lector facilè emendabit.

Pag.3.pro,vobis nec tum,l.vobis tum.p.5.pro eſſe,l.oſſe. pag.9.in marg. pro Tertius à materia,l.à materia. pag.11. pro vluos,l.vlcus,pro vloere,l.vlcere. p.13.pro ſpermarius,l.ſpermaticis. p.15.in marg. pro blure, l.vlcere, & ibid. pro generalia,l.genera. p.16.pro caricina,l.laricioa. p.17.in marg.pro Prdo,l.Ordo. p.17.pro malicorum,l.malicorium. p.atrique,l.atque. p.21.pro inaſcatur, l.iraſcator. p.22.pro Hippolitus,l.Hippocrates. p.24.pro vſa,l.vſu. p.27.pro euaneſcatque,l.euaneſcat. p.28.pro ſreruminationibos,l.ferruminationibus. p.27.pro auris,l.acris. p.30. in marg.pro panitela,l.panatella. ibid.pro puriſſimę,quæ,l.puriſſimę,qua. p.31.in marg.pro Sarcotica,l.Narcotica. p.33. pro conficiendos,l.conficienda. ibid.pro Iarſenſe,l.Tarſenſe. ibid.pro monticulis,l.mouticolis. ibid.pro delectum,l.detectum. pag.ead.ſic diſtingue,huiuſmodi; alia,quæ. p.34.pro impediat, l.expediat. p.36.pro coloris,l.caloris. pag.37.poountur Ciocrum calid.Calcis non extinctæ ao.vnc.vj. ſed inſtà legitur vnc.xvj. quam doſin deſcripſit etiam Fienus lib.2.de Cauter.cap.7. p.37.pro fit,l.ſit. ibid.in marg.pro vitrioſo,l.ſalibus. ibid.pro temporis vſu, l.tempore vſos. p.38.pro idem, l.id eſt. ibid.pro atoniti, l.aconiti. p.42.pro cruere,l.crute. p.43.pro mouent,l.menent. p.50.pro plagedenam,l.phagedęnam. ibid.pro ſapor,l.ſuper. p.51.pro leue,l.lene. ibid.pro aperetis, l.habertis. p.53. pro,ſine deligatione,l.ſine ſolutione. p.56.pro roum,l.rotum. p. 57, in marg.pro quam, l.quæ. p. 59. pro opimum,l.optimum. p.60.pro medefactum,eſt, l.madefactum eſt. p.63.pro corpum, l.carpum. p.68. pro patribus, l.partibus. ibid.Quanto,l.Quartò. ibid.pro percodię, l.periodicæ. p.79.pro vrgentem,l.vergentem.p.8[illegible].pro inbita, lege imbibita. ibid.pro poſſint,l.ponunt.ibid.pro quando,l.quauto.p.84. pro,drodantis,l.dodrantis. p.89.pro panni,l.pani. pag.96.Hippolyti,l.Hippocratt. ibid.pro Hippocrati,l.Hippocrates Aſiaticus. p.99.in marg.pro barbari, l.tartari. pag.101.lin.vlt.pro fialem,l.phialam. p.104.pro vaſu eitreo,l.vaſe vitreo. pag.113.lin.vlt. pro acre,l.aere. pag.133.pro vulæ,l.vuulæ, & pro columnella,l.Columella. p.135.pro tenatione,l.venatione. p.143.pro ana vnc.vj. lege,drach.vj. p.164.pro ſmilacri, l.ſmilaci, pro ſmilare, l.ſmilace. pag.167. pro colebantq;, l.volebantque. p.180. pro ſanaſcente,l.ſaneſcente. p.204.pro tali affectus,l.tales affectus. p.215. lege ab vna ſuperficie ad aliam.pag.216. pro cotex, l.cortex. p.218. pro contractum, l.contractam. p.222.pro tuſu, l. vſu. p.226. pro dilationem,l.dilatationem. p.230.pro peculiaris,l.peculiaria. p.243.pro iutcuſum, l.intentum. p.247.pro morbum, l.morbus. p.256.pro feciſſet,l.fuiſſet. p.259.pro concidunt, l.coincidunt, p.277.pro pannos,qoi, lege panoos,quibus. p.281. pro meatis, l.timeatis.p.289.pro affectanda,l.affecta.pag.302.pro συσσάρκωσις,l.συσάρκωσις.pag.305. pro Sarcoticum ad illod, l.Sarcoticum illud.pag.317.pro quod caput,l.quos caput.p.318.lege: De ſimplici capitis vulnere,id eſt,ſolius cotis. p.320.pro cutis ſuprą, l.cutim ſupra. pag.322.pro conſutum,l. contuſum p.330.pro nam ſi inflam. l.nam in inflam. p.343.pro,nam præ habet, l.nam quæ habet. p.356.pro contuſione,l.conſutione. p.358.pro copiæ,l.inopiæ. p.368. pro quid naſus, l.quia naſus. p.372. pro tertia cauſa diuiſionis,l.quarta,&c. pag,377.pro duplici modo,lege,nodo. pag 389.pro hoc ſauo,l.hoc ſacco. p.392. in marg.pro ſpougia,l.ſpongia. p.403.pro adidis, l.adipis. p.406.pro,eam vim,dicunt,l.eam vim,quam dicunt. pag.413.pro dignus,l.dignius.p.416.pro rubore,l.robore. pag.417. pro naturalem,vel ratione,l.naturalem,vel alia ratione. p.419.pro oculis,l.oculus. p.425. pro fixuratum, l.fiſſuratum. ibid. pro extremis fieri,l.extremis ſciti.ibid.in marg.lege; Lamina interna fiodi poteſt integra externa. p.426.pro ſi ſedes erit,ſimplices ſpecies,l.ſi ſedes erit ſimplex,ſpecies. p.431.pro ebrietate ſenſus, l.ebrietate accenſus. ibid.pro aliquo addito,l.aliquot addito. pag.432.pro halea,viſa,l.galea viſa. p.434 pro (figura) lege (fiſſura) pro (figuræ exordia) lege (fiſſuræ exordia) p.435.ſic lege; ſedes manifeſta,& depreſſio pariter requirunt. p.436.pro contuſione,l.conſutione; pro barbaroin,l.barbarum.pag.438. in rubrica, pro Experientia, l.Experimenta. p.443, pro, non ſecare in ſectione,l.non ſecare inſectione. p.444.pro magna eſt,& noo peruenit, l.magna eſt, & peruenit. ibid.pro egredi,& deſcendere,l.egredi,nec deſcendere.pag.445.pro fruſtra,l.fruſta. pag.448.pro aliquo habent figuras,l.aliquot habent alias figuras.pag.451.ſic diſtingue:explere hoc medicamento vulnus. Circa partem exteriorem alij.ibid,pro filiam, l.aliam.pag.455.p.455.pro contur-datur,l.conoellatur.pag.456.pro frater,vel alter agat,l.frater,vt alter &c.pag.37. & 459.ponitur deſcriptio Trochiſcorum de Minio; ſed apud Fienum lib.2.de Cauter.c.9. reperiuntur illi Trochiſci hoc modo ex Ioan. de Vigo deſcripti: Recipe Medullæ panis non cocti, bene fermentati vnc.ſem. Sublimati optimi drach. vnam, Minij Vnc.ſem.Aq.Roſac. q.ſ. &c. eligatur itaque harum deſcriptionum melior.pag.460.pro flatum, l.ſtatum. p.465.lege,reliqua duo genera.

Digitized by Google

GABRIELIS
FALOPPII MVTINENSIS,
Medici, ac Philoſophi præclariſsimi.

DE VLCERIBVS
TRACTATVS ERVDITTISSIMVS ET VTILISSIMVS.

PRAEFATIO.

PRIMVM nomen Dei Omnipotentis extollere debetis ſummis laudibus, quòd vos fratres chariſſimi, & mihi tanquam filij; meque vobiſcum ſoſpites ſeruarit, hac præcipuè ratione non vt ſolum viuamus; ſed vt agamus ea, quæ ad bonam vitam, atque ad felicitatem ſpectant, inter quæ ſanitas quoque ipſa reponitur, licet primus locus conſtituatur ijs, quæ ad religionem attinent, is enim, qui religioſè, & honeſtè viuit ſi coniunctam habeat ſanitatem, felix protectò, ac beatus dici poteſt. Cum itaque meum ſit ea vos docere, quæ ad ſanitatem pertinent, deſidero vt attenti ſitis, atque peruigiles, & primum in audiendis ijs, de quibus veſtra cauſa ſum hoc anno Deo Optimo fauente acturus. Ars itaque medica proponitur quæ tribus medijs ſolet perficere ea, quæ agit, hoc eſt conſtat tribus partibus, quarum prima reſpicit actionem manus; altera medicamenta: tertia victus rationem. primo loco enumeraui eam, quæ manum, aut organum reſpicit, quoniam hæc pars primo inuenta eſt, & in vſum recepta, & de ipſa primum facta eſt mentio ab antiquiſſimis illis authoribus; vt teſtis eſt poetarum atque hiſtoricorum princeps Homerus, qui loquens de Macaone, ac de alijs antiquiſſimis illis Medicis, explicat munus Medici dicens, quod manu agendo, diſſecando, euellendo ſpicula, & applicando ea, quæ mitem faciunt affectum, curat. De victus autem ratione non fit mentio apud Homerum, quia nouum eſt inuentum, & noua medicinę pars: & ob id vltimo in loco à me fuit enumerata, fuit enim hæc pars, quæ ad victus rationem pertinet, ab Hippocrate inſtituta, vt teſtatur Strabo in 14. lib. ſuæ Geographiæ, vbi inquit quòd in Chio erat templum Aeſculapij, in quo plures manebant ægri, & multi ſanabantur, & qui ſanati fuerant, tanquam beneficij accepti memores affigebant parietibus templi tabellas, in quibus & genus morbi, & curandi ratio explicabatur, quas tabellas cum collegiſſet Hippocrares, & combuſtum iam eſſet templum, ne periret hiſtoria, inſtituit artem de victus ratione, quam artem Plinius lib. 29. cap. 1. vocat clinicen. meritò igitur in primo loco enumeraui partem, quæ manu vtitur: ſecundo loco, quæ pharmaco: poſtremo eam, quæ vtitur victus ratione. Et quamuis tres ſint partes, tamen ſciatis Domini quòd vna tantum eſt ars ex omnibus conflata, quam artem qui optimè callent, ſine dubio vocandi ſunt diuini, ſicut & omnes antiqui, qui ipſam calluerunt, diuini ſunt appellati, vt Hippocrates, qui artem ita calluit, vt ne micam quidem dimiſerit, nam ſcripſit libros attinentes ad rationem victus; ſcripſit etiam libros pertinentes ad medicamenta, nec non qui ad operationem manuum faciunt, qualis eſt liber de officina Medici, de articulis, de vulneribus, & multi alij. Et ideo ſi quis veſtrum iuuenes ſtudioſiſſimi voluerit euadere in bonum Medicum, neceſſe eſt, vt complectatur omnes has tres partes, eaſque optimè poſſideat. Et quamuis dixerim diuinos eſſe nuncupādos illos, qui omnes has tres partes callent, tamen nō deſunt boni Medici, qui eas omnes non poſſident; nec ob id reprehendendi, aut mali Medici vocandi ſunt, cū præſertim ſint aliqui, qui non ſunt apti ad omnes illas partes diſcendas, tenendas, & exercendas, & iſti tales, qui videlicet non ſunt apti, melius eſt, vt ab illis deſiſtant. Cum itaq; non omnes calleant oēs has tres partes, nec omnes apti ſint ad eas addiſcendas; hinc factum eſt,

vt ars, quæ alioqui eſt vna tantum, diuiſa fuerit in tres partes, & alij ſint vocati Medici medicamentarij: alij chirurgi, alij diętetici, & à Plinio clinici, vna tamen eſt (vt dixi) ars, quam peruicacia potius, quàm ratione aliqua adducti diuiſerunt in tres partes: vnus quoque tantum eſt finis ipſius, ſcilicet ipſa ſanitas, quem finem quomodocunque aſſequamini, aut manu, aut medicamento, aut dieta nihil refert, dummodo ſanemus. Sed quamuis vnica ſit ars, vnicuſque ipſius finis, tamen ſunt aliquot, qui à medica actione abhorrent ita, vt ex ſola aliquando inſpectione delinquant animo, & iſti ſunt tolerandi, excuſandique; & in his, Natura potius eſſet accuſanda, quæ tali complexione eorum corpus formauit, vt afficiatur eorum animus. Itaque cum diuiſa ſit ars, hinc eſt, quòd & Medici diuiſi ſunt; & ij, qui gymnaſia inſtituere decreuerint, vt alij hanc, alij illam, & iſtam partem profiteantur, & exponat, & optimè quidem fecerunt, & laudandi ſunt, ſicut & laude digni erunt illi, qui eiuſmodi inſtitutum ſeruabunt. Vnde cum & ego ad vnã ex his partibus docendam vos ſim vocatus, exoptabo, & quaſi exorabo vos, vt non tantum frequentes, quantum dociles, ac attenti mihi eſſe velitis. Et vt ad rem veniam, tractabo hoc anno Deo Optimo fauente partem chirurgiæ, quæ vox, chirurgia, ne vobis difficultatem pariat, eſt ante omnia perpendenda. Scire itaque debetis, quòd plura ſignificat, nam aliquando apud Galenum denotat omnem actionem, quæ fit inſtrumento aliquo, vt habemus apud ipſum lib. primo de vſu partium cap. 7. vnde Ælianus meritò vocauit pictores, & ſimiles artifices chirurgos, hoc eſt, manu, & inſtrumento artem exercentes, quia ex actione & manu dicta eſt chirurgia, nam χεὶρ apud Græcos ſignificat manum, ἔργον verò opus. ſed de chirurgia in hac ſignificatione accepta nos non loquimur. aliquando nomen hoc, chirurgia, non ſignificat artem, ſed actionem propriam, & peculiarem factã à Medico, vt ſi verbi gratia, luxetur os, vel frangatur & Medicus reponat articulum in ſuum locum, vel reſarciat os fractum, talis actio appellatur chirurgia, vt habemus apud Galenum lib. 1. de dignoſcendis pulſibus c. 1. Vltimo, chirurgia, ſignificat artem, quæ conſtat veris, ac proprijs problematibus, & præceptis, atque ordine proprio, quo utitur in docendo; & hæc ars à Cornelio Celſo lib. 7. c. 1. vocatur pars medicinæ chirurgica, & pars medicinæ, quæ manu curat, & ab aliis nominatur ſimpliciter chirurgia, vt à Cicerone in quarto epiſtol. ad Atticum; & de hac loquimur nos. Verùm notate, quòd Neoterici diuiſerunt artem hanc in chirurgiam primi ſignificatus, & in chirurgiam ſecundi ſignificatus, & per has voces intelligunt illas actiones, quæ vel communes ſunt omnibus artibus, vel ſpeciales, ac propriæ: & quo ad ſecundum ſignificatum, in quo capiunt chirurgiam pro parte medicinæ, dicunt aliam partem chirurgiæ eſſe theoricam, aliam practicam. ſed nolo conterere tempus in his explicandis, quoniam abhorreo iſtorum nomina, ac diuiſionem; & venio ad definitionem ipſius chirurgiæ, quam multi tentarunt explicare, & inter alios auctor ille, qui ſcripſit Introductorium, cui ſucceſſit Auicenna, & alii quorum definitiones cum multa comprehendant, quæ non ſunt neceſſaria, & omittant, quæ non eſſent omittenda, à me prætermittentur; ſed cum Galeno, & Celſo dicam, chirurgiam eſſe certiſſimam curatricis artis partem, organo, & manu vtentem ad ſanandum: dixi eſſe certiſſimam, quia ipſa ſola eſt certa medicinæ pars, nam ut Celſus in præfatione ſui ſeptimi libri inquit, ſæpe oculi medicamentis affliguntur, & poſtea per ſe ſanantur. at in actionibus chirurgicis nihil eſt incerti, repoſitio enim luxati oſſis in ſuum locum; vnio partium diſiunctarum, & ſimiles actiones certiſſimæ ſunt, & cuique manifeſtæ. & ideo Celſus, qui fuit alter Cicero Medicus,
" loco dicto loquens de chirurgia dicebat. Ea non quidem medicamenta, atque victus ratio-
" nem omittit; ſed manu tamen plurimum præſtat, eſtque eius effectus inter omnes Medici-
" næ partes euidentiſſimus. hæc de diffinitione chirurgiæ. Subiectum autem ipſius eſt corpus humanum tantum. ſed ſubiectum eſt duplex, aliud commune, aliud proprium; commune chirurgiæ ſubiectum eſt corpus humanum; proprium verò eſt corpus humanum opem manus requirens. illud igitur, quod eget docta manu, vel organo, eſt ſubiectum proprium chirurgiæ. Finis eiuſdem artis eſt etiam duplex, vniuerſalis, ſeu communis, & proprius: vniuerſalis eſt ſanitas; proprius vero eſt illa actio facta ſecundum artem, & opportunè. Habet ars hæc ſua principia, quę Galenus in primum librum Hippocratis de officina Medici commento tex. ſexti redegit in præcepta, quæ præcepta complexus eſt tribus capitibus vnà cum Hippocrate, & primum caput eſt, à quibus præcepta hęc fiant: ſecundum per quę fiant: tertium, de quibus: & hæc præcepta ipſemet Hippocrates exponit, nam declarat primum caput exponendo Medicum agentem, circa quod caput hæc obſeruanda ſunt, videlicet locus, habitus ipſius Medici, & modeſtia, nam debet Medicus obſeruare locum talem, vt non præripiat ſibi lumen, aut ægrum lædat: non debet ſedere nimis altè, nec nimis depreſsè: hæc & ſimilia ſunt circa locum obſeruanda. habitum quoque ſui corporis debet chirurgus obſeruare, vt ſcilicet non ſit onuſtus ſarcinis; eius veſtimenta non ſint ſordida; manus non habeat impeditas annulis, uel alia re, quo minus expeditè agere poſſit: & denique omnia quæ politum, elegantem, & moderatum reddunt agentem, ſunt à Medico affectanda. ultimo circa

Chirurgia quid ſit.

Subiectum chirurgiæ.

Principia chirurgica.

Digitized by Google

hoc primum caput debet obſeruare modeſtiam, ſeu modum operandi, ut ſcilicet blandè, eleganter, & cito agat, & præcipuè ſine dolore. hæc circa primum caput ſunt obſeruanda, quorum quanta ſit neceſſitas, patebit uobis magis, quando ad particularia ueniemus. Alterum caput erat, per quæ Medicus debet agere, & ſunt commoda, miniſtri, & organa: circa miniſtros debet Medicus obſeruare numerum, ut ſcilicet habeat tot, quot requiruntur: ſecundo debet obſeruare locum, dando miniſtris locum opportunum, ne ſibi, & alijs ſint impedimento, & lumen præripiant: tertio circa miniſtros, debet obſeruare habitum ipſorum, ne habitus ſit talis, ut reddat eos indecoros, & odioſos. commoda autem ab Hippocrate ſua lingua uocantur armena, & ſunt ea omnia, quæ ex ſuppellectile ipſius ægrotantis hominis *ἄρμενα* Medicus aſſumit, ut ſunt peluis, labrum, catini, lintea, ſtragulæ, puluinaria, ceruicalia, lumina, & id genus, quæ chirurgus non defert ſecum, attamen magna in ipſis eſt adhibenda diligentia, quoniam ſæpe protrahunt morbum, ſi non habeantur, uel non habeantur talia qualia requiruntur: in his autem obſeruandus eſt numerus, quantitas, pulchritudo, conſiſtentia & huiuſmodi. Vltimo circa ſecundum caput obſeruanda ſunt organa, quorum duplex eſt genus, nam alia ſunt mollia, alia dura: mollia dicuntur, quæ molli conſtant materia: dura autem quæ ſolida: mollia ſunt faſciæ, ſplenes linamenta, deterſoria, & ſimilia, in quibus obſeruandus eſt numerus, figura, pulchritudo, magnitudo, habitus, ſubſtantia, locus, ideſt particulæ, quibus applicantur; & tempus, hoc eſt tempus, uel hora illa, qua debent in loco, ſeu parti applicata manere. dura autem organa non ſunt receſenda, quoniam ſunt infinita, licet eorum materia ſit finita, quia alia fiunt ex ferro, alia ex ære, alia ex argento, alia ex auro, alia ex cornu, alia ex ligno; & in his organis duris ſimiliter obſeruandus eſt numerus, magnitudo, figura, habitus, locus, & ſimilia. hæc pauca volui vobis dixiſſe de ijs, quæ obſeruanda ſunt circa primum, & ſecundum caput, ſi enim voluiſſem omnia explicare, longa nimis fuiſſet noſtra oratio, & ſimul etiam ſuperflua, quia quicquid pertinet ad primum, & ſecundum caput propoſitum, declaratur ab Hippocrate, & à Galeno, in primo illo lib. de officina Medici. legatis ergo vos ipſi librum illum, & nos properemus ad vteriora. Vltimum caput erat, de quibus tractat Medicus; tractat autem de corpore affecto, & primo ars docet quo modo ſe habeat habitus totius, & partium; & ſi qua, hæc vna ars debet diligentiſſime reſpicere animum ægrotantis hominis, conſiderando ſcilicet animi paſſiones, ſeu affectus, quoniam niſi æger exponat partem ſecandam, vel comburendam, & huiuſmodi, nihil vnquam fiet. debet etiam Medicus obſeruare artus affectos. vnde ars docet, quæ affectio ſit; & cum facta eſt, quid ſit agendam, & vtrum agendum, & quænam ad agendum, ſiue in actionibus requirantur. Igitur caput hoc tertium reſpicit totum hominem; deinde affectus particulares, & quid ſit obſeruandum circa affectus, & quid agendum, & quo modo, quæ omnia docet ars ipſa. Sed ſciatis quòd non omnes affectus corporis pertinent ad hanc artem, ſed aliquot tantum, qui ſub hoc numero compræhendi ſolent, vt alij ſint tumores præter naturam, alii luxationes, alii fracturę, alii vlcera, alii vulnera, quibus addatis aliquot partes malè conformatas, & malè inter ſe coniunctas, & additamenta carnis, & huiuſmodi. hos autem affectus cum nō poſſemus omnes vno anno explicare; ideo inſtitutum eſt, vt ſingulis annis aliquot ex ipſis explicarentur; & inter hos affectus præcipui ſunt tumores præternaturam, vulnera, & vlcera. verum hoc anno tractandum nobis eſt de vlceribus, quæ tractatio difficilis, immo difficillima eſt, hac præcipuè ratione, quia numerus ſpecierum vlcerum eſt ferè infinitus; *Tractatio de Vlcerib. difficilis eſt.* & communia vlcera plurima ſunt, ſed longè plura illa, quæ ratione partium diſtinguuntur. ego tamen diligentiſſimus ero, & ordine omnia pertractabo, proponamque vobis nec tùm ea, quę ex probatiſſimis authoribus collegi; tùm illa, quæ experientia reperi: exponam vobis libellum Hippocratis de vlceribus, quia imperfectus eſt, & inordinatus; nec id Hippocrati eſt vitio vertendum, quoniam, vt Galenus ait, non potuit extremam manum huic libello imponere: nec liber erat, ſed potius breues quidam commentarij, nam libri, quibus manum extremam Hippocrates impoſuit, ſunt ita integri, & perfecti, vt ne verbum quidem deſiderari poſſit. Auicennæ tractatus in quarta quarti de vlceribus poſſet quidem legi, & exponi, niſi barbarè loqueretur, & niſi eſſet per ſe clarus; ideo ſat erit per alluſionem ipſum imitari. omittam etiam Guidonem, & alios: vt tamen habeatis vnde accipiatis præmeditationem, & præparationem antequam huc accedatis, ſciatis quòd imitabor Auicennam, & Guidonem; &, ſi barbariem abhorretis, legatis Ioannem Tagaultium natione quidem Gallum, ſed ſermone latiniſſimum ita, vt ſit alter Guido latinus factus. huius igitur docti viri tractatum de vlceribus prælegetis. Doctrina autem, quam vobis tradam non erit niſi probatiſſimorum auctorum, & adiungam ea, quæ *Ordo ſeruandus in doctrina vlcerum.* vſu ſunt confirmata. Ordo, quem ſeruaturus ſum erit talis: primo videbimus quæ ſit natura huius affectus, de quo nobis agendum eſt, videlicet quid vlcus ſit; ſecundo quæ, & quot differentiæ, ſeu ſpecies ipſius ſint: tertio quæ cauſæ non naturales, & præternaturales: quarto quot, & quæ ſigna, quæ hoc, vel illud genus vlceris nobis explicent: quinto agemus de

Digitized by Google

curatione in communi, quo modo ſcilicet vlcus in quantum vlcus curandum ſit: Sextum caput continebit curationem ſpecierum vlcerum: Poſtremò agam de curatione particularium vlcerum, & primo quidem vlcerum capitis, deinde oculorum, in quibus diligentiſſimus ero ita, quòd vos non pœnitebit me audiuiſſe: ſubinde poſtea tractabo de vlceribus oris, & reliquarum partium, inter quæ cadet tractatio de ſcabie, & de morbo gallico, quia & ipſe ſcabies quædam eſt, hic igitur eſt ordo, hæcque materia, de qua ſum acturus hoc anno, vno addito, quòd anno elapſo promiſi me tractaturum in fine gymnaſij de luxationibus, & fracturis; ſed capitis deſtillatione correptus, vt noſtis, non potui promiſſis ſtare; iccirco quia video rem hanc de luxatis, & fractis oſſibus malè tractatam à ruſticis, & mulierculis quibuſdam, præſtabo libenter quod anno ſuperiori non licuit, & incipiam diebus his feſtis antè feſta Natalitia, ne hoc etiam anno in fine gymnaſij, ſi illucuſque res protraheretur, occaſio iterum nobis ſurriperetur: & erit tractatio breuis, qua abſoluta, aggrediar diebus pariter feſtis tractatum de medicamentis purgantibus ſimplicibus; alijs verò diebus agam de vlceribus: veniamus igitur ad rem propoſitam priori loco, nempe ad naturam vlceris.

De vlceris diffinitione. Cap. II.

PRIMVM caput propoſitum fuit de vlceris natura, quid ſcilicet ſit vlcus. ſciatis igitur primo vocem hanc vlcus, ſiue ἕλκος frequentem fuiſſe & apud Græcos, & apud Latinos, quod enim ἕλκος Græcè dicitur, vlcus nobis ſonat, quaſi tu dixeris ſeparationem partium, quoniam ἕλκος dicitur ἀπὸ τοῦ ἕλκεσθαι, quod eſt ſeparare, ac diſtrahere. igitur vlcus appellatur à diſtractione. verum ne in æquiuoco laboretis ſciatis quòd vox iſta ἕλκος non ſignificat idem apud omnes, quia apud Hippocratem denotat tùm vulnus, tùm ulcus, uti conſtat ex ijs, quæ habentur in ſuo libello de ulceribus, qui licet ſit inſcriptus de vlceribus, tamen maior pars præceptorum, quæ in ipſo continentur, pertinet ad vulnera: nec ob id dicendum eſt, quod Hippocrates abutatur voce, quoniam vox erat conſueta apud antiquiſſimos Auctores, vt teſtis eſt Homerus in vndecimo Iliados, ubi nominat vulnus Argaleon; vlcus difficile, & aſperum. vnde dico quod apud Hippocratem τραῦμα, & ἕλκος, id eſt vulnus, & vlcus idem ſignificant: apud Galenum autem ἕλκος aliquando ſignificat omnem ſimpliciſſimam continui ſolutionem; aliquando ſignificat vulnus; aliquando ſolutionem continui in parte duntaxat carnoſas; & de neutro iſtorum intelligimus nos, quoniam vlcus non eſt ſoluta vnitas in carne tantum; ſed quid ſit explicabo poſtea; nunc vero ſciatis, quod non defuere inter antiquos, qui tentarunt explicare naturam huius affectus, Auicenna enim in quarta quarti ait, ulcus nominatur ſolutio continui in carne, quando facit ſaniem, & pus; hæc eſt definitio Auicennæ, quæ ab omnibus fermè admittitur tanquam uera, & certa, & habet, vt videtis, duas differentias, vnam acceptam à parte carnoſà, alteram ab accidentibus, ſcilicet à generatione ſaniei, & puris. Ego autem non poſſum eſſe cum Auicenna, quoniam dantur vlcera, in quibus nulla fit generatio ſaniei, vel puris. ſunt præterea alia vlcera; quæ non ſunt in parte carnoſa, vt ulcera cutis, & cuticulæ, non enim ſunt in muſculis, aut in carne, tamen ulcera ſunt, & omnes, qui de ipſis agunt, inſcribunt capita de vlceribus cutis. Præterea ſecundum definitionem Auicennæ idem erit vlcus, & vulnns, quia in vulnere cruento duorum, aut trium dierum generatur ſanies, & eſt ſolutio continui in parte carnoſa. Hæc cum vidiſſent aliqui Recentiorum tentarunt tradere meliorem definitionem addentes quædam, nam dicunt. Vlcus eſt ſolutio continui in carne, in qua conſiſtit vna, uel plures diſpoſitiones, quæ conſolidationem impediunt, ex quibus ſanies, vel putredo cauſatur: talis eſt definitio iſtorum. ſed eadem eſt, & mala, quia in hac definitione ſunt quædam differentiæ, quæ non ſunt vlceris, inquantum ulcus; at ſpecierum ulceris; ſi quis autem uellet definire animal, & acciperet differentiam hominis, profecto erraret: ita in definiendo ulcere non oportet accipere differentias ſpecierum ulceris, ut faciunt iſti, quoniam diſpoſitiones, quas dicunt eſſe cum ulcere, ut uerbi gratia inflammatio, & ſimilia, ſunt propriæ ſpecierum ulceris, non autem ulceris ſimpliciter. Inſuper dantur ulcera ſicca, ex quibus nihil ſaniei, uel puris effluit. Preterea habemus alia ulcera cum putredine, alia ſine putredine ita, ut dicantur ulcera putrida, alia non putrida: putredo facit quidem differentiam; ſed eſt differentia ſpecifica, non autem generica. falſum poſtea eſt, quod in ulcere ſint affectiones impedientes conſolidationem, nam quando ulcera ſanantur, non habent aliquid quod impediat

ἕλκεσθαι

Auicen. definitio.

Improbatio dictæ definitionis.

Recentiorũ definitio.

Improbatur.

Digitized by Google

pediat conſolidationem, tamen & tunc etiam temporis vlcera ſunt. Fernelius vir doctiſſimus, qui & doctrina, & auctoritate ſermonis ſuperauit, mea ſententia, omnes recentiores, qui ſcripſerunt, vt nullus ſit inter Neotericos, qui ſecum conferri poſſit: vir in quam iſte doctiſſimus in ſuo libro, quem inſcripſit pathologion, capit. nono, loquens de vlcere definit ipſum, & tradit definitionem elegantem, & breuem, vti debent eſſe definitiones omnes, quia definitiones ſunt veluti nuda rei natura. dicit ergo Fernelius, quòd vlcus eſt fœda, impuraque continui ſolutio; quæ definitio maximam habet, vt videtis, venuſtatem, eſtque breuiſſima, peccat tamen (Fernelij pace dixerim) & ratio eſt, quia vulnus contuſum, & laceum eſt fœdum, atque impurum, tamen non eſt vlcus. præterea vulnus factum ab inſtrumento venenato, eſt cum putredine, & impurum, attamen non eſt vlcus. Addatis quòd vulnus in tertia, vel quarta die emittit ſordem, & nihilominus vulnus vocatur ab omnibus, attamen recipit definitionem vlceris traditam a Fernelio, & ita non eſſet vulnus, ſed vlcus.

Fernelij definitio.

Peccat.

Itaque oportet vt inquiramus definitionem ab alijs, non tamen a Galeno, quoniam nullibi, quod ego ſciam, definiuit vlcus exquiſitè quid ſit; ſed ex ipſo vtique poſſumus vlceris definitionem elicere, videlicet ex libello de conſtitutione artis, capit. ſexto, ſiue liber ille ſit Galeni, ſiue alterius docti viri, ſuus tamen videtur eſſe. in eo igitur loco inquit, quòd ſolutio continui ſi fiat ab erodente aliquo corpore, & in eſſe, vocatur teredo, id eſt eroſio: ſin autem fiat in mollioribus partibus, nominatur vlcus: ex quo loco colligimus, vlcus eſſe ſolutionem continui ab erodente cauſa factam: & ex eo quod fit à corpore erodente, neceſſe eſt, vt aliqua ſubſtantia deperdatur, imminuaturvè, impoſſibile enim eſt, quòd aliquid erodatur, & non abſumatur aliqua ipſius particula. igitur habemus, quòd eſt ſolutio continui facta per comminutionem aliquam ſubſtantiæ ab inſtrumento, uel cauſa erodente; & ideo dicemus, quod vlcus eſt quantitatis continuæ per diminutionem ſolutio in qualibet corporis particula ab intemperato efficiente facta. quòd ſit ſolutio continui fatentur omnes: dixi facta per comminutionem, quoniam fit ab erodente cauſa: nec vlcus eſt ſolutio continui in carne tantum, vt Galenus videtur velle, quia & ipſe infra dicit, quòd & cutis patitur ulcus; & non ſolum cutis, ſed etiam oſſa, quamuis ipſe ſolutionem continui in oſſe appellet nomine teredinis: Dixi poſtea ab intemperato, intelligens à corpore erodente, quia erodens corpus intemperatum eſt.

Ex Galeni ſententia uera definitio.

Hoc ſtante videndum eſt an vlcus ſit morbus ſimplex, an compoſitus. Galenus non explicat hoc manifeſtè, nec etiam Auicenna, nec Conciliator, neque alij, videtur tamen quòd ſit morbus ſimplex, dum dicimus, quod eſt ſolutio continui, quia continui ſolutio, ex Galeno in libro de differentijs morborum capit. quarto, & vndecimo, & aliis in locis, eſt morbus ſimplex; ille autem ſimplex morbus vocatur, qui vnam tantum qualitatem, ſeu naturalem corporis diſpoſitionem impedit, aut aufert: ſed continui ſolutio lædit tantum vnionem partis; ergo malè dixiſti o Faloppi, dicetis uos, proponendo nobis vlcus morbum compoſitum.

Vlcus num ſit morbus ſimplex.

Dico quod ulcus eſt morbus compoſitus; nec ob id dicendum eſt, quod errauerit Galenus, niſi enim daretur compoſitio, genera non haberent ſpecies, quia ſpecies cognoſcuntur per additionem nouæ naturæ. quamuis ergo Galenus velit, quod ulcus ſit ſpecies ſolutionis continui; & quod ſolutio continui ſit morbus ſimplex; tamen dico quod ulcus eſt morbus compoſitus, ut plurimum enim ſolutio iſta continui iungitur cum aliis morbis ſimplicibus, ut cum intemperie uaria, cum ſitu mutato, cum quantitate immutata, uel aucta, cum ſubſtantia imminuta, & ſimilibus; & ita fit morbus compoſitus, quia ſemper habet diſiunctionem partium, ſemperque aliquid ex ſubſtantia deeſt, uel ſupercreuit, uel quid ſimile adeſt: & ideo dicitur morbus compoſitus, uel ſolutio compoſita, ut à diuturniori nomen accipiat.

Eſſe morbum compoſitum.

Sed dicet aliquis, ſi eſt morbus compoſitus, cur ſequitur magis ad ſolutionem continui, quàm ad ablatam imminutamvè quantitatem? & cur non dicis quod ulcus eſt imminuta quantitas ab hoc uel illo corpore facta, cum ſoluta unitate; ſicuti dicis quod eſt ſoluta unitas cum quantitate imminuta? Reſpondeo, quod in reſolutione ſemper illud, quod eſt vltimum, eſt genus, uel ſtat loco generis, ut animal dicimus eſſe genus hominis, quoniam ſi reſoluatur, cum deuentum erit ad animal, non licet ulterius progredi: ita quoque in ulcere illud eſt dicendum quod ſit genus, uel loco generis, quod ultimo remanet, & ultimo loco ſanatur: certum autem eſt, quod illud quod ultimum remanet in curatione ulceris non eſt quantitas imminuta; ſed unio partis ſoluta. Et ideo Galenus reſpiciens illud ultimum, quod remanet in curatione ulceris, uidenſque illud eſſe ſolutionem, retulit ulcus ad ſolutionem continui, non autem ad quantitatem imminutam & ablatam. & idcirco accepit ſolutionem unitatis ueluti pro genere ipſius ulceris. Sed ut ueſtræ memoriæ ſuccurram, repeto, & dico, ulcus eſſe ſolutam continuitatem factam per eroſionem ſubſtantiæ in qualibet corporis parte: effi-

ciens verò cauſa eſt corpus abſumens propter ſuam intemperiem , atque eliquans erodensvè : & vocaui ſolutionem continui cum Galeno , & cum alijs,factam per eroſionem ita , vt ulcus ſit morbus compoſitus ſactus ab agente aliquo intemperato, & acri : & dixi vlcus eſſe paſſionem omnium partium corporis , quamuis Galenus videatur aliter ſentire; ſed poſtea ex ipſo collegi eſſe paſſionem non ſolum carnis ; verum etiam cutis, oſſium, neruorum , & omnium aliarum partium corporis ; & re uera conſentiente ratione, & vſu nulla eſt corporis pars, quæ non poſſit erodi,& vlcus pati: & de hoc loquimur nos,non autem de vlcere, id eſt de vulnere : nec de vlcere,ideſt de affectione carnis tantum : ſed iam veniamus ad cauſas vlceris iſtius. de quo ſermonem habemus.

De cauſis vlcerum . Cap. III.

TRIPLEX vlceris cauſa proponitur ab Auicenna, quarta quarti: videlicet vulnera , exituræ, & puſtulæ ; ita quòd vlcus ſecundum ipſum fit vel ex vulnere, vel ex exituris, vel ex puſtulis . hæ ſunt cauſæ , quas admittunt fermè omnes . ſed hæc Auicennæ ſententia ſi rectè explicetur, vera eſt; ſi verò non bene exponatur, eſt falſa, nam ſi intelligamus, vt intelligere certè debemus , quòd vlcera conſequuntur illas affectiones ſcilicet ad vulnera , ad exituras, & ad puſtulas : optimè dicit Auicenna , quia ſæpe uidemus vlcera conſequi aliquem iſtorum affectuum ; & hoc modo intelligendus eſt Auicenna : non autem quod tales affectus ſint cauſæ. cum itaque affectus hi non ſint cauſæ , ſed præcedant, & vlcera eos ſequantur ; opus eſt , vt cauſas inquiramus . Guido igitur , & illi , qui ipſum ſequuntur, dicunt, quòd cauſa vlceris efficiens eſt duplex, vna præcedens, altera continens, ſeu coniuncta vocata ; & vtraque interna eſt, & non euidens, & à Celſo libro primo appellatur occulta : per antecedentem autem cauſam intelligatis cachochimiam,coaceruationemque humorum, qui peccant & qualitate, & quantitate ita , vt ſint malæ naturæ, cachoetis vocati à Galeno in quinto methodi medendi capit. quinto, & non ſolum iſti humores ſunt mali, ſed etiam abundantes ; & coaceruantur in ambitu aut quia corpus totum ſit malè affectum, aut quia affectum ſit viſcus aliquod, aut quia affectum ſit vtrumque. addatis vos quarto loco malam victus rationem , quia & ob malam rationem uiuendi coaceruantur humores mali in corpore . igitur cauſa coaceruationis malorum humorum in corpore eſt uel malus habitus totius corporis , vel malus habitus alicuius viſceris, uel malus habitus utriuſque, uel mala ratio victus. Nos iſtud totum concedimus, & ſumus cum illis, qui ita dicunt, & fatemur dari antecedentem cauſam ulceris ; ſed addimus quòd non ſolum cachochimia ſolet eſſe antecedens cauſa vlcerum , uerum etiam boni humores peccantes in quantitate, ut optimus ſanguis ſi redundet, ſolet generare vlcera, quam rem vidit doctiſſimus Fernelius in ſuo ſexto libro quem inſcripſit pathologion , id eſt de affectibus,capit. nono , quæ res patet in ulceribus hiemalibus, ut in pernionibus, nam horum ulcerum cauſa antecedens, ſeu occulta eſt purus ſanguis actus a dolore genitus propter frigus,& propulſus à natura ad pedes , uel ad manus, & inibi putreſcens efficit ulcera : & talis ſanguis peccat tantum quantitate, quod apparet ex curatione talium ulcerum , quia uera curatio eſt, ut ſtarim mittatur ſanguis, quo miſſo, ut ego ſoleo facere etiam ſi ſit frigidiſſima tempeſtas, ulcera non procedent; vel ſi facta iam ſint , ſanantur. Addendum quoque eſt, quòd non ſolum cachochimia totius corporis , ſed etiam partis alicuius eſt cauſa ulceris antecedens in parte ſubiecta , vt humor ſalſus, ſeu actis à capite deſcendens ſæpe eſt in cauſa ulcerum in partibus inferioribus, ut in faucibus , & pulmonibus . Colligo igitur dari vnam cauſam internam remotam, & eſt cachochimia humoris coaceruati uel ex malo habitu totius corporis , vel viſceris alicuius, vel vtriuſque ,vel ex mala victus ratione. ſecundo fit aliquando vlcus ex abundantia quidem , & coaceruatione humoris, ſed non mali humoris, vt ex abnndantia optimi ſanguinis , & ita ſanguis etiam copioſus, & bonus eſt cauſa vlceris antecedens. tertiò colligo dari tertium genus antecedentis cauſæ, & eſt excrementum malum genitum , & coaceruatum in parte aliqua ſuperiori. Dicunt etiam dari cauſam coniunctam, id eſt immediatam , & eam aiunt eſſe malitiam in complexione, hoc eſt malam temperiem. Ego autem non nego dari cauſam coniunctam ; ſed nego malam temperiem eſſe immediatam cauſam , à qua primò & immediatè fiat vlcus, nam infinita fiunt ulcera nulla exiſtente intemperie in parte illa, in qua fit vlcus. Præterea neſcio videre quo modo ex intemperie fiat ſolutio continui : ſcio quidem duplicem eſſe opinionem de cauſa doloris. nam alij dicunt , quòd eſt intemperies, quoniam dicunt,quòd intemperies ſoluit continuum:alii verò aſſerunt doloris cauſam eſſe ſolutam vnitatem ; & ſi intemperies facit dolorem , id facit, inquiunt, ſoluendo

Cauſa vlceris duplex, præcedens, et continẽs.

Cacochymia.

Abundantia humoris boni.

Excrementum malũ.

Cauſa coniuncta qua ſit.

Opiniones de cauſa doloris.

con-

Digitized by Google

continuum, quia dicunt intemperiem terminare in ſolutionem continui. Sed omittamus hanc queſtionem de doloris cauſa, de qua aliàs ſi occaſio dabitur dicam & ego ſententiam meam; nunc verò ſupponamus, quòd dolor fiat ab intemperie, atque à ſolutione continui, tamen non video quo modo intemperies auferat, comminuatvè ſubſtantiam per ſe, & immediatè, dixi per ſe & immediatè, quoniam per accidens poteſt id facere, vt ſumma ſiccitas ſi in parte aliqua introducatur, eſt in cauſà, vt partes diuellantur, & fiat continui ſolutio in ea parte; ſed per accidens id facit, & nunquam ſiccitas, quatenus ſiccitas, poterit continuum ſoluere: idem dico de intemperie calida, & de alijs. Dico itaque quod intemperies non eſt immediata cauſa ſolutionis continui in ulceribus, ſed cauſà immediata ſunt humores acres, putridi, & erodentes in parte ipſa contenti, vt dicit Galenus in quinto de locis affectis capit. quinto. Humores igitur mali in internis partibus contenti, ſunt qui primò, & immediatè faciunt vlcus, vt patet quando inteſtina exulcerantur aliqualiter. Quapropter colligatis, & dicatis, quòd prima & immediata cauſa continens vlceris eſt humor malignus, & acris, maluſque ſua natura, redundans vel à toto corpore, vel à parte aliqua: aliquando etiam humor eſt ſua natura bonus, & tamen eſt in cauſa vlceris. accidit enim, vt dum fluit ex parte aliqua ſit bonus, ſed fit poſtea malus in parte, in qua firmatur, vt diximus conſtare de pernionibus, quia ſanguis, qui talia vlcera facit ante quam ſit firmatus in loco, eſt purus, & optimus; ſed poſtquam fluxit, cum diutius quàm requiratur ſtet extra venas, corrumpitur, & malus fit, & ſic erodit.

Cauſa immediata ſolutionis continui.

Immediata cauſa vlceris.

Tertiò cauſa vlcerum aliquando non eſt materia aliunde mala fluens, nec defluens bona; ſed quæ mala gignitur in parte ipſa, vbi vlcus eſt, quia ſæpe generantur excrementa in partibus corporis, & ſunt propria partium illarum excrementa, quæ cum non habeant exitum retinentur, & retenta putreſcunt, fiuntque acria ita, vt exulcerent. Iam peteret à me aliquis veſtrum, an dentur etiam cauſæ externæ vlcerum, quæ & procatarcticæ etiam cauſæ nuncupantur. Dico quòd ſecundum Recentiores non videntur dari, cum nullam de ipſis faciant mentionem: ſed dicant, quòd vt plurimum vlcera fiunt vel ex puſtulis, vel ex abſceſſibus, vel ex vulneribus. vnde ſi gladius ſecet partem aliquam, & fiat deinde vlcus in eo ipſo loco, vbi eſt facta ſectio non dicetur quòd gladius fuerit cauſa vlceris, niſi remota, & per accidens, ſed dicetur cauſa proxima ipſius vulneris, ad quod conſequitur ulcus. Ego autem cum Galeno in quarto methodi medendi capit. primo, dico dari cauſas extrinſecas vlcerum, nam ibi Galenus loquens de corroſione inquit, quòd fit aliquando ab extrinſeco erodente, vt ab igne. & ideo non dubitetis dari cauſas procatarcticas vlcerum; non putetis tamen, quòd ſolus ignis ſit de genere talium cauſarum, nam ſunt etiam alię; argumento ſint vobis vlcera illa, quæ in veſtris capitibus excitantur aliquando, quando tonſores abluunt vobis caput, & lixiuium eſt acre ita vt cutim, & carnem etiam interdum erodat. idem dico de omni cauſtica materia, nam cauſtica etiam omnia abſumunt, colliquant, & erodunt. attritio quoque ſæpe eſt in cauſa vlceris, & ſi hoc non creditis, petatis à uiatoribus, quibus pedum digiti ſæpe exulcerantur non à cauſa intrinſeca, ſed ab extrinſeca, & duriori ipſis digitis, ut uel a calceo, uel à ſaxis. & ſimilibus. Quare non eſt negandum dari cauſas ulcerum procatarcticas, licet aliter uideantur ſenſiſſe Recentiores, de quo miror quidem, ſed longè magis miror quòd non uiderint cauſam extrinſecam, & efficientem ulceris per contagium quam cauſam dari, experientia ipſa indicat manifeſtè, quia ſi corpus molle trahat ad pulmones uaporem, ſeu ſpiritum eleuatum ex corpore laborante phtiſi, ipſum quoque phtiſicum fit. præterea multi ueſtrum ex re habita cum muliere habente putridos humores in loculis illis, contrahunt ulcera in pene. & propterea ponendæ omnino ſunt cauſæ externæ ulcerum, & prima ipſarum erit ignis, uel ignitum corpus erodens ſuo corpore acri: altera eſt medicamentum acre: tertia eſt, corpus durum atterens: quarta, & ultima eſt corpus contagioſum malignum, & fuliginoſum, ſeu uaporoſum partibus hærens. Hæ ſunt cauſæ ulceris efficientes, quarum aliæ (ut audiuiſtis) ſunt internæ, & occultæ; aliæ uerò externæ, & procatarcticæ, ſeu manifeſtæ. ſequitur modò caput de differentijs, de quibus agam in ſequenti lectione.

Cauſa extrinſeca vlcerum.

Dari cauſas procatarcticas ulcerum.

De differentijs vlceris. Cap. IV.

VLCERIS differentiæ inordinatè, & confusè traduntur ab Arabibus, vt ab Haliabbate in octauo Theorices capit. decimonono, & ab Auicenna in quarta quarti, & à Raſi in Tractatu de Vlceribus. Galenus autem nullibi tradit nobis differentias vlceris, quatenus ulcus eſt morbus compoſitus ex ſoluta vnitate, & comminuta quantitate; ſed potius tradidit differentias vleeris inquantum ulcus eſt, hoc eſt inquantum eſt ſimplex morbus. nam dixi ſupra, quòd Galenus accipit aliquando ulcus

pro

pro ſola ſoluta vnitate: tradidit ergo ſolum differentias vlceris quatenus eſt morbus ſimplex, quod cum non obſeruaſſet Tagaultius, confundit differentias vlcerum traditas à Galeno, & à Guidone, atque multa addit ſuperuacanea.

Differẽtiæ vlcerum ſumuntur ex tribus.

Loci autem ex quibus accipiuntur differentiæ vlceris, ſecundum Recentiores ſunt tres, ſcilicet cauſæ, ſymptomata, & partes. Et quamuis in proponendis fontibus locisvè, ex quibus hauriuntur differentiæ vlceris, ordinatè, ac diſtinctè procedant, tamen in enumerandis poſtea ſpeciebus, differentijſque incertum ſeruant numerum. Et ideo ut ordine procedamus, & eliciamus certum numerum vlcerum; dicamus quòd capita ſeu loci, ex quibus capiuntur differentiæ, ſunt quatuor, & primus eſt natura ſeu eſſentia vlceris: ſecundus continet cauſas, nam & à cauſis accipiuntur differentiæ; tertius continet effectus, & illa, quæ morbum ipſum conſequuntur: quartus & vltimus locus complectitur res extrinſecas, quæ non attinent ad naturam ulceris. Sed veniamus ad primum locum, & videamus quæ, & quot differentiæ vlceris ex ipſo eliciantur.

Primus locus.
Natura vlceris.

De natura vlceris dicebamus eſſe ſolutam unionem, & diminutam quantitatem, quia vlcus eſt morbus compoſitus ex his. & ideo circa hoc primum caput obſeruanda eſt quantitas, figura, tempus, numerus id eſt ſimplicitas, aut compoſitio; quantitas quidem, quoniam ſolutio continui eſt uel magna, vel parua: quantitas ſimiliter imminuta eſt vel multa, vel pauca: & id quod imminutum eſt vel eſt imminutum hac figura, vel illa. vnde ratione quantitatis dicemus, quod aliud eſt vlcus magnum, aliud paruum aliud anguſtum, aliud latum; aliud latens, aliud manifeſtum, quæ differentiæ omnes reſpiciunt, vt videtis, magnitudinem, & propterea non poſſum ſatis mirari de Tagaultio quòd dicat, vlcus ſinuoſum, & profundum ſumi à cauſis, cum hæ differentiæ nullo modo conſequantur cauſas, ſed morbi eſſentiam, quia ſi multa ſit imminuta, ac deperdita quantitas quo ad profunditatem, vocamus vlcus profundum, ſeu ſinuoſum: & ſi hoc illovè modo quantitas ſit imminuta ita, vt pars aliqua promineat, aliqua ſubſideat, vocatur ulcus inæquale; contra ſi quantitas ſit æqualiter ablata, nominatur ulcus æquale. à figura autem ſumuntur differentiæ, quoniam alia ulcera ſunt orbicularia, & hæc difficilis ſunt curationis; alia non orbicularia; ſimiliter alia æqualia, ut dixi, alia inæqualia; alia recta, alia obliqua, alia pampini modo intorta, quæ differentiæ omnes oriuntur à figura. numerus quoque, id eſt unitas, aut multiplicitas conſequitur naturam ulceris, & ab ipſo ſumuntur differentiæ, nam aliquando ulcus eſt unum tantum, aliquando plura ſimul coniuncta; & alia ſunt compoſitiora, alia minus compoſita, omne tamen ulcus compoſitum eſt ex ſoluta vnitate, & quantitate imminuta. & ſi quando Galenus vocat (vt re uera uocat) ulcus ſolutionem duntaxat continui, ſciatis ipſum abuti uocabulo. dico igitur quòd licet ulcus in quantum ulcus ſit compoſitum, tamen aliud eſt magis, aliud minus compoſitum. ſimiliter aliud ulcus habet unum morbum coniunctum, aliud alium. morbi autem ſiue affectus, qui cum ulcere copulari ſolent, ſunt hi, intemperies, abſceſſus, inflammatio, eryſipelas, oedema, corruptio, id eſt gangrena, cancer, callus, uel durities, os carioſum, & varix, qui morbi omnes poſſunt per ſe conſiſtere, tamen coniunguntur aliquando cum ulceribus, & conſtituunt uarias ulceris differentias, ita ut dicamus ulcus cum intemperie, ulcus cum oedemate, ulcus canceroſum, & ſic de ſingulis alijs: quo patet differentias has oriri ex additione nouæ naturæ; & harum differentiarum ſingula propriam requirit curationem. unde deſiderarem, immo hortor uos, ut legatis librum Fernelij, qui inſcriptus eſt Pathologion, qui liber eſt certè ita pulcher, ac doctus, vt cum quocumque alio poſſit conſerri, & ab omnibus eſſet legendus: in eo igitur libro vir iſte doctiſſimus loquens de his differentijs vlcerum dicit, quòd oriuntur à cauſis coniunctis, quod ego non intelligo; & ſi intellexero, non poſſum videre, quo modo hoc ſit conſonum ueritati, nam ſi hæ ſunt ſpecies, & inter ſe differentes, neceſſe eſt, vt & talium ſpecierum vlceris materia differat: herpes exempli gratia, differt ab vlcere eryſipelatoſo; & ideo eſt neceſſe vt eorum materia differat. Cum ergo vna, atque eadem ſit cauſa immediata coniuncta; non uideo quo modo tales ulcerum differentiæ ſumi poſſint, vt dicit Fernelius, à cauſa coniuncta. Recentiores, ut Guido, & qui ipſum ſequuntur, dicunt, quòd differentiæ hæ accipiuntur à ſymptomatibus. ſed ſi uelint quòd iſti morbi, ut inflammatio, eryſipelas, oedema, cancer, & alij, dicantur ſymptomata ad hunc ſenſum, quia conſequuntur priores morbos, rectè quidem dicunt: ſi verò intelligant, quòd ſint uerè ſymptomata, decipiuntur, quoniam ſymptomata non ſunt morbi, ſed læſio actionum ipſarum facultatum. & ſi quando Galenus uocat febrem accidens, ut re vera uocat interdum, non intelligatis quòd febris ſit accidens, quia morbus eſt; ſed dicatis, uocare ipſam accidens, quia cõſequatur priorem morbum. Ab ętate quoque ſumuntur vlceris differentiæ, quia aliud eſt ulcus incipiens, aliud exiſtens in augumento, aliud in uigore, aliud in declinatione; item, aliud eſt recens, aliud antiquatum & chironium: hæ ſunt differentię, quę conſequuntur eſſentiam ulceris. Cęterum diceret ve-

ſtrum

ſtrum aliquis, animaruertas, quod tu proponis pro ſpeciebus vlceris vlcus inflammatum, eryſipelatum, & id genus, tamen Galenus in tertio method. capit. quarto, & decimo, reprehendit illos antiquos, qui dicebant, aliud eſſe vlcus inflammatum, aliud eryſipelatum & huiuſmodi. dicit quoque quòd ſi diceret hoc aliquis empiricus, nõ eſſet accuſandus: contra autẽ ſi rationalis Medicus id aſſereret, eſſet maximè reprehendendus. Reſpondeo quòd rectè dicit Galenus; nec ob id erraui ego, quoniã Galenus inibi, & in toto tertio illo libro loquitur de vlcere ſimplici, id eſt de ſimplici ſolutione continui, quatenus eſt talis, hoc eſt inquantum eſt ſoluta vnitas, quod patet ex eo, quia nunquam meminit vlceris caui, vel lati & ſimilium, quamuis mentionem fecerit & de profunditate, & de latitudine, ac de reliquis ſimilibus ſeparatim. dico igitur quòd ipſe loquitur de ſolutione continui ſimplici, quam vocat aliquando vlcus: non autem loquitur de ulcere quatenus eſt morbus compoſitus: vlceris autem ſimplicis ſunt tantum differentiæ acceptæ à tempore, à ſoluta vnitate, & à quantitate; non autem ſumptæ ab inflammatione, ab eryſipelate, & ſimilibus. Secundus

Secundus locus a cauſis.

locus ex quo eliciuntur differentiæ ulceris, erat ille, qui continebat cauſas tùm internas, tùm externas: ab internis quidem ſumuntur differentiæ, quia aliud eſt vlcus cachochimũ, id eſt factum ex malo ſucco, aliud rheumaticum, hoc eſt factum ex fluxione. item aliud eſt vlcus melancholicum, aliud bilioſum, & ſic de alijs humoribus. Ab externis cauſis ſimiliter ſumuntur differentiæ, quia aliud eſt vlcus factum ab igne, aliud intertriginoſum, factumq; ex attritione, aliud contagioſum, aliud vocatum Sancti Iobæ, aliud Sancti Lazari, aliud gallicum, & multa alia huiuſmodi. Sunt etiam differentiæ quædam acceptæ à materia; ſed eſt materia duplex, vna ex qua fiũt morbi, altera in qua morbi ipſi conſiſtunt, v.g. materia ex qua fit inflammatio eſt ſanguis: materia autem in qua, ſunt partes ipſę corporis, ſupra quas inflammatio, vel ulcus conſiſtit, quæ partes vocatæ ſunt loci ab antiquis, quorum locorum ratione vlcera etiam differunt, quia alia ſunt in pulmone, alia in faucibus, alia in cute, alia in neruis, alia in tibijs, & ſic de reliquis, quas differentias debetis obſeruare, quoniam ratione etiam locorum ulcerum curatio maximè differt. differunt quoque vlcera ratione cauſæ finalis, quia quædam ſunt vlcera tuta, & ſalubria, quædam periculoſa, & inſalubria; alia lethalia, alia non lethalia. Tertius fons, ſeu locus continebat effectus conſequentes vlcera ipſa, qui effectus ſunt duum generum, nam alij ſunt proprietates ſeu mores vlcerum, alii ſunt ſymptomata: differentiæ acceptæ à proprietatibus ſunt maximi momenti, & ſunt quòd alia dicuntur ulcera benigna, alia peſſima ita, ut nequeant ſanari: item alia ſunt contagioſa, alia ſcabioſa, alia gallica: alia ſerpentia, quæ per ſe ſaantur, & continuò renouantur, quod fit ratione moris, ſiue proprietatis, neque enim poſſumus certam reddere rationem cur herpes ulcus ſerpat ſanando ſe ipſum; melancholicum autem ulcus non faciat hoc ipſum. a ſymptomatibus vero ſumuntur differentiæ, quia aliud eſt vlcus dolens, aliud pruriens, aliud pulſans, & huiuſmodi. item ab operibus Naturæ differentiæ ulceris accipiuntur, quia aliud eſt ulcus ſordidum, purulentum, vel ſanioſum, aliud nigrum, aliud rubicundum, & ſimilia, quæ ſequuntur opera Naturæ, quoniam Natura eſt quæ efficit ulcus nigrũ, & huiuſmodi: item aliud eſt uerminoſum, aliud cum carne molli, & aliæ multæ ſunt differentiæ, quæ ſumuntur ab operibus Naturæ. Vltimus locus, ex quo diximus promi differentias, continebat accidentia, quæ accidentia ſunt potius exempla & ſimilitudines, nam dicimus quod aliud eſt ulcus Telephium, aliud Chironium, eo quod & Thelephus, & chiro paſſi ſint talia ulcera, uel quod à Thelepho & Chirone fuerint ita nominata. ſed hæ non ſunt differentiæ, quamuis uideantur, & ideo ommittamus ipſas, & ueniamus ad ſigna, de quibus agam in ſequenti.

Tertius a materia.

A cauſa finali.

Tertius locus ab effectu.

Quartus locus ab accidentibus.

De ſignis vlceris. Cap. V.

SEQVVNTVR iam ſigna, quæ à Medico ſunt obſeruanda in curatione ulcerum, de quibus Recẽtiores multa dicunt; ſimiliter & Auicenna. nã in fine primi capitis tertii tractatus in quarta quarti diffusè admodum de ipſis tractat. uerum nec ipſe, nec alii (eorũ pace dixerim) exquiſitè de ſignis agunt, & ſæpe numero non diſtinguunt inter ſigna diagnoſtica, & prognoſtica, quibus affectum uel cognoſcimus, uel prænunciamus. Alii quamuis diligentius diſtinguant, tamen poſtea inordinatè, & non certo nobis ſigna proponunt. Et ideo oportet ut nos clarius, & certius, de ſignis ipſis agamus docentes quo ordine ſint inquirenda, & unde accipienda. Vos Domini ſcitis quòd, qui exercent medicam facultatem ſolent eſſe ſolliciti primo de ſanitate: ſecundo de cauſis ſanitatis: tertio de iis, quæ cõſequuntur; deinde inquirunt morbos, cauſas ipſorum & ea, quæ morbos concomitantur: & obſeruant habitus

neutros

Digitized by Google

neutros, & cauſas efficientes, & conſequentia hos habitus: inter quos morbos ſunt ulcera, de quibus quærit Medicus quid ſint, ſi non pateant; eorum cauſas: & quæ conſequuntur. vnde tota res diſtinguitur, & continetur duobus capitibus, quorum alterum continet ea, quæ inueſtiganda à Medico ſunt per ſigna: alterum uerò continet locos, aut fontes ex quibus ſigna ipſa hauriuntur. Circa primum caput, hæc ſunt à Medico inquirenda: primo an ulcus ſit ſuperuenturum nec ne; & hoc eſt primum quod debet per ſigna cognoſci à Medico. ſecundum eſt, ſi vlcus ſit iam factum & ſenſibus pateat, inquirere debet Medicus quæ nam vlceris ſpecies ſit. tertio debet cognoſcere partem morbi, videlicet tempus, ſiue ætatem vlceris, an incipiat, vel augeatur, ſiue conſiſtat, aut declinet. quarto debet cognoſcere ſucceſſionem vlceris. quinto quæ ſint cauſæ efficientes omnes; quæ ſi ſint præſentes, ſunt expellendæ; ſi autem non ſint præſentes, ſunt nihilominus cognoſcendæ, quoniam ducunt in cognitionem morbi futuri. ſexto quis ſit locus affectus. nam ſæpe accidit, vt quamuis ſciamus adeſſe vlcus, tamen ignoramus in qua parte præciſè ſit, vt verbi gratia, an in hepate, vel alia in parte; & ſi in hepate an in hac, vel illa hepatis particula, quæ res non eſt facilis cognitu. vnde videbitis ſæpe Medicos dubitantes, & inter ſe diſcrepantes de loco in quo ſit vlcus. ſeptimo cognoſcere oportet quis ſit effectus vel proprietas, vel ſymptoma conſequens hoc, vel illud ulcus, vt poſſit Medicus adhibere remedia, & prædicere. Hæc circa primum caput.

Quæ ſint à Medico inquirenda.

Alterum caput erat, quæ ſint ſigna, & vnde accipienda, quibus ſignis poſſit Medicus illa omnia cognoſcere. Quatuor ergo locos reperio, & colligo tùm ex Galeno, tùm experientia, ex quibus poſſunt ſigna depromi, & primus locus habetur a Galeno in lib. artis medicinalis c. 8. vbi inquit „ Horum autem dignotiones ſumendæ ſunt ab his, quæ ſecundum eſſentiæ rationem ipſis inſunt. ex quibus verbis colligimus, eſſentiam morbi eſſe vnum fontem, ex quo haurimus ſigna. quare primus locus erit natura vlceris. alter locus habetur etiam à Galeno in primo de differentijs febrium cap. 7. vbi quærens ſigna febrium ephimerarum dicit, quòd „ primo ſumuntur à cauſis procatarcticis. ergo cauſæ erunt ſecundus locus ex quo ſigna capiuntur. & quamuis Galenus videatur nobis proponere regulam illam de ephimeris tantum febribus, tamen ſciatis, quòd eſt communis in omnibus morbis, atque etiam in vlceribus. tertius quoque locus habetur in eodem octauo capite libri de arte medica in illis uerbis. „ & ab his, quæ ex neceſſitate conſequuntur operationibus, caſibuſque, qui propriè acci- „ dentia uocantur: quibus verbis apparet, quòd tertius locus comprehendit ſymptomata, atque effectus, qui morbum neceſſariò conſequuntur: & hic pariter locus eſt communis, & perpetuus in omnibus morbis. quartus locus non proponitur manifeſtè à Galeno, tamen tacitè de ipſo meminit, & ipſo uſus eſt in primo præſertim libro curatiuo ad Glauc. cap. 5. vbi quærens ſigna tertianæ febris inquit, quòd ſi accidat, ut plures homines eodem tempore laborent tertiana, & occurrat tibi febricitans: abſque aliis ſignis poteris in coniecturam uenire, & colligere, quòd & iſte, qui tibi occurrit laboret febre tertiana, proportione ſumpta à multis aliis eadem febre tunc temporis laborantibus, ut uerbi gratia, ſi æſtas ſit, & multi febriant tertiana febre, & ueniat ad uos mulier dicens, meus puer febrit; uos accedetis, & quamuis non adſit lotium, uos tamen coniectabitis, quòd & puer ille laborat tertiana febre, quod colligetis ex analogia, & ſimilitudine ſeu proportione aliorum eadem febre eo tempore laborantium & quod dictum eſt de febre intelligatis etiam de ulcere, & de aliis morbis. Itaque ſigna accipientur uel ab eſſentia morbi, uel à cauſis cognitis, uel à conſequentibus, uel ab analogia.

Vnde accipienda ſigna.

Ex quatuor locis ſumuntur ſigna.

Primus. *Secundus.* *Tertius.* *Quartus.*

Iam uideamus quo modo Medicus ex ſignis acceptis ex illis quatuor locis præcognoſcat ulcus futurum: ſed prius notate, quod quamuis ex his omnibus quatuor locis poſſitis aſſumere ſigna, tamen rarò accidit, ꝙ utatur omnibus quatuor ſimul, ſed aliquando Medicus utetur tribus locis tantũ, aliquando duobus & interdũ uno tantũ vt v.g. eſt aliquis, qui percipit pruritum, & dolorem quendam in crure: uolo ego accipere ſigna talis rei, tũc non poſſum uti primo loco, ſeu fonte, qui continebat eſſentia ulceris, quia ulcus non adeſt; qũo ergo poſſum accipere ſigna ab ulcere, ſi ulcus abeſt? nec poſſum capere ſigna ex ſecundo loco, id eſt, ab effectibus, ſiue à conſequentibus, qm̃ cum non adſit ulcus, non poſſunt etiam adeſſe ea, quæ ulcus concomitantur; & ideo oportet, ut utamini aliis locis, ut illo qui continet cauſas, à quibus, & præſertim ab extrinſecis ſæpe accipimus ſigna: exem- „ plum huius rei habetis ab Hippocrate in tertio aphor. 11. ubi inquit. Si hiems ſicca, & aqui- „ lonia fuerit, uer autem pluuioſum, & auſtrale, neceſſe eſt febres acutas, & lippitudines & in- „ teſtinorum difficultates fieri. ex hoc colligimus, quòd ſi talia tempora, qualia Hippocrates deſcribit, præceſſerint, quiblioſo ſunt habitu æſtate incident ut plurimum in ulcera: & hoc colligimus ex cauſis præcedentibus. item in aphoriſmo uigeſimo eiuſdem libri habetis exemplum. nam inquit, quòd iuuenes, qui uſi ſunt abundanti uictu debent uere expectare ſcabiem, lepras, & huiuſmodi. ecce quòd ſigna accipiuntur a cauſis extrinſecis. ſimiliter ſi parti alicui fuerint applicata medicamenta acria, expectandum eſt ulcus. quia ex uſu ipſorum ſolent ſuccedere ulcera. pariter ſi iuuenis dormierit cum muliere infecta lue gallica,

colligemus

colligemus quòd patietur gallicam ſcabiem, quo cognito occurremus ipſi cum remedijs,
quæ reſiſtant tali morbo. hoc pacto a cauſis externis capiuntur ſigna. A cauſis quoque in-
ternis ſumuntur, vt quoties cognoueritis in corpore abundare cachochimiam, vt verbi gra-
tia ſuccum acrem, vel ſalſum, quod cognoſcetis ex diuerſis, vt ex intenſo cutis colore, ex pru
ritu leui, ex dolore quodam, & ex multis alijs: cum hæc videritis, colligetis quod ſucce-
dent vlcera biliosa. ſed dicet aliquis: quo modo cognoſcam in corpore eſſe ſalſam cacho-
chimiam? Dico quòd cognoſcetis ex ſputo ſalſo, & ex ſanguine, qui ex gingiuis egreditur,
dum deterguntur dentes, ſi enim talis ſanguis ſit ſalſus, colligetis ſalſum etiam humorem
in corpore redundare: & quod dixi de humore ſalſo intelligatis vos etiam de amaro, & de
quocunque alio. Ab analogia quoque colligetis ſigna, & præcognoſcetis vlcus futurum
hoc modo. ſæpe accidit, vt laborantes quartana febre hiemali tempore incidant vere in
melancholica vlcera: & ideo ſi talem hominem videritis, colligetis, quòd verno tempore
patietur ſcabioſa vlcera melancholica, quia vere germinant humores inſtar plantarum. &
propterea hoc cognito mandabitis ægro, vt ante quam accedat ver, expurgetur. quare vt vi-
detis, præcognoſcimus futurum vlcus ſignis acceptis non ab eſſentia morbi, nec ab effecti-
bus ipſius; ſed à cauſis, & ab analogia. hoc erat primum, quod diximus eſſe à Medico præ-
cognoſcendum per ſigna. Secundum erat ulcus, quod quidem ſignis non eget ut cogno-
ſcatur, cum ſit ex ijs, quæ oculis ſubijciuntur, præcipue ſi fuerit in exterioribus, atque tactui
etiam ſubiiciatur, quòd ſi fuerit in partibus internis, atque occultis, per ſigna erit inquiren-
dum, & cognoſcendum, per ſigna dico accepta ſi non ex omnib. propoſitis fontibus, ſaltem
ex aliquot ipſorum, neque enim ſemper poſſumus, ut paulo ſupra dixi, per ſigna omnium
fontium id, quod latet cognoſcere; itaque ex aliquo ſaltem fonte colligetis ſigna. vt ſi no-
ueritis quod ęger accepit cantharides in multa quantitate, & poſtea uideatis adeſſe dolo-
rem in veſica, colligetis, quòd ineſt ulcus, quia præceſſit cauſa ipſius. ſimiliter ſi quis min-
xerit duobus, aut tribus diebus vrinam maxime acrem; vel ſit diu paſſus gonorrhęam bilio-
ſam, id eſt cum qua eſſet mixta bilis. & adſit dolor aut in collo veſicæ, aut in canali virgæ, in-
ferendum eſt, quod ineſt vlcus, quod collectum eſt ex cauſis. ſimili quoque modo ſi videri-
tis quempiam paſſum fuiſſe choleram, & excreuiſſe per vomitum, & per ſeceſſum multa ex-
crementa, & poſt excretionem percipiat dolorem in inteſtinis, non erit dicendum quòd do-
lor ille fiat vel a flatu, vel ab intemperie, ſed ab vlcere, quia præceſſit excretio materiei bilio-
ſæ, uel ſalſæ. A conſequentibus etiam poteritis accipere ſigna, & quidem certa: & exem-
plum habetis ab Hippocrate in 4. aphor. 75. vbi ait, quòd quoties ſanguis, vel ſanies, vel uri-
na craſſa cum furfuribus mingitur, & vrina eſt valde fętida, vlcus eſt in veſica. quare habetis
iam exemplum, & modum, quo ſigna accipiūtur ex tribus locis. Remanet quartus, qui erat
analogia, à qua ſigna accipietis hoc modo. ſunt epidemici aliquot affectus, vt dyſſenteriæ,
qui occupant aliquando omnes ferè homines vnius ætatis, vt annis ſuperioribus vidi om-
nes fermè pueros laborare dyſſenteria: ſi ergo ſcietis quòd hoc anno verbi gratia multi
pueri afficiuntur dyſſenteria, & incideritis in alium puerum laborantem fluxu alui, poteritis
ſtatim, antequam expectetis febrem, & eiectionem cruentam, occurrere affectui dyſſente-
rico iniiciendo ea, quæ morbum futurum prohibeant. Cæterum non ſolum cognoſcenda
eſt morbi, id eſt vlceris eſſentia; ſed etiam an habeat aliquod coniunctum, vt intemperiem, *Coniũcta.*
vel inflammationem, vel oedema, & ſimilia; ſed primo dicamus de intemperie, quam in- *Signa in-*
dicabunt cauſæ morbi, ſi enim ſciueritis vlcus fuiſſe factum à cauſa calefaciente, vt à corpo- *temperiei.*
re ignito, colligetis, quòd cum ulcere coniuncta eſt intemperies calida. ab effectibus quo-
que, ſiue à conſequentibus idem cognoſcetis, ut ſi ulcus recipiat iuuamentum à frigefacien-
tibus, indicatur, quod habet coniunctam intemperiem calidam: ſi autem iuuatur a calidis,
indicatur intemperies frigida. color etiam ulceris indicat quid ſit coniunctum cum ulcere,
nam ſi rubrū ſit, oſtendit caliditatem, quoniam ubi eſt color rubeus, ibidem abundant ſpiri-
tus ſanguinei: ſi autem color ſit albus, dicatis coniunctam eſſe intemperiem frigidam, ut
ait Auicenna, quia albedo indicat paucitatem ſpirituum, at ſi color, dicit idem Auicenna;
ſit niger uel liuens, dicatis adeſſe intemperiem frigidam & ſiccā. ergo & à colore colligetis
an adſit cum ulcere intemperies nec ne, & qualis ſimiliter ſit intemperies illa. de aliis autem
morbis, qui coniungi ſolent cum ulcere, ut ſunt tumores præternaturam, non ero ſollici-
tus, quoniam diffuſè agit de his Tagaultius, & ipſum poteritis legere, præterquam quod
ego quoque poſtea ſum locuturus de ulceribus coniunctis cum huiuſmodi morbis. & ideo
tradens inibi curationem, loquar etiam de ſignis. Tertio in loco diximùs per ſigna cogno-
ſcendam eſſe ulceris ætatem, ideſt tempus ipſius, quod ſenſu præcipuè percipitur, quoniam *Aetas ulce-*
oculis uidemus an ulcus ſenſim, ac ſenſim creſcat, uel decreſcat, quod etiam à cauſis, & ab *ris.*
effectibus cognoſcetis, quia in omni ulcere eſt pruritus, & dolor uel pungens, uel mordax,
dummodo uluus non ſit gangręna, quia tunc cum non adſit ſenſus, non poterit etiam adeſ-
ſe aut pruritus, aut dolor: ſed ſi pars non ſit priuata ſenſu, ſemper in omni uluere aliçuius
momenti

Digitized by Google

momenti erit vel pruritus,vel dolor aliquis, & hic quidem aut pungitiuus, aut mordax. Si igitur hæc augeantur, & augeatur fluxus materiæ,indicabitur, quod vlcus eſt in augmento. Si verò conſiſtant,quod eſt in ſtatu.Contra autem ſi omnia ſint remiſſa,oſtendunt quòd eſt in declinatione. Quartum quod diximus eſſe per ſigna cognoſcendum,eſt euentus ſiue ſucceſſio vlceris,vt an vlcus ſit ſanabile,vel ſecus, quod cognoſcetis ex natura partis affectæ, quia ſi vlcus cancerosum ſit in palato,vel in mammis, vel in vtero, dicatis quòd non ſanabitur,& quòd morietur æger, & citius etiam ſi vlcus proritetur. ſimiliter ſi cancerosum vlcus ſit in oculo,prænuncietis mortem. item ſi vlcus ſit in arterijs, vel in pulmone impoſſibilem dicatis eſſe ſanationem: obducetur quidem callo, ſed non cicatrice. hoc modo à loco affecto prædicetis ſucceſſionem. ſecundo idem poteritis facere ſignis acceptis à cauſis, quia & ipſæ indicant qualis euentus futurus ſit. tertio colligetis prognoſticum ab effectibus, vt ſi vlcus ſit nigrum,uel liuidum,uel viride,dicatis quòd non ſanabitur. Quinto in loco erant cognoſcendæ cauſæ; ſunt autem cognoſcendæ,vt ſi intendantur poſſint remitti: ſi verò conſiſtant poſſint impediri ne augeantur,& ſimiliter etiam auferri: accipiũtur autem ſigna pro cognoſcendis cauſis à natura vlceris,ut ſi noueritis,quod ulcus exiſtens in hac,vel illa parte eſt herpes, & videritis, quòd ſerpit, ſtatim habebitis, quæ ſit ulceris iſtius interna cauſa ſi non efficiens,ſaltem conſeruans,ac fouens,videlicet humor ipſe bilioſus. ſimiliter ſi cognoueritis quòd ulcus eſt cancerosum, habebitis ſtatim,quòd cauſa eſt humor melancholicus. ſi rurſus cognoueritis vlcus eſſe inflammatum, ſubito certi eritis,quòd cauſa eſt ſanguis. Ecce quo modo notitia eſſentiæ, ſeu naturæ morbi ducit in cognitionem cauſæ. Secundo ſigna indicantia nobis cauſas accipiuntur à ſymptomatibus,ut ex colore. nã qualis erit color ipſius ulceris, talis quoque erit cauſa interna ipſius,aut immediata pariens ipſum vlcus,id eſt quæ fecerit ulcus,aut quæ ipſum faciat, & foueat. tertio cognoſcetis cauſas ab analogia, vt ſi videbitis ſcholaſticos hos ineunte uere incidere in vlcera ſcabioſa ,ſtatim inferetis,quòd cauſa extrinſeca fuit crapula,qua uſi ſunt hieme,nam ut plurimum qui hieme vtuntur praua uictus ratione,uere ineunte patiuntur ſcabiem. Sextum, quod erat præcognoſcendum eſt pars ipſa patiens vlcus,accidit enim ſæpe,ut nec uiſu,nec tactu poſſimus partem ipſam laborantem cognoſcere; & ideo quando non patet, eſt cognoſcenda per ſigna, cognoſcitur autem aliquando cognitis cauſis ipſis, ut ſi exulcerentur inteſtina,ſolent ambigere Medici an ulcus ſit in inteſtinis tenuibus, an in craſſis. & ideo ſi ſcieritis quòd ulcus eſt factum ex iniecto cliſtere,in quo erat colocyntis non obuoluta in panno,& habito quòd cliſteres ut plurimum non tranſeant craſſa inteſtina:ex hac præcognitione uenietis in notitiam,quòd ulcus eſt in inteſtinis craſſis,& quòd fuit factum ratione colocyntidis. quia cum non fuerit ligata in panno,adhæſit, & exulcerauit. & hinc factum eſt,ut optimi Medici utentes colocyntide in cliſteribus non accipiant eius ſubſtantiam, ſed inuoluant ipſam panno, & faſciculum deinde ipſum ponant in decocto. Similiter ſi quis biberit aliquod acre, ut lixiuium acre, uel aquam ſalſam, & poſtea euomerit ſaniem, cognoſcetis ſtatim quòd ulcus eſt in oeſophago, uel in uentriculo, quoniam ſcimus, quòd ea,quæ bibuntur, deueniunt primo ad gulam, deinde deſcendunt in uentriculum. rurſus aliquis mingit ſaniem, doletque in partibus deſtinatis ad urinam; hinc colligimus ulcus eſſe in partibus illis; ſed ignoramus an ſit in renibus, an in ueſica: ſed ſi cognouerimus antea, & præſciuerimus,quòd accepit cantharides,illicò dicemus,quòd ulcus eſt in ueſica, quoniam cantharides ſolent ueſicam præcipuè exulcerare. ecce quo modo cauſa, quæ præceſſit, ducit nos in cognitionem quæ pars illa ſit, quæ laborat. ſecundo cognoſcitur hoc idem ex affectibus, ut ſi quis mingat lotium ſanioſum,indicatur ulcus eſſe in renibus: contra autem ſi cum lotio ſint filamenta,indicium eſt ulcus eſſe in uaſis ſeminariis: Si uerò cum urina ſint ſquammæ, dicatis ulcus eſſe in ueſica. ſimiliter ſi quis expuat, euomatque ſanguinem purulentum, & ſaniem copioſam, & nihil talis materiei egrediatur per ſeceſſum, inferatis ex hoc ulceratum eſſe uentriculum. ſed ſi inter bibendum percipiat dolorem aut mordicationem, inter bibendum dico rem aliquam acrem, dicatis ulcus eſſe in faucibus uel in gula. quod ſi ſentiat mordicationem, & dolorem dum mouet linguam, indicium eſt ulcus eſſe in palato,uel in faucibus. tertio cognoſcitur pars ipſa laborans per analogiam, ut ſi ſciuerimus, quòd mulier aliqua patiatur cariem in pudendis partibus, & quis habeat rem cum ipſa, deinde contrahat ulcus, ſtatim nos dicemus, quòd vlcus non poteſt eſſe in alia parte, quàm in pudendis, quoniam ſcimus cariem habere analogiam cum partibus pudendis. Septimo & vltimo diximus,quòd per ſigna erat præcognoſcenda proprietas vlceris,vt malignitas ipſius, quæ malignitas eſt omnino præcognoſcenda, vt dicit Galenus in 6.aphor. 45.cognoſcitur autem proprietas, & malignitas ex cognitione cauſarum: ſi fluat exempli gratia humor putredinoſus ad ulcus, non ſolum debetis dicere, quòd talis humor eſt cauſa vel efficiens,vel conſeruans vlceris,ſed etiam quòd vlcus illud eſt malignum.ſimiliter ſi ſcieritis quòd vlcus eſt,verbi cauſa,caries,& factum eſt per contagium, dicetis eſſe ulcus malignum,

Euentus, & prognoſticum vlceris.

Signa cauſarum.

Signa ex parte patiente.

Signa moris vlceris.

lignum,dummodo non habuerit ortum ex calefactione. Symptomata quoque ipſa oſtendent vobis malignitatem,vel benignitatem vlceris, vt ſi ſemper adſit mordicatio, & dolor, & non cedat medicamentis anodynis, atque ulcus ex opportunis adhibitis medicamentis non ſauetur, ſed potius augeatur, & non poſſit cicatrice obduci, uel ſi obducatur,ſtatim reuiuiſcat ulcus,uel paulo poſt, quis, ſi hæc uideat, non diceret ulcus eſſe mali moris? pariter ſi pili circa ulcera cadant, indicatur malignitas, ait Hippoc. in ſexto aphor. quarto. Tertio loca ipſa affecta indicant mores ulceris, ut ſi ulcus cancroſum ſit in utero,uel in mammis, uel in palato, dicatis, quòd eſt malignum.& hæc ſufficiant de ſignis.deſcendamus modo ad curationem uniuerſalem.

De vniuerſali ſimplicis vlceris curatione. *Cap. VI.*

DVplex eſt vlcerum ſanatio,pro ut & ulcus duplex eſt,nam quoddam eſt ſimplex,quoddā compoſitum: & per ſimplex non intelligo,ut Gal.in 3.lib.medi.& alijs ſubſequētibus ſimplicem continui-ſolutionem;ſed intelligo ulcus, in quo duo ſunt, ſcilicet ſoluta unitas,& defectus ſubſtantiæ ſine alio affectu adiuncto: per compoſitum autem intelligo ſpecies ipſas ulceris,quæ una cum ſoluta unitate,& cauitate,ideſt,imminuta quantitate,habent cōiunctum alium affectum, ut uel intemperiem, & huiuſmodi. de utriuſque autem ulceris huius curatione dicam uidelicet de curatione ſimplicis,& de curatione compoſiti;ſed prius ſimplicis, cuius *Cura ſimplicis ulceris.*
curatio conſiſtit in hoc,ut exiccemus,inquiunt Recentiores,quod probant authoritate Galeni,in 4.meth.med.cap.5.& Hippoc.in lib.de ulceribus,ubi ait,quod ſiccum eſt proximum ſano; humidum non ſano. Cum ergo ulcera ſint humida, quia dicunt, quòd adeſt pus, & ſanies; ſequitur quòd erunt curanda cum ijs, quæ ſiccant, ut patet etiam ex Hippoc. qui in curandis ulceribus utitur ſemper ſiccantibus ita conſtituūt Recentiores, & uerum quidem dicunt,quòd ulcera ſunt ſiccanda, tamen mea mens huic non acquieſcit, ſicut non acquieſceretis uos ſi peteretis,Martine quo uadis? & ipſe reſponderet; ſum ſeruus Monachorum: *Indicantia.*
ita dico,quòd ulcus ſit ſiccandum,eſt ueriſſimum; ſed hoc non indicat ulcus, quatenus ulcus eſt,id eſt,quatenus eſt ſoluta unitas cum cauitate, hoc eſt cum defectu ſubſtantiæ, ulcus *Siccatio.*
enim hoc nihil habet commune cum ſiccatione. Si igitur uerum eſt illud, quod dicit Gal. in 2.methodi med.ut certè eſt uerissimum, quòd unum, inquantum unum,ſemper indicat unum; & id quod eſt præter naturam indicat ſuum contrarium: & quod eſt ſecundum naturam indicat ſimile; ſi hæc inquam uera ſunt, ut ſunt procul dubio, ſequitur neceſſariò, quòd ulcus non indicabit ſolam ſiccationem;ſed cum duo in ipſo ſint, ſcilicet ſoluta unio, & cauitas;indicabit unionem,& repletionem,& hoc etiam uoluit Galenus. Cęterum ui- *Vnio.*
deamus, quæ nam cauitas ſit iſta,quæ eſt in ulcere: profectò eſt defectus ſubſtantiæ indeter- *Repletio.*
minatæ,dico indeterminatæ,quoniam & pars,quæ ulcus pati ſolet,indeterminata eſt. unde ſi ulcus ſit in parte carnoſa defectus erit carnis, & per conſequens indicabitur repletio per carnem:idem dico de alijs partibus. ergo repletio indicatur talis,qualis eſt pars,uel ſubſtantia, quæ deeſt, ſed poteſt ne Medicus, uel Natura replere hanc cauitatem per regenerationem ſubſtantiæ ſimilis illi,quæ deeſt? Dico quòd in aliquot poteſt, in aliquot non; nam in ætate adulta non poſſunt reſtitui neruoſæ partes, nec cutis, nec oſſa. & propterea quamuis in ulcere cutis neruorum, & oſſium indicetur repletio per reſtitutionem corporis homogenei,tamen non poteſt id fieri;& ob id non eſt in eiuſmodi ulceribus laborandum, ut repleatur cauitas,cum reparatione corporis homogenei. At in pueris,quia adhuc uiget formatrix facultas, poteſt ulcus in partibus etiam ſpermatius per homogeneam ſubſtantiam replere,ut Galenus teſtatur,nam inquit ſe uidiſſe & oſſa, & arterias regenitas.partes autem carnoſæ in omnibus reſtituuntur. Verùm diceret ueſtrum aliquis, ſi ulcera partium ſpermaticarum non poſſunt repleri,& ſanari in adultis;ergo ſequetur,quòd ulcerum alia erunt ſua natura inſanabilia ut illa,in quibus non poteſt reſtitui illud, quod eſt deperditum; alia ſanabilia. Domini dico, quòd ulcera ad amuſſim ſanentur eſt impoſſibile, tamen Natura ne relinquat partes corporis deformes, ſolet reſtituere aliquod loco illius corporis homogenei, quod reparari nō poteſt,ut in oſſibus generat porum,qui habet oſſis ſimilitudinem: in ulceribus partiū neruoſarū reſtituit loco ſubſtantię neruoſæ corpus quoddam tenax,quo cauitatem replet.tentat enim Natura,ut hæc etiam ulcera omnia ſanentur.& ideo in his expectate regenerationē alicuius corporis, ut uel pori, uel uiſcidi corporis alicuius, uel alterius huiuſmodi:& hoc eſt illud commune corpus indicatum tanquā naturale ad repletionē

cauitatis. Sciatis tamen quòd Natura vtitur vtplurimum carne ad repletionem vlcerum, quibus cum nō ſit ſolum cauitas, ſed etiam ſoluta vnitas, indicatur, vt repleta cauitate vniamus. primo igitur indicatur carnis generatio: ad carnem autem regenerandam oportet obſeruare tùm materiam, tum efficientem. vtrumque enim requiritur, ſi caro gigni debeat: efficiens eſt temperies tùm corporis totius, tum affectæ partis; ſed temperies partis affectæ eſt cauſa immediata: totius verò eſt mediata, & remota, & propterea indicatur, vt conſeruemus temperiem & totius corporis, & affectæ particulæ, ſed præcipuè partis, in qua eſt vlcus: & ſi temperies non adſit, indicatur, vt illam introducamus, quia temperies adiuuat facultatem attrahentem, alterantem, apponentem, & aſſimilantem, at intemperies ſi adſit non indicat ſiccationem, ſed ſui ablationem. nos verò ſupponimus vlcus eſſe ſimplex & ideo adeſt temperies & totius, & particulæ affectæ: temperies autem hæc indicat ſui conſeruationem; conſeruatur verò ex multis, & primo ex materia illa communi, quæ eſt cibus & potus, id eſt, recta victus ratio, cuius, quando praxim exercebitis, debetis primo habere rationem ad conſeruandam temperiem naturalem, quia ſi victus ratio talis ſit, vt non generet multos, nec malos humores, conſeruabit optimè temperiem. vtatur ergo æger uictus ratione mediocri. Secundo habenda eſt ratio motus & quietis, quoniam motus nimius calefacit; idcirco debet quieſcere tùm corpore, tùm animo. Tertio in loco eſt ſomnus & vigilia, ſit ergo ſomnus moderatus, quia moderatus ſomnus auget calorem innatum, & diſſoluit, diſſipatque excrementa: immoderatus autem humectat præter modum, eſtque in cauſa multorum excrementorum. ſimiliter immoderata vigilia eſt fugienda, quia ſiccat præter modum. Quarto loco habenda eſt ratio excrementorum, vt ſcilicet debito tempore excernantur tā ea, quę craſſa ſunt, quàm quę liquida, excepto tamē ſemine, quia ſeminis excretio non conſeruat, ſed potius corrumpit temperiem, imbecillos reddit neruos, & hepar refrigerat. Quinto addatis animi paſſiones, quæ euitandæ omnino ſunt, & perſuadendum eſt ægrotanti homini vt lęto ſit animo, & bene de ſanitate recuperanda ſperet. Sexto addatis ambientem aerem: & ſi qua extrinſeca cauſa eſt, quæ maximè mutet temperiem, illa vna eſt aer ambiens, vnde Recentiores obſeruant loca quædam, quæ ſua natura ſunt temperiei inimiciſſima, omiſſo quòd frigidiſſimus & ventoſus aer quilibet maximè noceat; & inter alia loca vbi dicunt aerem eſſe inimiciſſimum temperiei, enumerant aerem Auineonenſem, quæ vrbs in Gallia eſt, & olim fuit celeberrima propter gymnaſium; dicunt enim quòd aer ille ob ſuam craſſitiem & humiditatem eſt inimiciſſimus vlceribus, ita vt nunquam inibi ſanentur, vlceribus dico non quidem omnibus, ſed inferiorum dūtaxat partium: ita enim Recentiores intelligunt. Pariſiorum autem aer è contra, dicunt namque quòd aduerſatur vlceribus partium ſuperiorum; vlceribus verò partium inferiorum eſt ſaluber. idem dicatis de aere iſto Patauino, Vincētino: & ſimilibus: oppoſitum verò accidit de aere Mantuano, Ferrarienſi, & alijs craſſis, & humidis. Hæc ſunt quæ conſeruant naturalem temperiē. Vlcus igitur cum habeat cauitatem ratione amiſſæ ſubſtantiæ, indicat reſtitutionem illius, quod amiſſum eſt, ita enim explebitur cauitas: hoc autem non poteſt ſemper fieri ex propria materia, & ex eadem ſubſtantia, quia partes ſpermaticæ, & præcipuè in adultis, non reparantur. & ideo requiritur materia communis vlcus replens, quæ materia carnoſa eſt. indicatur ergo, vt vlcus expleatur carne: at caro fit à cauſa efficiente, id eſt à Natura, hoc eſt à temperie totius corporis, & partis affectæ, quæ temperies indicat, vt ſi præſens ſit, conſeruetur in eo habitu, & ſtatu, quod fit adhibita regula, & norma recta in omnibus ſex rebus non naturalibus, eo modo, quo diximus. Verum caro non ſolum ex efficienti gignitur, ſed etiam ex materia, vtrumque enim requiritur, quia caro gignitur ab efficiente non ex nihilo, ſed ex materia aliqua, quæ materia ſanguis eſt, qui ſi bonus adſit in uenis, quod cognoſcetis ex propriis ſignis, nihil debetis tentare: ſi verò non ſit bonus, oportet vt illum immutetis, & optimum reddatis. ſed quo modo hoc fiet dicetis vos? Dico, quod fiet primo per alterationem totius maſſæ; ſecundo per alterationem viſcerum illorum, quæ ſanguinem generant & propterea oportet cum in vlceribus vultis ope Naturæ generare carnem, efficiatis, vt maſſa ſanguinis ſit puriſſima: ſolet autem impura eſſe, quia habeat malum humorem & cachochymiam admixtam. vnde quando ex hac cauſa eſt impura, datur vobis indicatio exhibendi pharmaci; & ita primo leniatis aluum, deinde exhibeatis concoquentia, poſtremo propinetis pharmacum, quod habeat vim educendi humorem illum, qui impurum reddit ſanguinem. Quòd ſi ſanguis fuerit exuberās ita, ut opprimat facultatem, Naturæ, & ſit in cauſa, ut generetur caro mala, & cruda, tūc datur indicatio de ſecanda vena. at ſi ſanguis fuerit paucus, indicatur vt reficiatur, cūoptimis cibis, qui ſint boni ſucci, facilis cōcoctionis, & citò poſſint nutrire, debentq; in maiori quātitate exhiberi. ex hac materia optima, uel tali ſuapte natura exiſtēte, uel arte parata generabitur caro, & ſanabitur vlcus. ſed hæc nō

Carnis generatio.

Sex non naturalia.

Caro gignitur ab efficiente, & a materia.

Quomodo immutatur ſanguis non bonus.

ſufficiunt

Digitized by Google

ſufficiunt,nam ſcire debetis,vt fuſius vos docebo,quando agã de vulneribus, ꝙ in omni nutritione corporis,quæ nutritio eſt actio facta per concoctionem, ſemper generantur excrementa,& illa quidem duum generum,quæ duo excrementorum genera ſunt in toto corpore,& vnum ipſorum eſt tenue & aquoſum; alterum verò craſſum & terreſtre; aquoſum ac tenue eſt ichor, ſerumvè collectum in cauitatibus partium corporis, quod excrementum expellitur extra corpus, aut per lotium, aut per cutim inſenſibiliter euoporando per ipſos meatus,quando ipſos apertos reperit; aut ſi euaporando ad cutim reperiat poros conſtipatos vertitur in ſudorem,deinde excernitur his tribus modis excrementũ tenue, & aquoſum excernitur,alterum excrementum,quod craſſum eſt, & terreſtre ſenſim fuliginis modo eleuatur ad cutim,cui hærens facit ſordem vocatam. Sed in vlceribus eſt materia alteranda, & efficiens alterans generanſque carnem,quæ caro cum copioſa generetur in vlceribus,neceſſariò aderit duplex excrementum, vnum aquoſum & tenue, quod ichor a Græcis dicitur, a noſtris verò Latinis ichor: alterum craſſum & terreſtre, quod ripos, & pyon Græce vocatur, à noſtris autem pus,& à Barbaris ſanies bona nominatur. ergo duplex genus excrementi eſt in vlceribus, in quibus excrementa illa ſolent duo efficere, nam illud,quod humidum eſt tenue, ſi copioſum ſit,& retineatur, impedit generationem carnis,& corrumpit partem, ſeu diſtemperat,vt ita dicam,eò quòd,cum copioſum ſit,non poſſit excerni: alterum autem cum craſſum ſit,& lentorem quendam in ſe hăbeat, hæret carni, ſiue vlceri, & hærendo impedit generationem carnis. Cum itaque excrementa hæc ſint impedimento, indicatur, vt alterum,quod tenue eſt,ſiccemus;alterum autem abſtergamus,auferamuſque. dicamus ergo,quod vlcus indicat repletionem;repletio fit ex carne: ad generationem autem carnis inſequitur duplex excrementum, quod impedit; ergo vtrumque auferendum eſt; ſed vnum per ſiccationem,alterum per abſterſionem, & quia excrementa hæc duo ſunt in vlceribus à principio ad finem vſque. ideo ſemper à principio ad finem indicantur ſiccantia, & detergentia medicamenta,& propterea rectè dixerunt Recentiores, quòd ad ſanationem vlceris indicatur ſiccatio; ſed ratio poſtea probationis ipſorum eſt mala, quia dicunt, quòd vlcus inquantum vlcus indicat ſiccantia,quod non conceditur.de ſiccatione & ſiccantibus medicamentis non eſt,vt ego laborem, quoniam nouiſtis, quæ ſit natura, ſiue facultas ſiccans.at de facultate detergente res non eſt ita certa. & aduertatis, quòd ego loquor de deterſione facta à medicamento, non autem de illa, quæ fit à medico cum linamentis, aut goſſipio, aut infuſo aliquo liquore, in qua deterſione hoc modo facta nullum,vel paruum requiritur artificium; ſed loquor,vt dixi,de deterſione facta à medicamento, quod medicamentum ſua facultate vocatur deterſorium; quodnam igitur eſt medicamentum iſtud deterſorium? Dico quod eſt illud,quod primum habet vim deterſoriam verùm ſciatis, quòd facultates medicamentorum non ſunt vnius generis; ſed alias vocamus primas facultates, qualis eſt ſiccare,calefacere,& ſimiles;alias vocamus ſecundas, vt emollire, indurare,& id genus:alias appellamus tertias, vt prouocare ſudorem, ciere lotium, & huiuſmodi, in quonam igitur ordine,dicetis vos,continetur facultas deterſoria, cum triplex ſit ordo? Reſpondeo, quòd non in primo, quia medicamentum deterſorium non ſolum calefacit, vel frigefacit, vel quid aliud ſimile agit; ſed etiam detergit: nec eſt in tertio, quoniam non reſpicit aliquem particularem locum: facultates autem tertij ordinis reſpiciunt particulares partes, & ſunt ordinatæ ad peculiarem locum, vt vel ad veſicam, vel ad cutim &c. deterſoria verò medicamenta poſſunt omnes partes indifferenter, vel ſiccare, vel emollire, vel aliud ſimile efficere: ergo erit in ſecundo ordine: quæ autem ſit facultas iſta deterſoria patebit vobis, ſi reuocabitis ad memoriam actiones primarum.noſtis igitur, quòd calidi eſt primo calefacere; ſecundo rarefacere, & diſiungere heterrogenea, congregareque homogenea, id eſt,quæ ſunt eiuſdem naturæ:ſiccitatis autem eſt primo ſiccare,deinde aperire meatus, & per accidens laxare, & coniuncta diſiungere: hæ ſunt actiones calidi & ſicci. iam ſi interrogetis vulgares, quid ſit deterſio: dicent,quod eſt diſiungere, & ſeparare corpus ſordidum inhærens ab ipſo vlcere: idem diceret & Medicus, videamus igitur quo modo ſordidũ hoc corpus adhæreat. Dico, ꝙ adhęret,quia habet ſubſtantiã uiſcidã & glutinoſam; & ideo ſi volumus detergere, oportet ſeparare;ac diſiungere gluten illud. vnde indicatur detergentia medicamenta debere agere per primas qualitates, & præcipuè per ſiccam, quare deterſio fiet per medicamentum ſiccans, quia ex ſiccitate diſſoluitur vinculum, & gluten illud. verum dantur medicamenta ſiccãtia, quæ ſunt craſſarũ partium,habentq; vim adſtringendi,& hæc nõ ſunt opportuna ad deterſionẽ,quoniã adſtringẽs illa facultas facit,vt corpus ſordidũ,& glutinoſum magis inhæreat.pręterea cũ ſint craſſarũ partiũ,nõ poſſunt penetrare,ergo debẽt quidẽ medicamenta deterſoria ſiccare,ſed nõ debẽt eſſe aſtringẽtia, & craſſarũ partiũ:& ſic iã collegimus, quod debẽt ſiccare,& eſſe priuata adſtrictione, & craſſitie partium, immo debent eſſe partiũ tenuiũ,& quãto tenuiorũ partiũ erunt,tanto melius ſeparabũt vinculũ, & glutẽ illud. dicetis modo vos:debẽt ne eſſe calida vel frigida? Reſpõdeo,ꝙ poſſunt eſſe etiam frigida,dummodo

In omni nutritione quo excremẽta generãtur.

In blure duo excrementa generalia.

Indicatio duplex.

Facultates medicamẽtorũ quot.

Actio calidi & ſicci.

frigiditas illa non ſit intenſa, quia potius conſtringerent, quàm diſiungerent glutinoſum illud corpus, vti accideret ſi frigiditas excederet primum gradum. unde fat eſt ut ſint frigida in primo gradu, quem ſi excederēt, dubio procul ſtiparent; ſed melius eſt, ut ſint calida, quia citius agent, & ualidius, & promptius permeabunt, quoniam calidi eſt ſeparare: non dico tamen ꝙ ſola illa, quæ calida ſunt, & ſicca detergant, quandoquidem ſunt aliqua, quæ ſunt frigida, & tamen detergunt, cuiuſmodi eſt caro peponum, cucumeris domeſtici, farina hordeacea, ſemina peponum, & huiuſmodi: *Frigida detergentiaque.* hæc enim omnia detergũt, & ſunt frigida in primo gradu, habentque tenuitatem partium. & ideo hæc quoq; accommodata ſunt ad detergendum, meliora tamen ſunt, quæ calefaciunt. applicetis itaque ulceri medicamenta detergentia, aut calida, aut parum frigida, dummodo ſint tenuium partium, & ſiccent. Cæterum hoc non eſt ſatis, quia ſunt aliqua, quæ habent omnes dictas conditiones, ut calcanthum, quia calefacit, ſiccat, habetque tenuitatem partium, quibus ſeparat, ac detergit, attamen non eſt oportunum, quia mordicat & excitat dolorem. & iccirco addatis, quod medicamenta detergentia non debent mordicare, uel leniter mordicare. Sed nec iſta ſufficiunt, quoniã dantur medicamenta habentia omnes has conditiones, tamen non ſunt idonea, quia nimis ſiccant, ita ut colliquent, abſumantq; carnem. Ea propter addenda eſt alia conditio, ꝙ non ſint prætermodum ſicca, ne colliquent. Itaque pro corporibus mollioribus optima erunt, quæ ſiccant in primo gradu: pro durioribus autem quæ ſiccant in ſecundo uſque ad finem ſecundi, ſed non ulterius. atqui dicetis, quæ nam ſunt iſta medicamenta. Reſpondeo ꝙ ſunt diſtincta in triplici ordine, *Siccantia ſunt in triplici ordine.* quia alia ſunt lenia, & pro mollioribus accommodata; alia ſunt mediocria: alia robuſtiora conuenientia in durioribus habitibus & corporibus. *Primus ordo ſiccantium.* ſub primo ordine eſt thus, ſiccat enim in primo gradu, habet tenuitatem partium, & calidum eſt, vel temperatum, ideo in mollioribus habitibus conuenit. ſub eodem ordine eſt farina hordei, licet frigida ſit; farina quoque fabacea, quæ omnibus gradibus ſeu modis quadrat in mollioribus, ſi quod aliud. *Secundus ordo.* In ſecundo ordine eſt reſina terebynthina, reſina caricina, reſina abietina, reſina ex pino, & omnes deniq; reſinæ, quia ſiccant in principio ſecundi gradus, ſunt tenuiũ partium, & moderate calidæ: in eodem ordine eſt ſirupus roſaceus recens, mel roſatum coctum, ſaccharũ non præparatũ, ſed purum: vltimo põpholix optimè abluta. *Tertius ordo.* In tertio ordine ſunt farina erui amari, dico amari, quia farina erui eſculenti & dulcis non eſt bona in hoc caſu; & ideo accipiatis farinam illius erui, quod defertur ex Creta inſula, non autem illius, ꝙ defertur ex locis vmbriç, & alijs ex partibus, ex quo ſolent ruſtici conficere ſibi panem: ſub eodẽ ordine eſt radix ariſtolochiæ tùm longæ, tùm rotundæ, tùm etiam tenuis illius, quam longam vocamus. addatis puluerem radicum iridis, myrrham, mel crudum, & opoponacem. Ex his poteritis vos ipſi parare medicamenta uaria nunc magis, nunc minus intenſa. *Parata in officinis.* tamen etiam in officinis habetis quædam parata, ut eſt vnguentum baſilicon, quod duplex eſt, unum, quod dicitur baſilicum maius, alterum uocatur baſilicum minus, & utrumque ſarcoticum eſt, hoc tamen intereſt, quod baſilicum minus eſt idoneum pro habitibus mollioribus, maius verò pro duris. habetis etiam medicamentum de matriſilua optimum pro mediocribus habitibus. habetis etiam vnguentum de gumi elemi, quod carnem gignit, & detergit. vltimo in officinis habetis unguentum reſinum ita uocatum, & eſt confectum ex reſinis variis, cera, & oleo, & optimum eſt ad generandam carnem, ſiccandum & detergendum. Vlcus igitur ſi ſit carne explendum, debet Medicus vti medicamentis iis, quæ ſarcotica uocantur, quæ medicamenta debent ſiccare, uel in primo, uel in ſecundo gradu, ſed non excedere: debent eſſe tenuium partium, ſiue calida, ſiue frigida fuerint, dummodo non intensè frigefaciant: debent quoque carere mordacitate, uel quàm minimum mordicare, quas conditiones omnes habent medicamenta enarrata: in triplicique ordine diſpoſita, & cum ipſis iuuanda eſt Natura in explendo ulcere, nam hæc medicamenta ſiccando abſumunt ichorem, & detergunt pus illud craſſum, & ſic ulcus expletur carne. ſed in horum medicamentorum uſu habenda eſt ratio ulceris ita, ut ſi profundum ſit, & anfractuoſum, debet Medicus medicamenta dicta diſſoluere, uel parare ita, ut poſſint penetrare ad omnes ulceris partes, quod tamen non requiritur, ſi ulcus ſit in parte extima, & ſuperficiali. quantitas autem medicamenti applicandi, & tempus conſiſtentiæ ipſius ſupra ulcus, colligitur ex ulcere, quia ſi in ipſo abundet pus, oportet immutare medicamenta bis in die: ſi uerò non ita abundet, ſat erit ſemel in die mederi: quod ſi ulcus aridius fuerit, ſufficiet alternis tantum diebus antiquorum more medicamenta immutare, & renouare. talis eſt ordo, & qualitas temporis immutandi medicamenta. Cæterum non ſufficit, ut ulcus expleatur carne, quia ulcere iam repleto adhuc partes ſunt diſiunctæ, remanetque ſolutio continui, ac laxitas partium: & ideo oportet ipſas unire per ſuperinductionẽ cutis, quæ eſt uinculum commune ad coniungendas omnes corporis partes: ſed cutis cũ ſit pars ſpermatica, non põt, niſi in tenerrimis corporibus, regigni & ſuperinduci: *Cicatricis inductio.* iccirco indicatur, ut ſuperinducatur aliquid aliud loco ipſius, ꝙ cutis ipſius naturam æmuletur, & ſapiat; iſtud

autem

autem commune ſapiens naturam cutis eſt cicatrix: ergo cicatrix, quæ frigidum, & exanguè corpus exiſtit, ſuperinducenda eſt: ad ſuperinducendam autem & generandam cicatricem requiritur & materia, & efficiens; de materia, quæ ſit, ſumus certi, quia omnes dicunt quòd caro extima ſi ſiccetur, efficitur cicatrix æmulans naturam cutis: ſed de efficienti contingit dubitatio, quoniam aliqui dicunt, quòd efficiens eſt Natura: alii verò aſſerunt quòd eſt medicamentum. quòd efficiens ſit ipſa Natura, apparet, quoniam videmus aliquando ineptum aliquem chirurgum applicare vlceribus à principio ad finem medicamentum aliquod ſarcoticum, tamen vlcus obducitur cicatrice; & non poteſt dici hoc fuiſſe factum à medicamento ſarcotico, quoniam nullam habet vim gignendæ cicatricis, ſed carnis tantùm. cum ergo non aſſignetur alia cauſa generationis illius cicatricis, dicendum eſt quòd Natura, & temperies partis fuit in cauſa ipſius. Secundo, in vlceribus capitis manantibus quæ lactumina vocantur, idem apparet manifeſtè, quia ſæpe videmus puerulorum capita exulcerari, deinde ſuperinducuntur cruſtæ, quæ ſiccatæ concidunt, & remanet cicatrix, quæ non poteſt dici quòd ſit facta à medicamento, cum mulieres nullum adhibuerint, ſed potius ex Medici inſtituto, vſæ fuerint illis medicamentis, quæ emolliant, laxent & aperiant, vt ichores illi poſſint facilè egredi; quale eſt butirum, & ſimilia. ergo cicatrix non fit à medicamento, ſed à Natura. Tertio addatis illud; quod obſeruamus, eſtque obſeruandum in omnibus cicatricibus, quòd ſcilicet non ordinatè generantur in ulceribus; ſed ſemper incipiunt à marginibus vlcerum, & ſenſim augentur donec deueniant in centrum; ex quo colligimus Naturam eſſe cauſam efficientem cicatricis, & non medicamentum, quia cum medicamentum applicetur æqualiter omnibus partibus vlceris, ſi ipſum eſſet efficiens cauſa, profectò cicatrix generaretur æqualiter in omnibus ulceris partibus, non autem prius in partibus lateralibus, deinde ſenſim, ac ſenſim in medijs. cum itaque hoc ita ſit, dicendum erit, quòd Natura eſt cauſa, quæ Natura viget magis in marginibus ulceris, & hac ratione cicatrix citius fit in partibus lateralibus quàm in medijs, ergo facultas & temperies partis eſt cauſa efficiens immediata cicatricis. Cæterum alij oppoſitum dicunt, nam ſupponimus, inquiunt, Naturam eſſe illam, quæ carnem generat, & vlcus replet. ſi ergo Natura gignit carnem mollem, non video, ait aduerſarius, quo modo poſſit & illam exiccare, exanguem reddere. cum ergo ipſa nō poſſit hoc facere, ſequitur quòd medicamentum erit illud, quod generat cicatricem. Præterea eſt auctoritas non parui facienda omniū ferè Medicorum, qui facultatem generandi cicatricem tribuunt medicamentis ipſis; generandi verò carnis aſcribunt Naturæ. ergo medicamentum eſt cauſa efficiens cicatricis. Ego credo quòd efficiens cauſa ſit vtrumque, & quòd modo Natura, modo medicamenta generent cicatricem, dicant quicquid velint tùm antiqui tùm recentiores Medici, quod epulotica medicamenta ſint quæ cicatricem generant; profectò ſi intelligant, quòd quandoque epulotica id faciant; quandoque vero Natura, verum aſſerunt, & cum ipſis conſentio: at ſi intelligant, quòd ſola epulotica vocata medicamenta id præſtent, cogor ab ipſis diſſentire, quia eadem Natura, & facultas, quæ carnem generauit, poteſt & carnem illam ſiccare, caro autē exiccata, & exanguis, ac veluti calloſa reddita, nihil aliud eſt quàm cicatrix. Præterea cutis, quæ in marginibus vlceris eſt, cum acquiſita ſit per generationem, poteſt minimum carnis, quod ſibi adhæret, exiccare, & hoc minimum aliud minimum ſucceſſiuè vſq; ad centrum: ambiens quoque aer, ſi alia cauſa non adeſſet, poſſet hoc facere, cum videamus, quod puerulorum cutis etiam ſi molliſſima ſit, & tenerrima, tamen ab ambiēte redditur dura, exanguis, calloſaque, retruſo ſanguine ipſo. quare dico, quòd & à Natura, & à medicamento generatur cicatrix, tardius tamen à Natura, quàm à medicamento. ſæpe etiam accidit, vt caro in vlcere genita ſit mollis, & tunc nec Natura, nec ambiens poſſent illam exiccare; ea propter recurrimus ad epulotica medicamenta, vt quo citius fieri poſſit, vlcus obducatur cicatrice, niſi enim cito hoc fieret, poſſet noua fluxio humoris renouare vlcus. Natura autē horum medicamentorum conſtat ex eo, quod debet fieri, & eſt quod caro debet exiccari, & conſtipari: & ideo medicamenta, quæ cicatricem generant, debent ſiccare, & adſtringere, refrigerareq; Sciatis tamen quòd natura epuloticorum nō eſt vnius generis, quia ſunt etiam aliqua, quæ calefaciunt; ſed non refert, dummodo valde ſiccent, & adſtringant. quare ſiue refrigerent, ſiue aliqualiter calefaciant, non refert dummodo habeant illas facultates, & vltra illas ſint expertia mordicatione, quia ex mordicatione renouaretur vlcus. Prout autem ſunt tres habitus corporum, nam alia ſunt corpora valde mollia, alia mediocria, alia robuſta & dura valde; ita etiam ſunt tres ordines medicamentorum epuloticorū. ea, quæ ſub primo ordine continentur, apta ſunt pro mollioribus corporibus, ſicut quę cōprehenduntur ſub ſecundo ordine ſunt opportuna pro mediocribus, & quę ſub tertio, durioribus. ſub primo ordine ſunt hęc aloes, ſiccat enim, & adſtringit, ciperi radix, cadmia optimè lota, plumbum uſtū & diligenter lotum, minium officinarum, quod eſt ſandix veterum, & ſericum etiā vocatur. Secundi ordinis epulotica ſunt, gallę immaturę, malicorū, id eſt cortex malorū granatorum, balau-

Ordo naturæ incarnando vlcere.

Cauſa efficiens cicatricis.

Medicamenta cicatricem inducentia, quæ epulotica dicūtur.

Primus ordo epuloticorum.

Secundus ordo.

ſtia, quæ ſunt flores malorum granatorum ſilueſtrium, mirabolani citrini, myrtilli, ſanguis draconis in lachryma, rubrica fere omnis, vt ſinopica, lemnia, & terra etiam ſigillata, lapis *Tertius ordo.* emathites. In tertio demum ordine ſunt ęs vſtum, & optime elotum, ſquamma æris diligentiſſimè abluta, ſtomoma, id eſt ſquamma calybis, præſtantiſſimè lotum, ſcoria calybis, vel ferri abluta optimè, myſi, ſori, chalcitis, alumē omne, & præcipuè noſtrum, quod rochæ dicitur; & omnia hæc metallica debent eſſe optimè abluta, & minimum etiam quid ipſorum debetis ſupra carnem inſpergere; vel vtamini ipſis eo modo, quo vtebatur Galenus, qui quando non poterat generare cicatricem cum ijs, quæ ſunt ſub primo vel ſub ſecundo ordine, & cogebatur venire ad metallica tertij ordinis epulotica, vtebatur ipſis hoc pacto: accipiebat ſpecillum madefactum, & ipſo tangebat medicamentum epuloticum optimè puluerizatum, mox concutiebat ſpecillum ſupra vlcus cicatrice obducendum, vt ex concuſſione caderet ſupra vlcus quicquid pulueris ſpecillo inhęſerat. ego autem facio ſic: inſpergo puluerem ſupra carnem cicatrice obducēdam, deinde inſufflo ita, vt ex flatu abigam partem medicamenti ſuperabundantem. Vltra epulotica ſimpliciora enumerata habemus etiam compoſita multa, de quibus legatis totum ferè quartum librum Galeni; De cōpoſitione medic. per genera, vbi ex varijs Auctoribus varia, & multiplicia recenſet medicamenta epulotica, in officinis quoque habemus aliquot parata, ut vnguentum de minio, quod oportunum eſt pro mollioribus, pro quibus etiam conuenit ceratum de minio, quod habetur ſimiliter paratum in officinis: habemus etiam in officinis ceratum de bolo armena, quod conuenit in mediocribus, & robuſtioribus habitibus: habemus etiam ceratum illud, quod magiſtrale vocatur, ſimiliter vnguentum de thutia, diapalma, & pręcipue illud in quo recipitur calcanthum exuſtum, nam illud diapalma quod recipit calcanthum non exuſtum, habet minorem facultatem ad cicatricem gignendam. hæc omnia quamuis oportuna ſint, tamen ego ſæpe ipſa omitto, & vtor linamentis excerptis madefactis primo in aliquo liquore, deinde expreſſis, & applicitis: ſoleo autem linamenta hæc filacia vulgo dicta, madefacere decocto, in quo ebullierint roſæ, gallæ, & abſynthium, quæ omnia coquo in vino admodum auſtero; & aliquando his addo pauciſſimam quantitatem aluminis rochæ, interdum etiam quando cum his leuioribus res mihi non ſuccedit, utor vnguento de thutia magiſtrali, cuius deſcriptio, quia non habetur in receptarijs, nec in omnibus officinis, à me vobis tradetur, & eſt iſta.

Rec. olei communis }
olei omphacini } ana ʒ vj.
olei myrtini }
vnguenti populeonis } ana ℥ iij.
foliorum plantaginis }
ſolatri hortenſis } ana m. ij.

Folia minutiſſimè inciduntur cum forcipe, deinde miſcentur cum oleis, & vnguento, & hoc modo mixta relinquuntur per octo dies, & quotidie miſcentur optimè, poſtea colan- *Excernuntur.* tur, & exprimuntur, excernunturque per linteum, & liquor ille expreſſus ponitur ad ignem, additurque cera citrina, vel alba quantitate quatuor vnciarum, & cum fuerit cera eliquata, auferter medicamentum ab igne, & quando incipit tepeſcere adduntur hæc omnia

lithargyrij aurei, uel argentei ʒ vj.
thutiæ præparatæ ʒ ij.
ceruſſæ ℥ iij.
camphoræ ʒ j.
plumbi uſti rubei, id eſt illius, quod eſt ſine ſulphure, quo vtuntur figuli ʒ vj.

Omnia ponuntur in mortario plumbeo, in quo per horam ducuntur cum piſtillo plumbeo, & ſic habetur vnguentum, quod ſi aliquando velim, vt ſit ualidius, addo parum æris *Admonitio.* vſti, uel ſquammæ æris. Cæterum eſtis in hoc admonendi, ne ſitis celeres in applicando ulceribus medicamenta epulotica ita, vt cum primum uidebitis vlcus expletum carne, admoueatis epulotica; hoc non eſt agendum, quia remaneret cicatrix caua: & ideo ne hoc contingat, debetis expectare, vt caro ſupercreuerit ita, ut aliquantulum ſuperextet, non tamen multum, quia cicatrix fieret extuberans. Si ergo velitis cicatricem æqualem, oportet ut antequam applicetis epulotica, expectetis, ut caro aliquantulum extet, in qua re requiritur Medici iuditium, dico iuditium, quia ſi caro explens ulcus eſſet mollior, debet Medicus expectare, ut plus extet, ſi cicatrix debeat remanere æqualis: contra autem quando caro eſt ſiccior, non eſt permittendum ut tantum ſupercreſcat, quia tunc minus diſtat à natura cicatricis, quàm quando eſt mollior. & hæc ſufficiant uobis de curatione uniuerſali ſimplicis ulceris.

De curatione vlceris cum præſentia cauſæ efficientis, vel fouentis. Cap. VII.

DVRISSIMVM, & ſincerum ulcus raro proponitur curandum, niſi illud Medicus tale reddiderit adiuuante Natura; ut plurimum autem vlcus eſt compoſitum cum præſentia cauſę efficientis vel fouentis ipſum, vel cum intemperie, uel cum hoc, vel cum illo alio morbo. cum autem dictum iam ſit de curatione vlceris ſimplicis, ſupereſt, vt agamus de curatione ulcerum compoſitorum, & primo illius, quod habet coniunctam cauſam, quæ uel effecerit ipſum, uel foueat, & conſeruet. proponatur igitur nobis curandum ulcus, quod habeat talem cauſam coniunctam, quid agendum? Dico quòd oportet inſpicere ſcopos curandi huius vlceris; Scopi autem tres ſunt, vnus eſt, qui indicat ablationem cauſæ facientis, vel conſeruantis vlcus: ſecundus indicat repletionem cauitatis faciendam cum carne, id eſt indicat regenerationem carnis: tertius indicat generationem cicatricis, his ſcopis conſecutis ſanatum erit ulcus. ſed cum plures ſint ſcopi, certum eſt, quod non poſſumus ſimul, & ſemel omnibus ſatisfacere. at prius oportet ſatisfacere uni, deinde alteri, poſtea tertio. quare eligendus eſt ſcopus, à quo incipiendum eſt, ut ſibi primo ſatisfaciamus: & hoc eſt faciendum non ſolum in curandis ulceribus, ſed etiam in curatione omnium aliorum morborum, in quibus indicationes ſunt plures, & uariæ. unde ergo, & quo modo ſciam ego, diceret aliquis, cui nam ſcopo ſit prius ſatisfaciendum? Dico quod hoc docet Galenus in tertio methodi cap. 9. nam ibi docet modum ſeruandi in eligendo ſcopo illo, à quo ſit exordiendum dicens, quòd debemus obſeruare inter hos plures, & varios ſcopos, an una res, quam intendimus pro ſcopo ſit cauſa reliquarum, ut uerbi gratia, ſi cum vlcere eſſet intemperies, oportet obſeruare an intemperies habeat rationem cauſæ ad alia, ut puta ad generationem carnis pro replendo ulcere, & ad generationem cicatricis, accidit enim aliquando, ut una res, quam pro ſcopo intendimus, habeat rationem cauſæ reſpectu aliarum rerum, quas pariter intendimus pro ſcopis, ut intemperies reſpectu generationis carnis, & reſpectu inductionis cicatricis in ulcere, habet rationem cauſæ, quia niſi intemperies remoueatur, non poterit ulcus carne repleri, nec cicatrice obduci. aliquando etiam accidit, ut unus ſcopus tantum habeat rationem cauſæ ad alios, ſi non cauſæ efficientis, ſaltem eſt cauſa concurrens, id eſt ſine qua non, ut in defectu carnis, ſcopus eſt carnis generatio, quæ generatio carnis reſpectu inductionis cicatricis, non ſe habet quidem ut cauſa efficiens, quia caro regenita non generat cicatricem; ſed ſe habet ut cauſa ſine qua non, quoniam nunquam poterit gigni cicatrix, niſi prius ſit genita caro replens ulcus. aliquando ſcopi ſunt tales, ut nullo modo unus ſe habeat ut cauſa ad alterum, ut ſi in ulcere ſit dolor, & defectus carnis, tunc ſcopus doloris eſt mitigare ipſum, defectus autem carnis indicat repletionem, tamen doloris mitigatio non ſe habet ut cauſa ad ulceris repletionem, quia etiam præſente dolore generatur caro, quo indicatur, quòd mitigatio doloris non eſt ut cauſa efficiens, nec ut cauſa ſine qua non ad repletionem ulceris. præter hæc oportet obſeruare, ait Galenus, quis nam ſcopus magis urgeat, ut an magis, urgeat dolor, an generatio carnis, an generatio cicatricis; in his quilibet diceret, quòd magis urget dolor, quia niſi mitigetur, fiet attractio humorum, quibus renouabitur ulcus, & non poterit nec caro, nec cicatrix gigni. Quare ſi recte obſeruaſtis quæ diximus, tria ſunt, quæ docet nos Galenus in eligendo ſcopo, primum quidem eſt, quod debemus obſeruare ſcopos: ſecundum an aliquis ex ipſis ſe habeat vt cauſa vel efficiens, vel ſine qua non, reſpectu aliorum ſcoporum: tertium eſt quid ſit illud, quod habeat rationem magis vrgentis, & ſtimulantis. His poſitis, & obſeruatis, videamus quid agendum, & à quo incipiendum. ex vlcere propoſito auferenda eſt cauſa: replendum eſt vlcus ipſum carne, & tertio obducendum eſt cicatrice; ſed inter hos ſcopos regeneratio carnis ſe habet vt cauſa ſine qua non ad generationem cicatricis, ſicut intemperies ſe habet pariter vt cauſa ſine qua non ad generationem carnis; quia remota intemperie Natura ipſa generabit carnem, qua genita vlcus obducetur cicatrice, & ita dicemus, vlcus obducendum eſt cicatrice: ſed hoc non poteſt fieri, niſi prius vlcus repleatur carne, ergo prius regeneranda eſt caro; ſed nec caro replens regenerari poteſt, niſi antea auferatur cauſa faciens, vel conſeruans vlcus, quia præſente cauſa fluent noui humores, qui renouabunt vlcus: ergo à remotione cauſæ eſt inchoandum, vt ſcilicet recidamus ipſam. cauſam autem vlceris diximus eſſe duum generum, quia aliæ ſunt extrinſecæ, aliæ intrinſecæ: de extrinſecis nihil dicam, quoniam quis eſt, qui ſi videat ignem, vel aliud ſimile facere vlcus, non iudicet ignem illum eſſe auferendum, & non auferat? certè nullus eſſet: nec eſt etiam difficile huiuſmodi cauſas remouere. Intrin-

Cura vlcerum compoſitorum.

Si habeat coniunctam cauſam efficientem.

Scopi curandi tres.

A quo ſcopo eſt exordiendum.

Examinatio ſcoporũ in exẽplo.

ſeca verò cauſa duplex eſt,vt antea diximus,vna coniuncta,ſeu immediata; altera mediata, ac remota, & harum vtranque oportet auferre. & ideò cum videritis adeſſe præſentem humorem, vel humorem fluere, & conſeruare vlcus, debetis talem cauſam efficientem, uel fouentem recidere; reciditur autem tribus modis, vt dicit Galenus 4. meth.cap.2.vbi inquit,Quod ſi vlcus eſſet herpeticum,& bilis ſit præſens, fluatque continuo, & velletis curare tale vlcus, indicatur vobis ablatio humoris biliosi, quam ablationem aſſequi poteſtis tribus modis, ait Galenus, primo quidem ſiccando, & reſoluendo,vt facimus quando ulceri applicamus medicamenta ſiccantia, ac digerentia: ſecundo modo ſtringendo, & ſtipando partes ſuperiores, vlcerique circumpoſitas, ut quando partibus ſanis circum circa ulcus in partibus tamen magis ſuperioribus applicamus medicamenta repellentia,frigefacientia,& adſtringentia;tertio modo auferendo cauſam fluxionis,ſiue humor fluat ab una,pluribusvè partibus,ſiue à toto corpore.hi ſunt tres modi à Galeno propoſiti: ſed loquamur primũ de priore. Deſiccabitis,& reſoluetis humores,applicando vlceri medicamenta ſarcotica,quæ tamen ſarcotica ſint validiſſima: diximus ſupra,ſi memores eſtis,quòd ſarcotica ſunt trium generum, lenia, mediocria, & robuſtiſſima: his ergo robuſtiſſimis eſt vtendum in hoc caſu, quando enim ulcus eſt cum humore fluente, non ſolum datur indicatio, ut ſiccemus, & reſoluamus humorem illum tenuem,& detergamus illud excrementum craſſum, & purulentum; ſed etiam, vt abſumamus ſuperfluos illos humores. & ideo applicanda ſunt ulceri medicamenta ſarcotica, quæ ſiccent in ſecundo gradu intenſo,vel in tertio incipiente, dummodo non habeant magnam mordacitatem. vnde opportuna erit ariſtolochia, opoponax,radix ireos, & reliqua, quæ in tertio ordine contineri diximus, hæc namque omnia erunt optima in rheumaticis vlceribus, quia ſiccant ualde, & detergunt: & ſi ipſa non erunt ſatis, deueniendum erit ad alterum modum remouendæ cauſæ, qui fit per roborationem, & ſtipationem partium, applicando medicamenta refrigerantia & adſtringentia, applicando inquam non ulceri ipſi, quia magis ſordidum redderetur; ſed partibus ſuperioribus vlceri adnexis. vnde madefacietis linteola in aliquo liquore refrigerante, & adſtringente, & applicabitis: uel madefaciatis faſcias in uino nigro acerbo, uel auſtero; uel illinatis partes vnguento de lithargyrio, aut vnguento de ceruſſa: ſed hoc vnguentum lene eſt, & mite admodum: conuenit & linimentum ſimplex, & vnguentum de thutia magiſtrale,nam hæc omnia repellunt,& conſtipant. ſoleo ego capere puluerem roſarum,ſandalorum,boli armenæ,ſanguinis draconis, & ſimiliũ, & madefactis partibus ſanis uino auſtero,uel oleo roſaceo,aut citoniorum, aut myrtino, ſuperinſpergo pulueres hos, hacque ratione firmatur optimè fluxio. Recentiores parant defenſiua quædã, quæ offenſiua potius ſunt aliquando dicenda,nam ipſi ſolent applicare ipſa defenſiua,& inibi ea relinquere, donec optimè fuerint ſiccata,quo fit vt cum nullam habeant humiditatem,non poſſit eorum vis penetrare,nam humiditas eſt,quæ dat penetrationem: vnde Galenus dicebat,quòd ſanguis draconis,lithargyrium,& ſimilia cum ſint craſſarum partium non permeãt,niſi adiuncta fuerit humiditas aliqua exhibens illis penetrationem.itaque non damno defenſiua iſtorum, ſed modum vtendi,quia permittunt ut ſiccentur ſupra partem, quod eſt malum,quia ſiccata cum fuerint excitant dolorem,hacque ratione potius lędunt,quàm proſint: ſed præſtantiſſima ratio inhibendæ fluxionem eſt illa, quam tradit nobis Hippocrates in primo de fract.Tex.24. & eſt per faſcias: & nullum certè reperi, quod magis impediat fluxionem humorum,quàm faſciæ ipſæ,quia præſtant ea omnia, quæ requiruntur,quod non faciunt medicamenta; & præcipuè ſatisfaciunt faſciæ, ſi fuerint madefactæ aliquo decocto repellente, vt monet Hippocrates. Modus autem,quo debetis uti dictis faſciis eſt,quòd primo obuoluatis locum exulceratum duabus, aut tribus obuolutionibus non admodum arctis: deinde aſcendatis ſurſum verſus partem ſanam vſque ad partes remotas: & hoc modo impedietis optimè fluxum humorum. Verum accidit aliquando,ut nec ui medicamenti ſiccantis,nec repellentis,nec uſu faſciarum poſſimus facere quin humores deſſuant: & tunc recidenda eſt cauſa fluxionis,quia cauſa ablata,ceſſabit fluxio. ſcitis autem uos iuuenes doctiſſimi, quod fluxio eſt motus humoris de uno ad alium locum, & ſemper,dum eſt fluxio, adeſt cauſa ipſius fluxionis præſens: quæ uerò ſint cauſæ fluxionis, docet Galenus in ſecundo de differentiis febrium c.undecimo,& 13.methodi c.3.4.& 5.ubi dicit,quòd cauſæ fluxionis humorum immediatæ,& proximæ ſunt duæ tantum,una eſt pars ipſa mandans,uel expellens,ſiue pars ſit una tantum, ſiue plures, ſiue totum corpus, quia & à toto aliquando corpore propelluntur humores ad ulcus: altera uerò cauſa eſt pars ipſa attrahens, recipiens, & auocans ad ſe humores: hæ ſunt cauſæ immediatæ,ſecundum Galenum; & hæc uera quidem ſunt, ſed deeſt aliquid,mea ſententia,quia interdũ humor fluit ad ulcus abſq; quo expellatur, uel attrahatur, ut patet ex illa ſpecie hydropis,quæ dicitur aſcites, nam ſi homo, qui tali hydrope laborat,rectus maneat,intumeſcunt ſibi fęmora ita,ut fiant oedematoſa,quia humores fluũt illuc, tamen non poſſumus dicere, ꝙ fuerint expulſi, quia partes illæ abdominis ſunt debiliores

Si ulcus ſit cum humore fluente.

Remotio cauſæ per ſiccãtia ualida.

Per roborationem partium repellendo.

Roborãtia medicamenta,& repellentia.

Error aliquorum.

Præſtantiſſimum remediũ fluxionũ per faſcias.

Tertia cauſa fluxionum, præter duas Galeni.

iores femoribus;& utinam eſſent ita robuſtæ, ut poſſent expellere humores ad partes inferiores, quoniam poſſent etiam aliquando expellere talem materiam extra ſe, & foras, atrique ſic liberaretur homo ab illa hydrope. nec poteſt dici, quòd humores fuerint attracti, quia femora non dolent, nec calefacta ſupra modum ſunt, vt potuerint attrahere: quare dicendum eſt, quòd datur alia cauſa fluxionis, & eſt quia humores mouerunt ſe ad femora ipſa: cauſa autem huiuſmodi motus in humoribus eſt aliquando ipſorum humorum pondus, vt quando humores ſunt copioſi: aliquando cauſa eſt externa, vt accidit quando humores incaleſcunt præter modum, & eliquantur ab aliquo extrinſeco, fit enim tunc, vt per ſe fluant, etiam ſi nec à parte aliqua expellantur, nec attrahantur. Itaque dicamus quòd humores fluunt, aut quia expelluntur, aut quia attrahuntur, aut quia expelluntur, attrahunturque ſimul; aut quarto quia humores mouent ſe propter quantitatem, id eſt, ſuo pondere, vel propter ſupercalefactionem, eliquationẽ, agitationemvè aliquam: expelluntur autẽ humores a parte aliqua, quia ſtimulatur: ſtimulatur verò ſiue agrauatur aut propter quantitatem humoris, vt accidit quãdo ſanguis eſt copioſus; aut propter qualitatem, aut propter utrumque, quãdo ſanguis irritat uel potius aggrauat ſua quantitate, indicatur ſtũ imminutio, quę fit vel per inediam, inſtituta tenui uictus ratione: vel perſectionẽ, venę, vel per exhibitum pharmacum purgans: ſunt quidem & alia media ad minuẽdum ſanguinem, vt frictiones, balnea, exercitiaque: ſed hæc non ſunt oportuna, quia eliquant magis humores, & calefaciunt, hacque ratione augent fluxionem. *Imminutio materiæ à quibus fiat.* cæterum ſi humores non ſola quantitate, verũ etiam qualitate ſtimulẽt partes ad expulſionem, monet Galenus, vt vel humores ipſos euacuemus, vel attemperemus: ſed tutius eſt ipſos pharmaco euacuare. quòd ſi hoc non poſſit fieri, tunc oportet illos alterare, id eſt attemperare, ut ſi ſanguis fuerit acris attemperandus eſt, & curandum vt partes, quieſcant, ne expellant. Atqui obſeruandum eſt, & conſiderandum an partes ipſæ expellant tantum, an etiam ipſęmet partes expellentes ſint cauſa efficiens talium excrementorum. *Si peccet ipſa Pars expellens.* quòd ſi non ſolum expellant, ſed etiam generent tales humores, indicatur non ſolum alteratio illorum humorum, ſed etiam alteratio partium illarum, ne amplius huiuſmodi humores gignant, vt ſi uerbi gratia, ulcus gallicum rheumaticum eſſet in crure, & vellemus curare ipſum, oporteret totum corpus ab illo humore peccante liberare: & ſi hoc non poſſemus aſſequi, alterandus erit humor ille: uerum hoc non eſſet ſatis, quia oporteret etiam alterare, atque attemperare hepar, quod eſt infectum gallica labe, hacque ratione continuo generat talem humorem. Iam humoris fluentis cauſa ſit pars ipſa affecta attrahendo, quid agendum? oportet uidere qua de cauſa attrahat *Si pars affecta.* cauſa autem ſolet eſſe vel dolor, vel ſumma caliditas, quia ſcilicet ſit præter modum calefacta ipſa pars. ſi ergo attrahat ratione doloris, indicatur illius doloris mitigatio, ea ratione, qua infra uos docebo, quando agam de ulcere cum dolore coniuncto, id eſt de ulcere doloroſo, vt dicunt Recentiores, & puto me dicturum eſſe aliqua, quę uobis non diſplicebunt. Si autem cauſa attractionis ſit nimia caliditas, oportebit caliditatem illam extinguere, & modum docebo infra, cum tractabo de ulcere cum intemperie calida. Cęterùm ſi humor per ſe fluat, quod agitatus fuerit, eliquatus, & calidior redditus, quid agendum? Dico quòd cognoſcere debetis unde proueniat agitatio, an ex mora ſub ſole, an quia ęger fuerit propè ignem, an ex ſcammoneato pharmaco aſſumpto, an ex ira, an ex vſu ueneris, an ex alia huiuſmodi cauſa: hæc enim omnia ſolent humores eliquare, & ſanguini impetum tradere. tunc igitur indicatur uobis, ut ſtipetis, & refrigeretis maſſam ſanguinis, quod præſtabitis præcipiendo primum ęgrotanti homini, vt corpore quieſcat, ſit læto animo, non iraſcatur, non utatur uenere, non moretur ſub ſole, uel ad ignem; deinde exhibebitis ea, quæ adſtringunt, & refrigerant, in qua re conueniunt decocta cichoraceorum, acetoſæ, & ſimilium: exhibeatis etiam ſirupos refrigerantes, & adſtringentes, fercula ex lactuca, ex ſpinachijs; ex cichorio, ex hordeo, ex amilo, ex oriza, & ſimilibus: conueniunt quoque fructus non omnino maturi, & refrigerantes: bibat aquam frigidam, uel uinum granatorum: & hoc modo auferetis cauſam efficientem fluxionis, qua dempta, poteritis replere ulcus carne, & cicatrice obducere, ea ratione, qua paulo ſupra uos docui.

De vlcere cum intemperie ſicca. *Cap. VIII.*

IAM fiant ulcera in eiſdem partibus, vel etiam in ſuperiori aliqua, quæ non habeant cauſam internam coniunctam, id eſt fluxionem, ſed intemperiem, quid erit agendum? Deberis primo ſcire quòd huiuſmodi ulcera ſæpiſſimè dantur, immò rarò inuenietis ulcus, in quo, vel ſaltem in partibus circumpoſitis, non ſit aliqua intemperies. in huiuſmodi ergo ulcere eſt primo intemperies, ſecundo cauitas: tertio cutis ablatio; à quo igitur primo incipienda eſt curatio? profectò ab intemperie, quia ipſa habet rationem cauſę effi- *In ulcere cum intemperie tria reperiuntur.*

cientis

cientis ad reliqua, ipſa etenim præſente, Natura non generabit carnem, nec fiet cicatrix. & ideo in omni ulcere aut magno, aut paruo, quod habeat coniunctam intemperiem, tentanda eſt primum ablatio intemperiei, quæ aliquando eſt ſicca, aliquando calida, aliquando humida, aliquando frigida. ſed dicamus nunc de ſicca, quæ cognoſcitur aſpectu, nam ui-

De ſicca intemperie, & eius ſignis.

debitis ulcus eſſe aridum, & carnes, quæ ſupercreuere, erunt ueluti caro ſalita rubore atriori, & ſaturato prædite, qualis color cernitur in ſalitis carnibus; aderit etiam ſquallor. præterea cognoſcetis ſiccam intemperiem ex ijs, quæ præceſſere, & acta fuere ante ueſtram uiſitationem. uetum ſciatis, quod intemperies ſicca rarò coniungitur, & uiſitur in ulceribus, frequentiſſimè autem calida, frigida, & humida; ſicca autem rarò, ut dixi: niſi introducatur à chirurgo malè curante, ut ſępe ſolet. ſi ergo ultra prædicta ſigna ſcieueritis, quòd vlceri applicata fuerunt medicamenta robuſtiſſimè ſiccantia, poteritis colligere, quod intemperies, quæ adeſt, eſt ſicca, ſunt enim chirurgi aliquot ita elegantes, ut cum primum uident ulcus aliqualiter humidum, timent de malignitate aliqua, atque ob id ſtatim applicant medicamenta ſtrenuè ſiccantia, ita, ut non ſolum abſumant carnem, quæ ſupercreuit; ſed & propriam aliquando partium humiditatem. cum itaque ſciueritis talia fuiſſe adhibita medicamenta, exiſtimare poteritis adeſſe intemperiem ſiccam, quod etiam colligetis ex habitu totius corporis, quia ſi habitus ſit ſiccus, indicatur adeſſe intemperiem ſiccam.

Indicatio duplex.

Cognito quòd cum ulcere ſit coniuncta huiuſmodi intemperies, indicatur humectatio, quæ duplici ratione fieri poteſt, ut uel euocando humiditatem naturalem ad locum affectum, relaxatis meatibus ob ſiccitatem contractis, atque attrahendo ſanguinem ad ulcus ab alijs partibus ſanis, ſanguinem inquam aptum pro humectatione, & repletione ulceris; uel applicando aliquod, quod ſua ſubſtantia humectare ualeat, & ſiccitatem illam auferre:

Humectantia medicamenta.

humectant prima ratione frictiones, & cucurbitulæ, quia fricando partes excitamus ſanguinem, ut fluat ad locum; idem faciunt cucurbitulæ, & balneum. ſed nec frictiones, nec cucurbitulæ ſunt in hoc caſu opportunæ, quia dolorem faciunt. & ideo recurrendum eſt potius ad aliquid, quod non ſolum poſſit ſanguinem attrahere, & euocare; ſed etiam ſua humiditate ſiccitatem demere; tale autem eſt balneum ex aqua puriſſima, & tepida, quia utraque ratione humectat: nam tepido illo calore apperit meatus, fundit humores, & ſic attrahit ſanguinem, immò ſanguis ipſe per ſe fluit ad ulcus: ſua poſtmodum natura humectat aridas partes, quia natura aquæ ſita eſt in humido. foueatis ergo ulcus aqua dulci tepida. ſed notate, quòd in ijs, quæ geminam habent naturam, ut eſt aqua calida, cautè eſt incedendum, cum ſępè ſoleant parere contrarium effectum: unde Hippolitus utitur aqua ca-

Aqua calida quomodo utendum ob humectationem.

lida ad ſiccandos tumores articulorum, qui in fractis oſſibus aliquando ſunt. ego quoque quando habeo ad manus luxatos articulos, & uolo ipſos reſtituere in propriam ſedem, & non poſſum propter tubercula, quę adſunt, & actionem impediunt, ſoleo affundere aquam calidam pro ſiccandis, & abſumendis tuberculis illis. ne igitur aliquando pro humectatione habeatis ſiccationem ex uſu aquæ calidæ, tradenda eſt norma aliqua certa, quam habeatis ſemper ante oculos dum aqua ipſa utimini in ulceribus cum intemperie ſicca. ſciatis igitur, quòd aqua, quando eſt ualde calida, non dico tamen quòd ferueat, ſed eſt calida ita, ut non excitet dolorem, & partes poſſint ipſam perferre; quando inquam eſt hoc pacto calida, aperit præter modum, & liquat humores, eoſque reſoluit. & ideo aqua calida in tali gradu non conuenit in ulceribus cum intemperie ſicca, quia ſiccat; nec conuenit aqua moderatiſſimè calida longo tempore ulceri applicata, quoniam & aqua ſub modica caliditate exiſtens ſiccat, ſi partes diu in ipſa moram trahanr; argumento ſint uobis mulieres, quę pannos abluunt, quia ipſarum manus ex longa mora in aqua tepidiſſima ſiccantur ita, ut contrahant rugas magnas, quod fit, quia parua illa caliditas eſt in cauſa, ut fluant humores, & aperiantur meatus, quibus apertis humores, qui confluxere egrediuntur, & reſoluuntur. unde quando uolueritis uti aqua ad humectandum, oportet, ut non ſolum ſit tepida: ſed etiam ut non hęreat diu parti affectæ. ergo opus eſt termino tùm in qualitate, uidelicet in caliditate, tùm in tempore ipſo applicationis: terminum autem docet Galenus in 4. meth. cap. 2. nam ſi ulcus ſit uerbi gratia in manu cum intemperie ſicca, & uelimus ipſum fouere aqua calida, id eſt tepida, & neſciamus quouſque ſit utendum tali fotu, dicit Galenus, antequàm utaris aqua, obſerua diligentiſſimè & quantitatem manus, & qualitatem, id eſt quanta ſit ipſius moles, & qualis color; poſtea incipito ſtatim uti aqua, & cum uideris, quòd manus incipit intumeſcere, & eius moles augeri, colorque immutari in rubicundum, non utare ulterius aqua, inquit Galenus, quia habuiſti quod uolebas, nam ex uſu aquæ uolebas, ut humectarerur pars: vel attracto ſanguine, uel ex propria aquæ humiditate: hoc aſſecutus es, ut patet ex quantitate manus aucta, & ex colore in rubicundum mutato; aucta enim quantitas eſt, quia attractus eſt ſanguis; cum ſanguine autem fluxere etiam uapores ſanguinei, quorum merito mutatus eſt color termini igitur qualitatis aquę, & temporis utendi ipſa, iſti ſunt, & quidem certiſſimi, & ſunt, ut dixi, auctio partis, &

mutatio

Digitized by Google

mutatio coloris. Aqua autem poſſumus uti pro fomentis; ſimiliter ſub forma irrigatio-
nis, & pro balneo ſeu in infuſione. uerum uſus aquæ pro ſtillicidio non eſt opportunus in
ulceribus, quia excitaret dolorem: nec infuſio eſt accommodata: quare relinquitur, ut ſo-
lum pro fotu conueniat. foueatis ergo ulcus cum aqua tepida imbutis aqua ipſa ſpongijs,
uel panno. Sed notate quòd quamuis Galenus, & alij omnes utantur aqua tepida ad re- *Notandū.*
mouendam intemperiem ſiccam ulceris, tamen ego utor libentius hydreleo, id eſt aqua,
& oleo ſimul mixtis, quia pręſtat ea omnia, quę pręſtat aqua, & multo etiam melius; *Hydreleū.*
quod enim oleum humectet, teſtis eſt Galenus in quinto de facult. ſimplic. medic. cap. 5.
accipiatis igitur oleum maturum, & miſceatis cum aqua, & faciatis fotum actu calidum;
& eſt certè optimum remedium, & præcipue ſi hyems ſit, quia tunc eſt potius humectan-
dum, quam frigefaciendum: ſi autem ſit ęſtas, cum ob caliditatem ambientis ſit potius
refrigerandum, ego uterer libentius aqua ſola; hieme autem hydreleo, ut dixi; ſed non
uterer oleo ſolo, quia eſt uiſcidum, hacque ratione difficile permeat per poros; at mix-
tum cum aqua penetrat facillimè unà cum partibus aquę. nec hyeme uterer aqua ſola,
quia præter illud, quod dicit Galenus in 3. lib. de officina medici commento text. 15. quòd
uſus aquę tepidę refrigerat membra; eſt etiam in cauſa ut humores ad partem attracti poſt-
modum inibi refrigerentur. atque ob id Galenus monet, ut cum aqua miſceamus oleum,
quia oleum claudet meatus, & non ſinet attractos humores diſſlari, atque abſumi. uerùm
in uſu iſtorum obſeruare debetis cum Galeno loco iam dicto, quòd licet proponam ulcus
cum ſiccitate, tamen poteſt eſſe, ut in corpore abundent mali humores, quamuis non
fluant. & ideo antequam foueatis ulcus, debetis diligentiſſime obſeruare an adſit cachochy-
mia, & ſi adſit, debetis ante fotum euacuare uniuerſum corpus. Notate etiam, quòd de
uſu aquæ uidentur eſſe multæ contradictiones, & primo quia ulcus requirit exiccantia, *Obiectio.*
immo curatio ulceris, ut ſupra eſt dictum, conſiſtit in exiccatione. vnde Hippocrates in
principio lib. de ulceribus dixit: Vlcera uniuerſa humectare non oportet, niſi uino ſi non „
in articulis fuerit ulcus. dicit etiam: ſiccum ſano propius eſt; humidum non ſano. ergo ul- „
cera non ſunt humectanda, & ſic malus eſt aquæ uſus. præterea Galenus in 3. meth. ait, „
quòd nullum humectans conuenit ulceribus. in primo etiam de compoſitione medic. per „
genera cap. 6. inquit in ſumma nullum humectans uel primario, uel ex accidenti ulceribus „
commodum eſt: dixit ex accidenti, quoniam aliquis potuiſſet dicere, licet ea, quæ prima- „
rio humectant, non conueniant ulceribus, tamen opportuna erunt illa, quæ humectant
per accidens. ut igitur obiectioni tacitæ occurreret, dixit, quòd nec ea, quæ per accidens
humectant, ſunt accommodata. item in 4. methodi cap. 2. loquens de ulceribus abluendis,
inquit, quòd non debemus abluere ulcera cum aqua; ſed uino, aut alio liquore ſiccante.
igitur uſus aquæ eſt malus, & fugiendus. Sed in oppoſitum eſt Galenus qui in curatione *Solutio.*
ulceris cum intemperie ſicca mandat, ut foueamus ulcus aqua, uel aqua & oleo mixtis.
Hæc uolui in medium afferre, ne ſi quando incideretis in has auctoritates, & locos, faceſ-
ſerent uobis negotium. ad primam igitur auctoritatem Hippoc. dico, quòd ipſe intelligit
de ſimplici ulcere, uel vulnere ſine aliquo adiuncto. ulcus enim indicat ſolum repletio-
nem ex carne, quę fit non ab arte, ſed à Natura: at huiuſmodi repletio non poteſt fieri ni-
ſi ulcus ſiccetur; & ideo Hippoc. in tali ulcere, uidelicet ſimplici, fugit humectantia: in
compoſitis autem ulceribus utitur, ut in 4. de articulis in ulcere cum oſſe prolapſo utitur re-
laxantibus, quia tunc non curat ulcus, ut ulcus, ſed ulcus compoſitum, in quo timet con-
uulſionem. Ad aliam eiuſdem Hippoc. cum dicit: ſiccum ſano, humidum non ſano pro-
pius eſt. Dico quòd ipſe per ſiccum, uel ſiccitatem intelligit defectum ſaniei, & ſordis in
ipſo ulcere, nam ulcus optimè abſterſum proximum eſt, ut ſanetur; non autem intelligit
de ſiccitate partium. Ad auctoritatem Galeni quod humectantia non conueniant aut
per ſe aut per accidens. Dico quòd ſi Galenus hoc diceret profectò contradictio eſſet mani-
feſta, & maxima; ſed hoc non dicit, & uerba ſunt immutata, nam per ſe, & per accidens
ibi referuntur ad facultatem humectandi, noſtis enim quòd medicamentorum quædam
humectant ſecundario, ut illa quę obſtruunt uias, & meatus, & ea, quæ ſiccant; quædam
humectant per ſe, qualia ſunt ea, quæ laxant, & habent ſubſtantiam humidam. vult ergo
inibi Galenus dicere, quod in ulcere, quatenus ulcus eſt, non conueniunt medicamenta hu-
mectantia, ſiue humectent primario, & per ſe, ſiue ſecundario aut per accidens: ſed in ul-
cere cum ſiccitate conueniunt humectantia eò uſque, donec extincta fuerit ſiccitas illa ex-
cedens & præter naturam, & ita non intendimus humectare, ſed reducere partem illam ad
naturalem temperiem. Ad aliam Gal. auctoritatem in 4. meth. cap. 2. ubi damnat uſum
aquæ. Dico quòd loquitur de ulcere cum intemperie humida, in quo maximè damnanda *Calefaciēs*
eſt aqua. Itaque utamini audacter fotu ex aqua, aut ex hydreleo, & poſt fotum applicetis *moderate,*
aliquod medicamentum, quod moderatiſſimè calefaciat, & humectet ſua ſubſtantia, ut *& hume-*
capiatis exempli gratia libram unam cremoris ptiſanæ, & addatis folia maluarum cocta *ctans medi camentū.*

in

in aqua, & farinam triticeam, quæ farina eſt certè optima, quia præter alia, habet magnam ſimilitudinem, cum corpore humano; addatis igitur farinam triticeam, & pinguedinem aliquam, ut uel humanam, vel ſuillam, vel aliam ſimilem, & facto emplaſtro applicetur. triticum etiam ipſum eſt optimum, & ut uerbo hoc vtar, omnis panatella opportuniſſima eſt, facta ſcilicet ex pane optimè fermentato, ſed non ſalito, & cocto in lacte, uel in oleo communi, aut amygdalarum dulcium. cum aliquo igitur iſtorum facietis panatellam ad formam emplaſtri, vel cum pinguedine aliqua humectante, quæ tamen non ſit rancida, quia calefaceret. unde ad hunc uſum conueniet pinguedo anſeris, gallinacea, & aliæ eiuſdem generis, ex quarum aliqua, addita medulla panis, poteritis facere panatellam in aqua & applicare. Sed ſi hiems ſit, locus egebit aliqua etiam leni caliditate, & opus erit maiori attractione. & ideo ſi vultis hæc perficere cum medicamento aliquo, capiatis oleum amygdalarum dulcium, uel commune, & oleum abietinum, & terebinthinam, & ceram albam, non autem citrinam, quia nimis calefaceret; & ex his omnibus conficiatis medicamentum, & applicetis: vel vtamini uno tantum ex illis oleis, & terebynthinam, & ceram, & ita habebitis medicamentum, quod attrahet, humectabit, & leniter calefaciet. His modis remouebitis ſiccitatem ex vlcere. Sed notate quòd ſiccitas aliquando non ſolum eſt circa partes ulceris, ſed etiam circa alias remotiores, & in toto corpore, quod patebit uobis ex ſquammis, nam ſquammæ indicant ſiccitatem: cognoſceris etiam ex pluribus alijs ſignis, quæ non oportet, ut ego recenſeam, cum præſertim talis intemperies facile cognoſcatur. Si ergo ſiccitas ſit etiam in alijs partibus, oportet ut remoueatis ipſam cum uſu uel balnei, uel aliorum, quæ iam uobis manifeſta fuerunt facta tùm à me, tùm ab Excellentiſſimis Practicis.

Epilogus dictorum. Colligatis igitur iam, ut memoria teneatis, quod ſi ariditas, partium coniungatur cum vlcere, vobiſque cognita ſit, nõ exiſtente corpore cachochymo ſtatim deueniatis ad vſum aquæ puræ tepidæ; & quotidie, mane, & veſperi foueatis vlcus, & circumpoſitas partes ſpongia tali aqua imbuta vel linteo, vel alio organo: & ſi non vultis aquam puram, capiatis oleum, & aquam, præcipuè ſi hyems ſit, nam magis fouebitur calor, diutiuſque conſeruabitur humiditas in illis partibus: poſt fotum applicandum eſt vlceri bis in die aliquid, quod in loco permaneat, vti eſt emplaſtrum factum ex farina communi, vel hordei, vel ex medulla panis, vel ex folijs maluarum, addita aliqua pinguedine, quæ moderatè calefaciat, & habeat vim humectandi, vt eſt pinguedo humana, anſerina, ſuilla, oleum ex vitellis ouorum, & ſimilia. aliquando poteritis fouere vlcus non ſolum aqua pura, vel hydreleo, ſed etiam oleo communi puriſſimo, nam vidi ego aliquot, in vlceribus crurium malignis, cum ſiccitate coniuncta, vſos fuiſſe puro oleo, & vlcera fuiſſe ſanata, quia remota ſiccitate ex vſu olei, natura ipſa per ſe generauit poſtea carnem, & cicatricem. vidi tamen deinde alios, qui vſi ſunt oleo tantum, & res non ſucceſſit, immo peſſimè actum eſt de vlceribus illis. quare melius erit, vt vtamini alijs. remota intemperie ſicca, incumberis generationi carnis, & cicatricis. Sicca intemperies rarò adiungitur ulceribus, ut ſupra ēt diximus humida uerò frequentius, & præcipue humida cum humore, id eſt cum materia, uidebitis enim infinita ulcera, quæ habent materiam abundantem, & humiditatē inſitam partibus: poteſt tamen eſſe ulcus rheumaticum tantum, & non habere intemperiem humidam, hoc eſt, poteſt eſſe, quod ulcus abundet copioſa ſanie, aut ichore, & non habeat intemperiem humidam inſitam partibus: ſicuti è conuerſo poteſt eſſe, quod ulcus non habeat copioſam materiam, ſaniemvè, aut ichorem, tamen intemperies humida erit in partibus ipſis. uerum ſciatis quòd rarò accidit, ut cum intemperie non ſit etiam coniuncta materia.

Signa. cognoſcitur autem ulcus tale primo ex copia excrementorum, ſi enim uideritis, quòd generetur caro, & ulcus non ſerpat, & generetur copioſa ſanies, uel ichor reſpectu carnis genitæ, dicatis quòd adeſt intemperies humida cum materia. Secundo cognoſcitur ex mollitie carnis genitæ, ſi enim caro, quæ gignitur, ſit ad tactum flaccida, mollis, & ueluti ſtupacea, & ex leui deterſione facta cum goſipio, uel alia re facilè cedat loco, atque huc illuc moueatur, indicatur adeſſe intemperiem humidam cum materia. Tertio cognoſcitur; quia caro illa cum uix pungitur, uel tangitur, ſtatim effluit ſanguis, quod indicat ſuper abundantē humiditatē. quarto cognoſcitur ex ſuperabundantia carnis, ſi enim uideritis, ꝙ copioſa caro gignatur, ita vt excedat cutim, colligatis luxuriantem Naturam & ipſam eſſe luxuriantem in generanda carne propter intemperiem humidam.

Curatio. Intemperie cognita, ſi velitis curare vlcus; oportet, vt primo intemperiem auferatis, deinde explebitur vlcus carne, & obducetur cicatrice. Sed antequàm aggrediamini ablationem intemperiei, debetis videre, an coniuncta ſit fluxio humoris, vt frequentius eſſe ſolet: quòd ſi adſit, opus eſt primo auferre fluxionem, & materiam; quo pacto accedetis ad remotionem intemperiei cum ijs, quæ ſiccant in ſecundo gradu intenſo, & vſque ad medium tertij, dummodo non mordicent: talia autem medicamenta proponuntur à Galeno in primo libro de compoſit. medic. per genera cap. 9. *Lithargyrium.* ubi proponit unum tantum, ſed optimum, & eſt lythargyrium optimè & ſæpe

ablutum

Digitized by Google

ablutum: debet autem primo ablui aceto ſub ſole, deinde uino; & exiccatum cum fuerit, debet inſpergi ſupra ulcus, quia & actualis ſiccitas iuuabit, ſiccando humores illos: medicamentum hoc eſt profectò optimum, quia ſiccat ſine mordicatione. addit alia medicamenta Galenus, in 4. libro de compoſit. medic. ſecundum genera, cap. 1. & ſunt plumbum uſtum, & lotum; ſtibium, ideſt antimonium a noſtris uocatum, uſtum, & ablutum, ſquamma ferri, uel calybis uſta, & diligentiſſimè abluta, qua certè nihil eſt præſtantius; ſed prius debet exuri, deinde ſub ſole ablui aceto, & attenuari optimè, poſtea abluenda eſt aqua roſacea: addatis ſquammam ęris: ſed mordicat; ideo bis, & ter debet exuri, & pluries deinde ablui, ſicut ego facio, primo cum uino, deinde attenuo ipſam optimè, poſtea ter, & quater abluo cum aceto acerrimo, & ſi tale acetum non habeam, utor aceto ſtillatitio, quia magis attenuat, & incidit, deinde abluo cum uino, ultimo cum aqua roſacea, & ita præſtantiſſimum fit medicamentum ſiccans ſine mordicatione. *Squamma æris.* Vltimo ex Recentioribus addatis pręcipitatum pluribus, & pluribus uicibus ablutum, quia eſt medicamentum cathæreticũ, & exedens, quod non facit lithargyrium, nec ſquamma, nec ſtibium: ſed ſi abluatur diligentiſſimè cum uino, aut aceto acerrimo, aut ſtillatitio, & roſacea aqua eſt ita præſtans medicamentum, ut præſtantius ipſo nullum reperiatur; & ego ſemper defero mecum ita præparatum, ut noſtis. *Præcipitatum.* His igitur corrigetis ulcus humidum, & ipſis uti poteſtis, uel ſiccis inſpergendo parum ipſorum ſupra ulcus, uel mixtis cum cerato aliquo, uel unguento. Sed notate, quòd medicamenta dicta non ſunt indifferenter commiſcenda cum omni cerato, uel unguento, nam unguentorum & ceratorum, alia ſunt quæ adſtringunt, alia quæ calefaciunt, alia habent unam, alia aliam facultatem. *Notandũ.* Et ideo antequam medicamenta prædicta miſceatis cum aliquo, aut unguento, aut cerato, ſiue antequàm ex ipſis, & aliquot alijs componatis medicamentum, conſiderate, an cum intemperie ſit fluxus materiæ, & tunc non ex quocumque dictorum poteritis rectè parare ceratum, ſed ex ijs tantum, quæ non ſolum ſiccant, ſed etiam aliquantulum adſtringunt. vnde lithargyrium non conuenit, licet ſiccet, quia caret aſtrictione; ſquamma autem erit opportuna, quoniam habet aliquam uim adſtringentem. Itaque quando aderit ſola intemperies, utemini ſiccantibus: ſed ſi cum humiditate ſit coniuncta fluxio, utamini ijs, quæ ſiccant, & aliqualiter adſtringunt. Quantitas autem dictorum medicamentorum admiſcenda cum ceratis, uel unguentis indicabitur uobis ab ipſa humiditate ulceris multa, uel pauca, & ab experientia, id eſt, ab actione ipſorum medicamentorum. Solemus etiam pro remouenda humiditate abluere ulcera ipſa, quia humidum illud actu facile permeat, & ualde conducit illud autem, quo abluimus, eſt uinum adſtringens, quia ſiccat; ſed ſi potens ſit, calefacit etiam: conuenit & poſca; & ſi timetis mordicationem, utamini uino adſtringente, in quo poteritis etiam coquere ea, quæ ſiccant, ut pentapyllum utrunque & ſimilia: & ſi opus ſit adſtrictione, & non haberetis uinum adſtringens, coquatis medicamenta adſtringentia in aqua, ut folia oliuarum, roſas, gallas, & ſimilia. Sed ad ſiccandam humiditatem deferimus nobiſcum unum, quod eſt pretioſum, ut dicit Galenus, in decimo de facultatibus ſimpl. medic. cap. de urinis, & eſt lotium ipſum, nam ſiccat, & attenuat, diſcutitque materias humidas; & ſi coquatur aliquantiſper erit etiam præſtantius, quia ex coctura reſoluta erit quædam humiditas, quam lotium habet, & redditum erit magis ſalſum, hacque ratione ſiccabit magis. *Lotiũ ſiccat, & attenuat & diſcutit.* Vltimo ego libentiſſimè confugio ad aquam Aponitanam, quæ ſiccat, detergit, & aufert intemperiem omnem humidam ſine ulla mordicatione, ita exactè ſal, calx, & uapores ſulphurei, quæ omnia in ipſa reperiuntur, commixta ſunt, quod eſt certè mirum, nam ſi ſal, calx, & ſulphur coquantur in aqua, nunquam fieri poterit, quin decoctum mordicet. *Aqua Aponitana.* itaque Aponenſi aqua abluo ego ulcera, & nihil eſt præſtantius. opportuna quoque eſt aqua Sancti Petri, & Montis groti, tamen Aponitana eſt præcipua, & ipſi magis fido in omnibus his ulceribus. laudantur etiam aquæ aluminoſæ, ut habetis a Galeno, in primo de facult. ſimpl. medic. capitulo ſeptimo, vnde ſi eſſetis in locis, ubi eſſent tales aquæ, utamini ipſis, quia primum locum tenent: ſi autem non haberetis, paretis ipſas uos arte, diſſoluendo parum aluminis in aqua, uel in uino, uel in decocto aliquo. *Aqua aluminoſa.* His ego aufero intemperiem humidam, qua ablata repletur ulcus, & cicatrice obducitur.

De vlcere cum intemperie calida.

Cap. X.

Signa. CALIDA intemperies ſæpe adiungitur vlceri, & cognoſcitur colore quantitate partis exulceratæ, ſenſu tùm ægri, tùm Medici, & ex iuuantibus, & lædentibus; colore quidem, quia rubicũdus eſt, uel ſubluteus; quantitate, quoniam membrum eſt tumidius redditum; ſenſu, quia & æger percipit caliditatem, & Medicus etiam, dum apponit manum; à iuuantibus deinde, & lædentibus, propterea quod iuuatur a frigidis, & offenditur à calefacientibus. Cognita intemperie auferenda eſt per contraria, id eſt, per refrigerantia. Materia autem medicamentorum erit hæc, terebinthina multum, & ſæpe lota, oleum abietinum ablutum, poſca, aqua *Curatio.* roſacea, aqua ex violis, quibus aquis poteritis vlcus abluere; uel vtamini hoc eodem modo decocto acetoſæ, lactucæ, & plantaginis: oleum quoque omne refrigerans poterit eſſe uobis materia medicamentorum, dummodo olea ſint ſemper optimè abluta; & cum hoc uel illo oleo, aut decocto poteritis miſcere pompholygem optimè lotam, quæ moderatè ſiccat, & refrigerat, uel ceruſſam lotam, uel farinam hordei, uel plumbum uſtum elotum, uel plumbum lotum, quod parabitis hoc modo: capiatis parum alicuius olei refrigerantis, uel decoctum, uel aquam, & ponatis in mortario plumbeo, & piſtillo plumbeo ducatis diu *Lotio plũbi quomodo fiat.* in mortario ipſo, quo fiet, vt ſubſtantia aliqua plumbi ex agitatione illa ſeparetur, & commiſceatur cum illo liquore; & hoc uocatur plumbum lotum, quo uti poteritis, & optimũ eſt. Si vultis vos aliquod medicameutum componere faciatis hoc modo:

Rec. Terebinthinæ nouies lotæ }
Olei roſati abluti } an. ℥.j.
Farinæ hordei }
Ceruſſæ lotæ } an. ʒ.j.s.
Miſce, & vtere. Vel faciatis hoc modo.
Rec. Olei roſati loti }
Olei violati loti } an. ℥.j.s.
Pompholygis lotæ }
Plumbi loti } an. ʒ.ij.
Ceruſſæ lotæ }
Ceræ albæ. q.s.

Miſce, & fiat unguentum, quod applicetur ulceri: in partibus autem circunſtantibus ponatis tetrapharmacum, uel unguentum de thutia magiſtrale, uel linimentum ſimplex, & deuenietis, uſque ad unguentum diapopuleon, quod in officinis uocatur unguentum populeonis, eo quòd recipiat modos, ſiue oculos illos populi arboris: uel applicatis circunſtantibus partibus lintea imbuta oleo roſaceo completo, uel oleo uiolaceo, uel myrtino, uel poſca, uel aqua tepida. Quòd ſi intemperies urgeat, ut ſolet aliquando, ita, ut non audeamus vti unctuoſis, ne pori cutis obſtruantur, & caliditas augeatur; utamini aqua ſolatri, uel aqua tepida pura & decocta, uel aqua plantaginis, uel aqua roſacea, uel lactucæ, uel ſucco lactucæ: in his madefacietis linteola, & applicabitis partibus, quæ circumſtant ulceri, in quibus, quando intemperies ualde urget, nullo modo utemini unctuoſis, quia ex conſtipatione pororum augeretur intemperies præter modum. Superata intemperie non erit difficile ulcus replere, & cicatrice obducere.

De vlcere

De vlcere cum frigida intemperie.

Cap. XI.

FRIGIDA intemperies rarò iungitur vlceribus,& cum adiungitur facilè ſuperatur: frequentiſſimæ autem ſunt intemperies calidæ, & humidæ: frigida intemperies cum adiuncta eſt cognoſcitur colore pallido, vel liuido, quantitate deficiente, non tamen quantitas, & pars ipſa eſt ita contracta, ſicut eſt quando adeſt intemperies ſicca: pars quoque ad ſenſum frigida eſt & frigiditas percipitur tum ab ægro, tùm a Medico: iuuatur à calefacientibus, & læditur à frigefacientibus. Intemperie cognita remouenda eſt, quod præſtabitis applicando vlceri medicamenta ſarcotica tertij generis: poteritis etiam vlcus fouere aliquo decocto calefaciente, ſed non cum aqua vitæ, ut faciunt aliqui, nam eſt medicamentum inutile, quia ea, quæ debilis eſt, nihil agit; quæ uerò eſt robuſta, exurit, atque tanta eſt tenuitas iſtius aquæ, vt ſtatim applicata euolet & euaneſcatque vt ex eo etiam patet, quod ſi apponatur vlceri linteum madefactum tali aqua,& alterum imbutum aqua pura & communi, longè citius ſiccabitur linteum imbutum aqua uitæ, quam imbutum aqua communi, itaque nullo pacto placet uſus aquæ uitæ in hoc caſu; ſed loco ipſius poteritis uti oleo aliquo calido, & fouere ulcus, uti eſt oleum camomillinum, & maſticinum, deinde aſcendetis ad rutaceum, & ad laurinum,& aliquando ad oleum illud montis Zibbi, quod eſt naphta antiquorum, uocaturque vulgo oleum petroſum, uel de petra, uel de ſaxo, & ſtercus etiam diaboli a quibuſdam. hoc igitur oleo poteritis etiam inungere, uel fouere circumpoſitas partes, & ulcus etiam, & poſt fotum ponatis in ulcere terebinthinam non ablutam, uel oleum abietinum non ablutum, uel oleum de terebinthina, uel unguentum de matriſilua, quod hac in re obtinet principatum. Sed notate, quòd quemadmodum in calida intemperie non oportet tegere ulcus multis pannis, immò pauciſſimis; ita etiam in ulcere cum intemperie frigida eſt faciendum oppoſitum, nam oportet, ut pars exulcerata tegatur optimè linteis, ſtupa, pellibus, & ſimilibus, quia & calor actualis iuuat ad profligandam intemperiem frigidam, qua ſuperata, repletur ulcus, & obducitur cicatrice. iam remanet, ut tractemus de ulceribus maioris momenti, inter quæ eſt ulcus cum dolore coniuncto, de quo in ſequenti.

Signa.

Aqua uitæ tenuitas.

De vlcere cum dolore adiuncto.

Cap. XII.

VLCERA, quæ maximè ſolent ægrotantem hominem torquere, ſunt illa, quæ habent coniunctum dolorem, & doloroſa uocantur ab iſtis, quæ grauia certè ſunt adeo, ut non ſolum ægros, ſed & Medicos ſæpenumero affligant. Et propterea in his vlceribus curandis maxima requiritur diligentia ut ea, quæ proponuntur agenda circa ipſa, citò & commodè agantur: quæ autem proponuntur ſunt tria, doloris mitigatio, ulceris repletio, & cicatricis generatio; ſed illud, quod magis urget, eſt, quod primo curationem ad ſe ſemper trahit; hoc autem cum ſit dolor, ab ipſo inchoandum eſt, ut mitigetur: urget quidem magis dolor, quàm repletio ulceris, & generatio cicatricis, quia præſente dolore fit maior attractio humorum, atque ita augetur in ulcere ſanies, quæ poſtea partem corrumpit, ſecundo dolore præſente ulcera recrudeſcunt, & ſi qua concoctio prius aderat, & benigna aliqua natura, abolentur, atque in ſuum contrarium mutantur ob dolorem ipſum. Præterea urget magis dolor, quia ad ipſum ſolet ſuccedere eryſipelas, ſopores, deliria, ſæpè conuulſiones, uirium defectus, uigilia conſumptio corporis, & mors ipſa tandem. Cum ergo dolor, ita urgeat, neceſſe eſt, ut primo tentemus ipſum omni arte lenire: hoc autem facere non poſſumus, niſi prius cognouerimus, unde fiat, & oriatur dolor ipſe: non quæram tamen hic an dolor ſit triſtis ſenſatio, an potius quid conſequens triſtem ſenſationem; ſed ex Galeno, in libro de facult. ſimplic. medic. ex mente Platonis ſupponam dolorem eſſe inter illas affectiones ſenſuum, quæ pathi, uel pathi-

Dolor quid ſit.

mata, hoc eſt paſſiones dicuntur, quorum paſſionum natura eſt, ut ſemper ſint in fieri, li-
cet aliqua pars ſit facta, & prætererit, ut uerbi gratia uiſio habet ſuam naturam in fie-
ri, quia quicquid ipſius eſt, illud eſt tantum in fieri, quamuis pars aliqua uiſionis ſit
iam perfecta & abſoluta. In omnibus autem paſſionibus, quæ habent ſuum eſſe in fieri,
tria ſunt, ſcilicet cauſa efficiens, effectus ipſe, & ſubiectum recipiens impreſſionem: atque
hæc tria ita ſe habent, vt ſemper ſe concomittentur, & coniuncta ſint, vt ſi viſus doleat, ne-
ceſſariò adeſt efficiens cauſa, & ſubiectum, ſiue organum recipiens: hanc rem tacitè ſup-
Tres ſcopi mitigandi doloris. ponens Galenus proponit nobis tres ſcopos in mitigando dolore; locus eſt in quinto de fa-
cult. ſimpl. medic. cap. 19. vbi loquens de medicamentis, quæ leniunt dolorem, dicit, quòd
alia ſunt perigorica, id eſt ſolannia dolorem; alia ipnotica, hoc eſt diſſoluentia dolorem:
alia prayntica, id eſt lenientia. horum autem quædam ſunt, quæ auferunt cauſam facien-
tem dolorem; alia ineptum reddunt organum ad ſentiendum: alia nec cauſam adimunt,
nec partem ſentientem inſenſibilem reddunt; ſed quadam ſubſtantia ſimili mitigant do-
lorem. Ex his elicimus tria dari capita, quibus inſiſtentes dolorem auferre poſſumus, vnum
Trifariam dolor mitigatur. eſt per ablationem cauſæ; alterum quando non poſſumus cauſam auferre, facimus ut pars
non ſentiat, & ita non dolebit, quod fit vſu ſtupefacientium. Tertium eſt, vt ſi non poſ-
ſimus, vel nolimus aliquo dictorum modorum dolorem auferre; leniamus tantummodo
A quo incipiendum. dolorem ipſum, ac minorem reddamus; & ab hoc vltimo capite debetis ſemper incipere;
non autem debetis ſubitò recurrere ad alia duo, nam ſæpe neſcimus, quæ ſit cauſa doloris,
& fortaſſe putabimus, quod ſit vnum, & erit aliud, & ſic intendetur dolor, ſi tentemus mi-
tigare ipſum cum ijs, quæ cauſam remouent: & ideo non eſt ſemper tuta reciſio cauſæ. præ-
terea, quando dolor eſt magnus, vt plurimum cauſa eſſe ſolet fixa ita, vt non facilè remouea-
tur, nec citò, ea propter melius eſt recurrere ad aliquod, quod leniat dolorem, nec confuge-
re debetis, niſi coacti ad ea, quæ ſtupefaciendo reddunt membrum non ſentiens, quia non
eſt tutum; ſed ſemper recurratis primo ad vltimum caput, videlicet ad lenitionem doloris,
vt fecit etiam Hippoc. qui in dolore pleuritico incipiente vſus eſt fomentis lenientibus,
quia non nouerat adhuc an cauſa doloris eſſet ſanguis, vel flatus, cum ergo ſæpe contingat,
vt ignoremus cauſam doloris, & neceſſe ſit citò dolori occurrere, melius longè eſt incipe-
re à medicamentis lenientibus, quæ mitigent dolorem retundendo aliquantulum dolo-
ris cauſam, & reddendo ipſam minus aptam ad dolorem excitandum, & partem ipſam
minus habilem ad recipiendam impreſſionem. Sed quæ nam erunt iſta medicamenta?
dico quòd ſcietis facilè, nam omnis dolor fit vel ab intemperie, vel à ſolutione continui,
Lenientia dolorem. vel ab vtroque; nolo ego hic diſputare an dolor fiat, vel a ſola intemperie, vel a ſola con-
tinui ſolutione, an quæ a ſolutione continui iam facta, vel dum fit, quoniam a quacunque
cauſa fiat, eadem conuenit curatio: hoc tamen velim vos ſcire, quòd materia faciens do-
lorem, ipſum efficit, vel quia eſt multa, & ſua multitudine ſoluit continuum, vel quia
eſt frigida, & ſua frigiditate afficit membrum; vel quia eſt mordax, & mordacitate ſua
Materia faciens dolorem. ſoluit conſtrictum, vel quia eſt craſſa, & ſua craſſitie non poteſt facilè penetrare per car-
nem, vel quia ex tali materia eleuetur ſpiritus craſſus, qui expulſus cùm non poſſit faci-
le permeare, ſoluit continuum, & efficit dolorem: his omnibus modis materia poteſt
eſſe cauſa efficiens doloris. intemperies etiam poteſt eſſe cauſa, quoniam ex partibus ali-
quibus intemperie affectis eleuantur vapores ad partem aliquam, & in ipſa dolorem exci-
tant, quia ſint vel nimis calidi & acres, hacque ratione ſoluant continuum exulcerando;
uel quia ſint frigidi, & craſſi, & ob ſuam craſſitiem non poſſint per anguſta loca tranſire,
niſi ſoluant continuum. Vnde apparet, quòd ſi vultis mitigare dolorem, oportet vt præ-
paretis humores, & ſpiritus: ſimiliter & partem, quæ dolorem patitur, quia pars eſt ali-
quando ita ſolida, & conſpiſſata, vt uapor non poſſit niſi cum difficultate penetrare
hacque ratione dolorem efficit continuum ſoluendo, ut hoc exemplo uobis patere po-
Si pars ſit denſata. terit, quòd ſi quis geſtarit niuem, ut uos ſoletis Hyeme ludentes inter uos; ſi quis igi-
tur ex niuis geſtatione habeat manus ſummè refrigeratas, & eas igni admoueat, per-
ſentiet dolorem maximum, atque talem, vt per manus videantur ambulare formicæ:
unde igitur talis dolor, ac tantus? profectò non fit ex alia cauſa, niſi quia præ frigore ca-
ro denſata eſt, & uapores intrò expulſi. Sed admota manu ad ignem uapores reuo-
cantur ad ſuperficiem, & cum reperiant meatus coanguſtatos ob frigus, nequeunt li-
berè egredi, & hac ratione excitant dolorem. Idem quoque apparet in generatione ci-
catricis, dum enim cicatrix fit, percipitur pruritus quidam doloroſus, qui oritur quia in illis
ulceribus generatur fuligo, & ſpiritus quidam, qui facilè prius exibat per mollem, ac laxam
carnē; ſed poſtea cū carnis ſuperficies ſit reddita dura, & ſpiſſa, uapores, & fuligines illæ non
poſſunt liberè trāſire; & ideo mordicādo excitāt pruritū illū doloroſum, ita vt æger nequeat
aliquando manus continere, & cogatur ſcalpere: atq; talis pruritus ſæpiſſimè & maximus
accidere ſolet in freruminationibus oſſiū quādo gignitur callus: vnde cogimur partē ipſam

ſoluere,

ſoluere,& calidam aquam affundere. Clarum eſt igitur, quòd pars ipſa denſata,ac non præbens exitum ſpiritibus, eſt aliquando in cauſa doloris: & ideo indicatur, ut denſitas illa remoueatur,& pars laxetur,quo ſiet ut etiam ſi materia, vel ſpiritus eſſet craſſus,aliqualiter egredietur; attamen tutius fuerit,& magis ſecundum rationem, ut ſi ſpiritus ſit craſſus, attenuetur; ſi acris,retūdatur eius acredo: ſi materia ſit uiſcida,& craſſa,incidatur.& quia pars ipſa ob dolorem eſt aliquantulum exaſperata; ideo ipſa etiam eſt lenienda. his autem indicationibus ſatisfacere poſſumus duplici genere medicamentorum, vno quidem, quod habeat ſubſtantiam ſimilem naturæ humanæ,quæ ſubſtantia aſperitatem tollit, & acredinem lenit, & his medicamentis ſub hoc primo genere contentis eſt à principio vtendum; verum non ſufficit hoc,ſed deueniendum eſt ad alterum genus medicamentorum, ſub quo genere complexa medicamenta debent concoquere, eſſe tenuium partium, rarefacere, aperire, attenuare, aſperitates lenire, & calida eſſe non multum tamen, quia augerent dolorem; ideo ſat eſt ut ſint calida vſque ad primum gradum intenſum, & non excedant, & hæc medicamenta verè, ac propriè anodyna dicuntur à Galeno,qui ſi vnquam rectè locutus eſt, & rem aliquam proprio nomine vocauit, id certe maxime fecit in his medicamentis nominandis. hoc dixiſſe volui,quoniam Recentiorum quidam ſunt, qui hac in re accuſant Galenum, & dicunt,quòd verè anodyna ſunt illa, quæ mitigant dolorem ſtupefaciendo, & facultatem ſentientem ex membro auferendo. Sed ego dico Galen. rectiſſimè ſuiſſe locutum,& quòd ſola medicamenta ſupradicta ſunt uerè anodyna,non autē illa, quæ ſenſum auferunt, quoniam medicamenta ſtupefacientia mitigant dolorem per accidens, id eſt, per aliud uidelicet per ablationem facultatis ſentientis: illa ſimiliter medicamenta,quæ auferunt dolorem recidendo cauſam,per aliud id faciunt,ſcilicet per remotionem cauſæ,qua ablata dolor ceſſat,& ideo hæc,& ſtupefacientia cum per aliud dolorem remoueant, non ſunt propriè anodyna uocanda.Sed ſi integra manente cauſa doloris, & integra manente facultate ſentiendi mitigetur dolor impoſito aliquo medicamento; tale medicamentum dicitur per ſe dolorem ſedaſſe,& uerè anodynum eſt uocandum,quoniam facit,ut id,quod fit, non fiat leniendo aliquantulum cauſam doloris, & reddendo partem ineptiorem ad recipiendam paſſionem. iccirco optimè dixit Galenus: uerum tamen eſt,quod curatio non indicat hoc; ſed uera methodus curatiua indicat,ꝙ cum dolor habeat cauſam præſentem, & ſit ſemper in fieri, indicat inquam,ut cauſa recidatur. Sunt autem medicamēta uerè anodyna plurima, & omnia ob ſimilitudinem,quam habent cum natura humana,mitigant dolorem & leniūt aſperitates, quæ medicamenta omnia colligemus ſub uno, ac primo genere, & ſunt iſta; fotus balneorum, præcipuè ſi cum aqua miſceatur oleum: fotus ex lacte calido, & præſertim ex lacte humano,uel alterius animalis, quod maximè accedat ad naturam humanam: fotus ex oleo puro dulci,communi,& maturo: addatis oeſyppum,ideſt, ſordem collectam ex uelleribus,& eſt pingue excrementum, quod excernitur a corpore ouium pinguium, & colligitur in uelleribus, quod excrementum habet ſimilem quandam ſubſtantiam cum humano habitu; ideo mitigat optimè dolorem: ſub eodem genere eſt adeps ſuillus recens, gallinaceus recens,humanus recens,piſcium recens:ſoleo ego aliquando ſolo adipe piſcium, & præcipuè anguillarum mitigare dolorem: addatis oleum amygdalarum dulcium recens, oleum ex pineis nucleis recens,oleum ex cera,oleum ex uitellis ouorum, & hoc certè optimum eſt,quia habet omnia requiſita ad medicamentum mitigatorium.Hæc omnia ſedant dolorem leniendo aſperitates, & ſimilitudine ſuæ ſubſtantiæ temperando omnes exceſſus; atque his debetis primo uti, quòd ſi non ſuffecerint, uenietis ad mitigatoria, & ſunt illa, quæ ſedant dolorem aperiendo,& laxando,& ſub hoc genere continentur iſta; fotus corporum ſiccorum,ut fomenta ex pannis calidis, nam ex huiuſmodi pannis calefactis attollitur uapor quidam auris aliquantulum,attenuans,rarefaciens,& diſcutiēs: ſecundo in loco ſunt ſacculi Hippocratici ex milio, ſale,& furfuribus. Sed dicetis,ſal calefacit magis,quàm ultra primum gradum intenſum, ergo non conuenit. dico uerum eſſe quòd ſal calefacit longe plus quàm in primo gradu,ſed non agit ſal, ut ſal in hoc caſu, ſed illud quod agit eſt uapor ab ipſo eleuatus, agit inquam ſiccando, diſcutiendo, aperiendo; ſal autem conſeruat ſolum uaporem illum eleuatum. Et ideo cum ſal non agat, ut ſal. ſed ſubminiſtrando uaporem, non eſt ut remoueatur, & deſiſtatis ab eius uſu: ſub eodem hoc genere eſt oleum antiquū, oleum camomillinum tùm ſimplex, tùm compoſitum; oleum anethinum, oleum ſeminum lini; oleum in quo decocta ſit radix altheæ, oleum ex ſeminibus fęnugræci extractum, uel in quo decocta ſint ſęnugręci ſemina, oleum ſeſaminum, oleum in quo decocta ſit caro uulpis, uel lutræ, nam & hoc præſtantiſſimum eſt: & ſi alias carnes oleo incoquendas non habetis,incoquatis carnes cioaceas,ideſt,ex ſpinoſis illis animalibus,accipientes partes ipſius pinguiores,addatis ex recentioribus oleum ſambuci, optimū etiam medicamentum mitigatoriū eſt flos caſſiæ, addatis mala dulciſſima,ut Appia, & ſimilia,quę incoquetis ſub prunis,& deinde accipietis eorū carnem,admiſcebitiſq; parū croci, & ſaccharū,& habebitis

Duplex medicamētorum genera.

Anodina medicamēta.

Primū genus anodynorum.

Secundum genus, aperiēdo, & laxando.

Medicamētum ex malis optimum.

medicamentum præſtantiſſimũ, quod concoquit, detergit, & habet ſimilitudinẽ ſubſtantiæ cum corpore humano; his addatis cibũ puerulorũ, id eſt, panatellam factã cum medulla panis ſaliti, lacte, & oleo, & eſt certè medicamentũ maximè mitigatorium & in podagricis doloribus tenet principatum: vel faciatis panatellam hanc ex medulla panis ſaliti aqua, & oleo roſaceo, & eſt præſtantiſſimum mitigatorium, nam habet ſimilitudinem ſubſtantiæ cum humano corpore ratione panis, & attenuat, diſcutitque ratione ſalis. Quòd ſi ſimpliciora medicamenta non conferant: paretis magis compoſita. ſoleo ego parare unum in ſartagine, quo nullum uidi celerius mitigare dolorem; fit autem hoc modo.

Ex panella.

Rec. Olei roſati.
Camomillini. } anna ℥.ij.
Anethini.
Furfurum tritici.
Farinæ hordei. } anna ℥.ij.s.
Pulueris Camomillæ.
Oeſipi ℥.j.
Sapæ dulciſſimæ q.s.

Coquantur ſimul in ſartagine, donec inſpiſſentur, & fiat veluti emplaſtrum. addidi ſapã, quia ipſa, & vinum dulce ſunt de ijs, quæ maximè dolorem mitigant; & ideo alijs deficientibus fouebitis locum ſapa, uel uino calido, ſed emplaſtro iam dicto vtor ego frequenter, & præcipuè in doloribus articularibus tanto cum ſucceſſu, ut ſit aliquando mirum, vtor & in vlceribus duobus alijs medicamentis cùm ſelici ſucceſſu, vnum eſt oleum de cera citrina pura, ſiue per elambicũ, ſiue alia ratione fuerit extractum; madefacio hoc oleo plagulas ex filis excerptis, & expleo vlcus totũ, & circumcirca vlcus colloco lintea imbuta oleo in quo ſit decoctum ſulphur viuum; & ſi non adſit viuum, accipiatur illud quod coctum eſt; & his duobus hoc modo adhibitis, & adminiſtratis vidi ſuperatos dolores maximè rebelles, & pręcipuè hoc uidi in vlcere brachij, in quo erat dolor intolerabilis, & iam vſi eramus ijs, quę auferunt cauſam doloris, & ijs quæ ſtupefaciunt, & ſemper fruſtra, & tandem his duobus tantum victus eſt dolor, quòd ſi medicamenta anodyna primi, aut ſecundi generis ſupradicta, non ſufficiant ad ſedandum dolorem, uel nolitis ipſis vti, & adſint induciæ ad remouendam cauſam doloris, utamini medicamentis alterius generis, quæ ſcilicet auferant dolorem recidendo cauſam. Si ergo cauſa doloris fuerit fluxio, remoueatis fluxionem, & modùm remouendi docuimus ſupra. Si cauſa doloris ſit intemperies præexiſtens in parte ipſa, & ſit intemperies calida, auferatis ipſam applicitis ijs, quę ſrigefaciunt, incipientes ab oleo roſaceo, deinde tranſibitis ad violaceum, tertio ad nenupharinum, quarto ad vſum vnguenti populeonis, quod magis refrigerat, quàm olea pręd icta, poteritis etiam fouere ulcus ſuccis herbarum, incipientes à minus frigidis, & deinde ſenſim aſcendentes ad magis frigida, ut verbi gratia primo vtemini ſucco plantaginis, deinde ſolatri hortenſis, tertio lactucę; quod ſi hęc non proſint, vtemini ſucco nenupharis, & aliquando ſucco foliorum papaueris, & tandem uenietis ad uſum aquæ communis & puriſſimæ, quæ fouebitis locum actu frigida, ſi æſtas ſit, immo frigidiſſima; & ſi per ſe talis non fuerit, reddatis talem arte: ſi verò ſit hyems vtamini ipſa ſub aliquo tepore. Quòd ſi dolor naſcatur ratione ſiccitatis, ſedabitis ipſum vſu humectantium, vt fouendo locum aqua tepida, vel hydreleo, vel vtemini aliquo alio ex supradictis loco proprio. Sed ſciatis, quòd rarò accidit, vt dolor fiat in vlceribus ob ſiccitatem; ſępiſſimè autem naſcitur ex frigiditate, quæ inſit, vel in parte ipſa; vel introducatur ab ambiente. Si ergo ambiens ſua frigiditate ſit cauſa doloris, faciatis ut ipſemet ambiens ſit cauſa mitigationis, calefaciendo ipſum, & tegendo vlcus pannis, pellibus, & manu etiam propria, quam detineat æger diu ſupra vlcus, nam maximè mitigat dolorem. Sed ſi intemperies inſit parti, vtendum eſt medicamentis calefacientibus, quæ infinita ſunt, tamen in intenſis doloribus ego ſoleo vti oleo ex terebinthina compoſito, quod oleum inſtillo ſupra vlcus actu calidum, uel imbuo ipſo linteola, & applico: oleum quoque de terebinthina ſimplex & oleum ex reſina abietina ſimplex opportuna ſunt, tamen quando dolor eſt intenſus; melius eſt oleum compoſitum: ratio autem conficiendi oleum de terebynthina compoſitum eſt hæc.

Duo medicamẽta præſtantiſſima ad leuãdos dolores.

Tertiũ genus, eorum quæ auferũt cauſã.

Refrigerantia.

Humectantia.

Si adſit intẽperies frigida.

Oleũ de terebinthina.

Rec. Terebinthinæ lib. j.
Maſticis. } anna ℥.j.
Stiracis.
Laterum fractorum lib. j.

Et vt rem hanc intelligatis, ſciatis quòd capimus fruſtula laterũ coctorum, & igni mitis, extinguimusq; ſtatim in oleo cõmuni, poſtea extrahimus, & ipſis vtimur, capiẽdo videlicet libram unã ipſorũ, ut dixi, & admiſcentes cũ terebinthina, maſtice, & ſtirace, ponimus omnia in elambico uitreo, & adacto igne extrahitur triplex liquor: primus erit aqua quędam, quæ

eſt

eſt inutilis; ſecundus erit liquor oleagineus luteo colore præditus, & iſte eſt oleum de te rebynthina compoſitum: tertius liquor, qui extrahitur, eſt nigri coloris; & utroque hoc oleo, luteo ſcilicet, & nigro utimur inungendo, vel fouendo ulcus: & ſi opus ſit diuturniori caliditate, utimur potius oleo nigro, quam luteo, quia cum habeat partes craſſiores diutius conſeruat caliditatem. quòd ſi hęc deeſſent, utamini oleo ex floribus roris marini. Sed notate, quòd hoc oleum dupliciter fit, uno modo accipiendo flores integros, & macerando ipſos exprimendoque optimè extrahimus oleum: ſecundo modo commiſcendo flores cum aliquo oleo; ſed illud, quod primo modo fit, eſt præſtantius. eſt etiam hac in re optimum oleum de ſpica,quod tenetur paratum ab unguentarijs, & parant hoc modo, accipiunt ſpicam vulgarium, quę & lauendula à quibuſdam uocatur; & ipſam macerant, exprimunt, extrahuntque aquam, cum qua aqua extrahitur etiam ſubſtantia quædam oleoſa,quæ odorata ualde eſt, & oleum de ſpica,uel de ſpico uocant.hoc igitur uti poteritis & eſt optimum. ſolent quoque ſeplaſiarij accipere ſpicam nardi, quam ponunt in oleo, & oleum deinde illud uocant de ſpica. Sed hoc non ita conuenit in caſu noſtro. poteritis nos uti etiam oleo de euphorbio, quod ualde calefacit, uel utamini oleo reſolutiuo uocato, quod paratur hoc modo: accipimus radices cucumeris aſinini, radices bryoniæ, ariſtolochiam tenuem, & rotundam, & omnia coquimus in oleo, quod oleum poſtea uocatur reſolutiuum, & ualde calefacit, digeritque. poteritis etiam uti oleo, in quo ſit coctum ſulphur, uel alijs multis, de quibus ſupra diximus, quando agebamus de ulcere cum intemperie frigida. his ergo poteritis auferre dolorem ortũ ex intemperie frigida. de intemperie autẽ humida nihil dico,quia raro fit dolor ex ipſa,& ſi aderit, ſuperabitur facilè ex uſu medicamentorum ſiccantiũ,quorũ magna eſt ſylua, & de ipſis locuti fuimus ſupra,dum ageremus de ulcere cum intemperie humida. Cæterùm ſępe accidit, ut in ulceribus creſcat caruncula quædam, quæ vix tacta à molliſſima etiam re excitat dolorẽ ita intenſum, vt iugulet miſerũ ægrum. naſcitur autem vehemens ille dolor ob intemperiem calidam, & humidam illius carunculę, vel ob malignitatem quandam quæ ipſi carunculæ ineſt. quando igitur aderit tam vehemens dolor ob talem carunculam, opus eſt auferre carunculam illam; auferetis autem medicamentis catereticis,quæ deradunt,& abſumunt,inter quę optimum eſſet ægyptiacum vnguentum,niſi faceret dolorem magnum. Sed ſciatis,quòd nihil eſt validius,& peius; & nihil melius,& benignius ægyptiaco;eſt quidem validiſſimum,& malum,ſi ſolo ipſo ac ſincero vtamur, facit enim dolorem intolerabilem: ſed ſi miſceamus ipſum cum aliquo medicamento, quod habeat in ſe oleum, & ceram,nihil eſt benignius, & nihil præſtantius ipſo agit,nam abſumit,colliquatque optimè carunculam illam,nullum inferens dolorem, nec aliud vllum malum efficiens; ſecus verò contingit,ſi ſincerum adhibeamus; quia facit dolores vehementiſſimos,quibus ſæpe ſuccedit maxima vlceris ariditas; & interdum abſumitur non ſolum caro, ſed & partes etiam ſpermaticæ. vtamini igitur ægyptiaco cum cautela, & parato eo modo, quo ego ſoleo, nam miſceo ipſum cum cerato roſaceo, & ex tali mixtione redditur medicamentum pręſtantiſſimum: modus autem & menſura mixtionis eſt, quòd capio utrunque æquali pondere, & miſceo optimè ad ignem; & ſi uolo, ut medicamentum magis ſiccet, capio unam partem unguenti diapompholygos, & unam egyptiaci, & ſimul miſceo, & præſtantiſſimum redditur medicamentum,agitque ſine dolore; quòd ſi non haberetis ægyptiacum utamini ſquammis præparatis. Sed præcipitatum præparatum obtinet hac in re primum locum, nam præſtat perbellè quod uolumus, & ſine moleſtia; unde Ioannes de vigo uocat ipſum puluerem carnis remotiuum ſine dolore. bonum eſt etiam unguentum abſterſiuum in officinis uocatum, & vngentum iſidis. nam & hæc abſumunt, colliquantque carnes illas. Recentiores utuntur unguento apoſtolico; quòd deſcribitur ab Auicenna in quinto canonis: ſed nimis doloroſum eſt. unde uellem ut ex ipſo cognoſceretis quanti ſit, & faciat compoſitio, & mixtio. nam iſidis emplaſtrum habet duplum plus ſquammę & æruginis ęris, quam habeat unguentum apoſtolorum, tamen iſis nullum, uel perexiguum facit dolorem; unguentum uerò apoſtolorum ob malam compoſitionem,& mixtionem maximè doloroſum eſt,& ueluti diabolus; unde diabolus etiam uocatur,quia cum recipiat tot medicamenta, quot erant Apoſtoli Saluatoris noſtri, unum eſt inter ipſa reſpondens Iudæ proditori qui erat ueluti diabolus inter alios Apoſtolos. Confugimus etiam ſæpe ad alumen combuſtum,& uidebitis omnes iſtos tonſores ad ipſum primo recurrere quando uolunt carnem abſumere; ſed doloroſum eſt. quare non diſcedatis ab ægyptiaco præparato, ut dixi,uel à precipitato præparato, uel à ſquamma æris præparata, uel ab unguento iſidis; Sed accidit aliquando, ut dolor non poſſit ſedari, nec cum anodynis, nec cum ijs, quæ cauſam reſecant; & tunc neceſſe eſt deuenire ad ea, quæ facultatem ſentiendi auferunt, uidelicet ad medicamenta ſtupefacientia, quæ narcotica appellantur; quorum materia accipitur ex quatuor, ſcilicet uel ex mandragora uel ex altero; id eſt hyoſcyamo, uel ex cicuta, uel ex opio: poteritis igitur uti ſucco mandragoræ; ſed melius

Oleũ ex floribus roris marini, duplex.

Oleum de ſpica.

Oleum reſolutiuũ & parãdi modus.

Si caruncula ſit Cauſa doloris.

Egyptiacũ & eius qualitates.

Sarcotica medicamenta.

eſt

Digitized by Google

eſt uti folijs ipſius coctis, & impoſitis, uel radicibus coctis & cotuſis: cicutæ quoque folijs, & ſucco uti poteſtis. uerum ſciatis quod inter quatuor dicta medicamenta narcotica, cicuta eſt debilior in hac noſtra regione, nam uidemus pueros comedere ipſius folia ſine noxa, & in quibuſdam locis ueſcuntur etiam caulibus, tamen non generant ſoporem, quod fortaſſe fit ob frigiditatem & humiditatem huius regionis, quare cum uolueritis uti cicuta ad ſtupefaciendum, accipiatis eius ſuccum, aliter nihil faciet. opium non habemus, id eſt non habemus illud, quod reſudat ex capitibus papaueris; ſed habemus mechonium, quod exprimitur ex capitibus, & ſeminibus papaueris: poteritis ergo uti mechonio ipſo; ſed ego antequam ueniam ad mechonium, utor alio medicamento, quod paro hoc modo. accipio duos manipulos foliorum mandragoræ, & totidem cicutæ, & hyoſcyami, & obuoluo omnia hæc folia charta madefacta, & ligo, facioque ueluti faſciculum, quem colloco ſub cineribus calidis; & cocta cum fuerint folia, contundo ipſa in mortario, addoque aliquid, quod partim ſoporem inducat, partim faciat ad penetrationem, nam uis illa ſo-
Medicamentũ auctori. porifera, quæ eſt in his folijs, ægrè penetrat; & ob id addo aliquando crocum, aliquando ſtiracem ſiccam pondere conuenienti, interdum addo parum caſtorei, & facto emplaſtro pono ſupra ulcus tectum prius aliquo uelamine: & uſu huius medicamenti conſecutus ſæpe ſum, quod cupiebam: aliquando paro aliud medicamentum hac ratione.

Rec. terebynthinæ. ℥. ij.
myrrhæ. } ana. ʒ. ij.
ſtiracis. }
croci. ℈. j.
opij noſtratis. ʒ. ij.
mellis deſpumati, q. s.

Miſce, & fiat emplaſtrum; & ſi ulcus eſſet in parte carnoſa, ut in brachio, non addo aliud emplaſtrum: ſed ſi ſit in manu, uel in alia parte neruoſa, addo caſtoreum pari pondere cum opio, nam torpore diu perſeuerante læditur aliquando motus ipſius partis, quod ne accidat ob ſtuporem, cum uideritis ulcus eſſe in parte neruoſa, addatis caſtoreum, quod refrangat facultatem narcoticorum. ablato dolore, cum uideo iam me poſſe recidere cauſam incumbo remotioni ipſius; & ſi poſt uſum narcoticorum remanſit aliquis torpor partis, ſoleo illum auferre adhibito oleo de caſtoreo, uel de euphorbio, uel alio calidiori, deinde expleo ulcus carne; & cicatricem ſuper induco.

De ulcere cum carne aut nimis molli et laxa aut nimis copioſa ſupercreſcente. Cap. XIII.

CARO, quæ creſcit in ulceribus aliquando nocumento eſt, & facit, ut ulcera nõ poſſint ſanari; ſolet autem caro ſuper creſcens, (hiperſarcoſis à græcis uocata) impedire actionem hanc, uidelicet ſanationem ulceris, duobus modis, uidelicet aut quia ſit nimis mollis, humida, & laxa, ita ut non poſſit generari cicatrix: aut quia ſit nimis multa ſiue ſit mollis, ſiue dura nihil refert. tale genus ulceris cum carne uel molli, uel copioſa nimis uocant Recentiores ulcus cum carne ſupercreſcente molli, uel multa, & curationem requirit. primo igitur ſi caro ſupercreſcens ſit nimis mollis, & laxa, uideamus, quo modo ſit curan-
Curatio. dum tale ulcus. Caro talis oritur in ulcere teſte Auicenna in 4. 4. cap. 31. quia ulcera non ſunt benè cocta, nec benè expurgata: uerbi gratia habemus ulcus concoquendum; ſi hoc uolumus aſſequi, debemus imponere medicamenta, quę uel conſeruent calorem inſitum, uel augeant; aduenict tamen ineptus aliquis chirurgus, & applicabit loco iſtorum medicamenta ſarcotica feſtinans ortum carnis ante integram mundificationem; tunc fit, ut ex tali inopportuna medicamenti impoſitione, caro creſcat mollis, & laxa. ad hanc igitur carnem remouendam oportet applicare medicamenta illa, quæ habeant quidem facultatem ſiccandi humiditatem illam carni inſitam, & laxitatem adſtringendi uniendique, ſed non exedendi. unde omnia quæ recipiunt gallas, præcipuè immaturas, opportuna ſunt: pariter quæ recipiunt corticem thuris, & quæ aloem, ſiccant enim, & uniunt quod laxum eſt. præterea metallica omnia, quæ habent uim ſiccandi, & adſtringendi, & non mordicant, optima ſunt, ut lapis hæmatitis, gypſum coctum, quæ ſi abluta applicentur oportuniſſima ſunt; addatis antimonium coctum, & præparatum, thutiam præparatam, & ſquammarum genera uaria. Galenus in 13. meth. cap. 5. ſolet uti linamentis ſiccis aliquando puris, aliquando imbutis uino auſtero, nam & ſicca linamenta, filacia uocata ab iſtis, abſumunt humiditatem illam carnis. unde ego quoque Galenum imitatus utor ipſis ſiccis, aliquan-

do

do madefacio uino auſtero, aliquando decocto gallarum, corticis thuris, & ſimilium, aliquando Galenus, ut ipſe loco citato dicit, imponebat linamentum ex elychnijs Iarſenſibus, quæ elychnia erant materia quædam, quæ Romæ in uſu erat ad conficiendos elychnia, id eſt funiculos illos lucernarum: & uocabatur Iarſenſe, quia è Iarſis deferebatur copioſa talis materia, quæ habebat figuram, & uſum ſpongiarum, ut colligitur ex Galeno in 14. methodi, ubi loquitur de oedemate, nam inquit quòd loco ſpongiæ uti poſſumus elychnio Iarſenſe: quæ autem ſit materia iſta nullus hucuſque explicauit: ego tamen dicam quid ſentio, uidiſtis fungoſam illam ſubſtantiam delatam ab iſtis monticulis in hanc urbem, & eſcam uocant, quia inſeruit ad accendendum ignem, & uos ipſa utimini dum mane ſurgitis tempeſtiuè, & lucernam accenditis; & eſt fungus quidam, qui gignitur in arboribus, & colligitur ab iſtis monticulis, maceratur, & coquitur, hucque defertur, ut uidiſtis: & cum tali materia deferuntur etiam ab eiſdem reſinæ uariç. hanc igitur ſubſtantiam, eſcam vulgo dictam credo ego eſſe elychnium Iarſenſe antiquorum, nam & illud antiquorum aptum erat ad concipiendum ignem, ut habemus à Galeno in 2. de facult. ſimpl. medic. & quod me confirmat in hac opinione eſt, quia uideo, quòd hæc noſtra eſca ſiccat, & reprimit carnem magis, quam linamenta ſicca: materia hæc eſca vulgo dicta, uocatur etiam à grçcis iſchateſte Paulo in 6. lib. cap. 39. ubi inquit quod inter cauteria enumerantur iſchæ barbaris magis uſitatç. igitur & hac materia ſpongioſa, fungoſaque uti poteritis, uel utamini linamentis imbutis hoc decocto, ut ego ſoleo. *Elychniũ quod ſit.*

Rec. corticis thuris } ana ʒ.j.
maſticis.
foliorum roſarum } ana ℥.s.
myrtillorum
ſumach
foliorum ſaluiæ m. s.
aluminis rochæ ʒ.j.
uini nigri auſteri. q. s.

Mis. & fiat decoctio, & coletur, & in ipſa calida madefiant linamenta, & applicentur; & uidebitis quòd optimè coercebit humiditatem, & laxitatem carnis. ſed aliquando accidit, ut his medicamentis non poſſimus auferre mollitiem ac laxitatem carnis. & ideo tunc oportet carnem illam exedere, excepto tamen uno caſu. uidiſtis aliquando vulnera capitis cum oſſe detecto, in quibus potuiſtis obſeruare quòd Natura tentat delectum illud os deſquammare, & ſeparare: deſquammatur autem os illud, quia imbibit humiditatem tùm ambientis, tùm olei roſacei, & deſquammatur aliquando uigeſima die; aliquando uigeſimaquinta, vel trigeſima, aliquando tardius, aliquando citius; ſed antequàm os illud deſquammetur, ſolet Natura illud tegere carne quadam molli, & laxa ſupergenita, quæ caro ſolet admodum affligere chirurgos iſtos, & alij uolunt ipſam exiccarre, alij exurere, & neſciunt interdum quid agant, hacque ratione ſæpe carnem illam auferunt, & errant, quia carne illa remota, ſequitur hoc incommodum, quod non poteſt gigni cicatrix & ideo moneo uos, ut nunquam illam dematis, etiam ſi eſſet copioſiſſima, & molliſſima, quoniam Natura eſt illa quæ quàmuis agat ſine cognitione, tamen uidens os non poſſe niſi longo tempore deſquammari, ut actionem hanc adiuuet, tegit os illud carne mala, quia non poteſt tegere cum bona, tegit inquam, quoniam caro illa eſt in cauſa, ut melior fiat coctio, qua os citius deſquammatur, & ipſo deſquammato, ſtatim Natura per meliorem carnem genitam corrigit humiditatem, & laxitatem illius carnis malæ, nam ſtatim exempta ſquamma uidemus, quòd caro per ſe ſiccatur, & ſolidior facta obducitur cicatrice. in his igitur vulneribus, uel ulceribus, ubi os eſt abſceſſurum, nunquam ſitis, obſecro, ſolliciti de ablatione carnis illius, ſit quantum uoluerit mollis, & laxa: in reliquis autem omnibus auferatis ipſam: ſed in illis ubi os eſt receſſurum inſpergetis ſupra illam carnem pulueres capitales, & ſuperponetis linamenta ſicca, quç repleant totum ulcus; extra autem applicabitis linteum oblinitum diapalma, uel cerato de minio, uel alio ſiccanti medicamento, atque ita procedetis medendo, donec os fuerit ſeparatum: in alijs autem ulceribus ſemper auferatis. Cæterum accidit interdum ut ulcus non poſſit ſiccari eo quod habeat nimis copioſam carnem ſuperinductam, & tunc non adeſt ſcopus repletionis, quoniam nimis repletum eſt ulcus, ſed duo tantum adſunt ſcopi, unus eſt imminutio quantitatis carnis: alter eſt obductio cicatricis; ſed incipiendum eſt ab imminutione carnis, quia ſe habet ut cauſa ſine qua non reſpectu generationis cicatricis. igitur auferenda eſt primo copia illa carnis, quod non poteſt fieri à Natura, nam in ulcere, ut dicit Galenus in 3. meth. cap. 6. alia ſunt opera, quæ ſola natura facit, ut eſt generatio carnis, agglutinatio, & huiuſmodi alia quæ facit ſolus medicus, uti eſt ablatio quantitatis auctæ, quod Natura non poteſt facere, & ſi ipſi relinqueremus tale opus, potius putrefieret ulcus. quomodo igitur copioſa caro eſt auferenda? Galenus dixit per medicamenta exedentia: ego autem dico, quòd hoc poteſt *Error chirurgorum in demenda Carne.*

etiam

In ulcere quommodo auferatur caro ſuperflua, & quibus.

etiam fieri organo, ut forcipe, uel nouacula, quibus inſtrumentis demimus ſæpe ſuperabundantem carnem, & ſine quidem moleſtia, & dolore, niſi caro ſit maligna, quoniam non habet magnum ſenſum; at quando caro eſt maligna, ſentit, & per conſequens excitatur dolor magnus. Sed ſi non adſit impedimentum, melius eſt carnem auferre cum organo, quam cum medicamentis, quia actio eſt magis cita, atque ideo poſſumus citius adhibitis medicamentis epuloticis ulcus cicatrice obducere: & hæc eſt una ratio cur impediat organo potius, quam medicamento carnem ſuperabundantem auferre, niſi adſit impedimentum. altera ratio eſt, quia ex ſectione illius carnis effluit multus ſanguis, qui erat materia ad generandam carnem ſuperabundantem. uerum adſunt occaſiones in quibus non poſſumus uti organo aliquo ſecante, quia ſunt quædam ulcera, in quibus non poſſumus organa aptare: ſunt etiam aliquot ægri ita timidi, ut nec organum ipſum ſine maxima moleſtia poſſint inſpicere: tertio ut plurimum cum abundantia carnis eſt coniuncta mollities, & humiditas maxima. unde ſi utamur organo, minuemus quidem carnem, ſed non auferemus humiditatem, & laxitatem. & propterea tutius eſt, & melius in his occaſionibus uti medicamentis illis, quæ cathæretica uocantur, non autem dicuntur cathartica, ut poſſetis aliquando credere, & decipi, nam longè hæc inter ſe differunt, quia cathartica dicuntur medicamenta illa, quæ purgent: cathæretica uerò, quæ exedunt, & colliquant. his igitur eſt

Catharetica medicamenta.

utendum ad minuendam carnem, & horum plura Antiqui habebant in uſu & primo habebant in uſu dyphrigem, quo nos caremus, quia non habemus fodinas æreas, poſſumus tamen habere ex locis non multum uicinis, ut ex Germania: & ſi dyphrigen non haberemus, non deerit pyrites lapis exuſtus, & maceratus ſub dio, & eundem uſum nobis prçſtabit. habebant antiqui & florem ætis, quo caremus nos, & illud, quod flos æris in officinis uocatur, eſtque apud iſtos Recentiores in uſu, ſciatis quòd eſt ærugo æris, non autem flos æris uerus antiquorum. habebant quoque ærugines: & quando non habebant aliud (uideatis maximam Antiquorũ diligentiam) accipiebant teſtas oſtreaceas, uel erinaceas marinas, uel alias ſimiles, & exurebant, & cinere deinde illo, uel calce utebantur. habebāt quoque florem aſiæ petræ, quo caremus nos. utebantur etiam ipſi ſale combuſto & optimum eſt. unde & uos poteritis ſalem exurere ſupra laminam ferream calefactam, & inſpergere ſupra carnem nimis auctam, & uidebitis quòd coercebit ipſam. habebant & chalcitim, myſi, ſori, & alia plura, quæ nunc deſiderantur & uix portiunculā chalcitidis habeo ego, ut poſſim uobis oſtendere. in officinis habetis plura, quibus uti poteſtis, ut ſquammas præparatas, çruginem æris ablutam, puluerem hermodactilorum, quo ſæpe noſtrates Chirurgi vtuntur: puluerem aſphodelorum, & præcipitatum, quod eſt ueluti princeps inter alia omnia, adeo præſtans eſt, & agit ſine dolore, dummodo ſit rectè præparatum. Compoſita quoque multa medicamenta habebant Antiqui ad exedendas ſuperfluitates, de quibus legere poteritis Paulum in 4. lib. cap. 43. & Aetium lib. 14. cap. 36. in quibus locis multa proponuntur medicamenta exedentia. in officinis etiam habetis quçdam compoſita, ut çgyptiacum unguentum; emplaſtrum iſidis & unguentum apoſtolorum, quæ omnia opportuna ſunt. Recentiores parant unum, quod maximè exedit. accipiunt unguentum reſinum uocatum, & addunt æruginem æris, & miſcent, & præſtans eſt medicamentum. Sed notate quòd aliquando opus eſt quidem carnem erodere, non autem afficere partes circumpoſitas, quod non poſſumus præſtare ſi utamur ægyptiaco, quia cum liquidum ſit, fluit ad partes ſanas: idem accidit ſi utamur puluere, quia ſemper ab humiditate carnis defertur aliqua portio pulueris ad partes circunſtantes ſanas, & illas afficit & ideo ego excogitaui unum, quo uti poſſumus in quocunque loco ſine periculo partium adiacentium; medicamentum autem eſt linamentum quoddam, cuius hæc eſt deſcriptio.

Rec. aquarum plantaginis
   roſarum } ℥. iij.
   ſolatri
   opij ʒ ſ.
   medullæ panis ℥. ij.
   argenti ſublimati optimè triti ſupra lapidem porphyritem ℈. iiij.

Hæc miſcentur, & bulliunt ad conſumptionem medietatis poſtea colentur ter, & quater linteo ualde ſpiſſo; deinde capio linteum lineum attritum, quod madefacio in hoc decocto, & ipſum poſtea ſicco ſub umbra, uel ad ignem; & hoc idem facio ter, uel quater madefaciendo & ſiccando linteum ipſum, & ex quo poſtea capio filamenta, & facio plagulas nunc latiores, nunc anguſtiores pro ut opus fuerit, & ipſas pono ſupra carnem exedendam, & præſtantiſſimè agit ſine dolore, tutò, & citò. Sed in uſu horum medicamentorum non contemnatis præceptum Auicennæ in 4. 4. cap. 32. & eſt quòd quoties igneis his medicamentis uolumus auferre carnem, ſemper debemus munire alias partes circunſtantes aliquò medicamento refrigerante, ut impediatur inflammatio, in qua re conuenient lintea imbuta

buta

Digitized by Google

buta oleo roſaceo, uel aqua roſacea, & poſita ſupra partes circunſtantes: uel utamini aliquo alio, dummodo aptum ſit inflammationem arcere. Et quoniam carnis conſumptio fit non ſolum medicamentis ſupradictis, ſed etiam ijs, quæ cauſtica uocantur; iccirco de ipſis nunc agam, licet infinita fermè ſint, & multiplicia ſoleant parari à diuerſis; ſed quædam peſſimè parantur, quædam optimè; & quilibet ferè chirurgus habet proprium cauſticum medicamentum, & modum conficiendi ipſum tenet ſecretum, & nemini vult communicare. ego autem nec ſuos modos conficiendorum cauſticorum, nec meos uobis occultos tenebo. de his ergo agens dico, quòd omnis actio, quæ fit in corpore humano aut ad idem conſeruandum, aut, ſi abſumatur, ad id, quod abſumptum eſt, reſtituendum, fit à calore naturali, qui iuuatur medicamentis ijs, quæ concoquentia, & fouentia appellantur, quia conſeruando, uel augendo calorem naturalem faciunt concoctionem, quæ eſt perfectio quædam in corpore. habet ergo calor naturalis amicitiam maximam cum medicamentis concoquentibus; cui calori datur contrarium etiam maximum, & eſt uel frigus intenſiſſimum, uel calor immoderatus, ita ut ſapiat naturam ignis: & omnia hæc, quæ calorem naturalem corrumpunt aut ob intenſiſſimam caliditatem, aut per ſummam frigiditatem, uocantur phthartica, id eſt corrumpentia; ſed de phtarticis frigidis, id eſt, quę corrumpunt ſua frigiditate, non loquor ego nunc, ſat eſt ut ſciatis quòd ſunt frigidiſſima, & primo inſultu calorem corrumpunt & ſic ſunt in cauſa, ut corrumpatur pars: at loquor de illis, quæ corrumpunt ob ſuam igneam caliditatem, quę medicamenta Græcis uocant cauſtica, latini uero exurentia: ſunt autem hæc medicamenta duum generum, alia enim ſunt actu talia, id eſt quę habent in ſe conceptum ignem, & applicata corpori exurunt, & hæc uocantur cauſtica, uel cauteria actualia, quorum duplex eſt genus, nam alia ſunt actu ſicca, alia humida, id eſt liquida: ſiccorum ſeu aridorum materia, ex qua fiunt, uaria eſt, nam alia ſunt metallica, alia uegetabilia, id eſt ex plantis aſſumpta: metallica quidem quoniam aliquando fiunt ex auro, aliquando ex argento, tum propter nobilitatem & diuitias hominis: tùm propter nobilitatem ac præſtantiam partis, in qua excitandum eſt cauterium, ut uerbi gratia, ſi inurendus eſſet oculus, uel pars aliqua circa os, aut fauces, melius eſſet exurere cum inſtrumento ex auro, uel argento, ut ſolent facere Recentiores in fiſtulis exiſtentibus circa dentes, uel in oſſe maxillę. Sed materia præſtantior inter metalla eſt ferrum, & calybs. nam aurum & argentum ſimul cum exuſtione relinquunt adſtrictionem, quoniam participant aliqua adſtringenti facultate, quod non eſt in ferro, nec in calybe. præterea argentum, & aurum non ita cognoſcuntur quando ſunt ignita, ut cognoſcitur calybs & ferrum; ſed ſæpe eliquantur, antequam animaduertamus, quòd ſint ignita. & hanc etiam ob cauſam organa ad excitanda cauteria, & inurendas partes præſtantiora ſunt ex calybe, & ferro, quam ex auro, & argento. prętерea ferrum & calybs poſſunt flecti, & aptari in qualibet particula. accipiuntur etiam ex plantis ut diximus, & quidem ex uarijs plantis, nam aliquando aſſumuntur ex ſarmentis uitis, ut quando eſt inurenda cauitas in occipite puerorum, quemadmodum ſępe accidere ſolet, ſunt enim aliqua loca, in quibus ob tenuitatem aeris maior pars puerulorum incidit in comitialem morbum, & inter alia remedia, quæ ſolent maximè prodeſſe, eſt cauterium excitatum in cauitate occipitis, quod ſolemus facere cum ſarmentis uitis, non autem ferro, uel alio organo: accipimus ſarmentum uitis, & accendimus, & carbone illo ignito tangimus locum, & repetimus ſecundum, & tertium ſarmentum, & plures, ſi opus ſit. Recentiores utuntur eodem modo radice gentianæ, ariſtolochiæ longæ aſphodelorum, & ligno ex olea arbore: accendunt ex una parte acuminata, & partem deinde illam, ubi eſt ignitus carbo, admouent cuti. Paulus ad hunc uſum proponit iſchas, locus eſt in ſexto lib. cap. 49. & eſt eſca illa, quam ſupra dixi eſſe elychnium Tarſenſe Antiquorum: ſed inſtrumenta quæ ex ferro, vel calybe ad hunc vſum fiunt, mihi uidentur eſſe magis accommodata, dicant alij quicquid velint. Hæc eſt materia cauterij ſiccioris. Aliquando facimus cauteria actu talia, non ſicca tamen, ſed liquida; & iſta liquida vel ſunt talia natura, vel reddita talia ex arte: liquida arte reddita ſunt, ueluti ſi liquaremus plumbum. uel ſulphur & affunderemus ſupra partem inurendam, ut ſolent facere Recentiores, & præcipuè in bubonibus peſtilentibus, & in putrefactione oſſium: & ſi uelint, ut eliquata materia non noceat ſuo ardore ſanis partibus, capiunt argillam, uel paſtam ex farina triticea, & faciunt marginem, ac ueluti annulum, & ponunt ſupra partem exurendam, ut contineat eliquatum plumbum, uel ſulphur ſupra partem illam, & non ſinat labi ad alias. Sed ego ſoleo aliter facere: quando in manu oriuntur acrocordones, ſeu uerrucæ, porri vulgo dictæ, & ex uſu aliorum medicamentorum non poſſunt remoueri, ſoleo uti ſulphure hoc modo: capio teſtam nucum iuglandium, & aufero putamina, quæ intus ſunt, deinde perforo teſtam in medio, & foramen facio ita latum, quanta eſt craſſities uerrucę; deinde applico ualuam, hanc uerrucæ ita, ut conuexum tangat carnem, & uerruca ingrediatur foramen, deinde in cauitate teſtæ pono ſulphur tritum, cui admoueo ignem, & ita accenditur ſulphur,

De medicamentis cauſticis.

Omnem actionem in corpore fieri à calore naturali.

Cauſtica ſunt duorum generum actualia, & potentialia.

Actualia duplex.

Ex ferro meliora ſunt inſtrumenta, quã ex auro, aut argento.

Ex ſarmẽto uitis.

Modus urẽdi Verrucas optimus.

& exu-

Digitized by Google

& exuritur uerruca ſine dolore, & cum incipit ſentiri dolor, proijciat æger teſtam, & uerruca poſtea ſiccabitur, & per ſe concidet. hoc modo utor ego cauſticis his liquidis: ſolemus etiam uti oleo hoc modo: ponimus cinerem in lintea, & facimus ueluti faſcieulum, quod

Ex oleo. poſtea madefacimus in oleo feruenti, & faſciculo ipſo tangimus locum exurendum, idque facimus toties, quoties opus fuerit, non enim ſufficit aliquando ſemel, uel bis tetigiſſe, & præſertim in bubonibus, in quibus hic exurendi modus ualde probatur ab aliquibus. hoc eodem modo poſſetis uti aqua feruente, poſito tamen prius circulo ex argilla, uel ex paſta ſupra partem exurendam, ne liquor labatur, & fluat ad partes, quas nolumus exuri. Hæc ſunt cauteria, ſeu cauſtica actu talia tam arida, quam humida: & humida tùm ſua natura,

Cauſtica poteſtate. ut oleum & aqua: tùm arte reddita humida, vti eſt plumbum, & ſulphur. Succedunt modò cauſtica, quę poteſtate habent ignem, quæ excitata à calore naturali ita agunt, ut augeant calorem naturalem ad naturam igneam, & iſta dicuntur verè cauſtica, & debent eſſe calida in quarto gradu vel incipiente, vel medio, vel intenſo: ſecundo debent habere aliquam craſſitiem partium, ne à calore naturali uincantur, & non poſſint poſtea exurere, ſunt enim aliqua calida in quarto gradu, quæ tamen non exurunt, niſi magna eorum quantitas applicetur, quod non eſt tutum ob tenuitatem partium: huius generis eſt cinnamomum, & piper, quæ ob tenuitatem partium citò exhalant. & ideo cauſtica hæc debent habere aliquam craſſitiem, & tenacitatem ſubſtantiæ, ne exhalent, ſed perduret actio; & quanto erunt ſubſtantiæ craſſioris, tanto ualidius comburent. uerum horum medicamentorum non omnia idem agunt, nec omnia habent eandem craſſitiem partium, nec, ut dixi, habent eandem actionem, ſed alia exurunt excitando ueſicas, alia excitando cruſtam, eſcharamve; alia putrefaciendo: & ideo oportet ut ordine aliquo ipſa diſponamus: in primo igitur ordine erunt illa, quę ſunt calida in quarto gradu intenſo, & ſicca etiam in eodem,

Primus ordo cauſticorum poteſtate, & dicũtur eſcharotica. & craſſiſſimarum ſunt partium, atque corrumpendo faciunt cruſtam, qualem facit & ferrum ignitum, à qua cruſta, eſchara græcis dicta, de nominata ſunt medicamenta iſta à Galeno in quinto de facult. ſimpl. medic. cap. 55. & alibi, eſcharotica, quæ agendo exurunt, & eſcharam inducunt, atque faciunt dolorem intolerabilem, tum propter caliditatem, & ſiccitatem, tum etiam propter craſſitiem partium, cuius craſſitiei merito difficilè penetrant: difficultas autem penetrationis eſt in cauſa magni doloris; exemplo uobis ſint tonſores, qui ſi ſcarificent locum, ubi applicatæ ſunt cucurbitulæ, nouacula habente aciem retuſam excitatur maior dolor, quam quando acies eſt acuta. idem accidit de eſcharoticis medicamentis, quæ ideo ægrè penetrant, quia continent in ſe multum terræ, atque adſtringunt, & hinc fit, ut difficilè penetrent doloremque excitent intolerabilem, & ſi penetrant, id faciunt acta potius à uiolentia, & conſtantia caloris, quam ex natura propria, unde non eſt mirum, quod faciant dolorem magnum, & talem, ut dicebat Galenus, qualis fieri ſolet ſi clauus ferreus ignitus eſſet in parte aliqua infixus. iſta autem medicamenta eſcharotica ſunt duum generum, alia enim ſunt ſimplicia; alia compoſita: ſimplicium rurſus alia ſunt ſicca, alia humida: inter ſicca Antiqui habebant myſi, ſori, & chalcitim, quibus nos caremus, uel minimam quantitatem habemus: inter ſicca quoque eſt atramen-

Eſcharotica ſicca. tum ſutorium, quod uocatur etiam chalcantum, ſeu uitriolum, & hoc eſt uel Panonicum, vel Romanum, vel Germanum. nam ex his omnibus locis habetur & defertur: defertur etiam ex Vincentino agro: & horum chalcantorum aliud eſt purum, aliud impurum, aliud vſtum, aliud non uſtum: inter ſicca eſt etiam cadmia uel thutia combuſta pluries ſine extinctione. Sed ſummum locum tenet inter hæc calx uiua, id eſt non extincta, & argentum ſublimatum, quod habet uiolentiſſimam naturam, & facit cruſtas æquales illis, quas ex-

Humida. citat ferrum ignitum hæc ſunt cathęretica ſimplicia arida. humida autem ſunt aqua ſulphuris, uel oleum ſulphuris, quod duplex eſt, vnũ eſt quid oleagineum, aliud eſt aqua, quæ aqua communiter uocatur oleum ſulphuris, quæ duo exurunt, faciuntque cruſtam magno cum dolore: his addatis oleum vitrioli, quod eſt pretioſiſſimum, nam agit pręſtantiſſimè, & non facit tantum dolorem, quantũ alia; modum autem conficiendi hæc olea non docebo vos ex hoc loco, quia lõgũ eſſet, ſed dabo tabellam, in qua eſt deſcriptio, quam omnes ſucceſſiuè poteritis accipere, & deſcribere. ſunt & alia humida eſcharotica plurima, quæ non recenſebo. Eſcharotica compoſita ſunt etiam duorum generum, quędã ſicca, quędam humi-

Eſcharotica compoſita. da: inter ſicca primum eſt capitellum, quod vocatur etiã cauteriũ, & cauſticũ ab iſtis & fit ex aqua ſaponis, quæ aqua conficitur ex calce, & cineribus; affundunt enim aquam ſupra calcẽ, & cineres, & elicitur aqua ſtillatitia, quæ uocatur aqua ſaponis: aquam ergo hanc accipiunt

Capitellũ. iſti; & ponunt in vaſe uitreo coquuntque tam diu, donec acquirat mellis conſiſtentiam, & tunc aliqui addunt opium tritum, arſenicum, & auripigmentum. addunt quidem hęc duo vt medicamentum ſit validius: opium verò, ut retundat ſenſum. alij nihil addunt, ſed coquunt, donec acquiſiuerit formam linimenti, deinde auferunt, & ſinunt, vt refrigeretur & induretur, vt ſolet, nam fit veluti lapis, tunc ſtatim frangunt, & collocant in ampulla

pulla

Digitized by Google

pulla vitrea,quam optimè claudunt cera, aliter medicamentum fieret denuo molle. Hoc eſt capitellum ſimplicius.habemus alia in uſu optima,& duo ſunt, vnum quod vocatur capitellum ex chalcanto,alterum ex ſalibus:capitellum ex chalcanto fit hoc modo.

Rec. Cineris cali,quo vtuntur vitrearij } an. ℥. vj.
Calcis uiuæ,ideſt non extinctæ }
Chalcanti Vngarici ℥. iiij.
Aluminis fecis } an. ℥. j.
Salis ammoniaci }

Miſcentur, & ponuntur in vaſe teſtaceo,quod in fundo ſit perforatum pluribus foraminibus paruis:deinde ſuperaffunditur aqua ſaponis primum tanta in quantitate,ut ſupernatet per ſpatiū quatuor digitorū:tūc per foramina ſtillabit aqua limpida,& præſertim ſi in fundo ollæ collocetur parū paleæ,uel alterius materiei,quæ non ſinat partes medicamētorum craſſiores egredi:colligitur ergo aqua illa ſtillās,& cū tota fuerit egreſſa,abijciuntur illa arida,& adduntur eadē medicamenta, noua tamen, & iterū ſuperaffunditur collecta aqua, & iterum colligitur,& cum tota fuerit egreſſa abijciuntur arida medicamēta, & accipiuntur noua,& tertio ſuperaffunditur eadem aqua,& colligitur. Sed notate,quòd menſura aridorum eſt minuenda pro imminutione aquæ,ſi enim dimidia pars aquæ fuerit diminuta; dimidia quoque pars medicamentorum aridorum erit minuēda, & ſi tertia aquæ pars fuerit ex trāſitu per arida conſumpta,tertiā quoq; partem aridorum medicamētorum ſubtrahetis:poſtea accipitur collecta aqua poniturq; in vaſe vitreo optimè lutato, & coquitur: ſed dupliciter coquitur,nam alij coquunt donec acquiſiuerit ſubſtantiam ſimi:alij donec ſedimentum exuſtum fuerit: ſi volueritis medicamentum debilius,& quod faciat minorē dolorem,coquatis,quouſque exuratur:ſi uero uolueritis,quòd medicamētum ſit ualidius,faciatq; dolorem intenſiorem,coquatis ad mellis conſiſtentiā,deinde ſinatis,ut refrigeretur, & lapideſcat,& tunc frangatis in fruſtula,& collocetis in ampulla uitrea, inibique ſeruetur clauſa optimè ampulla cera, & ſuperaddito linteo, vel charta. hic eſt modus faciendi capitellum ex vitriolo. capitellum autem de ſalibus fit hoc pacto.

Rec. Vitrioli Vngarici,vel Romani }
Aluminis rochæ } *Capitellum ex uitrioli.*
Salis gemmæ }
Salis nitri } an. ℥. j.
Salis ammoniaci }
Aluminis fecis }
Aquæ ſaponis lib. iij.

Miſcentur per unam noctem,& diem,deinde colantur,& colligitur aqua limpida,quæ ponitur in uaſe vitreo lutato,& coquitur donec fiat album,& exuſtum ueluti calx,& iſtud ponitur in ampulla uitrea,quæ ſeruatur optimè clauſa. Hæc ſunt capitella,quæ à Recentioribus tenentur ſecreta. Habetis etiam inter compoſita, trochiſcos de minio, & ſunt inter robuſta: fiunt autem hoc modo.

Rec. Paſtæ ex triticea farina optimè fermentatæ ℥. iiij. *Trochiſci de minio.*
Sublimati validiſſimi ℥.j.
Minij officinarum ℥.s.

Tritis terendis cum pauca aqua roſacea fiunt paſtilli oblongi, & teretes, quales ſunt nuclei oliuares;qui ſiccantur in furno tepidiori,deinde ſeruantur in loco ſicco, poſtea tempore uſu accipietis portionem ipſorum,& applicabitis callo,uel alio loco. Sed præcipuè trociſci iſti ſunt ueluti flagellum cancrorum malignorum, ſupra quem ponetis paruam quātitatem,& inibi relinquetis per tres,uel quatuor horas, & uidebitis quòd cancer exuretur, ac ſi fuiſſet ſuperimpoſitus ignis. habetis iam eſcharotica ſicca tàm ſimplicia, quā compoſita. Humida autem ſunt aqua ardens,quæ vulgo dicitur acqua da partire, quæ conſtat alumine,ſale,& nitro:fit etiam ex alijs, & multis varijs modis. Sunt etiam aliqua eſcharotica humida,quæ ſunt mediocris ſubſtantiæ,uti eſt unguentum ex capitello. Bononienſes quidam habent in maximo pretio quoddam cauſticū, de quo referūt miracula:fit autem hoc modo,accipiūt capitellum ſupradictum,& ponunt in loco humido, & cum factum fuerit ueluti limus,ponunt in mortario,& addunt quantitatem conuenientem pulueris iſtius. *Humida eſcharotica.*

Rec. Vitrioli communis ℥. j.
Auripigmenti cocti ℥. s.
Opij ʒ.i.s.

Fiat puluis ex his omnibus,qui miſcetur cum capitello dicto, & fit unguentum cauſticum quo vtuntur extenſo ſupra linteum, uel applicato aciei ſpecilli, & ſpecillo deinde tangunt locum exurendum. Fit etiam cauſticum ex opio, & ex aqua da partire vulgo dicta;

teritur opium, & interim ſuperaffunditur aqua, vt opium acquirat formam vnguenti. Vnguentum etiam ægyptiacum Auicennæ cum alumine, & chalcanto eſt cauſticum mediocris ſubſtantiæ inter eſcharotica. Sed ego vtor libenter vnguento quodam, quod vocatur vnguentum Maſſæ, cuius hæc eſt deſcriptio.

Vnguentũ Maſſæ.

Rec. argenti ſublimati ʒ. ij.s.
Opij,
Lapidis hęmatidis } an. ℈. j.s.
Ceruſſæ

Miſcentur, & teruntur, & cum ſufficienti quantitate vnguenti populeonis fit vnguentum. poſſumus etiam vti medicamento dicto ſub alijs formis, ut ſub forma pulueris, vel liquida. Hæc de medicamentis cauſticis primæ claſſis, ſeu primi generis, quod continet ſub ſe illa, quæ calefaciunt, & ſiccant in quarto gradu, & pro ratione craſſitiei ſubſtantiæ, & pro ratione effectuum diſtinguuntur in quatuor ordines, ſeu in quatuor genera, & in primo genere diximus eſſe illa, quæ eſcharotica appellantur, quorum alia dixi eſſe ſimplicia, alia compoſita; & alia humida, alia ſicca, alia mediocri quadam ſubſtantia prædita, & de his omnibus dictum iam eſt. Succedit modò ſecundum genus, quod continet ſub ſe illa, quæ calefaciunt, & ſiccant in quarto gradu; ſed diſtinguuntur ab eſcharoticis, quia eſcharotica præter caliditatem, & ſiccitatem in quarto gradu habent vim quandā adſtringentem, & maximè craſſarum partium & corrumpendo inducunt cruſtam: at ea, quæ ſunt ſub hoc ſecundo genere, non habent vim adſtringentē, nec partes ita craſſas, & non faciunt corrūpendo eſcharam; ſed marcidam reddunt carnem. vnde, cum talis ſit eorum effectus, uocata ſunt à Græcis ſeptica, ideſt, putrefacientia.

Cauſticorũ ſecundum genus ſepticum dictum.

Horum autem ſepticorum medicamētorum alia ſunt ſimplicia, alia compoſita, & notate, quòd iſta medicamenta ſeptica non faciunt magnum dolorem: & ideo cum uolueritis carnem putrefacere cum paruo dolore, recurratis ad iſta, & licet Galenus, in quinto de facult. ſimpl. medic. cap. 15. dicat, quòd ſeptica non faciunt dolorem, tamen non intelligatis, quod nullum faciant, quia faciunt re uera, ſed dolor ille eſt ferè minimus reſpectu doloris excitati ab eſcharotici; & hoc modo intellexit Gal. præterea notate, quòd dolor factus ab eſcharoticis eſt perpetuus: factus uerò à ſepticis non eſt perpetuus; ſed habet aliquot interualla, ita ut nunc ſentiatur punctio, nūc punctio ceſſet, iterum reuiuiſcat, & iterum ceſſet, eſtq; dolor talis, ac ſi acus ignitæ, pertranſirent per partem: & ita poteritis dicere, quòd Gal. intellexit, quòd ſeptica non faciunt dolorem intenſiſſimum, uel quòd dolor ille non eſt continuus.

Septicorũ medicamētorum genera.

Ab animalibus.

Ex plātis.

Septicorum igitur alia ſunt ſimplicia, quæ accipiuntur, uel ab animalibus, uel ex metallis, uel ex plantis. alia ſunt compoſita: ſimplicia accepta ab animalibus, ego noſco vnum tātum, & eſt pityocampe, ideſt eruca pinea, & eſt eruca quodam animal naſcens in pineis nucibus; quod animal appoſitum alicui parti noſtri corporis illam putrefacit. inter ſimplicia, quæ accipiuntur ex plantis, eſt dryopteris, idem fillcula quercina, eius enim radix optimè putrefacit: idem facit & flammula iouis trita dum recēs eſt, & applicata & eſt in uſu ad putrefaciendos carbones, & bubones. addatis elematim alteram, & radicem atoniti. eorum ſimplicium, quę accipiuntur ex metallis, unum eſt arſenicum criſtallinum, quod primum locum tenet, eſtq; omnium præſtanſſimū & minorem dolorem facit; ſed eſt uenenū, nam præter caliditatem, & ſiccitatem maximam habet etiā qualitatem quandam malignam & uenenatam, atq; prorſus contrariam humano corpori: & ſciatis Domini, quod plurimi refert, an habeāt qualitatem uenenatā, nec ne, calx enim ſi accipiatur per os, non interficit, quia non habet qualitatem venenatam; & ſi quid mali fecerit, id ob caliditatē, & ſiccitatem ſummam: at ſi minima quantitas arſenici criſtallini aſſumatur per os, necabit ob uenenoſitatem, quam habet & ideo ſepticorum alia ſunt deleteria, ut arſenicum criſtallinum, alia non ſunt deleteria, ideſt non ſunt uenenata. in uſu autem deleteriorum cauti eſſe debetis, vt nūquam utamini ipſis quando pars putrefaciēda eſt uicina alicui mēbro principi, ut ſi pars putrefacienda eſſet in capite, nō utamini ſepticis venenatis: ſed ſi pars fuerit remota, poteritis tutò uti: inter metallica quoque ſeptica eſt auripigmentum, ideſt, arſenicum luteum antiquorum, & non eſt deleterium: eiudē generis eſt etiam ſandaracha, quæ ſimiliter non eſt venenata, immò antiqui exhibebant ipſam per os in maxima tuſſi ex deſtillationibus à capite ad pectus: addatis regagal Arabum, & eſt riſagal officinarum, & eſt ſepticum uenenatum ſuperans omnia alia: ſub eodem genere eſt chryſocolla ueterum, & non eſt uenenata, eſt tamen ſepticum medicamentum, ſed non admodum robuſtum. Hæc ſunt ſeptica ſimplicia arida: humida autem ſunt oleum arſenici, quod optimum ſanè eſt, & cum ipſo ſtatim, antequam diſcedatis ab ægro, poteſtis putrefacere partem, madefaciendo ipſo oleo aciem ligni, & comprimendo eo ipſo ligno partem putrefaciēdam: fit autem oleum arſenici hoc modo: accipimus arſenicū criſtallinum, & ſalē gēmæ, & in duplici vaſe vitreo coquimus, & vrimus ter, & quater addito ſale ammoniaco donec viderimus, quod ſal cōcreuerit in ſummo vaſis, & in fundo reſederit arſenicū,

Ex metallis.

Septica deleteria, & non deleteria ſicca.

Humida.

Oleum arſenici quomodo conficiatur.

poſtea

poſtea capimus iſtud ſedimentum & ponimus in loco humido, ubi eliquatur, & fit ueluti aqua, quæ eſt oleum arſenici uocatum. Sed ut habeatis rem magis diſtinctam faciatis hoc modo.

Rec. arſenici criſtallini, uel citrini }
ſalis nitri } an. lib.j.

Teruntur optimè & miſcentur, & mixtum ponitur, ut aiunt chimiſtæ in bocia contra bociam lutatam, & rimis optimè ſtipatis: ſed bocia ſuperior habeat foramen paruum in ſummo, tunc additur ignis lentus, donec humiditas omnis exhalarit, quod cognoſcitur ex iniecto gladio mūdo in bocia, nam gladio extracto, ſi humefactus appareat, indicium eſt, quod non eſt conſumpta tota humiditas: contra autem ſi extrahatur ſiccus; ſed non debet gladius ſubitò extrahi, at relinqui aliquantiſper in bocia. Cum exhalarit tota humiditas detegitur bocia, & reperietis miſturam candidiſſimam, cuius accipitur libra una, & altera libra ammoniaci ſalis, & optimè teruntur & miſcentur, & ſecundum artem ſublimantur donec in fundo uaſis relinquatur ſolum arſenicum ueluti oleum concretum, ac ſolidum, ſal uerò ammoniacum remaneat affixum operculo: poſtea accipitur arſenicum reſidens in ſundo bociæ, & ponitur in uaſe uitreo, & uas collocatur in loco humido, & uidebitis, quòd mutabitur in liquorem ſatis limpidum, quem uocetis, aut aquam, aut oleum nihil refert. hæc ſunt ſeptica ſimplicia; compoſita autem ſunt uaria: ſed ego vtor hoc, quod deſcribam, & præcipuè utor in cancris magnis, quando magna pars eſt putrefacienda, tunc enim non vtor trochiſcis de minio, uel alijs eſcharoticis, quia faciunt maximum dolorem, at utor ſeptico iſto

Rec. Arſenici criſtallini }
arſenici citrini. j. auri pigmenti } an. ℥.s.
riſagalli }
æruginis æris } an. ʒ. iij.
oppij ℈. ij.
Axungiæ porcinæ. q.s.

Miſce, & fiat ueluti unguentum. hoc medicamento prima uice ego vſus ſum hic Patauij in quodam ſcholaſtico, qui paſſus eſt bubonem gallicum, & tota illa glandula erat corrupta. Vnde impoſui hoc medicamentum, & ex unica impoſitione ablata eſt glandula paruo cum dolore. Verum in omnibus ſepticis notate unum magni momenti, & eſt quòd quemadmodum eſcharotica ſępe excitant febrem, non tamen ſemper; ita ſeptica omnia ſemper febrem accendunt, quia ob tenuitatem partium ipſorum facile communicant cordi uapores illos calidiſſimos. Tertij generis medicamenta calida ſunt, & ſicca in quarto gradu incipiente uel medio, & ſunt ita tenuium partium, ut poſſint exurere cutim, ſed vltra cutim non agunt quatenus cauſtica, quia non exurunt, ſed agunt ut attrahentia: & ideo excitant ueſicas, quoniam attrahunt humores, & uapores, qui cum non poſſint exhalare ob cutim ſiccatam ab ipſis, & coanguſtatam, retinentur, & ſic ueſicas excitant, qua ratione etiam aqua feruens ſolet ueſicas excitare, quia ſi cadat ſupra manum ſpiritus feruens communicatur manui, exuritque cutim, & ipſam denſat: & quia ſpiritus iſte cum eſt ſub cute, non eſt ita feruens; ideo non exurit; ſed attrahit uapores, & humores, qui cum ob denſatam cutim nequeant exhalare attollunt cutim, faciuntque ueſicas. quia igitur medicamenta iſta tertij generis excitant ueſicas, iccirco ueſicantia, uel ueſicatoria ſunt vocata: ipſorum autem alia ſunt ſimplicia, alia compoſita: ſimplicia ex animalibus accepta ſunt cantharides, nec aliud ex animalibus datur ueſicatorium, quod ego ſciam: in hoc poſtea ueſicatorio eſt obſeruandum, quòd non ſunt accipiendæ illæ cantharides, quæ ſunt unius coloris, quia non ſunt bonæ; ſed accipiatis illas, quæ ſunt præditæ uario colore, & lineis luteis, nam illæ optimę ſunt. Præparantur cantharides ab Albucaſi libro tertio tractatu ſeruitoris cum oleo ueteri, donec marceſcant. Sed aliter præparantur a Galeno, & a Dioſcoride, nam ipſi præparant cum fumo aceti acris, quod certè melius eſt, nam ab oleo corrumpitur uis cantharidum, ab aceto uerò moderatur tantum. Noſtri Medici utuntur tantum corpore cantharidum reſectis pedibus, capitibus, & alis tanquam uenenoſis, acti auctoritate Hippoc. lib. 4. de ratione uictus in acutis tex. 122. quem uſum improbat Galenus, & refert quoſdam aſſerere pedes, & alas eſſe ueluti antidota, ut in undecimo de ſimplicium medic. facult. & in 2. de antidotis dicit ex ſententia Aſclepiadis, idipſum confirmat Aetius, lib. 13. cap. 49. dicit etiam Gal. quòd ſunt aliqui, qui cenſent ſolis alis, & pedibus eſſe utendū; ipſe tamen & alis, & pedibus & toto corpore utebatur. Pro cōficiendo autē ueſicatorio cōponuntur cantharides hoc modo: aſſumitur paſta fermētata, & pro uncia paſtę, additur drachma una, aut minus cantharidū & miſcētur addito aceto ſcillitico, & croco. ex uſu cantharidū ferè ſemper ſuccedit ſuppreſſio vrinę; ſed nihil eſt timendū, nō magna tamē quātitas cantharidū eſt

Notandū in ſepticis.

Tertiū genus calidorum & ſiccorum in quarto gradu, & dicūtur ueſicātia.

Quomodo aqua feruens generet ueſicas.

Simplicia ex animalibus.

Præparatio cantharidum.

Confectio ueſicatorij.

Digitized by Google

Ex plãtis. in veſicatorio ponenda; ſi præſertim veſicatorium applicandum ſit iſchiaticis partibus. accipiuntur etiam veſicatoria ex plantis,vt eſt ſemen ſinapis,radix ranunculi illius,qui habet radicem rotundam,ſoliaque piloſa,& vocatur pes columbinus: radix anemones illius recentiorum,qui habet florem puniceum. Sed aduertatis, quòd radix anemones non tam citò excitat ueſicas, ut faciunt alia ſupradicta; ſed eget longiori tempore, & ideo ſi applicabitis puluerem radicis anemones,& reliqueritis in loco per quinque horas,uel ſex,deinde ſi detegatis locum, & videatis, quod non adeſt rubedo, dicatis quod medicamentum non egit: at ſi adſit rubor,indicatur medicamentum egiſſe,quamuis non adſit ueſica, ſed ſi dimiſeritis locum, ita vltra noctem,videbitis inibi oboriri magnam veſicam. His addatis corticem intimum ſambuci: accipiatis ramum,auferatis exteriorem corticem, & ille qui ſub ipſo eſt, habet vim veſicatoriam, vltimo in loco eſt allium caninum, & allium etiam commune. hæc ſunt ſimplicia veſicatoria. inter compoſita autem eſt in uſu illud, quod *Compoſita ueſicantia.* fit ex cantharidibus eo modo, quo dixi, & repetam etiam, ut ſciatis deinde ordinare, ut ita dicam.

Rec. Medullæ fermenti ℥. ij.
Chantaridum integrarum. j. cum alis,pedibus, & omnibus. ʒ. ij.
Croci ℈. ij.
Aceti ſcillitici. q. s.

Miſce tritis cantharidibus: poteritis etiam minorem quantitatem medicamenti præparare,pro ut videbitis opus eſſe: & ſi volueritis,ut medicamentum ſit ualidius, non admiſceatis acetum,qualecumque acetum illud fuerit; ſed loco aceti addatis mel anacardinum, uel quid ſimile,quia acetum retundit qualitatem illam cantharidum,ac malignitatem: & *Quartum genus medicamentũ detrahentium.* hinc eſt,quòd ſolemus uiuentes cantharides ſuffocare in aceto,uel uapore aceti. Quartum & ultimum genus continet ſub ſe meditamenta, quæ ſunt calida ſolum in quarto gradu incipiẽte; & ſi fuerint ſicciora,quam in principio quarti gradus,nihil refert,dummodo caliditas non excedat principium quarti; & iſta ut plurimum ſunt craſſarum partium, non tamen ita,ut non penetrent; ſed in partibus ſanis nihil, uel parum agunt, quia caliditas ipſorum non eſt tanta,ut poſſit ſuperare calorem partis,& eliquare, abſumereque, ſed ab ipſo ſuperabitur: & ideo agunt ſolum in partibus mollioribus,& cutim tantum exuunt, eliquant,uel potius detergunt, & deradunt, atque ob id medicamenta hæc uocata ſunt dera- *Simplicia.* dentia, uel detrahentia, quia detrahunt ſubſtantiam extimam partis, horum autem alia ſunt ſimplicia,alia compoſita: ſimplicium ex animalibus exemplum non habeo,niſi vnũ factitium, & eſt oleum factum ex conchis combuſtis: accipimus conchas piſcium comburimus,& poſtea accipimus cinerem illum,ex quo vi ignis extrahimus oleum, ex plantis habemus radicem aſphodelorum & radices hermodactilorum. ex metallis habemus plura,ut ſuperius diximus,ut alumen vſtum,alumen crudum,ſquammam æris, æruginẽ æris: omnia hæc deradunt,& non faciunt eſcharam,non putrefaciunt,nec ueſicam excitant. addatis es uſtum,florem æris antiquorum, & præcipitatum, quod primum locum occupat. Compoſita autem habemus aliquot in officinis,vt vnguentum apoſtolorum,emplaſtrum is idis,unguentum damaſcenum,& ægyptiacum ſimplex, uel mixtum,ut ſupra docuimus. His deradetis carnes molliores, & aliquando etiam duriores in ſequenti agemus de vlcere cum liuore.

De vlcere liuido, ſeu nigro. Cap. XIV.

VLCERA oboriri ſolent aliquando liuida, uel nigra, aliquando calloſa, & cum magna duritie coniuncta, quæ & ipſa curationem requirunt: liuor quidem,quatenus liuor, non indicat curationem,quia eſt de illis ſymptomatibus, & affectibus, qui non immutant naturam partis; & ideo nullus color immutatus eſt morbus; ſed quia color ſignificat aliquid ſubtus contentum præter naturam; hac ratione indicat curationem, & vacuationem illius humoris, qui præter naturam eſt, & continetur in parte. color itaque liuidus indicat humorem frigidum & malum in vlcere retentum, qui impedit generationem carnis, & cicatricis. Similiter durities, ſeu callus cum impedimento ſit generationi bonæ carnis,indicat curationem. Primo itaque dicamus de liuore, qui *Materia liuoris.* ſolet eſſe in vlcere,& fit ex humore frigidiſſimo, & malo inibi retento, qui humor uel eſt *Euacuatio per ſcarificationem.* ſanguis ater,& melancholicus,qui talis fluxit; uel fluxit ſincerus ſanguis, ſed in ulcere poſtea putrefactus eſt, & malus redditus propter malam curationem, & applicationem medicamentorum frigidorum. Humor igitur iſte eſt euacuandus illa ratione propoſita ab

Auicenna,

Auicenna, quam accepit ab Hipp. ſcilicet per ſcarificationem. debet enim ſcarificari tota illa pars vlceris, quæ liuida eſt, & ſcarificatio non debet eſſe admodum profunda; ſed talis, vt poſſit egredi ſanguis poſt ſcarificationem bis, vel ter repetitam: quòd ſi ſanguis non effluat, admouendæ ſunt hirudines, & hoc vt plurimum eſt faciendum, quia ſanguis ille cum craſſus ſit, rariſſimè per ſe effluit, & ideo valde probatur applicatio ſanguiſugarum. Sed Auicenna, vt citius res agatur, admouet cucurbitulam, quam & ego magis laudo, dummodo non faciat dolorem, vt ſolet: vacuato optimè loco, applicanda eſt ſpongia arida, ait Auicenna, quod ego non ſoleo facere, ſed loco ſpongiæ applico aliquod medicamentũ ſiccans quod poſſit, ſi quid ſanguinis remanſit, extrahere; & ſi non ſufficit vnica impoſitio, repeto bis, & ter: poſtea impono quæ carnem gignant, & cicatrice vlcus obducant.

De vlcere calloſo. *Cap. XV.*

Callus, & durities magna coniungitur ſæpe cum vlceribus, quæ vlcera uocata ſunt glichia ab Antiquis, id eſt dulcia, eo quòd ſint abſque dolore, vt uidere poteſtis apud Gal. in 4. de compoſit. medic. per genera cap. 12. in hoc vlcere curando indicatur primo ablatio illius calloſæ ſubſtantiæ; hoc autem eſt faciendum per ſectionem, vt dicit Gal. in 4. methodi cap. 2. vbi monet ut *Curatio.* primo ueniamus ad eradicationem calli cum inſtrumento aliquo ſecante, vti eſt nouacula, & ſemper eradicatio calli cum organo ſecante facta, vel ungue eſt utilior, quam quæ fit medicamento, quoniam minor fit dolor, & breuior, nec nimis ſiccatur lo- *Notãdum.* cus, vt fit à medicamento robuſto, à quo etiam ſemper malignitas tranſmittitur, & imprimitur vlceri, ſed antequam hoc uel illo utamini ad calli ablationem oportet conſulere duo, ait Gal. actionem ſcilicet & hominem patientem, actionem quidem, quia callus aliquando eſt ita magnus, uel in profundo ſitus, ut accidit in fiſtulis, ut nec inſtrumenta ſecantia, nec ungues ſint opportuna: ægrum uerò, quoniam non omnes tolerant ſectionem, uel eradicationem unguibus factam. ſi igitur callus ſit in parte, ubi poſſitis aptare organa ſecãtia, uel unguem, ægerque admittat ſectionem, utamini ſemper libentius inſtrumentis, quã medicamẽtis. ſin minus, recurratis ad medicamenta, quorum plurima fuerunt à me ſupra uobis propoſita, & enumerata. ablato callo, & puro reddito ulcere, generabitis carnem, & ſuperinducetis cicatricem: uenio modo ad ulcus uaricoſum.

De vlcere varicoſo. *Cap. XVI.*

Varicoſum ulcus frequens eſt, & præcipuè circa crura; in quibus ulceribus obſeruare debetis illud, quod dicit Gal. 4. meth. cap. 2. & eſt, quòd ulcera habentia uarices circumpoſitas non poſſunt ſanari, niſi prius ſanentur uarices: & ſi quando ſanantur, quod raró accidit, recidiuãt citò, ut poſt decem, uel quindecim dies, uel poſt menſem, nã uarices ſunt ueluti caſtellum, & ſaccus plenus humoribus, ex quo ſtillat continuò materia ad ulcus, ipſumque fouet; præſente autem cauſa, ulcus nequit ſanari, uel, ſi ſanatur, citò reuiuiſcit, ut dixi, *Varix quid ſit.* ita quòd ſunt potius induciæ, quam pax. igitur oportet prius ſanare uarices: quid autem ſit uarix habetis à Gal. 13. meth. cap. ult. & à Paulo lib. 6. cap. 82. & ab Aetio lib. 14. c. 84. dicunt enim viri iſti, quòd uarix eſt dilatatio uaſorum præter naturam, quam dilatationem uocãt chirſon ſua lingua; & per uaſa intelligunt tam uenas, quam arterias, cõtingit enim utrumque hoc uaſorum genus dilatari, ut habetis à Gal. loco dicto, & alijs in locis, ut in libello de tumorib. præter naturã cap. 16. itaq; uarix aliquando accipitur pro dilatatione præter naturam, & uenarum, & arteriarũ: aliquando capitur pro dilatatione præter naturã uenarũ tantũ: dilatatio autẽ arteriç nõ uocatur propriè uarix, ſed aneuriſma, impropriè uerò & uarix aliquando, ſed nos loquimur de uarice, pro ut ſignificat ſolam dilatationem uenarũ præter naturã, & propriè uarix dicitur, & accidit circa ulcera: non tamen uarices iſtæ oriũtur in omnibus locis, ſed in temporibus, infra umbilicum, in epiſio, ideſt in ſumine, teſte Paulo, & præcipuè in mulieribus, ob illos maximos nixus in pariendo: oriuntur etiam, ut dicit Gal. 13. meth. cap. ultimo, circa teſtes, & faciunt hernias illas uaricoſas: ſed ut plurimum oriũtur in cruribus, illorum præſertim, qui eleuant pondera; unde pauci ſunt geruli, qui nõ habeãt uarices uel circa femora, uel in cruribus. cauſa autẽ uaricũ eſt duplex, una eſt debilitas uenarum, ſunt enim aliqui, qui habent uenoſum genus ita debile, & tenuè, molleq;, ut ſtatim *Cauſa varicum.* cũ ſanguis impetu aliquo fluit, uenæ dilatẽtur: & quãuis ſanguis ille ſit benignus, tamen uenæ illæ cum non poſſint ſanguinẽ affluentẽ expellere aut regere, ut dicit Gal. in libello de tumoribus præter naturam cap. 16. & in libello de atrabile cap. 4. coguntur dilatari, altera cauſa eſt ratione expulſi ſanguinis à Natura ad uenas illas, ut dicit Gal. in eodẽ lib. de atra-

Digitized by Google

bile:& cum dico ſanguinem non intelligo ſolum bonum ſanguinem,& melancholicum, ſed quemlibet etiam humorem,nã quilibet humor uiſcidus,craſſus in corpore abundãs,& ſanguini mixtus poteſt facere uarices ſi propellatur aduenas, quia uel expellatur, uel quia moueatur à ſua grauitate.ꝙ autem non ſolum humor melancholicus,ſed quilibet etiã humor crudus abundãs in corpore poſſit facere uarices teſtis eſt Gale. in tertium de articulis comm.4.vbi inquit,ꝙ quando excremẽta cruda abundant in corpore, ſolent obſtruere venas,& illas dilatare,& ſi tranſmittantur ad crura,faciunt in illis varices. Aliquando varices fiunt ex copia alimenti,id eſt ſanguinis, qui declinans ad crura extendit dilatatque præter modum venas illas. Ex quacumque autem cauſa fiant varices, certum eſt, quòd non poteſt vlcus ſanari,non ſanatis prius uaricibus ipſis. Sed dubium eſt an varices ſint ſanandæ,

An varices ſint ſanandæ.

& intercipiendæ,& videtur, quòd non,quia liberant a gibboſitate, & à magnis aliquando morbis infra thoracem,ut teſtis eſt Hippoc.in 3.de articulis textu quarto, vbi inquit, quòd multi,quibus incipiebat gibboſitas propter tubercula cruda oborta circa vertebras, ſanati ſunt ex uaricibus, tranſmiſſa materia illa ad crura:nemo autem eſt qui non permutaret libenter gibboſitatem cum uaricibus. Et ideo cum utiles aliquando ſint uarices, uidetur quòd non ſint ſanandæ. Præterea ſolent curare furorem,& ab ipſo liberare,ſimiliter à melancholia,delirioque,vt dicit Hippoc. in 3.epidem.2. & in 6.aphor.21. & cum Hippoc. eſt etiam teſtimonium Galen.in locis illis. addatis, quòd varices expurgant totum corpus à feculento ſanguine. ergo non ſunt ſanandæ. quamuis igitur uarices eſſent coniunctæ cum ulcere,tamen uidetur,quòd non ſint ſananda;& præſertim, quia uaricibus ſuppreſſis ſolẽt ſuccedere multa incommoda, ut dicit Galenus, in lib. de ſectione uenæ contra Eraſiſtratum,cap.6.& in libello de atrabile, cap.4. vbi inquit, quòd ſuppreſſis uaricibus aliqui ſunt facti melancholici, alij inſani, alij furioſi, alij inciderunt in pleuritidem, & ut plurimum illi quibus uarices ſupprimuntur,fiunt nephritici,ideſt incidunt in dolorem renum, addatis,quòd ſolet ſuccedere ſputũ ſanguinis, uomitus ſanguinis, excretio ſanguinis per ſeceſſum,tuſſes maximæ, ſtupiditas, aqua intercus, & alia multa mala. & hac ratione uidetur, quòd uarices non ſint ſanandæ:& ſi ſanentur ſuccedit etiam aliud incommodum, ut dicit Galenus in quarto,de compoſit.medic.per genera, cap.2. & in libello de atrabile, cap.4. & eſt,quòd ſuppreſſa uarice,ſanabitur ulcus coniunctum: ſed poſtea non poteſt ſanari vlcus factum pro ſananda uarice,quod ut plurimum contingit,& ita pro ulcere uno habebimus aliud,& fortaſſe in parte maioris momenti. Ergo non ſunt ſanandæ uarices. Fruſtra igitur Galenus, in 4.meth.præcipit uarices eſſe ſanandas:quare malè facit ipſe,& malè etiam Paulus,& omnes,qui curationem uaricum nobis proponunt, & docent. Ad hanc dubitationem non leuem ego dico, quòd aliquæ varices tutò ſanari poſſunt, & cogimur eas ſanare: aliquæ non poſſunt tutò ſanari, nec cogimur illas ſanare: aliquæ non poſſunt tutò ſanari, cogimur tamen ipſas ſanare. Si itaque tuta ſit ſanatio, & non cogamini ab vlcere, debetis uarices ſanare: ſi autem non ſit tuta ſanatio,nec cogamini,non ſunt ſanandæ. At ſi non tuta ſanatio ſit, attamen cogamini à uarice, & ab ulcere, tentanda eſt ſanatio. tuta eſt ſanatio in corpore non cachochymo,uaricibus nõ exiſtentibus intortis,& quando principium ipſarum non eſt in inguine, & æger eſt obediens, & futurus etiam obediens in ſeruandis ijs omnibus quæ medicus præcipit, tunc tuta eſt ſanatio; & quando non timendum eſt quod à plenitudine fiat noua dilatatio, in tali caſu ſuſcipienda eſt curatio. aliquando licet non ſit tuta ſanatio, tamen cogimur ipſam tentare, cogimur inquam aliquando ab vlcere, vt quando eſt maximè doloroſum, vel occupat totum, verbi gratia, crus, vel corrumpit os, vel eſt malignum, vel aliud ſimile adeſt: aliquando cogimur à varice ipſa, nam varices ſunt interdum ita magnæ, & turgidæ, vt diſrumpantur, niſi intercipiantur, & facta magna ſanguinis effuſione, hominem interficiunt: & ego iam duos vidi mortuos ex diſruptis varicibus, primus fuit monacus quidam ex capucinis, qui mortuus eſt Piſis ob cauſam dictam: alter fuit ſerua quædam hic Patauij; quæ manebat in domo nobilium quorundam ſcholaſticorum Bergomenſium; ſerua illa habebat varices in altero cruere, & cum ablueret pannos, factum eſt vt ex compreſſione, & motu illo, varices fuerint diſruptæ, & ſanguis ita copioſus, & impetuosè effluebat, quod pertingebat ferè vſque ad ſolare, & in quarta parte horæ mortua eſt: fui ergo accerſitus, & cum acceſſi erat quaſi mortua, quoties ergo uideritis ita turgentes uarices, tentate ſanationem, alioqui ſanguis ille erodet cutim, & uarices diſrumpentur. eſto igitur quòd neceſſe ſit uarices ſanare, & ſanatio ſit tuta, quo modo procedendum eſt in tali curatione? Dico primum, quòd varices, quæ ſunt ſanandæ, non ſunt præproperè, & immaturè ſanandæ, ut faciebant aliqui medici,quos accuſat Galenus in libro de ſectione venæ aduerſus Eraſiſtratum cap. ſexto, nam ſuccedunt multa mala, & ideo cum diligentia, atque de induſtria eſt ſuſcipienda talis actio. Secundo dico ex Galeno in quarto libro de compoſit. medic. per genera capit.ſecundo, & in libello de atrabile,

Vtilitas ex varicibus.

Incommoda ex ſuppreſſis varicibus.

Reſponſio.

Curatio.

Ante curationem varicis, quid agendum.

capi-

Digitized by Google

capitul. quarto, quòd ſemper, antequam deueniatis ad curationem uaricum, debetis ſecare uenam ſeruata rectitudine lateris, ut ſi uarix curanda ſit in crure dextro, ſecanda eſt uena in brachio dextro, & multum etiam ſanguinis eſt extrahendum, nam ijs, qui patiuntur uarices, ſemper fermè ſolet abundare ſanguis: ſecta uena, euacuandus eſt humor peccans; qui nam autem humor peccet, indicabit uobis color uaricis, ſi enim varix ſit nigra, indicatur abundantia melancholiæ; ſi liuida, indicatur humor crudus, craſſuſque: ſi ſit rubicunda, indicatur, quòd peccat purus ſanguis: & ideo iſte euacuandus eſt per repetitam venæ ſectionem; illi verò per exhibitum pharmacum: hoc facto non eſt ſtatim veniendum ad ſectionem varicis; ſed prius temperandum eſt hepar, & lien caſtigandus, ſi inde naſcatur malum, poſtea tentanda eſt conſtrictio ipſius uaricis, dicunt Recentiores, & rectè, cum medicamentis; & ideo mouent vt imponamus cretam aceto diſſolutam, & optimum eſt medicamentum; & ſi acetum fuerit calybeatum, erit adhuc præſtantius, & ſi non habetis acetum, capiatis aquam fabrorum, in qua extinguere ſolent ſua ferramenta: & ſi aceto, & argillæ addideritis bolum armenum, erit adhuc præſtantius. igitur in incipiente varice tentabitis conſtrictionem cum his medicamentis, quæ ſi non ſufficiant, non ueniatis ad validiora, niſi ad illa, quæ poſſint comprimere, refrigerare, coanguſtareque, quale eſt hoc medicamentum Raſis.

Rec. myrrhæ
aloes
ſucci acaciæ
ſucci hypocyſtidis } ana ℥. j.
aluminis rochæ ʒ. s.
aceti q.s.

Diſſoluantur, & excipiantur ſimul mixtis ſupra lanam, vel ſtupam, & lana imponatur varici, ligeturque ita, vt comprimat. aliquando uſus ſum medicamento tradito ab Aetio lib. 14. cap. 84. & interdum res feliciter ſucceſſit, interdum non: deſcriptio medicamenti eſt hæc.

Rec. bituminis iudaici lib. j.s.
olei vetuſtiſſimi ℥. viij.
terebynthinæ cypriæ ℥. vij.
ſulphuris viui ℥. iiij.

Teritur bitumen optimè, & miſcetur cum oleo lento igne, & deinde additur terebynthina, & miſcentur, & coquitur medicamentum, donec non amplius inquinet, poſtea ab igne aufertur, & ſulphur tritum inſpergitur, & miſcetur, ac ſtatim in mortarium aqua frigida plenum inijcitur, & optimè ſubigitur: accipitur poſtea, & extenditur ſupra linteum, & applicatur, & aliquando immutatur bis, & ter, ſi opus fuerit. Si hæc medicamenta non proſint, non vtamini validioribus, ſed veniatis ad ſectionem: ſunt tamen aliqui, qui inurunt varices; aliqui euellunt ipſas, & aliqui intercipiunt ipſas vinculo. quare triplex eſt modus curationis per ſectionem videlicet inurendo, euellendo, & intercipiendo: ſed ex his vltimus, qui fit per vinculum eſt tutior alijs, primus enim habet hoc incommodum, quòd facit cruſtam, qua cadente remanet apertum uas, effluitque tantum ſanguinis, vt æger intereat: alter modus eſt nimis doloroſus, & potius Turcis conueniens, quam Chriſtianis, & pijs hominibus. quare remanet ſolus tertius modus, qui fit per vinculum: quomodo autem hoc fiat, habetis à Paulo lib. 6. cap. 82. videatis igitur uos ipſum. Sed circa hunc modum notate, ne erretis in electione loci ſecandi: eſt verbi gratia varix circa tibiam; vos debetis obſeruare vbi ſit principium varicis, nam ſi ſecaretur infra principium, non ſanaretur uarix: uoco autem principium partem ſuperiorem, quæ primo turget, quòd principium ſi ſit circa inguen, non tentetis ſectionem, quia inibi latitant magna uaſa, quorum ſi aliquod ſecaretur, maxima fieret ſanguinis fluxio, quæ iugularet hominem. ſecundo omittenda eſt ſectio in axillis: tertio in iugulo. præterea ſi principium ſit ualde dilatatum, ſi intortum, & ſi non unicum, ſed multiplex, nunquam ſecetis, quia ſi uarix oriatur ex multis ramis, putabitis, quòd uno ſecto ſanetur, & tamen erit falſum. his caſibus exceptis, poteritis uenire ad ſectionem: intercepta uarice, purgandum eſt ulcus, explendum carne, & tegendum cicatrice.

Triplex curandi ratio.

De vlcere verminoſo. Cap. XVII.

VErmes in ulceribus oboriuntur aliquando, & ſunt auferendi, primo quia faciunt magnum dolorem 2. quia putredine illa corrumpitur totus habitus partis: & ob id talia vlcera egent curatione: ſed cum vermes urgeant, & ſint veluti cauſa ſine qua non: oportet prius eorum ablationem tentare, ſolent autem vermes in ulceribus oriri
Cauſa uermium. ob nimiam humiditatem, cui adiunctus ſit pūtredinalis quidam calor; quoties enim in ulcere eſt ſumma humiditas, vel eſt in aliqua cauitate lateſcente collecta, ſolet talis humiditas contrahere putredinalem calorem, & vermes gignere, qui aliquando ſunt parui admodum, aliquando mediocres, aliquando magni ſatis: & hi magni ſolent præcipuè oboriri in auribus, quando in meatibus illis auditorijs ſunt vlcera, quod ſolet potiſſimum accidere puerulis, quando matres ob negligentiam non extrahunt ſordes illas, tunc fit vt oriantur vermes, qui reſpectu partis affectæ maximi ſunt. vermes igitur oriuntur aliquando, quia nimia humiditas collecta in aliqua cauitate non poteſt expurgari; vnde contracto putredinali calore producit vermes: aliquando non fiunt, quia humiditas ſit collecta in cauitate aliqua; ſed quia tota pars abundat humiditate, eo quod intemperies partis ſit tota humida. vnde dicimus quòd cauſa immediata uermium eſt humiditas nimia, putredinalis calor, & copia excrementorum: excrementum autem prouenit, aut quia neglectum ſit ulcus, aut quia talis ſit intemperies totius corporis, aut quia non poſſit bene expurgari, ut accidit in aure, aut ſinu eiuſmodi. Indicatio in curando verminoſo ulcere eſt, ut primo auferamus vermes; deinde putredinalem illum calorem, & humiditatem nimiam vlceris. ſi itaque uermes parui admodum ſint, ſolent extrahi goſſipio, vel volſella: uerum raro accidit, ut cũ
Indicatio. facilitate educantur, quia ſunt aliqui uermes admodum rebelles extractioni, & cum primum tanguntur, hærent ſuis aduncis pedibus neruoſis partibus, & maximum aliquando
Curatio. excitant dolorem, & videntur protſus agere ſicut agunt ſtrenui milites, qui cum muniunt arcem aliquam, nolunt illam hoſtibus relinquere, ſeu potius volunt mortui educi; ita vermes in vlceribus faciunt, & excitant, ut dixi, cruciatum intolerabilem. vnde moneo uos ut quando habebitis ueſtros puerulos patientes in auribus ulcera uerminoſa, numquã proritetis, quia vermes illi ſolent eſſe ualde producti, & longi, & habere ſuos pedes ualde aduncos: & ideo proritati hærent maximè neruoſis illis membranis, & maximus excitatur dolor. ſi itaque uermes debeant extrahi, oportet ut prius necentur, & poſtea per ſe concident, extrahenturque facillimè. ſi ergo eſſent in parte aliqua profunda & abdita, opus eſt infundere aliquod, quod amarum ſit, & habeat facultatem ſiccandi, ut ſimul, & ſemel remoueatur ulceris humiditas, & putredinalis calor, & necentur uermes: & ideo medicamentum iſtud inter alia erit opportunum.

Rec. foliorum abſynthij
centaurij minoris
marubij — ana m. j.
calamenti montani
radicum centaurij meioris ℥.s.
aquæ q. s.

Miſce & fiat decoctio. s. a. & coletur, deinde accipiatur dimidia pars huius decocti, & dimidia mellis, & ſimul mixtis infundatur medicamentum in aurem, uel in alium profundum locum, ubi vermes ſunt. quòd ſi tali decocto non interficiantur, opòrtet addere decoctioni aliquod, quod habeat maiorem uim deleteriam, in qua re nihil eſt præſtantius helleboro tum nigro, tum albo: faciatis igitur hoc modo.

Rec. radicum hellebori albi
capparorum — ana ℥. j.
gentianę
dictami albi
aquæ. q. s. Miſce & fiat decoctio s. a
Item Rec. prædictæ decoctionis lib. s.
vrinæ pueri optimè coctæ — ana ℥. ij.
ſucci abſynthij.
unguenti ægyptiaci ℥. j.

Miſce, & fiat medicamentum quod inſtilletur; necat uermes, ſiccat, & aufert corruptelam ulceris. habetis & medicamentum ex Archigene ad hos uſus, quamuis Theodo-

ro

Digitized by Google

ro adſcribat Aetius libro 14. cap. 48. medicamentum interſicit uermes, & non eſt doloroſum, fitque hoc modo.

Rec. ceruſſæ
polij montani } ana ℥. s.
picis naualis. q. s.

Miſce optimè in mortario pro linimẽto, & inſtilletur; & ſciatis quod tota ferme uis huius medicamenti dependet ex pice humida. nam ipſa eſt quæ facit id, quòd requiritur. Cæterùm uermes aliquãdo non oriuntur quia pars ulcerata ſit nimia humiditate referta, nec quia humiditas ſit retenta in cauitate aliqua; ſed quia totus habitus corporis conſpirat ad generationem uermium, nam accidit interdum, ut corpus totum ſcateat humiditate nimia. unde fit, ut oriantur puſtulæ in cute, quibus diſruptis, & exulceratis apparent in ipſis uermes; & in hoc caſu non ſolum oportet exiccare partem exulceratam, ſed totum etiam corpus ita, ut immutetur habitus, quod fiet ſecta vena, exhibito pharmaco, inſtituta tenui victus ratione attenuantque, & exhibendo aliquod decoctum, quod habeat magnam vim ſiccandi; uti eſt decoctum guaiaci. Interfectis vermibus nõ proſequamini cum medicamentis dictis; ſed vtamini aliquo, quod valde ſiccet vlcus ipſum, vt eſt vnguentum apoſtolorum, ſimiliter emplaſtrum iſidis, vel inſpergatis ſquammam æris præparatam, vel præcipitatum præparatum & mixtum cum unguento roſaceo, & cum his procedetis donec vlcus optimè ſit deterſum, & tunc appllicabitis ſarcotica, & ultimo epulotica.

De vlcere cum oſſe corrupto. *Cap. XVIII.*

VLcera cum eroſione, & corruptela oſſis difficillima ſunt, & ſæpe accidunt, præcipuè in laborantibus morbo gallico, uidebitis enim, quòd omnia ferme ulcera gallica in capite oborta habent os ſubiectum corruptum: ſimiliter gallica illa vlcera quę oriuntur in anteriori parte crurium, vel circa pedes: omnia hæc habent ut plurimum ſubiectum os corruptum; & omnia ulcera, quæ habent coniunctam oſſis corruptelam, ſunt curatu difficillima, tùm quia ſunt valde doloroſa ita, vt tractari non poſſint, tùm quia longo tempore egent, ſi curari debeant. os autem corruptum aliquando ſolet eſſe manifeſtum ſenſui, & aliquando non, & tunc opportet habere ſigna cognoſcendi, & diſtinguendi os corruptum ab integro, ſiue os conſpiciatur, ſiue ſit in parte profundiori, & inſpici non poſſit. Si itaque os *Signa oſſis*
cadat ſub ſenſum, conſiderate ſtatim quem colorem habeat ſua ſuperficies, quòd ſi color *corrupti,*
erit liuidus, vel niger, dicatis, quod eſt corruptum, dummodo talis color non proueniat *ſi ſub ſen-*
ex medicamento. ſecundo ſi uideritis ſuperficiem illam quodammodo pinguem, iudica- *ſum cadat.*
te quòd os eſt corruptum, non enim eſt de oſſis natura, vt habeat pinguedinem in ſuperficie, 3. ſi ſuperficies ſit inæqualis, aſpera ſpongioſa, & foraminibus referta, indicatur certò os eſſe cum corruptela. Aliquando os non patet ad ſenſum, & tunc cognoſcitur an ſit *Si non pa-*
corruptum tùm ſpecillo, tùm ex ipſis exeuntibus, ſpecillo quidem, quia ipſo adacto, *teat ad ſen-*
quod que non ſit valde acuminatum, nec ualde retuſum, percipitur an adſit inequalitas, *ſum.*
& an foramina. Sed hic oportet præcognouiſſe habitum oſſium omnium ita, vt cognoſcamus in qua parte oſſa ſint mollia, vel æqualia, vel inæqualia, & aſpera, & in qua non, niſi enim hæc præcognoueritis, non poteritis ſcire, quando ſpecillo perſentietis aſperitatem, an aſperitas illa ſit naturalis, an præter naturam. Si ergo ſciueritis, quòd os ſub ulcere exiſtens, eſt ſuapte natura æquale, & iniecto ſpecillo, ait Celſus, percipiatis inæqualitatem, & aſperitatem, vel foramina, dicatis, quod os eſt corruptum. quòd ſi ſpecillum non indicet, an os ſit corruptum, nec ne, confugiatis ad exeuntia, id eſt ad ſaniem egredientem ex ulcere, quam, ſi ſit fętida, ichoroſa, tenuis, & oleaginea, dicatis quòd os eſt corruptum. Si autem nihil ex ulcere egrederetur, capiatis linamentum, uel linteolum, & impellatis in ulcus uſque ad os, vt hæreat ipſi, & relinquatis inibi per totam diem, vel noctem & deinde expleatis vlcus linamentis, ac medicamentis conſuetis: altera viſitatione, detegatis, & accepto linteolo illo, quòd hærebat oſſi, olfaciatis ipſum, & ſi habuerit malum odorem, ac ſi eſſet odor cadaueris, dicatis quòd os eſt corruptum. addit Celſus obſeruanda eſſe tempora ulceris, & ſi ſciueritis, quòd eſt antiquatum, & quòd os manſit diu detectum, ut ſolet in fiſtulis, dicatis certo os eſſe corruptum, nam ex longa detectione os neceſſario corrumpitur. hæc ſunt ſigna. Cauſæ autem ſunt eædem quæ, & corruptionis li- *Cauſa oſſis*
gnorum; corruptio autem lignorum fit, ut inquit Theophraſtus in quinto libro de hi- *Corrupti.*
ſtoria plantarum cap. 5. quia ob nimiam humiditatem oriuntur in ipſis animalia quædam,

quæ

Digitized by Google

quæ ligna deinde ipſa exedunt, & corrumpunt. animalia autem hæc, quæ oriuntur in li-
gnis, ſunt trium generum, ait Theopraſtus, nam alia ſunt ſatis magna, quæ ab ipſo uo-
Vermium generaque rodunt ligna. cantur σκώληκες: alia ſunt parui vermes, quos vocat ipſe θρῖπες, qui perforant ligna,
& fora mina ſunt ita parua, vt cum primum ligna madeſiunt foramina claudantur, &
ſenſum fugiant. tertium genus animalium, vel vermium eſt id, quòd ab eodem aucto-
re vocatur teridon, id eſt teredo, quem vermem nouit etiam Vitruuius lib. 2. cap. 9. & lib.
5. cap. 12. & eſt vermis, qui in lignis ſolum in mari oritur, eſtque paruus vermis, ſed ha-
bet caput craſſius toto corpore, & relinquit foramina ſatis lata. addatis uos alium vermem
huic iã dicto ſimilem natura, & eſt animalculum paruum lineæ ſimile, quod erodit ſub-
Vermes in dentibus. ſtantiam dentium, atque abſumit, quam ſpeciem ignorauit Galenus, ſed non Guido, &
alij Recentiores; & maior pars dentium corrumpitur teredine hac. vnde quoties videri-
tis in molaribus, vel in alijs dentibus cauitates illas, dicatis quòd illi dentes ſunt eroſi, &
corrupti à teredine, & quòd ineſt talis vermis, qui ſolet facere dolorem intolerabilem.
præcipuè ſi teredo hæc ſit in ea radicis parte, quæ eſt propè neruum; & hanc oſſium cor-
ruptionem cognouit Guido & alij Recentiores, & non eſt de re hac dubitandum, quo-
niam quotidie uidemus extrahi tales uermes ex dentibus; & ego aliquando vidi plures ex
tractos ex uno eodemque dente, quod mirum eſt. nec vermes iſti ſunt ullo modo prori-
tandi, quia faciunt dolorem uehementiſſimum. & vt ſciatis defendere veſtros dentes, at-
Modus extrahẽdi uermes è dentibus. que aliorum, docebo modum extrahendi tales vermes: Guido accipit ſemen hyoſcyami,
& miſcet cum cera, deinde comburit ceram ſupra ferrum ignitum, & mandat, ut per
fiſtulam recipiatur in dentem fumus ille, quo fumo cogitur vermis ſeparari à parte, cui-
hęrebat, & concidit extra dentem, & cernere ipſum poteritis, ſi ſubijciatur folium char-
taceum, vel catinus aquæ limpidæ. ego ſum expertus ſemina porri eſſe ad hunc uſum uali-
diora, quam ſemen hyoſcyami; ideo utamini ipſis cum cera mixtis, & combuſtis eadem
ratione, vel in infundibulo, in quo ſint carbones igniti. hæc igitur eſt una corruptio, quam
patiuntur oſſa, & eſt teredo, quæ oritur ex nimia humiditate, quæ contraxit putredina-
Teredo. lem calorem, & de hac non loquimur nunc. Altera eſt teredo, quæ non eſt generatio uer-
mium, ſed eſt eliquatio ſubſtantiæ oſſis, quę eliquatio fit ab humore aliquo maximè acri,
& erodente, vel ex impoſitione & vſu medicamenti alicuius admodum acris, vel ex fer-
ro ignito, & talis teredo à Galeno ſi non appareant foramina, uocatur τραχύτης, ideſt,
aſperitas ſiue exaſperatio, quando videlicet ſolum incipit corruptio, atque eſt tantum
in ſuperficie oſſis. Si autem appareant foramina, uocatur propriè τερηδὼν, à Galeno in 2.
Vera oſſis corruptio. de cauſis morborum cap. 7. & 11. & hæc vera eſt oſſis corruptio, & de hac nos loqui-
mur, quæ remouenda eſt, ſi ulcus ſit curandum. curari autem poteſt duobus modis, ali-
Curatio. quando à Natura, quia ipſa interdum expellit os, quod corruptum eſt: interdum medi-
cus ipſe aufert: ſed curatio à medico facta eſt melior, & magis cita, quia Natura non ſe-
parat os niſi 40. diebus, aliquando 50. aliquando 80. ut dicit Hipp. in 4. de artic. tex. 36. lon-
gum autem eſſet tandiu expectare, & præcipuè, ſi æger eſſet aduena: & ultra hoc quòd lon-
ga mora eſt moleſta ægro, & interdum periculoſa, eſt etiam contra dignitatem artis &
medici, nam ſi ęger liberaliter medico ſoluat pecuniam, & poſtea uideat curationem pro-
trahi, dicit ipſe, & alij, id fieri dedita opera à medico, ut maiorem ſcutatorum nume-
rum extrahat. Itaque ſi non ob aliud, ſaltem propter honorem non eſt actio hęc Naturæ
relinquenda. verum non ſemper medicus debet ipſe talem actionem moliri, ſi enim æger
non urgeat, & os ſit ualde profundum, & corruptio perueniat uſque ad medullam num-
quam in talibus caſibus debet medicus tentare oſſis extractionem, & præcipuè quando
corruptio peruenit uſque ad medullam, quamuis hoc ſpernant Recentiores; nam uidi
ego extractum os, in quo corruptio perueniebat uſque ad medullam, & inſecutam eſſe
membri totius corruptelam. quando ergo ęger urget, ut extrahatis, & os non eſt ualde
profundum, & corruptio non peruenit uſque ad medullam, & quando etiam corruptio
non eſt ualde magna, non relinquatis ſeparationem Naturę; ſed uos ipſi ſeparetis, & ex-
trahatis, quod corruptum eſt: id ipſum eſt à medico faciendum, quando portio oſſis cor-
rupti eſt non ſolum parua, ſed etiam ſuperficialis: ſimiliter quando timemus Naturam
tardè eſſe expulſuram, & tamen nos citam curationem quærimus, ut in thorace, ac ſimili-
Quomodo fiat ſeparatio oſſis. bus locis. addatis quando organis uti poterimus: in his caſibus debemus nos tentare ſe-
parationem oſſis, & non expectare vt Natura id faciat. ſeparatio autem à medico poteſt
fieri duobus modis, ſcilicet vel ſcalpris exciſorijs, vel ſcalpris abraſorijs: per exciſorios
quidem ſcalpros aufert medicus corruptum os, quando multa quantitas oſſis eſt corrupta,
& corruptio peruenit uſque ad profundum, non tamen vſque ad medullam, tunc ſolemus
uertebra os illud corruptum perforare duobus aut tribus in locis, deinde adigimus ſcal-
prum exciſorium, quem percutimus malleo, & ſecamus os inter foramina, atque ſic ſe-
paramus, & auferimus os corruptum: ſed antequam ueniamus ad hanc actionem, detegi-

mus

mus os ſeparando carnem, & perioſtium ab oſſe & carnem circumpoſitam munimus impoſito linteolo tenui, ne inter agendum caro tangatur, & lędatur ab aere, & ab organis. ratio hæc auferendi corruptum os eſt ſatis horrida, nam ſtrepitus, qui in tali actione fit, incutit pauorem. & ideo videtur eſſe accommodata potius ad ſeparanda, & excidenda ligna, quam oſſa in humano corpore. unde magis probo eam auferendi rationem, quæ fit per ſcalpros abraſorios, nam citius agit, ſine dolore, & ſine ſtrepitu illo horribili. Sed in hac ratione auferendi oſſis corrupti, opus eſt magna diligentia, & arte, quia oportet eo uſque tantum abradere os, quouſque opus eſt. ſigna autem cognoſcendi terminum abraſionis, id eſt quouſque facienda ſit abraſio, accipiuntur primo à colore immutato ad bonum, verbi gratia ſi os, quod abraditis, ſit nigrum, vel liuidum, & poſt aliquam abraſionem videritis, quòd fiat album cum aliqno rubore, tunc non debetis ulterius abradere. ſecundum ſignum eſt emanatio cruoris, nam cum uideritis, quòd ex oſſe abraſo incipit reſudare ſanguis, deſiſtatis ab abraſione. terminus igitur quouſque ſit abradendum os eſt donec appareat color albus mixtus cum aliquo rubore, & emanatio ſanguinis. his apparentibus ceſſetis ab abraſione, & imponetis ſiccum medicamentum, ne iterum carioſum fiat os, vt eſt puluis ariſtolochiæ & myrrhæ, & in hoc, vel ſimilibus perſiſtetis, donec caro ſupercreſcat, ac denuo repleatur ulcus.

Signa termini abraſionis.

Sed habemus aliquando oſſa, quorum ablatio non eſt tuta nec per ſcalpros exciſorios facta, nec per abraſorios, & primus caſus eſt quando corruptio peruenit uſque ad medullam, vt dixi ſupra, quia detecta medulla putreſceret, & corrumperet reliquum oſſis ſani, & totum denique membrum. ſecundus caſus eſt in ulceribus gallicis cum corruptela oſſis, ſi enim vlcus gallicum ſit in capite, & os ſit corruptum, ita ut corruptio non ſit ſolum in prima lamina, ſed etiam in ſecunda, & totum os à ſummo ad imum corruptum ſit, non tentetis quæſo illius oſſis ablationē nec per ſcalpros exciſorios, nec per abraſorios, quia detectis membranis maxima ſequerentur incommoda. & ideo in tali caſu opus eſt patientia, expectando quod Natura ſeparet, nam ipſa ſeparante non ſuccedet detectio membranarum, quoniam interim dum ſeparat, gignit carnem, qua tegit membranas, & quando ſeparabit, iam membranæ erunt carne obductæ. Tertius caſus, in quo medicus debet relinquere ſeparationem Naturæ, eſt quando os corruptum eſt in parte ubi non poſſit medicus aptare organa, ut etiam ſupra dixi. Esto igitur quod medicus non poſſit ſeparare; ſed actio ſit relinquenda Naturæ, quid tunc agendum? Dico quòd medicus debet iuuare Naturam ad ſeparationem, quòd faciet imponendo oſſi corrupto medicamenta, quæ ſtrenuè ſiccant, ſuntque tenuium partium & priuant os omni humiditate, & partem integram ſiccam ſeruant, atque calefaciunt, vel ſaltem calorem conſeruant, nam Hipp. in lib. de vlceribus loquens de oſſe abſceſſuro ait, quòd quanto citius os reddetur ſimile oſſi mortuo, tanto citius cadet, quæ res patet in frondibus, & pomis, quia quando folia, & fructus non amplius aluntur, ſed deuenere ad ſuam perfectionem, videmus quòd concidunt, quia ſiccatur pediculus, & ſiccum non poteſt eſſe coniunctum cum humido.

Si abraſio non ſit tuta.

Adiuuanda natura medicamētis ſiccantibus, & calefacientibus.

Itaque, præcipiente illo optimo ſene, oportet, quanto citius fieri poteſt, os ſiccare, & omni humiditate priuare, quod fiet per impoſitionem medicamentorum, quæ ualde ſiccent, & calefaciant; & præterea ſint partium tenuiſſimarum, ut poſſint penetrare per ſubſtantiam oſſis, ſi enim eſſent calida, & ſicca tantum, non eſſent opportuna; ſed requiritur, & partium ſumma tenuitas: hoc ſtante, ego non poſſum probare duo medicamenta propoſita, à Paulo, & laudata non ſolum ab ipſo, ſed etiam à multis alijs ad deſquammanda oſſa, quorum medicamentorum primum conſtat folijs papaueris ſilueſtris, folijs ficuum farina triticea, & vino: conteruntur folia, & addita farina, & uino fit veluti polenta vel paſta, quæ ponitur ſupra os corruptum. ſed non placet, quia non exquiſitè ſiccat nec habet illam partium tenuitatem, quæ requiritur, in folijs enim ficuum, & papaueris, & farina nulla eſt, in uino antem non tanta, quanta requiritur. alterum medicamentum conſtat chalcantho, & folijs hyoſcyami ſimul mixtis: ſed nec hoc placet, quia licet chalcanthum calefaciat, & ſiccet in quarto gradu ſitque cauſticum, tamen non habet tenuitatem partium, immo eſt partium craſſiſſimarum; hyoſcyamus porrò licet ſiccet, tamen non calefacit: in hoc autem caſu egemus potius caliditate, quam frigefactione. itaque non uideo quo modo iſta duo medicamenta ita laudata conueniant ad ſeparanda, & auferenda corrupta oſſa, niſi hoc faciant à tota ſubſtantia. hæc uolui dixiſſe, ne deciperemini, & ut ſciretis, quod pauca medicamenta proponuntur ab Antiquis ad deſquammanda oſſa. verum notate, quòd ſi os corruptum eſſet iam ſeparatum, & eſſet educendum, illud primum medicamentum Pauli poſſet id facere, quia trahit ex alto: ſed quòd habeat uim ſeparandi os corruptum à ſano, ego neſcio uidere. Itaque oportet, ut ueniatis ad alia, quæ utrunque poſſint præſtare, & horum primum locum tenet radix peucedani ſicca, & radix mei, id eſt imperatoriæ illius Appulæ; hæc enim ſiccant maximè, & ſunt partium tenuiſſimarum. his addatis radicem

Pauli medicamenta non probantur.

eridis,

Digitized by Google

iridis, radicem ariſtolochiæ rotundæ, panacis ſuccum, qui uocatur oppoponax in officinis. Laudant Recentiores, & ego cum ipſis oleum ſulphuris, ideſt aquam illam ſulphuris, quod certè eſt præſtantius quocunque alio, uno excepto. quod dicam infra. accipiatis goſſipium, madefaciatis hac acqua, & quotidie tangatis os corruptum. & uidebitis, quod duplo citius ſeparabitur os, quam ſi Naturæ fuiſſet hoc munus relictum, vt ſi Natura ſeparaſſet quadraginta diebus; uſu iſtius aquæ vel olei ſeparabitur uiginti. & ut ſciatis, terminus Naturæ ad expellendam ſquammam oſſis detecti, ac corrupti cum ſiccatum ſit, eſt vt plurimum triginta quatuor, vel quadraginta dierum, quamuis Hipp. 4. de articulis tex. 36. uiderit os fęmoris octuaginta diebus, os verò tibiæ ſexaginta receſſiſſe: ſed ſi applicentur medicamenta deſquammantia, citius dubio procul os recedet. quod uerò omnia alia medicamenta ſuperat in hoc caſu, & cui ego magis fido, eſt euphorbium, quod etiam ita laudatur à Dioſcoride. calefacit enim & ſiccat ſummopere, & eſt partium tenuiſſimarum, ita ut nihil reperiatur præſtantius ad deſquammanda oſſa. Sed ne exurat carnem circumpoſitã oportet ipſam munire admotis linteis, quo facto ponetis euphorbium ſupra os corruptum, euphorbium dico non quidem purum, ſed mixtum hoc pacto.

Euphorbium.

Rec. pulueris radicum peucedani
radicum iridis
Euphorbij, } ana ℈ j.

Miſcentur, & excipitur puluis fermento tenero; & facto ueluti emplaſtro imponitur; ſed prius muniatur caro circumquaque, ne tangatur à medicamento. Aliquando formo euphorbium ſub figura cerati, & præcipuè id facio, quando os eſt in parte profunda, & quando timeo carnem circumpoſitam: facio autem hoc modo.

Rec. pulueris peucedani
ariſtolochiæ rotundæ
oppoponacis
euphorbij } ana ʒ. s.
Terebynthinæ ʒj. s.
olei communis
ceræ } ana ℥. s.
aceti acerrimi ℥. j.

Miſcentur, & coquuntur ad ignem, ad conſumptionem aceti, & donec acquiſiuerit conſiſtentiam cerati durioris, deinde ſuper ponitur oſſi, & optimum eſt. Sed notate quòd aliquando oſſa ſunt ita corrupta, & tanta quantitas eſt putrefacta, ut medicamenta iſta nihil faciant, & ideo tunc non eſt ſperanda ſalus ex uſu medicamentorum, ſed ueniendum eſt ad illud, quod eſt in tam frequenti uſu apud Recentiores, & eſt ignis, ad quem ſubitò recurrunt, in quacunque oſſis corruptione, & malè faciunt, quia ſeparatio cum igne facta eſt ſæpe inutilis, ſicut aliquando eſt utilis, ut quando non poteſt fieri ſine uſu ignis, & tunc ipſo eſt utendum, non autem in qualibet corruptione. fit autem talis ſeparatio ferro candente, quoties ſcilicet os corruptum eſt magnum, & multum. modus exurendi eſt quòd aliquando inurimus ſuperficiem tantum; aliquando perforamus os corruptum terebra duobus, aut tribus in locis, deinde inijcimus in foraminibus ferramenta nuclearia ignita, quę ferramenta habent in ſummo figuram nuclei oliuarum, & circumquaque habent impedimentum, ne pluſquam oporteat poſſint penetrare & ita inuritur pars etiam intimior oſſis. verum antequam exuratis, utamini omni arte, ut ſiccetis omnem humiditatem, alioqui humor ille ignietur, & ignitus fluet ad partes ſanas; illaque combureret. præterea antequam utamini candente ferro, muniatis carnem circumpoſitam ſuperimpoſito goſſipio, uel linamentis, uel filaceis vulgo dictis: tertio ſi opus ſit utamini fiſtulis, ne lędantur partes circumpoſitæ: ſint autem fiſtulę uel ferreæ, uel æneæ non refert; & ipſis præcipuè egemus in fiſtulis oculorum, ut docebo infra, quando agam de ulceribus oculorum inijciatis ergo fiſtulam, & in ipſam iniecto ferramẽto exuratis os, ſubinde educatis fiſtulam mergatis in aqua ſimiliter & ferrum. nam & fiſtula ex cont. acto feruore à ferro candente poſſet, circumpoſitas partes lædere: & ſi opus ſit iterum, tertio, & quarto, & pluries inijcimus fiſtulam, & per ipſam inurimus corruptum os: quòd ſi nec uſu fiſtulæ ne linteorum poſſit fieri quin caro circumpoſita exuratur, permittatis ut exuratur. terminus autem comburendi eſt donec ſuperficies oſſis arida reddatur, & nihil humoris ex oſſe emanet. Sed notate quòd poſt exuſtionem neceſſariò remanet feruor magnus & inflammatio in partibus tùm ægris, tùm ſanis, fitque ſideratio. & ideo facta

De igne.

Vſus fiſtulæ.

Terminus comburendi.

vſtione

Digitized by Google

vſtione ſtatim applicãda ſunt oſſi ea, quæ actu & poteſtate refrigerẽt, & in ipſorũ vſu eſt perſiſtendũ, donec remiſſus fuerit feruor: ego ſoleo vti aqua roſacea pura, vel mixta cũ albo oui, & imbuta ſpõgia, vel petia applico actu frigidã, & in his pſeuero, vſq; ad remiſſionẽ feruoris, & ſi caro quoq; fuerit, vel caſu, vel ex neceſſitate exuſta, applico ipſi linteola imbuta oleo amygd. dulciũ, vel butiro, vel tetrapharmaco, in hiſq; pſiſto, donec cadat cruſta. remoto feruore pono ſupra os puluerẽ radicis peucedani, vel iridis, vel aliud ex medicamẽtis pdictis, qa adiuuabũt naturã ad celeriorẽ expulſionẽ; atq; interim ſupra carnẽ remota eſchara ponetis aliquid, qđ leniter detergat. Sed notate, ꝙ nõ quodlibet os corruptũ, nec in quacũq; parte eſt exurẽdũ, qa ſi os corruptũ ſit in capite: cauẽdũ omnino eſt à ferro ignito, alioqui fieret inflãmatio mẽbranarũ, & phrenitis, & tãdẽ mors. in dorſo quoq; fugiẽda eſt exuſtio vertebrarũ, etiã ſi corruptio perueniret vſq; ad imũ, qa inflãmarẽtur tunicæ veſtiẽtes medullã, & vertebrarũ perioſtia. tertio ſi os femoris eſſet corruptum, & corruptio perueniret vſq; ad medullã, vel ſi corruptio eſſet in capite fæmoris, nulla ratione vtamini ferro ignito, alioqui fiet dolor maximus, & conuulſio; ſed in his caſib. vtamini cauſticis potẽtialib. at ſi tibiæ maioris, aut minoris os corrũperet, aut digiti, & patiat̃ vſq; ad medullã, tũc nõ timeatis exurere vſq; ẽt ad medullã. & ſi tibia integra corrũpat̃, eſt ẽt tota exurẽda, vel ſecãda, & eximẽda: ita & in manib. faciatis. abſcedẽte oſſe caro ſubeſt quã vlcus explet̃, ꝙ poſtea cicatrice obducetis. hæc de vlcere cũ oſſe corrupto: iã ſeqt̃ vlcus cacoethe, ꝙ & malignũ, & mali moris, & inueteratũ, & telephiũ, & chironiũ nũcupat̃, de quo agã ĩ ſequẽti.

Notãdum in exurendo eſſe.

De vlcere cacoethico, ſeu mali moris, ſeu inueterato, & chironio vocato. Cap. XIX.

Habemus vlcera quædã, q̃ à Gal. ἰάσιμα, id eſt facilè ſanabilia vocãtur, q̃ ſimpliciſſima ſunt, & ſine aliquo adiũcto: alia habemus vlcera, q̃ ab eodẽ Gal nũcupãtur ſua lingua δυσίατα. hoc eſt difficilia curatu, de qb. meminit in 4. meth. c. 1. q̃ qdẽ dyſiata vlcera nõ ſunt vnius tñ naturæ, nec vnius generis; ſed aliquot ſunt, q̃ quãuis ſint carne expleta, tñ difficilè obducũtur cicatrice, & hæc vlcera à Græcis appellantur dieπulota, id eſt non admittẽtia cicatricẽ, in reliquis vero hæc vlcera benè ſe habẽt. aliud genus eſt, qđ ſp eſt cauũ, & nõ põt carne expleri, & hoc ẽt eſt dyſiaton, id eſt difficile curatu: nõ põt aũt expleri carne, aut pp intẽperiẽ, aut pp fluxionẽ cõiũctã, q̃ fluxio peccat, vel in qualitate, vel in quãtitate, vel in vtroq;: aut nõ põt repleri carne eo, qđ cõiũcta ſit durities, ſeu callus: aut pp corruptelã oſſis: aut pp varicẽ; & de his duob. generib. vlceris ægrè ſanabilib. egimus huc vſq;, nã tractauimus ð illo in quo nõ poteſt gigni cicatrix, & de altero, quod nequit carne expleri. tertiũ, & vltimũ genus vlceris curatu difficile eſt qđ cacoithes vocatur à Gal. in 4. meth. c. 5. hoc eſt malignum, vel mali moris, qđ vlcus talẽ habet naturã, vt quãuis medicus oĩa agat in ipſo curãdo, q̃ ſunt ſcđm artẽ, tñ nõ põt ſanari; & hac rõne appellatũ eſt malignũ; vel mali moris, & à Græcis cacoithe, & q1 talia vlcera, maligna ſcilicet, ſunt vt plurimũ inueterata, iõ à medicis vocantur ẽt inueterata, ſiue antiquata. pterea qa hoc vlcus reqrit medicũ pſtãtiſſimũ; iccirco nominat̃ etiã chironiũ, vt note requirẽs medicũ ſimilẽ Chironi medico, noſtis enim Chironẽ fuiſſe medicũ excellẽtiſſimũ, q cũ argonautis Cholcũ petijt, & inibi Cholcorũ medicus, & Aeſculapij pceptor factus eſt. uocant̃ ẽt vlcera hæc Telephia, eo qđ ſint ſimilia illis vlcerib. q̃ paſſus eſt Telephus Myſiorum rex, Telephus enim, vt habemus ab Homero, fuit vulneratus ab Achille haſta illa Pelei, quæ efficiebat vulnera inſanabilia, vnde Telephus cũ diu vlcus tuliſſet, & in ſolitudine diu verſatus, tandem deliberauit oraculum petere, à quo reſponſum accepit, quod à ſolo ferro illo, quo fuerat vulneratus, poterat ſanari. vnde fecit vt Achilles abraſerit ex eadem haſta æruginem, quam inſperſit ſupra vlcus, & ſanatus eſt; quam rem expreſſit optime Ouidius, dicens.

Vlcerum quæ difficile curantur ſpecies.

Vlcus cacoethes.

Katta nominum.

Inueteratum.

Chironiũ.

Telephiũ.

Vulnus Achilleo, quæ quondam fecerat hoſti
Vulneris auxilium Pelias haſta tulit.

Quia igitur vlcus Telephi erat rebelle; inde factũ eſt, vt oĩa hæc vlcera, q̃ difficilia sũt curatu, vocata fuerint telephia. Sed notate ꝙ Gal. in 14. meth. c. 17. vocat vlcera telephia, & chironia illa q̃ phagedænica ſunt. i. q̃ ſerpũt & abſumũt. verũ hoc nihil refert, qa poſtea in lib. de tumoribus, pternaturã enumerat vlcera phagedenica inter maligna: ita quoq; faciũt oẽs alij medici. quare vlcus cacoithi, malignũ, mali moris, inueteratũ, antiquatũ, chironiũ, & telephiũ vnũ, & idẽ ſunt. cognoſcitur aũt hoc vlcus primo à putredine diuturna, nã vlcera hæc durãt longo tpe, vt duos annõs, tres, decẽ, & viginti aliqñ. ergo primũ ſignũ erit diuturnitas: alterũ eſt ꝙ q̃uis curata ſint à docto medico, & ſcđm rõnẽ, ac methodũ tñ nõ potuerũt ſanari. tertiũ ſignũ pponit̃ à Celſo in 5. li. c. 182. vbi lnqt qđ hæc vlcera ſunt vt plurimũ magna. hoc eſt lata, ſunt tñ aliquot, q̃ lata nõ ſunt, tñ maior pars hẽt magnitudinẽ. addatis ꝙ nõ fẽtẽt: hẽt ora. i. labra, vt plurimũ calloſa: ſanies q̃ egredit̃ eſt p maiori parte ichoroſa hoc eſt tenuis, & ſine fętore, nec eſt multa: nulla adeſt inflãmatio, nullus rubor; ſed adeſt vel liuor qđã, vel habitus naturalis partiũ circũſtãtiũ. vltimo hæc ulcera nõ augent̃, vel tardè admodũ creſcũt, ita ꝙ augmẽtũ nõ patet breui tpe, ſed in mẽſe, vel anno patebit, & apparebũt magna. addatis ꝙ ſi qñ hæc ulcera claudũt̃, & carne im-

Signa.

plent,ac cicatrice teguntˀ,paruo tpe in tali ſtatu manẽt,ſed renouantˀ;& renouata pdurãt diũ ta lia.hęc ſunt ſigna horũ vlcerũ,q̃ ab Auicẽna,à Guidone,& ab alijs Recẽtiorib.appellãtur mali gna,qb.aliqñ cõiũgitur callus,aliqñ nõ:aliqñ varix,aliqñ nõ:aliqñ os corruptũ,aliqñ non: ſed hæc non ſunt de natura maligni vlceris,vt dicit Gal.in 4.de cõpoſit.medic. p gña c.2. & Aetius lib.14.c.43.

Cauſa vlcerum malignorum duæ.

Cauſæ horũ vlcerũ duæ ſunt ait Gal.in 4.meth.c.5.& in 1.lib.de cõpoſit.medic.p genera c.18.& in 4.eiuſdẽ operis c.1.vna eſt fluxio copioſa malorũ humorũ : altera eſt affectio q̃dã pter naturã cõſiſtẽs in loco affecto,q̃ affectio corrũpit nõ ſolũ malũ humorẽ fluẽtẽ ad locũ, ſed ẽt bonũ ſanguinẽ putrefacit,& corrũpit,ſi illuc fluat:& quoties iſta duo uidelicet fluxio copioſi humoris mali,& affectio illa pternaturã erũt in loco aliquo,ſp ulcus illud erit malignũ; & ita iſta duo sũt de eſſentia maligni ulceris:de fluxione nõ eſt dubiũ aliqđ:at de affectione illa dubitatˀ qđ ſit.ꝙ ſit intẽperies,ego nõ ſum dubius,ſed utrũ ſit calida,uel frigida,uel ſicca,uel humida,uel aliqua ex his cõpoſita:ambiguũ eſt,qm̃ nõ adſunt ſigna,q̃ aliq̃ horũ intẽperierũ oſtẽdãt,& iõ ego credo ꝙ ſit q̃dã mala qualitas occulta:uel dicatis,ꝙ eſt intẽperies inæqualis,nihil

Intemperiem inæqualem adeſſe.

refert.hãc meã opinionẽ probo duab.rõnib.& prima ſumitur ab auctoritate,qm̃ Gal.& oẽs alij primo tradũt rõnẽ curãdi ulceris ſimplicis; ſecũdo ulceris cũ intẽperie tũ calida, tũ frigida, tũ humida,tũ ſicca,tũ ex his cõplicata;deinde docent rõnẽ curãdi vlcera maligna,in qb.oẽs dicũt eſſe illa duo.ſ.fluxionẽ multi,& mali humoris,& affectionẽ illã. ſi ergo affectio eſſet aliqua intẽperies manifeſta,ſupflui oĩno eſſent Auctores in tractãda curatione maligni vlceris,qm̃ ipſã cõpræhẽdiſſent ſub curatione vlceris cõiũcti cũ hac,vel illa intẽperie.altera rõ eſt ꝙ medicamẽta,q̃ ſolẽt ſuperare inueterata vlcera,nõ ſunt vnius naturæ.ſed variæ,ita,ꝙ nõ poſſumus colligere vllã certã qualitatẽ qua ſuperẽt talia vlcera,nã medicamẽtorũ,q̃ hmõi vlcera ſanãt, alia ſiccãt,alia frigeſaciũt,alia caleſaciũt,alia cõcoquũt.cũ ergo medicamẽta,q̃ ſanare ſolent hmõi vlcera,ſint varia,indicatˀ,qđ affectio illa eſt ẽt varia, & eſt intẽperies inequalis, ſeu qualitas q̃dã maligna occulta cõtracta ex multa putredine,ĩ loco.his habitis deueniẽdũ ẽ ad curationẽ mali

Curatio conſiſtit in quatuor capitibus.

gni vlceris,q̃ curatio traditˀ à Gal.in 4.de cõp.medic.p gña,c.1.vbi inqt,ꝙ curatio cõſiſtit in quatuor capitib.primũ eſt,ꝙ debemus vniuerſũ corpus purgare , tũ p ſectionẽ venæ, tũ p pharmacũ,& hoc ſit vobis perpetuũ,vt ſp in curãdis malignis vlcerib.primo præponatis ſectionẽ venę; deinde exhibitionẽ pharmaci,nã eſt ferè impoſſibile, vt in corpore,qđ paſſum eſt vlcus diuturnũ,nõ ſit copia craſſorũ,& malorũ humorũ; & iõ oportet humores illos imminuere, p euacuationẽ factã,tũ ſecta venæ,tũ pharmaco exhibito, vt poſſimus poſtea reliqua cõmodè agere: idcirco Gal.primo ſecat venã,deinde pparat humores,& poſtea exhibet pharmacũ accõmodatũ ad euacnationẽ peccãtis humoris.hoc eſt primum caput agẽdum in principio in curãdis malignis ulcerib.

Primum caput.

Secũdum caput.

Scđm caput eſt;vt ſi qua adeſt uiſceris alicuius alteratio,vel affectio remoueatˀ; vt plurimum.n.in his vlcerib.affectus eſt lien , vel hepar. q affectus eſt,ſcđo loco remouẽdus, ſiue fuerit intẽperies,ſiue tumor pter naturã,ſiue quis alius.

Tertium caput.

Tertium caput eſt,ꝙ ſępe cum his vlcerib.cõiuncta eſt varix;& iõ indicatˀ remotio,& ſanatio ipſius,aliter nõ poſſet alius ſanari.

Quartum caput.

Quartum,& vltimum caput eſt,vt veniamus ad locum affectũ.ſ.ad vlcus tractãdum, ſup imponẽdo medicamẽta opportuna.

Curatio vlceris per amputationem.

Verùm ſciatis,ꝙ uariè hæc ulcera tractantˀ,aliqñ curantˀ p amputationẽ mẽbri;pulcherrima eſt ſanatio,ut ſi ulcus eſſet in extrema parte mãmæ,& timeremus,ne tãdẽ hæreret partib.intimiorib.amputaremus mãmã ipſã : ita quoq; ſi ulcus eſſet in parte extrema alicuius mẽbri,ut pedis,uel manus,& timeremus plagedenã, ne totũ mẽbrũ corrũpat,recidimus partẽ illã extremã,& hoc ſæpe ſolet fieri in teſtib.qñ patiũtˀ ulcera illa fiſtuloſa maligna, & timemus,ne ulcus ſerpat,amputamus teſtes,& caſtramus hominẽ;ſed hæc curatio uiolẽta , & horribilis eſt,& nõ niſi coacti ad ipſam deuenire debetis. altera curatio fit, per uſtionẽ aliqñ

Per uſtionem.

.n.doctus medicus tractat ulcus; & oĩa agit ſcđm artẽ , tñ nõ cedit nec uacuationi factæ p ſectã uenã,nec p pharmacum,nec alterationi uiſceris,nec medicamẽtis opportunis;& iõ timẽs plagedænã, deuenit,& deuenire dẽt ad ignẽ,nã Gal.inquit, q̃ nõ medicamẽtis,ea ferro,q̃ nõ ferro igne ſanari ſolẽt;qm̃ p exuſtionẽ exiccatur ſummè pars,ſiccata cõſtringitˀ , & incpta redditˀ ad receptionẽ humorum,pterea per ignẽ oĩs occulta qualitas ſuperatˀ,& fit manifeſta,qa poſt vſũ

Per ignem omnis occulta qualitas fit manifeſtum.

ignis,remanet intẽperies,uel calida,uel ſicca;quãtũ autẽ ignis faciat ad ſuperãdã malignã qualitatẽ,indicãt bubones illi peſtilẽtes,qñ exuruntˀ. Verùm & hæc curatio uiolẽta eſt , & mitis nihil in ſe hẽt:

Per medicamenta impoſita.

Vltimo curamus maligna hæc ulcera p impoſita medicamẽta,ſine amputatione, & ſine exuſtione.ut uacuatũ eſt corpus,p ſectionem uenę,& exhibitũ pharmacũ;temperatũ eſt uiſcus;ulcus malignũ eſt in crure, qd agendũ? Celſus paucis admodũ uerbis,& uenuſtiſſime docet curationem dicens,ſapor id imponi dẽt,qđ & lene aliqd,& vehemens , & reprimens hẽat , In his paucis verbis cõſiſtit tota curatio,quę verba quaſi interpretans,Gal.in 4.de cõpoſitione, medica.p genera,inquit,ꝙ,quia vlcus malignũ hẽt fluxionẽ;iõ indicatur, ꝙ eſt impediẽda fluxio, impeditˀ aũt medicamẽtis repellentib. & hęc medicamẽta innuit Celſus p illã vocẽ reprimens.

Indicationes.

Scđo in ulcere hoc eſt locus plenus multa humiditate mala,adeſtq; ſordes adiuncta; iõ oportet ſiccare humiditatẽ illã;q̃ eſt in profundo;& q̃ eſt in ſupficie,& ſordẽ detergere,hac de cã imponenda ſunt medicamẽta,q̃ ex alto trahãt,validiſſime ſiccẽt, & detergãt, & hoc voluit Celſus p illud verbũ,vehemens,intelligẽs de medicamẽto maximè ſiccante & detergẽte. Ter-

tio

Digitized by Google

do in hoc vlcere eſt malignitas,q̄ eſt qualitas inęqualis;& occulta;& cū occulta ſit,nō pōt cōtrarijs ſuperari:nā rei ignotæ nō poſſumus cōtraria inuenire; idcirco contra talē malignitatē pugnandū eſt,ait Gal. cū aliquo cōi contrario : contrariū aūt iſtud cōe eſt concoctio,quia ipſa ſuperat oēm cruditatē,& conſeruat corpus,ita in ulcere maligno , cōcoctio ſuperabit malam illā qualitatē; concoctio aūt fit à calore naturali : ergo indicatur,vt iuuemus calorē naturalē, vt poſſit cōcoquere.igit̄ imponēda ſunt ea,q̄ adiuuent concoctionē,& hęc innuit Celſus p vocē illā,leue. Eſt ergo applicandū medicamentū,ꝙ repellat,valide ſiccet,detergat,& coquat;ſed notate ex Gal.in 4.de cōpoſ.medica.p genera c.1.ꝙ ſępe medicamēta fruſtrātur,imponunt̄.n. & non agūt,& inde apparet maxime malignitas illa vlceris; nā eiicit medicamēta,ſicut equus effrenis eiicit inſeſſorē;& iō,dicit Gal.dēt Medicus habere parata medicamēta triū generū,nēpe alia ualidiſſima,alia lenia,alia mediocria;oīa tn̄ debēt valide ſiccare detergere, & coquere, & hęc tria medicamentorū genera parata hēre dēt ut ſi impoſuerit lenia,& nō profuerint, veniat ad mediocria;ſi nec iſta,ad ualidiſſima,uel è cōtra ſi ualidiſſimis ſit uſus,& nō profuerint applicet mediocria,uel lenia; Enumeremus mō medicamenta cuiuſq; generis,incipiētes a validiſſimis.

Contrariū commune, concoctio.

Cōditiones medicamēti applicandi.

Tria medicamentorū genera.

Igit̄ ſub primo gn̄e ſunt chalcitis antiquorū,ærugo æris,myſi,ſori, q̄ oīa dēnt primò exuri,deinde ablui uel poſca,uel aqua marina,uel uino auſtero.addatis ſtibiū,diphrigē, alumē uſtū ſquāmas ferri,& ſtomomatis,i. calybis, q̄ tn̄ dēnt eſſe exuſtæ & ablutæ; hæc oīa ſiccant, & detergunt validiſſime,ęrugo aūt cruda,calx nō extincta,& aphronitrū,ꝙ ſal nitrū vulgo appellatur,licet validiſſimè ſiccent;m̄ nō ſunt,ait Gal.opportuna,qa nimis valida ſunt, ſed quis iſta tria per ſe ſola nō conueniāt,tn̄ ſi accipiatis paucā q̄titatē ipſorum,& miſceatis cū aliquo alio accōmodata erunt,& ſiccabūt,detergentq; optimè : ſub ſcđo gn̄ere ſunt ſquāma ęris, æs uſtū, bucinarū,oſtrearū,purpurarūq; teſtę cōbuſtæ,flos ęris antiquorū,radix dracūculi ſiccata,radix ariſtolochiæ,radix iridis,radix panacis,radix cētaurij maioris;& radix cameleontis nigri;Hæc oīa ſiccāt,& detergunt mediocriter;leniſſima aūt & ſub tertio gn̄e collocata ſunt hęc,plumbū uſtū,litargyriū, ceruſſa uſta, cadmia utraq;, ſcilicet tā naturalis, q̄ factitia, terra lemnia,pōpholyx, plūbi ſcoria;molibdena, q̄ plumbago ab iſtis uocatur.his addatis lapidem ſpecularem antiquorum.qui lapis uocatur ab iſtis alumen ſcariolæ,& eſt ſpecies gypſi,gallas immaturas,malicorium, polium montanū;& terrā ampelitim.& quia horum medicamentorū quædā ſunt, quæ magis ſiccant,q̄ detergant, quædā è contra magis detergunt,q̄ ſiccent,ut colligere poteritis ex Dioſcoride,& ex 6.7.& 8.lib.Galeni de facultate ſimplici;iō oportet,ut uos hoc ſciatis,& miſceatis hæc,uel illa ſimul ita,ut hēatis medicamenta detergentia,& ualidiſſimè ſiccantia & repellentia: & his medicamentis addenda ēt ſunt,quæ concoquant ut ſua ui concoquente impoſita medicamenta ſuperēt malignitatē illam ; nā uis concoquens non eſt in medicamentis primi,nec ſecundi gn̄is,& in tertio minima.

Primum genus medicamentorum validiſſimorū.

Secūdum genus mediocrium.

Tertium genus debilium.

cōcoquentia aūt medicamenta ſunt iſta thus,maſtix,reſinæ oēs,cera,olea,& gūmata:ex his ergo aliqđ miſcebitis cū medicamentis dictis,ut uel ammoniacū,uel galbanū,uel pinguedinē aliquā,uel oleum aliquod:ſed ſciatis, ꝙ inter concoquentia principatū obtinet thus, & maſtix; iſta duo roborant magis cōcoctionem, q̄ quoduis aliud. Habetis materiam medicamentorū,ſed qūo oportet ipſis uti? Gal.docet,& inquit,quòd utendum ipſis eſt,uel ſub forma pulueris,uel ſub forma ſolida.i.emplaſtri,nam ſi corpus ſit robuſtum uel ruſticū, ſemper melius eſt ut utamini puluerib.inſpergendo ipſos ſuper ulcus,ſiue puluis ſit ex medicamentis primi,uel ſecundi generis,ſiue tertij, qa ſubſtātia pulueris ualidius agit;ſi aūt corpus fuerit delicatū,ut muliebre, & puerile,non utendum eſt puluerib.ſed miſcendi pulueres ſunt cū aliquo alio,ut cū cera, inquit Gal.& ita miſcebitis, vt reddatis unū medicamētum debile,alterū mediocre,aliud ualidiſſimū,& modum docet Gal.nam inquit, qū uolueris medicamentum robuſtum, cape duas partes ceræ & unam pulueris , & digitis emollies ceram,miſcebiſq; puluerem cum ipſa optimè.hoc aūt docet Gal.in 4.de compoſ.medicam.per genera c.3.ſi aūt uelis,medicamentum mediocre,accipias tres partes cerę,& unam puluerū,& miſce eodē modo.ſi uerò uelis medicamentū debile admodū,accipito quatuor partes cerę. & unā puluerum . ſed notate, ꝙ ſæpe, non habemus cerā mollem,qua cum admiſcere poſſimus pulueres,ſi.n. aperetis cerā albam delatā ex Damaſco , uel citrinam delatam ex Grecia, nō eſſet bona,quia nec pinguis,nec mollis eſt. at ſi accipietis ceram , aut citrinam , aut albam delatam ex Germania optima erit:tanta eſt enim locorum illorū pinguedo, ut, & plantæ pingues ſint,& apes non poſſint ex ipſis non colligere pinguedinem.unde & in mellem, & in cera percipietis pinguedinem:ſi ergo non habetis ceram mollem,monet Gal.ut emolliatis ipſam admixto aliquo oleo aſtringente,ſed in pauca quantitate,ut oleum myrtinum,uel maſticinum, uel citoniorum, uel roſaceum , uel admiſceatis reſinam aliquam liquidam , vt terebynthinam &c.his igitur mollietis ceram, & emollita cum fuerit , admiſcebitis pulueres : ſed notate,quod quemadmodum in vlceribus malignis indicātur medicamēta ualidè ſiccantia,detergentia,& cōcoquentia:ita pinguia & oleoſa omnia ſunt in ipſis peſſima,quia nutriūt ſordē,& ſaniē in ipſis:& ideo fugiatis omnia adipoſa,& oleoſa. Præterea omnia gūmata emolliētia,ut galbanū,ſtirax,&c.per ſe ſola peſſima ſunt.Itē omnia acria; quę carēt facultate aſtringēte,mala ſunt & fugienda in malignis vlceribus,etiā ſi ſiccēt;& ideo piper,gingiber, ſinapi, & ſimilia

Concoquentia medicamenta.

Cera quomodo molliatur.

Quæ fugienda in curatione horū ulcerum.

Digitized by Google

peſſima ſunt. Et quia dixi oportere, ut medicus habeat medicamẽta trium generum parata, ut ſi unũ non faciat, & neſciat cauſam, poſſit imponere alterũ, quo nõ iuuãte deueniat ad tertiũ; ideo quæretis à quonã medicamẽto ſit incipiendũ, an à ualidiſſimo, an à mediocri, an à debiliſſimo. Gal. in 4. de comp. med. per genera c. 2. dicit, ꝙ ſemper in malignis vlceribus incipiendũ à validioribus, quod eſt contra methodum, quia meth. indicat incipiendũ in curatione eſſe à leuioribus, & mitiſſimis: tamẽ rectè dicit Gal. quia vlcera hęc ſunt maligna habentq; ſordẽ craſſam, quę nõ poteſt detergi à medicamẽto debili; & ideo vt tuto detergat ulcus, incipiendũ eſt à ualidiſſimis: nec ipſa faciẽt dolorẽ, quia & ſordes, & cruſta, quæ in vlcere eſt, reſiſtẽt medicamẽto; facta deterſione aliqua per medicamentũ ualidiſſimũ, imponendum deinde eſt, ait Gal. medicamẽtum 2. generis, ideſt mediocre: vltimo mitiſſimũ: ſed notate unũ, quod eſt maximi momenti, & eſt, ſi poſt impoſitionẽ medicamenti ualidiſſimi unã, aut alterã videretis, quod vlcus nõ detergatur, debetis obſeruare, & uidere, an cauſa cur nõ auferatur ſanies, ſit medicamẽtum ipſum nec ne: ſunt enim aliqua medicamẽta, quæ ob ſuã maximã facultatẽ ſiccantẽ, gignunt potius ſordẽ in vlcere, quã auferant, & ſępe vidi ego chirurgos hos vti in malignis vlceribus unguento ægyptiaco, & reddere vlcus ſordidius, quãuis tale medicamentũ habeat maximã vim detergentẽ, & ipſi mirabãtur. at illud accidebat ob nimiã ſiccationẽ medicamẽti; quãdo enim medicamẽta ſunt nimis ſicca, colliquãt humiditatẽ innatã carnis: & carnẽ ipſam, quæ ſpiſſata abit in ſordẽ, & id, quod ichoroſum aderat, incraſſatur & vertitur in ſordem; & ideo quãdo impoſueritis robuſtiſſimũ medicamẽtũ, altera viſitatione imponetis denuo ipſum; ſi videritis, ꝙ non deterſerit ſaniẽ, & tertia viſitatione, ſi videritis, quod adhuc ſordidũ eſt vlcus, dicatis, ꝙ cauſa cur ſordes nõ detergatur eſt medicamentũ ipſum, qa cũ ſit nimis robuſtũ, colliquat carnes, & uertit ipſas in ſordes: ſed dices quãdo cognoſcam ego ſordem gigni, & nutriri in vlcere à medicamẽto ipſo? Dico ꝙ per ſigna propria; & primũ eſt, quia ſi medicamẽtum ſit in cauſa, ut nõ ceſſet ſordes, ſed nutriatur, uidebitis vlcus quotidie fieri profundius, & tamẽ nõ remouebitur ſanies: ſi ergo altera uiſitatione videbitis, quod ſordes nõ eſt remota, & ꝙ vlcus eſt factũ magis cauũ, dicatis ꝙ medicamẽtum eſt illud, quod nutrit ſordẽ in ulcere, nã cauſa profunditatis eſt colliquatio carnis: 2. ſignũ eſt inflãmatio & rubedo labiorũ vlceris, cũ videritis ſaniẽ non remoueri, & labia eſſe inflãmata, dicatis ꝙ medicamentũ eſt nimis robuſtũ; & ideo colliquat carnẽ, inflãmatq; labia, & ſordẽ auget 3. ſignũ eſt dolor, ſi enim videretis, ꝙ ꝑ duas, aut tres horas, poſt impoſitũ medicamẽtũ perdurat dolor, tamẽ ſanies nõ cedit; dicatis ſordẽ ideo nõ cedere, quoniã medicamentũ eſt nimis validũ. Cognito igitur, ex his ſignis, ꝙ medicamentũ eſt in cauſa, vt ſordes nõ detergatur, abijciatis ipſum, & deueniatis ad medicamẽta 2. generis, ideſt, ad mediocria, & ſi videritis, ꝙ nec ipſis remouetur ſordes, deueniatis ad ea, q̃ mitiſſima ſunt, ſub 3. genere contẽta. Sed notate ꝙ nõ ſine ordine, & incõpoſite medicamẽta ſunt imponẽda, ut faciunt iſti, at ea arte, quã docet Gal. in 4. de cõp. med. per genera locis ſupra citatis, ubi inquit, ꝙ primò debemus diligẽtiſſimè goſſipio, vel linteolo ſicco exiccare vlcus: 2. vlcere exiccato debemus ipſum explere medicamẽto, ſiue medicamentũ ſit ſub forma pulueris, ſiue mixtum cera, ut diximus, nõ refert; dũmodo expleatur ulcus ita, ut tãta medicamẽti quãtitas imponatur, quãta eſt cauitas vlceris: 3. vlcere expleto imponendũ, inquit, eſt emplaſtrũ, quod habeat vim attenuandi labia, & margines vlceris, debetis enim ſcire, ꝙ vt plurimũ in malignis vlceribus labia ſolẽt eſſe turgida, & craſſa: vt igitur deſideãt, & attenuentur, imponendũ eſt aliquod emplaſtrũ, quod habeat talẽ facultatẽ, quale eſt emplaſtrũ iſis, ait Gal. ex quo emplaſtro dicit, quod debemus facere plattiſma, hoc eſt extẽſionem & ſuper imponere: debemus enim capere emplaſtrũ, emollire manibus, extendereq;, & facere veluti laminã, tãtæ latitudinis, quantum eſt ſpatiũ marginũ, & labiorũ, ita, vt lamina tegat & ulcus, & labia, nec ſolũ laminã hanc poteritis facere ex emplaſtro iſidis, ſed etiã ex quocũque alio dũmodo ſiccet, & attenuet: 4. impoſita lamina, oportet ſupra ipſã ponere linteolũ ſiccũ, mũdumq; & ſubtilẽ, deinde ſupra linteolũ, oportet ponere ſpõgiã latã, mollemq; q̃ madida ſit vino frigido, vel aqua frigida. Hęc Gal. ego autem antequã deueniſſem ad hũc gradũ artis putabã hãc curãdi rationẽ Gal. per ſpongiã eſſe periculoſam, ſed poſtea vidi cognouiq; eſſe ita ꝑſtantem, vt ꝑſtantior nõ poſſit inueniri, & ex inde cœpi hac Gal. ratione curãdi vti, & infinita ferè vlcera ſanaui, hoc ſolo ſimpliciſſimo modo, curãdi per ſpõgiã & ſanaui multa vlcera, q̃ tractata fuerant à doctiſſimis Medicis, & relicta, vt deſperata, & tota, vel maior pars huius curationis credo, ꝙ cõſiſtat in vſu ſpõgię; in qua ſpongia notate, ꝙ debet, vt dixi, eſſe lata, & mollis, & debet eſſe imbuta vino frigido, uel aqua frigida. Sed ego libentius vtor aqua cõmuni ſcilicet, & ꝓcipuè ſi aqua ſit cocta, nã ex coctura redditur tenuior; unde magis penetrãs pręſtat ea quę volumus: aliquãdo imò ſępe vtor loco aquę cõmunis, aqua ſolatri ſtillatitia, uel aqua plãtaginis ſtillatitia, & feliciſſimè vtor madefaciendo in hac aqua ſpongiã; in qua eſt etiã notandũ, ꝙ nunquã eſt ſicca imponẽda, nec permittendum unquã eſt, vt in loco ſiccetur; ſed conſeruãda eſt humida affundẽdo aquã ſuper ipſam abſq; quo ſoluatur, & detergatur vlcus, & aqua ſit frigida, dũmodo nõ habeat in ſe glaciẽ, & nunquã ſit nec tepida, nec calida, ſed ſemper frigida, nã ratione frigiditatis ſit, ut ſiſtatur fluxio humoris ad locũ affectum, 2. impedit inflãmationẽ, 3. roborat calorẽ partis, quo calore tẽtamus per cõcoctionẽ ſuperare,

maligni-

A quo medicamento incipiendũ.

Notandũ.

Signa medicamenti generantis ſordes.

Vſus ſpongiæ.

Digitized by Google

malignitatē: ſupra ſpongiā poſtea applicāda eſt faſcia,& ligādus eſt locus; ſed notate, ꝙ aliquādo vtimur duabus faſcijs, aliquādo una tantū,& frequētius vtimur deligatione per unā faſciam, quā per duas: tamen & poteritis duabus faſcijs vti. nam ex ſententia Hippoc. exprimere poſſumus humorē ex loco affecto, tùm ad partē ſuperiorē, tùm ad inferiorē: ſi uolueritis vti deligatione, per unā tantū facietis hoc modo; ponetis caput faſcię ſupra ſpongiam, ob uoluetis bis uel ter faſciā, deinde ſēſim aſcēdetis multis obuolutionibus: ſi autē uolueritis vti duabus faſcijs, obuoluetis alterā ſupra priorē circa ſpongiā, & ſenſim obuoluēdo deſcendetis,& tandē faſcia recurretis uerſus locū affectū: facta deligatione, affundetis aquam, quādo opus fuerit ſupra ſpongiā,& faſciā ſine deligatione. Aliud quoq; eſt notandū, & eſt, vt nō detegatis, nec immutetis medicamenta quotidie, ut ſolent iſti, qui non ſolū ſemel in die, ſed & bis etiam detegūt ulcus,& immutant medicamēta,& vſq; adeo inuadit peſſimus hic uſus,& modus, ut quando arte nō poſſunt ſatisfacere, videātur hac ſua diligētia immutando bis,& ter in die medicamēta,& inuiſendo ſępe ęgrū ſatisfacere:& magis ſatisfaciunt aliquot chirurgi hac ſophiſtica ſua diligentia, quā ij, qui arte & ex ratione omnia agunt,& curāt; tamen vſus eſt peſſimus, non neceſſarius, et fugiēdus; hoc in culco, vt vos quādo eritis præſentes, nūquam ſinatis tonſores,& chirurgos, nec ſemel, nec bis in die detegere ulcus,& immutare medicamēta: nō eſt neceſſarium,& eſt cōtra antiquorū medicorum dogma, & neſcitē ego proponerę uobis duo exēpla, in quibus antiqui ſemel tantū in die, nedū bis immutarint medicamēta in his ulceribus, quare niſi ęſtas ſit, vel timeatis, ꝙ copioſa ſanies genita errodat cutim, nūquam permittatis, ut detegat ulcus,& immutet medicamēta, etiā ſi copioſè ſanies generarętur: nā medicamēta, quę imponūtur,& pcipuè metallica, nō poſſunt niſi longo ſpatio tēporis actuari, quoniā nō ita facilè attenuātur & diſſolūtur à calore naturali. Itaq; ſat fuerit immutare alternis diebus, ut hodie imponetis medicamenta, cras nihil agetis, perēdie detegetis,& renouabitis medicamēta, aperto ulcere ſi reperietis inflāmationem aliquam, ut rubentia labia, iterū ex plebitis ulcus eodē, uel leuiori medicamēto,& ſuper imponetis eādem laminā ex emplaſtro, & ſupra laminā linteolum: ſed nō amplius ſiccum, at madidū aliquo, quod habeat uim inhibēdi, & ſuperādi inflāmationem, cuiuſmodi erit diacalciteos emplaſtrum antiquorū, quod in officinis uocatur diapalma, ſed oportebit emplaſtrum hoc diſſoluere oleo roſaceo omphacinò, uel cōpleto: vel oleo citoniorū, uel myrtino. vnguēto diſſoluto hoc, uel illo oleo, madefacietis in ipſo linteolum, & ſuper imponetis laminæ, ſed nolo hic unū reticere,& eſt quod Recētiores loco laminę utuntur ſparadrapo, & eſt tela infecta liquore aliquo, qua tela ſiccata vtuntur in vlceribus cruriū,& mihi quoq; placet in his vlceribus uſus ſparadrapi. ſed illud patetur in iſide diſſoluto: impoſito ſupra laminā linteolo infecto diapalma diſſoluto, ſuper imponetis ſpongiā, & ligabitis partē eadē ratione qua prius. quod ſi tertia, vel quarta viſitatione videretis vlcus deterſum, & remotam eſſe inflāmationem; nō utamini amplius ſpōgia, quia nō adeſt neceſſitas,& dimittetis medicamēta ualidiora,& deuenietis ad mitiſſima,& cū uideritis labia attenuata eſſe, quod ſolet fieri quatuor, uel quinq; impoſitionibus medicamēti; deuenietis ad aliquod ſarcoticum, quod vlcus expleat, de quibus diximus ſupra. verùm ad explēda carne talia ulcera, vtor ego ſępe, & feliciſſimo cum ſucceſſu medicamento Celſi, & eſt hoc.

Notandū de faſcijs.

Notandū.

Medicamētū Celſi ſarcoticum.

Rec. Squammæ æris } an. ℥. s.
Plumbi vſti & loti }
Cadmiæ } an. ℥. j.
Ceræ albæ }
Olei roſacei completi. q. s.

Miſcentur omnia,& fit medicamentū emplaſtica forma cōſiſtens, ſed quod ſolet, maligna vlcera ſanare, ſunt aquæ thermales, qualeſcumq; fuerint, dūmodo non ſint bituminoſæ;& ego poſſum ingenue fateri, ꝙ vſu aquarū thermaliū ſanaui infinita maligna vlcera, quę nulla alia arte potuerūt ſanari, ſed nō oportet ipſis uti; quales oriuntur ex ſcaturigine, quia potius poritāt ulcus, quā proſint: hinc eſt quod multi eorū, q patiūtur maligna ulcera, ſi adeāt balnea,& ipſis utātur calidis,& quales aquæ illæ ſcaturiūt, accipiūt potius nocumentū, quā iuuamentū:& paucos uidi ſanatos eorū, qui fuerūt in balneis habētibus adhuc ſulphureos illos ſpiritus,& caliditatē illam; nā ſpiritus illi ſunt copioſi,& tāti, vt non ſolū concoquant, ſed etiā inflāment: vnde ego non utor aquis thermalibus, ſub illa caliditate; quā habent ex ſcaturigine, nec dū habent ſulphureos ſpititus, ſed accipio aquam,& ſino, ut refrigeretur,& euaneſcāt ſulphurei ſpiritus, ſi adſint; deinde ad ignē calefacio aquā ita, ut nō ſit magis calida quā ſub tepida ita, ut ſit minus quā tepidiſſima, deinde mādo ut æger teneat mēbrū affectum in hac aqua, bis in die mane,& veſperi per horā ſingula vice, aliquādo per duas horas; aliquādo p tres;& qa aqua ſemp refrigerat; ideo vt ſeruetur, in illo tepore leniſſimo, ſępe addo parū aquę magis calidę:& hoc modo, ex ſolo vſu thermaliū aquarū ſanaui infinita vlcera maligniſſima:& qcunq; aqua cōuenit, dūmodo nō ſit bituminoſa,& nō habeat vapores

Aqua thermales optimæ ſit.

Quomodo eis utendū.

copioſiſſimos ſulphureos; etiã ſi ſulphuris ſubſtantiam haberet bona eſt: unde ego uſus ſum acqua Sãcti Petri, & profuit: ſimiliter aqua montis orthoni, montis groti: & ſi nulla alia faceret, aponitana facit, ad quam confuglo, tanquam ad ſacram anchoram, & uidi mira, ex uſu ipſius adhibita, eo modo, quo dixi & modus eſt à me inuentus; & eſt profecto pręſtantiſſima, habet enim ſal, qui ſiccat, habet marmor, gypſum, &c. conſulo igitur uobis, ut ſi eritis in locis, ubi ſint aquæ thermales, ipſis utamini, qualeſcumque fuerint, bituminoſis exceptis, & ſi habuerit plurimos uapores ſulphureos permiſtatus, ut euaporent, & vtamini, eo modo, quo dixi: & quando vtimini acquis thermalibus, non imponatis vllum medicamentum acre, nam ego ut experirer, volui, aliquando vti medicamentis à Galen. propoſitis in curatione horum vlcerum, vt ſupra dixi, & non ſucceſſit; ideo dum vtimini aquis thermalibus fugiatis curationem traditam a Galen. per ſpongiam, & imponatis vlceri, poſt uſum aquæ, medicamentum aliquod mediocre, deinde linteum, & poſtea faſcia ligabitis: nec opus eſt ſpongia, quia in vſu aquæ proceditis per niã conceſſionis: at ſi non haberetis aquas thermales, vtamini curatione propoſita ex mente Galeni per ſpongiã & reliqua, & ſi volueritis magnam ſiluam medicamentorum, pro his malignis vlceribus, legatis Paulum in quarto lib. cap. 46. & Aetium, in lib. 14. cap. 44. ſed vltimam manum omnibus medicamentis pro huiuſmodi vlceribus impoſuit Galenus, in 4. de comp. medic. per genera, cap. quarto, quinto & ſequentibus, vbi per ordinem, & gradus proponit plura medicamenta.

Aqua Aponitana.

De Vlcere herpetico, ſeu de Herpete exulcerato. Cap. XX.

Herpetis ſignificationes, & ſpecies.

Herpes dictum vlcus ſuccedit iam curandum: & antequàm veniam ad curationem, notãdum vobis eſt in hac voce herpes, quód, vt dicit Galenus in ſecundo ad Glauconem, cap. 1. & in 2. meth. medendi, cap. 2. & in lib. de differentijs morborum. cap. 12. & in libello de palpitatione, quod inquam vox iſta herpes, nõ habet unam tantum ſignificationem, ſed aliquãdo ſignificat quandam leuem inflammationem cutis, quæ inflammatio mouetur ex uno loco, in quo incepit, ad alium locum, ut ſi incipiat in facie, non conſiſtit inibi, ſed mouebitur, & arripiet oculos, deinde frontem, tandem deueniet ad caput, & ad partes aliquãdo poſteriores, & hæc affectio, quæ eſt ueluti leuis, & cutanea quædam inflammatio uocatur à vulgo eryſipelas, tamen eryſipelas non eſt; quia natura eryſipelatis eſt, vt primo oriatur tumor in loco, & inibi conſiſtat, non autem moueatur de loco ad locum, ut facit inflammatio iſta leuis, quæ hodie, verbi gratia, oborietur in gena, cras erit in fronte, perendie, in capite, 4. die erit in partibus capitis poſterioribus, ita mouetur, & tam citò: & hæc eſt una ſpecies herpetis, quæ aliquando exulceratur, aliquando non, & eſt potius de genere tumorum preternaturam: vocaturque à recentioribus barbaris formica ambulatiua, & de hac ſpecie herpetis eryſipelati ſimillima non loquimur nos. Altera ſpecies herpetis eſt ueluti inflammatio, in qua oboritur magna copia puſtularum paruarum, quæ ſunt ſimiles granis milij, ita ut in paruo admodum ſpatio ſint aliquando mille puſtulæ paruæ, & hæc ſpecies herpetis uocatur à Græcis herpes chiẽchias, hoc eſt herpes miliaris; herpes quidem dicitur, quia ſerpit; miliaris uero, à puſtulis illis granis milij ſimilibus, & à barbaris vocatur formica miliaris, & de hac ſpecie herpetis uideatis Gal. in lib. de tumoribus præter naturam, cap. 9. & in 2. ad Glauconem ca. 1. at nec de hac ſpecie herpetis loquimur nos, quia ſequitur naturã tumoris pręter naturam, ſed de hac, & de priori ſpecie egemus anno ſequẽti inter tumores præter naturã. Tertiò herpes ſignificat genus quoddam vlceris, quod à barbaris appellatur formica corroſiua: & de hoc herpete loquimur nos in p̃ſentia, & dicitur formica ab iſtis, ut dixi, quoniã ut formica animal ſi progrediatur, & ambulet ſuper corporis noſtri partem aliquam, percipitur uellicatio & mordicatio quædam leuis ratione pedum talis animalis. ita etiam, qui patiuntur tale genus ulceris, percipiũtur quandam mordicationem leuem. 2. dicitur formica, quia ſicut formica animal progrediendo paruum iter facit: ita vlcus iſtud ſenſim, ac ſenſim ſerpit, & progreditur, dicitur poſtea corroſiua ad differentiam aliarum formicarũ, ideſt, aliarũ duarũ ſpecierũ herpetis, quas diximus, quoniam hæc ſpecies exedit cutim: illæ autẽ priores non ſemper. dicitur deinde à Græcis formica hæc herpes, ideſt ſerpẽs, quia facit, ut ſerpentes animalia, qui dum incedũt, cum careant pedibus, totum ſolum comprimunt: ita hoc vlcus, cum inuaſit partem aliquam, procedit inde ad alias partes, & nullum ſpatium medium non ulceratum relinquit, ita quod non facit ſaltus, & exemplum habetis à Galeno, in 14. meth. de matrona illa Romana: quæ primo paſſa eſt hoc genus vlceris in genu, & incepit

Formica corroſiua.

ſurſum

Digitized by Google

ſurſum ſerpere, & procedere ita, ut deuenerit ad inguen, & non fecit ſaltum à genu immediatè ad inguen, ſed nullam partem a genu ad inguen reliquit, quæ non paſſa eſſet corroſionem. 2. dicitur herpes id eſt ſerpens, quia ſicut ſerpens animal procedendo relinquit poſterius uiam; ita ulcus iſtud progrediens relinquit poſteriores partes non exulceratas ſed ſanas, non quod ſanentur medicamentis ſed ſponte naturæ ſanantur, & hoc eſt ſignũ certiſſimum vlceris herpetici, arripere ſemper nouas partes, & quas antea corripit relinquere ſanatas: & quod hoc ſit uerum conſideratis iſtos, qui laborant morbo gallico, in quibus ſoleat hæc ulcera oboriri, & referent, quòd ſi inceperit tale ulcus in medio uolæ manus, & ſerpat uerſus brachium, relinquet partes in uola ſanas, ita quod quantum acquirit procedendo, & ſerpendo, tantum partis ſanę relinquit. vnde notate, quod ulcus iſtud herpeticum differt ab ulcere creſcente, uel procedente, quod ambulatiuum ulcus ab iſtis barbaris uocatur: nam vlcus ſerpens, ideſt ulcus herpeticum licet augeatur, tamen relinquit partem poſt ſe ſanam; at ulcus procedens ſeu ambulatiuum ſerpit, & nullam partem ſanam relinquit, ſed longe magis dilatatur. Subiecta pars ulceri herpetico eſt cutis tantum, ita quod eſt affectio ſolum cutanea. nam abſumit uel cuticulam tantum vel corium tantum, & nullam aliam partem, quæ ſub cute ſit, ut experientia indicat, & ut Galen. dicit in 6. aphori. com. aph. 45. & in libro de tumoribus præternaturam cap. 13.

Vlcus herpeticũ differt ab ambulatiuo ulcere.

Cauſa.

Cauſa huius ulceris eſt eadem, quę & eryſipelatis, nempe humor bilioſus; unde Gal. in 14. meth. cap. 17. dicit herpes eſſe eiuſdem generis cum eryſipelate, intelligens ratione materiæ. Sed notate, quòd quamuis materia iſtorum ſit una, & eadem, nempe ſuccus bilioſus, tamen materia non eſt ita eadem utrique, ut materia unius non differat aliqualiter à materia alterius; quoniam materia eryſipelatis eſt ſanguis bilioſus & tenuis; & ideo eryſipelas eſt ſpecies inflammationis, alioqui non fieret ex materia ſanguinea; at herpes non fit ex bile commiſta cum ſanguine tenui, ſed ex puro ſucco bilioſo tenui, aut craſſo ut dicit Gal. in 2. ad Glauconem cap. 1. nec obſtat ſi mihi adducas locum Gal. in 14. meth. cap. 2. ubi inquit, quod eryſipelas fit ex pura fluxione bilioſa, non obſtat inquam, quia per fluxionem bilioſam puram intelligit fluxionem ſanguinis tenuis mixti cũ ſucco bilioſo non autem intelligit fluxionem puri ſucci bilioſi, ideſt qui non habeat admixtum ſanguinem, vel humorem alium.

Notandũ.

Definitio Herpetis.

Colligatis igitur, quod herpes eſt vlcus acquirens ſemper nouam ſedem, & relinquens poſteriorem partem ſanam, afficiens cutim tantum, factum ex pura bile. Verùm animaduertatis, quod quemadmodum dantur plures ſpecies ſucci bilioſi, ideſt bilis, ita dantur variæ ſpecies herpetis, nam quando ſerum bilis, quod habet parum bilis admixtæ, fluit ad cutim, facit illam ſpeciem herpetis, quæ barbaris uocatur formica ambulatiua; & non exedit cutim quia tale genus bilis eſt tenue admodum, ideo euaporat; aliud genus ſucci bilioſi eſt, quod non valde feruet, & eſt paulo craſſius, quàm ſerum, & hoc, ſi tranſmittatur ad cutim, cum non poſſit exhalare ita facile, ſeparat cuticulam à corio, & excitat veſiculas puſtulaſvè, & facit herpetem miliarem uocatum: tertium genus bilioſi ſucci eſt ipſamet bilis tenuis, & pura, quæ ſi putreſcat feruet maximè, & hæc deueniens ad cutim, cum non poſſit exhalare, nec exudare, & feruens ſit, exedit cutim, & facit herpetem, qui ſimplex, & purus herpes dicitur, & de hoc loquimur nos: quartum genus ſucci bilioſi eſt bilis craſſa reddita, vel per ſuper aſſationem, vel per admixtionem, & iſte ſuccus ad cutim deueniens exedit totum corium, & facit herpetem, qui dicitur herpes æſtiomenos, ſeu exedens:

Bilis ſpecies.

Primum genus.

Secundũ genus.

Tertium genus.

Quartum genus.

Vlcus herpeticũ duplex.

Auicennæ lapſus.

Colligatis igitur, quod duplex eſt herpeticum ulcus, vnum quod fit à pura bile tenuiori, & feruente, quæ erodit cuticulam, & vocatur herpes ſimplex, & à barbaris formica corroſiua. Alterum fit à bile craſſiori, & erodente totum corium, & hoc pariter à barbaris vocatur formica corroſiua, & à Guidone herpes canceroſum, & à græcis herpes æſtiomenos, & hic non tangam difficultatem illam, quæ oritur ex contradictione Gal. qui in 2. ad Glauconem cap. 1. vult, ut herpes miliaris fiat à pura bile feruefacta, in 14. autem meth. cap. 17. & in libro de tumoribus præter naturam cap. 9. dicit quod fit ex ſucco bilioſo, qui habet admixtam pituitam. Sed de re hac dicam anno ſequenti, cum agam de tumoribus præter naturam. quia herpes eſt potius de genere tumorum. Conſtet igitur apud uos, quòd herpes exulceratus eſt duplex, & uterque fit à bile; ſed unus à bile tenui, & dicitur herpes ſimplex, & erodit cuticulam tantum; alter fit à bile craſſiori, & afficit totam cutim, & uocatur herpes ęſtiomenos, ideſt exedens: ſed notate quòd Auice. in Tractatu primo tertiæ fen. 4. lib. cap. 6. 7. & 8. loquitur de his herpetibus, ſub nomine formicæ miliaris, & formicæ ambulatiuæ, & ſciatis, quòd confundit herpetes cum myrmecijs, & uerrucis Galeni, nam Auicenna deceptus eſt à nominibus formicæ myrmecion enim formica dicitur apud Galenum & ideo Auicenna credidit myrmecia eſſe unum, & idem genus morbi cum herpete: ſed deceptus eſt, & ſi vultis uidere, quid ſint myrmecia, & quomodo differant ab herpetibus, legatis Galenum in 14. meth. cap. 17. Cum itaque Auicenna: & cum eo Guido confuſem de

herpete

herpete egerint, ideò nos omittemus ipſos. Celſus in 5. lib. cap. 8. loquitur de herpete ſed non ſub nomine herpetis, quia herpes apud ipſum ſignificat aliud genus morbi; ſed ſub nomine ſacri ignis, & inibi facit duas ſpecies ſacri ignis, unam uocat leuem, &

Sacer ignis Celſi.

eſt herpes ſimplex, ut dixi, uocatus ab Hipp. & Gal. & iſte herpes, uel ſacer ignis leuis uocatur vulgo uolatica: alter ſacer ignis ſæuus eſt, ait Celſus, & idem eſt, quòd herpes æſtiomenos græcorum. Igitur herpes duplex eſt, unus non ulceratus, de quo non loquimur,

Herpes ulceratus duplex.

alter ulceratus, & de hoc loquimur, qui adhuc duplex eſt, unus qui exedit cuticulam tantum, & uocatur herpes ſimplex, & eſt ſacer ignis leuior Celſi, & formica corroſiua leuior recentiorum; alter eſt qui exedit corium, & uocatur herpes exedens vel æſtiomenos, & idem eſt, quod ignis ſacer ſæuus apud Celſum, & à barbaris uocatur formica corroſiua ſæuior: & ille ſimplex fit à puro ſucco bilioſo tenui; hic autem à bile pura, ſed

Curatio.

craſſiori. Curatio ulceris herpetici ſuccedit, quod ulcus licet inter ea, quæ ſerpunt, ſit minus periculoſum, tamen eſt curatu ualde difficile, ita ut egeat medicamento fortuito, ait Celſus, nam ſi in corpore laborante herpetico ulcere accendatur aliqua ſpecies ephi-

Si ſuccedit febris ephemera, ſanatur ulcus.

meræ febris, & illa ſit intenſa, & totam diem perduret, ſolet ex tali febri ſanari ulcus, quia febris abſumit totum humorem facientem ulcus: uerùm non ſemper ſuccedit hæc febris, quæ inſtar ignis conſumat totam materiam facientem ulcus herpeticum: & ideo requiritur manus medica ad ſanandum tale ulcus. Quoniam igitur ulcus herpeticum, eſt ſemper in motu: nam ſemper aliqua pars ipſius gignitur, & aliqua ſanatur, ideo hinc

Indicationes duæ.

colligitur, quòd habet cauſam præſentem. ſcilicet fluxionem ipſam: & idcirco duo proponuntur agenda in curando hoc ulcere, ait Gal. in 14. meth. cap. 17. unum eſt ablatio

Primus ſcopus.

cauſæ, ideſt fluxionis, nam dum ſemper fit ulcus, ſemper habet cauſam præſentem: & quia aliqua pars ulceris facta eſt, hinc inſurgit 2. ſcopus, ſeu ſecundum propoſitum, & eſt curatio partis factæ, quo ad primum ſcopum, ſeu propoſitum, oportet primò cognoſcere, quisnam humor ſit, qui facit tale ulcus; hunc autem nouiſtis eſſe bilem. 2. cognoſcendum eſt, qualis bilis eſt, tenuis ſcilicet, an craſſa, nam ſi tenuis ſit, ſtatim educitur ex corpore, & non eget concoctione, neç attenuatione, ſi autem craſſior ſit, antequam euacuetur, requirit concoctionem, & attenuationem, 3. requiritur ut cognoſcatis quan-

Signa oſtendentia ſpeciem bilis.

titatem humoris, an ſcilicet multa, uel pauca ſit bilis, in toto corpore ut in parte affecta. qualis bilis ſit, tenuis, uel craſſa, cognoſcetis ex ſpecie ulceris, ſi enim abſumatur cuticula tantum indicatur, quòd bilis eſt tenuis: ſi autem ulcus ſit æſtiomenos, ita ut exeſum ſit toum corium uſque ad carnem, indicatur quòd eſt craſſa bilis. utrum autem bilis ſit multa uel pauca cognoſcetis ex magnitudine ulceris, ex diuturnitate etiam eiuſdem ex

Ratio auferendæ fluxionis.

habitu corporis, & ex forma ulceris; His præcognitis, auferenda eſt fluxio, & 1. hoc tentandum eſt per rationem uictus. igitur in omni herpete curando 1. debetis inſtituere rectam uictus rationem, & uictus debet eſſe penitus talis, qualis inſtituitur in eryſipelate: uictus autem iſte qualis eſt? Dicunt omnes recentiores, quòd humectans, & refrigerans, &

Victus ratio.

parum nutriens. Sed Celſus diſſentit ab iſtis, nam quamuis reſpuat ſalita omnia acria, & glutinoſa cibaria, tamen concedit panem azimum, carnes uenaticas omnes, excepto apro; piſces, carnes hedinas, & copioſum potum uini auſteri; ita ut æger inebrietur; nam ex potu talis uini, facilè fit inebriatio, ego autem aliquantulum diſſentio, & à recentioribus, & à Celſo, & primum dico, quòd ſi herpes leuis ſit, & exedat ſolam cuticulam, ſum cum Celſo, quòd concedendæ ſunt carnes, & uinum, & ſimilia; ſi autem herpes eſſet momenti, ut æſtiomenos, exedens totum corium, uſque ad ſubiectam carnem, tunc cum recentioribus interdicerem omnes carnes, piſcibus exceptis; nam requiritur uictus attenuans, & refrigerans; & ideo tunc mala eſt ambulatio magna, & ualidus motus, & balneum, licet Celſus hæc concedat. igitur uictus debet eſſe refrigerans, & humectans, & potius attenuans, quàm multum nutriens. Victu conuenienti inſtituto, deueniendum eſt ad euacuationem humoris, nam & hoc pertinet ad ablationem cauſæ: euacuatio autem duplex proponitur, à Galeno una leuis aliquantiſper, altera ſæuior; leuis eſt, quæ

Euacuatio humoris.

fit per urinam: cum enim bilis ſit humor tenuis facilè, inquit Galenus excernitur, & euacuatur per urinam: itaque tentanda eſt euacuatio per urinam. id autem fiet per medicamenta urinam prouocantia, quæ medicamenta ſunt duum generum, alia ualde calefacientia, & alia parum calida, & potius temperata, in hoc autem caſu fugienda ſunt,

Vrinam cientia duplicia ſunt.

quæ admodum calefaciunt, ut cinnamomum, & alia aromata, quæ lotium prouocant, & reliqua, quæ ualde calefaciunt, & utendum eſt ijs, quæ temperata quaſi ſunt, qualis eſt capillus ueneris, qui temperatus eſt in actiuis: politricum etiam conuenit, quia ciet lotium & inclinat potius ad frigiditatem. addatis ſemina melonum, anguriæ, citrullorum, ideſt cucumerum glicirizani, & id genus reliqua, & cum his admiſcere poteritis ſyrupum aceroſum ſimplicem, uel ſyrupum de pomis, uel ſyrupum biſantinum; nam omnes hi ſyrupi prouocant lotium, & non calefaciunt: ſed ſi humor non ſit tenuis, ita ut nequeat

educi

educi perlotium: vel non ſuccedat euacuatio per illam viam, nam aliquando eſt tenuis, tamen non poteſt euacuari per viam illam, tunc euacuandum eſt per aliam viam, ſcilicet per inteſtina exhibito pharmaco, vel iniecto clyſteri, quæ euacuatio, per hanc viam eſt ita neceſſaria aliquando, vt ſine ipſa non poſſit ſanari herpes, & exemplum habetis à Gal. in 14. meth. cap. 17. de matrona illa Romana, quæ patiebatur ulcus in genu, & continuò ſerpebat ſurſum, nolebatque admittere euacuationem, & nunquam potuit ſanari, niſi prius fuerit purgata: in hac autem euacuatione notate præceptum Gal. in 2. ad Glauconem, & eſt quòd curatio, quoad capita omnia, eſt eadem in eryſipelate, & in herpete; in eryſipelate autem non vult, vt primo veniamus ad euacuationem, per exhibitum pharmacum, ſed per cliſterem acrem, quia cum affectus fiat ab humore tenui, poterit talis humor ex ſola inteſtinorum proritatione educi, & tranſmitti, cum itaque hoc fiat in eryſipelate, & curatio in communibus capitibus eadem cum conueniat eryſipelati, atque herpeti; ſequitur quòd, & in herpete non erit ſtatim in principio exhibendum pharmacum; ſed tentanda erit euacuatio per iniectum cliſterem acrem, qui cliſter eſt iniiciendus quotidie vel alternis diebus; talia autem cliſteria habebitis, ſi accipietis detoctionem communem, & ei admiſcebitis, vel caſſiam tractam pro cliſteribus, uel lineram, uel diaphinicon. quod ſi videbitis materiam non poſſe huiuſmodi cliſteribus educi, tunc exhibendum erit pharmacum, quod bilem educat, & ſit lene ait Galenus: ſed cur lenitas eſt affectanda in pharmacis in caſu hoc? reſpondeo quia bilis eſt humor tenuis, qui facilè educitur: 2. quia ſi pharmacum non eſſet lene, at robuſtum, calefaceret, & augeret cauſam herpetis; unde Galenus exhibet paucam quantitatem ſcammonij in ſero multo; nam licet ſcammonium ſit robuſtum medicamentum, tamen pauca quantitas & retuſa à ſero fit mite medicamentum: ſed melius eſſet diagridium, ideſt ſcammonium præparatum exhibitum pariter cum ſero; nos loco iſtorum poſſumus, exhibere caſſię florem; uel ſyrupum roſatum ſolutiuum, uel uiolatum ſolutiuum, quòd ſi vultis ſcammoneata, quia opus ſit, accipiatis electuarium aliquod, quod recipiat ſcammonium, & ita electuarium de pſylio eſt pretioſum, & lene eſt medicamentum, ita etiam electuarium de ſucco roſarum; diaſebeſten completum, diaprunis ſolutiuum; diſſoluatis igitur aliquod iſtorum, cum ſero, & exhibeatis. De miſſione autem ſanguinis nihil dico, quia non probatur in eryſipelate, ergo nec in herpete, quoniam licet cum ſanguine euacuaretur bilis, tamen ſanguis minus attenuaretur. His ſatisfacietis primo ſcopo. ſecundus erat ſanatio ipſius ulceris facti, quæ ſanatio, ſeu curatio duplex eſt ait Celſus, una quæ fit per uiam concoctionis, & reſolutionis humoris, qui eſt in extimis partibus, altera fit per refrigerationem, ſiccationem, & repulſionem: prima curatio facilis eſt, ait Gal. & optima eſt ſi ſuccedat, & fit concoquendo humores, qui ſunt ſub cute in parte extima, ita ut facile euaporent, & reſoluantur, & hanc curationem vult Celſus ut primo tentemus, utentes ſcilicet ijs, quæ concoquant, & faciant humores illos exhalare, qui humores ſunt ita tenues, ut per ſe facile euaporent: vult itaque Celſus, ut foueamus ulcus ſpongia madefacta aqua calida, uel uino, deinde mandat ut imponamus tetrapharmacum, ideſt medicamentum concoquens cui admiſcendum eſt parum thuris, ut magis concoquat, uel loco tetrapharmaci utamini medicamento propoſito à Galeno in 7. de facult. ſimpl. medicam. cap. de braſſia & eſt folium braſſicæ duplicatum, uel triplicatum ulceri impoſitum, nam attenuat concoquit, & facit humores euaporare, & his ſanabitur ulcus reſoluto humore illo per concoctionem. Verùm ſciatis, quod iſta curatio per concoctionem ſeu euaporationem non eſt tuta, quia non ſemper humor poteſt concoqui, & reſolui, præcipuè ſi craſſior ſit; & licet euaporet pars aliqua humoris, qui eſt in ſuperficie; tamen ille, qui eſt in parte exulcerata, & in profundo non exhalat; & ideo deueniendum eſt ad alteram curationem traditam à Gal. in 2. ad Glauco, & in 14. meth. cap. 17. quæ curatio præcipuè conuenit in herpete æſtiomeno, & fit per refrigerantia, ſiccantia, & repellentia, adſtringentiavè. nam per aſtrictionem inhibebitur fluxio humorum; per facultatem autem ſiccantem abſumetur humor ille, qui facit ulcus: & monet Gal. quòd licet curatio eryſipelatis, & herpetis quoad uniuerſalia capita ſit eadem, tamen quoad localia ideſt quæ ulceri imponuntur, diuerſa eſt, nam in eryſipelate conueniunt refrigerantia, & humectantia; in herpete autem humiditas mala eſt; & ideo ſolanum, poligonum, lenticula paluſtris, ſemperuiuum aqua frigida, & ſuccus lactucarum; hęc omnia cum opportuna ſint, & laudata à Galeno in eryſipelate: mala ſunt in vlcere herpetico; ſed loco illorum conueniunt folia, & capreoli uitium, germina rubi, folia rubi canini, folia plantaginis. nam hæc omnia ſiccant, & adſtringunt: & ſi uolueritis medicamentum, quod aliquantulum etiam digerat, & diſſecet admiſceatis ipſis decoctum, uel farinam ſeminum lenticulæ paluſtris, uel farinam hordei uel parum mellis, uel ſi volueritis medicamentum optimum, imponatis medicamentum propoſitum à Galeno pro inflammatione, & locus eſt in 2. ad Glauco. cap. 2.

Purgatio.

Clyſtere.

Medicamentum lenieus.

Miſſi ſanguinis non probatur.

Secundus ſcopus.

Cocoquentia medicamenta.

Folia braſſica.

Frigida quæ non cõueniant, et quæ probentur.

Digitized by Google

quod conſtat ex farina hordei, cortice mali punici, ſumach, & ſemperuiuo : ſed dema-
tis ſemperuiuum, & conficiatis emplaſtrum ex reliquis, & imponatis. Proponit etiam
Celſus medicamentum unum, quod mihi placet, & eſt, ut coquamus citonia in uino
auſtero craſſo, deinde accipiamus carnem illam, & facto ueluti emplaſtro applicemus, &
hoc eſt bonum non ſolum ad ulcera herpetica; ſed etiam ad menſam. Poteritis etiam ac-
cipere folia hederę nigræ, concoquereq; in uino auſtero, & ſuper imponere, & optimum
eſt medicamentum. Igitur imponatis aliquod iſtorum, nam omnia ſiccant adſtringunt,
& refrigerant; & ideo per aſtrictionem repellitur fluens humor; per ſiccitatem autem ſu-
perabitur mala qualitas humoris. Verùm ſciatis quod Galenus uidetur ſibi non conſtare,
Repugnantia in Galeno. nam in 14. meth. cap. 17. reprobat polygonum in ulcere herpetico, tamen in 8. de facult.
ſimpl. medici. capite de polygono dicit ipſum eſſe bonum pro herpetibus: 2. in eodem lo-
co in 14. meth. damnat ſemperuiuum; at in 6. de faculta. ſimpl. medici. cap. de ſemperuiuo
dicit ipſum eſſe opportunum herpeti, quia ſiccat, & refrigerat, 3. damnat uſum aquæ, quia
nõ aſtringit, tamen ego plura, & antiquata ulcera herpetica ſanaui ex ſolo uſu aquę frigi-
dæ madefaciendo linteola, & imponendo, remouendoque ſemper cum incipiunt ſiccari,
& quanto aqua erit frigidior, tanto eſt melior: quid igitur dicendum? Dico quòd optimè
Solutio. dicit Gal. & 1. ad illud de polygono; dico quòd cum dicit in herpete non conuenire, intel
ligit in herpete æſtiomeno, nam quamuis ſiccet, & refrigeret, ſeu aſtringat, tamen non
aſtringit, nec ſiccat tantum, quantum requiritur in magno, & exedente herpete: quando
autem in 9. de facul. ſimp. dicit quòd conuenit, intelligit in ea ſpecie herpetis, quæ non eſt
exulcerata, & eſt inflammatio ſerpens de loco ad locum, & in tali herpete utique conue-
nit ſuccus polygoni: igitur in herpete leui conuenit; in magno autem non. Idem dico
de ἀειζῶον ideſt de ſemperuiuo, cum leuiter aſtringat, & ſiccet, conuenit in herpete non
ulcerato, & leui; at in magno ac exedente nequaquam, quia non ita ſiccat, & adſtringit,
quantum requiritur in his magnis, de aqua autem dico, quod ſanat quidem, ſed non ra-
tione methodica, quia non ſiccat, ſed humectat; non ſiccat dico per ſe, ſed bene per ac-
cidens, quatenus introducit intemperiem frigidam, quæ intemperies eſt illa, quæ repel-
lit humores, ad quam repulſionem, ſequitur ſanatio ulceris, & ita aqua per accidens ſic-
cat, & ſic per accidens ſanat: at methodica ratio curandi herpeticum ulcus requirit medi-
camenta, quæ per ſe ſiccent; non autem quæ per accidens; & ideo Gal. damnauit uſum
aquæ frigidæ, tanquam medicamentum, quod per ſe non ſiccaret, ſed humectaret; ſco-
pus autem in curando herpete eſt ſiccatio, & aſtrictio, ſeu refrigeratio per ſe, quæ omnia
præſtant ſupradicta medicamenta; in quibus tamen obſeruandum à uobis eſt, quòd non
Obſeruãdum, in oppoſitione medicamẽtorum. ſunt ponenda in ipſo ulcere, ſed in partibus ſanis circumpoſitis, & præcipuè ſuperioribus.
ſiue igitur utamini emplaſtro ex lentibus, ſiue ex folijs, & capreolis uitium, ſiue ex cor-
ticibus punicorum, ſiue ex folijs hederæ nigrioris, decoctis in uino auſtero, ſiue quocun-
que alio, ſemper applicetis partibus ſanis circumpoſitis, & præcipuè ijs, quæ ſunt ſupra
ulcus; & nunquam imponatis talia medicamenta ulceri ipſi. Iam uerò in ulcere quid
eſt imponendum? Gale. diſtinguit naturam, & tempora ulceris, inquit enim, quòd eſt
obſeruandum, an ulcus ſit nouum, ideſt recens, & mite, an antiquatum, & habeat na-
turam quandam robuſtam, & rebellem, ſi recens ſit, & mitius, exedens tamen, ita ut
exeſum ſit corium uſque ad carnem; ſed non habeat naturam rebellem; ſi inquam ulcus
ſit incipiens, & mediocre, docet quid ſit imponendum, & locus eſt in 6. lib. de facult.
ſimpl. medici. cap. de glaucio, & inquit quòd imponendum eſt glaucium, uel ea, quæ
habent eandem uim, quam glaucium; & ideo cum nos careamus glaucio, oportet ut re-
curramus ad ea, quæ habent eandem facultatem, glaucium autem ſummopere aſtringit,
ut ipſe dicit, ita ut faciat faſtidium, nam ſi quis accipiat glaucium in os percipiet tantam
aſtrictionem, ut quaſi aſtrictio ſit faſtidioſa, & quodam modo doloroſa; igitur oportebit
accipere ea, quæ glaucio ſint ſimilia in ipſa aſtrictione; & ſint ſiccantia etiam, & refrige-
rantia, huiuſmodi autem ſunt gallę immaturæ, malicorium, rubrica ſinopica, quæ in offi
In ulcere apponenda adſtringentia ſiccantia, & refrigerãtia. cinis vocatur bolus orienralis, ſanguis draconis in lachrima, acacia officinarum; nam aca
cia antiquorum caremus. his addatis cornu cerui combuſtum, & lotum, & cornu boui-
num combuſtum, & ablutũ, cornu capræ combuſtum, & ablatum, ſcoriam ferri, præpara-
tam, atque ablutam ſcoriam plumbi; calcen decies extinctam, & ablutam. Hæc erunt ma
teria medicamentorum pro herpetico ulcere, incipiente mediocri, & non rebelli, hæc
autem medicamenta poteritis imponere, uel ſub forma pulueris inſpergendo ſcilicet ip-
ſa ſuper ulcus, aliquando excepta aqua pura, uel ſapa, uel uino auſtero; cum aliquo iſto-
rum liquorum poteritis excipere medicamenta illa, uel pulueres ipſorum, & facere ue-
luti linimentum; quòd ſi uolueritis uti aliquo compoſito, ego habeo familiare medica-
mentum iſtud deſcriptum à Galeno in 5. de compoſitione medica. per genera cap. 11.
& uocatur paſtillus Largi, quod medicamentum reperi eſſe præſtantiſſimum, reperi in-

quam

Digitized by Google

quam tùm ex eis,quæ recipiuntur in ipſis,nam omnia habent,quę requiruntur,tùm etiam ipſa experientia; deſcriptio autèm hæc eſt. *Paſtillus largi optimus.*

Rec. lithargirij ℥ xxxviij.
aluminis ſciſſilis ℥ xij.
acaciæ noſtratis,nam habet eaſdem vires, quas acacia antiquorum. ℥ viij.
croci
Thuris
diphrigis
opij } an. ℥ xvj.

Sed notate, quòd nos caremus, in hac regione alumine ſciſſili: ſi eſſemus Neapoli, poſſemus ipſum habere, ſatis copioſum, ex balneis putcolanis aliqui cùm legerint apud Arabes, alumen plumæ,putarunt alumen illud plumæ, quod habetur in officinis, eſſe alumen ſciſſile. ſed decipiuntur quia alumen plumæ officinarum eſt amiantus antiquorum, igitur loco aluminis ſciſſilis, vtamini alumine rochæ combuſto, in eodem pondere. loco diphrigis, quia non habemus bonum ad manus, nec illud, quod colligitur in catinis ærarijs, nec alterum; ideo loco ipſius, accipiatis æs vſtum: hæc erant adnotanda. Teruntur omnia,& miſcentur, atque cum aqua fiunt paſtilli, & ſeruantur; tempore deinde vſus accipiuntur, & diſſoluuntur aqua, vel melle roſaceo; & imponuntur vlceri. Vtor aliquando vnguento de tutia magiſtrali, cui tamen admiſceo æs vſtum, vel gallas immaturas,& fit optimum medicamentum. Vtor & medicamento illo præſtantiſſimo de lana combuſta vocato, quod deſcribitur ab Aetio lib. 14.cap.60.& à Paulo lib.4.cap.20.& deſcriptio talis eſt. *Medicamētum de lana combuſta.*

Rec. malicorij dulcis, ideſt corticis mali punici dulcis,non autem
auſteri
lithargyrij } an. ℥ vj.
lanæ ſuccidæ circa tædam combuſtæ ℥ iij.
ceræ albæ ℥ xij.
ceruſſæ ℥ viij.
thuris
aluminis ſciſſilis, vel loco ipſius aluminis rochæ combuſti } an. ℥ j.
olei myrtini. q. s.

Teruntur in mortario,& affunditur ſupra oleum,& miſcentur donec acquirant craſſitiem ſtrigmenti, & quaſi linimenti. Verum notate,quòd nos non habemus lanam ſuccidam combuſtam circa tædam; & vt intelligatis,capiebant antiqui tædam, ſcilicet lignum ex picea pingue,& circa ipſum inuoluebant lanam ſuccidam, deinde comburebant lignum illud cum lana, & colligebant cinerem ;& hoc vtebantur. Itaque cum non habeamus tædam copio ego lignum, vel ex abiete, vel alia arbore, & oblinio ipſum reſina terebynthina, vel abietina, vel pinea, vel aliqua alia; deinde circumuoluo lanam, & comburo, vt Antiqui faciebant. Hoc itaque modo curabitis vlcus herpeticum nouum mediocre,quod non ſit rebelle. ſed ſi vlcus eſſet robuſtius, & difficilius curatu, ego vtor aliquando medicamento deſcripto à Celſo in quinto libro,capite nonageſimo ſecundo, & dicitur medicamentum Hyeræ, quod opimum eſt, & ipſum poteritis vlceri imponere, & quia nihil in ea deſcriptione eſt immutandum; ideo non deſcribam ipſum. Vel vtor paſtillo Andronis, vel Polyidæ,vel Paſſionis, vel Muſæ, vel Arei: omnes iſti trochiſci optimi ſunt, & in officinis habebitis paratos illos, Arei,& Polyidæ:ſi volueritis ampliorem ſiluam medicamentorum imponendorum vlceri, legatis Galenum in quinto libro de compoſ. medica per genera.capite vndecimo, & duodecimo. Igitur diſſoluatis aliquod iſtorum medicamentorum,ſeu trochiſcorum,diſſoluatis inquam vino auſtero,vel ſapa, vel aqua, & applicetis vlceri, deinde ſuper imponatis emplaſtrum aliquod ex ijs, quæ dicta ſunt. Verum ſciatis, quòd Recentiores quando vſi ſunt prioribus medicamentis mitioribus, & iſtis poſterioribus magis validis, & vident quòd non profuere, ſed adhuc ſerpit vlcus, deueniunt, & ego cum ipſis, ad robuſtiora, quæ habeant maiorem vim cauſticam, quæ recipiunt argentum ſublimatum, vel arſenicum, & paramus medicamenta, vel ſub forma pulueris,vel ſub forma liquida:ſub forma pulueris hoc modo. *Quomodo comburebāt lanam antiqui.* *Si ulcus ſit magis rebelle.* *Robuſtiora medicamēta.*

Rec. arſenici ſublimati,quod vocatur & chriſtallinum
auripigmenti } an. ℥ ij.
ſucci plantaginis
ſolatri hortenſis
ſucci limonum } an. ℥ ij.

Arſenicum, & auripigmentum teruntur optimè, deinde miſceantur cum ſuccis in vaſe æneo, & in ipſo coquuntur ad ignem, vſque ad conſumptionem ſuccorum,deinde iterum contunduntur, & fit puluis, qui inſpergitur ſupra vlcus multus, vel paucus, prout videbitur

tur

tur opus eſſe: verùm antè quàm ſuper inſpergatur puluis admiſcentur ei hæc camphoræ. ℥. s. opij. ʒ. j. fit puluis omnibus ſimul mixtis, qui puluis inſpergitur ſuper vlcus. additur autèm camphora, quia dat penetrationem: additur verò opium, vt obtundatur aliquantulum ſenſus, & minor fiat dolor à medicamento. ſi autèm volueritis medicamentum liquidum faciatis ſic.

Rec. arſenici chriſtallini } an. ℥. j.
auripigmenti }
lixiuij tonſoris lib. ij.
aquæ roſaceæ lib. s.

Tritis terendis miſcentur, & coquuntur ad conſumptionem medietatis aquæ, & lixiuij; deinde colantur, & in colatura illa madefacimus linteolum magnum pro magnitudine vlceris, & imponimus vlceri, & hoc facimus bis, & ter, aut, quater, quouſque uidemus ſuperatam eſſe malignitatem ulceris, & terminus eſt tumor, qui fit in ulcere. nam, ut ſciatis, in nullo ferè herpetico ulcere eſt tumor; ſed ſi ex prima, uel ſecunda, uel tertia, uel quarta impoſitione linteoli madefacti in humore dicto, uidebitis quòd fiat tumor, tunc cum primum uideritis tumorem, dicatis, quod ſuperata eſt malignitas ulceris, & experientia me docuit, quòd ita eſt, & cauſam credo eſſe miſtionem humoris benigni cum humore bilioſo malo contento in cute, nam humor ille bilioſus malignus cuti impactus diluitur à ſanguine benigno, uel à ſero ſanguinis fluentis ad partem ratione medicamenti impoſiti, ex qua dilutione, & mixtione humor ille bilioſus malus cuti impactus obtunditur, & non amplius poteſt errodere, & ita reſoluitur, una cum ſanguine, uel ſero ſanguinis, & non amplius ſerpit ulcus; ſed ſanatur. Itaque terminus, quouſque ſit imponendum linteolum medefactum, eſt donec appareat tumor. Cæterùm ſunt aliquot formicæ ita malignæ quòd nullo dictorum medicamentorum poſſunt ſuperari, nec unquàm in ipſis fit tumor, & tunc Recentiores deueniunt, ſicut eſt deueniendum ad uſtionem; alioqui nunquam ſuperaretur malignitas illa; facta ex uſtione, curandum eſt, ut cruſta maturetur, & concidat, & cum conciderit detergendum eſt ulcus, deterſum cum fuerit, explendum eſt carne, & obducendum cicatrice; & hæc de herpetico ulcere ſint ſatis: in ſequenti agemus de phagedæna.

Tumor in vlcere ſignũ eſt ſuperata malignitatis.

Si malignitas non poteſt ſuperari veniendum ad vſtionem.

De Phagedana. *Cap. XXI.*

POſt herpetis curationem ſequitur phagædæna; in qua primo notandum uobis eſt, quòd uox iſta phagædæna, non habet unam tantum ſignificationem, nam ut habemus à Galeno in tertio Commentario ſexti epidemiorum, commento textus trigeſimiſeptimi, phagedæna denotat eſum multorum, & diuerſorum ciborum, quando enim aliquis ſemper comedit, & plura cibaria, & multa ingerit, tunc talis affectio, quæ proritat hominem ad talem, & tantam ingeſtionem uocatur phagedæna, & qui patiuntur hanc affectionem, ut dicit author definitionum, habent hoc, quòd ſemper appetant, ſemperque comedant, & multum, & uomant etiam, & de phagedæna in hoc ſignificatu accepta nos non loquimur: ſed loquimur de phagedæna accepta pro ulcere quodam, de quo loquitur Galenus in decimo quarto method. capite decimo ſeptimo, & ulcus peſſimum eſt, & malignum: nam Galenus inibi inter ſpecies phagedænę reponit ulcus chironium, & ulcus telephium; ulcera autem iſta, ſcilicet telephium, & chironium eſſe maligna, & peſſima in ſuperiori andiuiſtis. hoc itaque ſtante colligo phagedænam eſſe ulcus peſſimum, & maligniſſimum, & dicitur à comedendo, phagin, eo quod colliquet abſumatque partes, nam exedit cutim carnes, neruos, oſſa, & omnes corporis partes: unde Auicenna in quarta quarti, Tractatu tertio, capite primo, uocat hoc ulcus, non phagedænam, ſed ulcus corroſiuum, uel ulcus ambulatiuum, quia ambulando, procedendove abſumit omnes partes, & integros aliquando artus: & iſtud ulcus, ſi leuius ſit, & non procedat, niſi leniter, & parum abſumat, uocatur à recentioribus ulcus ambulatiuum; ſi autem multum procedat, & exedat uocatur ab eiſdem ulcus manducatiuum, quia manducet, & abſumat partes, & aliquot recentiorum appellant malum lupæ, uel malum lupi, quia ſicut lupus edit partes animalium, ita ulcus iſtud abſumit, & exedit partes humani corporis: & notate quod aliud apud medicos eſt lupus, & aliud malum lupæ. nam lupus eſt ulcus quoddam, quod eſt ſpecies cancri: Igitur colligatis, quòd phagedęna græcorum, ulcus corroſiuum, uel ambulatiuum Auicennæ, & ulcus corroſiuum, uel manducatiuum, & malum lupæ recentiorum, eſt unum, & idem ulcus: & debetis optimè notare hæc nomina, ut poſtea legentes libros recentiorum,

Phagedana quid ſignificet.

Phagedana vlcus peſſimum.

Memoria. Lupus, & malũ lupæ differunt.

Digitized by Google

rum, intelligatis ipſos; nam & ipſi tradunt quædam medicamenta opportuna, quæ laterent vos, niſi intelligeretis pro quanam ſpecie vlceris ipſa proponant. Subiectum huius vlceris, quod nam eſt? nam herpetis vlcus diximus eſſe cutim, & aliquando vſque ad pannıculum carnoſum, ſicut igitur datur ſubiectum herpetis, ita datur & phagædænæ, & eſt, vt habemus à Galeno in ſexto aphoriſmor. commento Aphoriſm. 45.

Omnes partes corporis ſunt ſubiectũm huius vlceris.

non cutis tantùm, ſed & nerui, & carnes, & oſſa, & omnes denique partes corporis. vnde non poſſum non mirari de excellentiſſimo, & doctiſſimo Fernelio, qui in ſeptimo ſuo libro pathologiæ, capite nono, reponat phagædænam inter affectus cutaneos; vnde hoc ipſe acceperit equidem ignoro, cum ſciam omnes Græcos velle, quòd hoc vlcus, non abſumat cutim tantùm, ſed carnes, neruos, & oſſa, & partes denique omnes, nam eſt vlcus procedens, & abſumens aliquando artus integros. Cauſæ autèm huius vlceris quænam ſunt?

Cauſæ.

Recentiores dicunt, quod ſunt humores praui, cholerici, aucti, & mortificatiui, quòd humores facientes hoc vlcus, ſint acuti, id eſt, acres exedentes, & colliquantes non eſt dubium; at quòd ſint mortificatiui, id eſt, quòd mortificent, & priuent partes vita, ita vt non ſentiant, nec viuant, ego non concedo, nam ſequeretur, quòd phagedæna eſſet aliud vlcus nomi vocatum, in quo partes ſunt

Aduerſus recètiores.

denigratæ, & conſumptæ, & mortificatæ, quod non eſt in phagædæna; ſed hodie videbis vlcus in manu, cras cum detegis videbis deficere, & abſumptam eſſe partem carnis, vel nerui, vel alterius, & quamuis caro illa putrefacta ſit nigra reddita, tamen non eſt ſenſu priuata; & ideo licet in phagedæna partes denigrentur, tamen non mortificantur: contra autèm in nomi denigrantur, & mortificantur; Itaque falſum eſt quod humores facientes phagedænam, ſint mortificatiui, ſed quales, & qui nam ſunt? Galenus in decimoquarto methodi, capite decimoſeptimo, dicit quòd ij humores ſunt cauſa phagedænæ, qui ſunt medij inter puram bilem facientem herpetem, & inter humorem facientem cancrum; humor autèm faciens herpetem diximus, quòd eſt bilioſus tenuis, & acris: humor autèm faciens cancrum eſt atrabilis admodum exuſta, & craſſiſſima; ergo humor medius inter hos erit cauſa phagedænæ.

Quod genus humorum eſt cauſa.

Galenus præterea in ſecundo de criſibus, capite duodecimo ait, à fluxu bilis atræ fiunt phagedænæ, cancri, & elephanti. ex his ergo duobus locis, & ex veritate ipſa colligamus, quòd humor faciens phagedænam eſt humor melancholicus exuſtus acris, & non craſſiſſimus, nam quando bilis flaua per exuſtionem redditur nigra, ſed non vſque adeo exuritur, vt fiat admodum craſſa, tunc talis bilis eſt materia phagedænæ: Igitur dicamus, quòd phagedæna eſt vlcus maligniſſimum, procedens, & exedens cutim, carnes, neruos, oſſa, & partes omnes, factum ex atrabile tenuiori, & non valde exuſta.

Definitio Phagedænæ.

His habitis veniamus iam ad curationem, in qua duplex proponitur ſcopus, à Galeno in decimoquarto methodi, capite decimoſeptimo, primus eſt, vt inhibeamus fluxionem humoris, nam phagedæna fit ex influxu humoris dicti. Secnndus ſcopus eſt, vt ſanemus locum ipſum exulceratum.

In curatione duplex ſcopus.

Inhibitio fluxionis.

De primo ſcopo dicit incipiendum eſſe ab inhibitione fluxionis per attemperationem ſanguinis totius habitus, quod fiet primo inſtituta recta victus ratione, qui victus ſit talis, vt retundat calorem, & attemperet acredinem humoris; & ideo omnes cibi, & potus debent aliquantulum refrigerare, & humectare: victus ratione inſtituta ſuccedit, vt ſi videritis, quòd abundet ſanguis craſſus, & exuſtus, ſtatim euacuetis ipſum per ſectionem venæ, lenita tamen prius aluo, cum caſſia, vel alio leniente, & ſi quid eſt, quod maxime iuuet in hoc affectu, illud eſt ſectio venæ. ſecta vena, vel non ſecta, ſi adſit impedimentum, vt tenera ætas, vel ſenilis, & inſtituto victu, euacuandus eſt humor peccans per pharmacum,

Euacuationes.

prius tamen præparetur cum ijs, quæ moderatè attenuent, & attemperent humores hos peccantes, de quibus præparantibus dicam, cum agam de cancro, nam eadem præparantia conueniunt in cancro, & in phagedæna: pręparatis humoribus, euacuentur pharmaco, in quo caſu nihil eſt præſtantius confectione hamech admixta cum pulpa caſſiæ; optimum eſt etiam electuarium de pſyllio, electuariũ indum, electuarium de ſubeſten completum, electuarium de ſucco roſarum, & præcipuè ſi cum his admiſceatur parum pulueris radicum hellebori nigri pręparatarum:

Pharmaca purgantia.

ſed Guido notat, quod non ſufficit vna euacuatio, ſed bis, ter, & quater aliquando eſt repetenda; nam morbi iſti antiquati ſunt, & fixere radices; facta euacuatione, deueniendum ad alterum ſcopum, ſcilicet ad locum affectum, vt ſanemus ipſum in quo hæc proponuntur, vt repellamus humores, ſiccemus, & digeramus reſoluamuſque humores:

Alter ſcopus para affecta.

Siccandum, & repellẽdũ.

igitur ſiccãdum eſt vlcus, & ſimul, & ſemel repellendi ſunt humores fluentes: inter medicamenta autèm, quæ poſſunt hæc præſtare proponitur vna ablutio optima, quæ quotidie eſt facienda, quando detegitur vlcus, ſiue detegatur ſemel tantum, ſiue bis in die: ſat eſt, quòd quoties detegitur vlcus abluendum eſt ter, vel quater; prout opus fuerit decocto aluminoſo; diſſolua-

Alumen. tis alumen rochæ in aqua, & hac aqua abluatis optimè vlcus, nam alumen ſiccat, aſtringit, ac repellit humores fluentes, qui humores repulſi, vel digeruntur, vel medicamento poſtea euacuantur, medicamento inquam dicto per os exhibito: vel loco aquæ aluminoſæ, vtamini aqua calybeata, ſcilicet, illa in qua pluries ſit extinctum ferrum ignitum, vel calybs; hæc enim calybeata aqua dicitur, in qua coquatis roſas, myrtillos, hipocyſtidem, gallas, folia myrti, & ſimilia, quæ validè aſtringunt, & repellunt, & hac aqua, ſeu decocto colato abluetis optimè locum affectum, quo facto ſtatim expleatis vlcus aliquo medicamento, quod habeat eandem vim, & medicamentum ſit metallicum, vt longo tempore maneat, & perduret in loco, & ne citò abluatur à ſorde, & obtundatur medicamenti uis, & ideo ego ſoleo explere vlcus hoc puluere.

Rec. plumbi vſti, & loti
antimonij præparati loti
corallorum rubeorum vſtorum lotorumque
lapidis hæmatitis
thutiæ an. ℈. 1.
ſquammæ æris, præparatæ & lotæ. ʒ ij.
mirabolanorum citrinorum } an. ℈ ij.
thuris

Thus addo ob concoctionem. Miſcentur, & teruntur optimè, vt ſiat puluis tenuiſſimus, quo expleo vlcus: ſi volueritis medicamentum robuſtius, & quod non faciat magnum dolorem, non diſcedatis à præcipitato exuſto, & præparato eo modo, quo aliàs vos docui, & nihil ipſo eſt præſtantius, quòd ſi hoc non haberetis, ſoleo ego loco ipſius vti ægyptiaco vnguento, ſed temperato hoc modo, aliquando capio vnam partem ægyptiaci, & duas vnguenti de thutia, & ſimul miſceo, & expleo vlcus; aliquando capio tantundem vtriuſque. Tertio aliquando capio duas partes ægyptiaci, & vnam vnguenti de thutia, & ſimul miſceo, & hæc tertia miſtio conuenit in robuſtioribus habitibus. Secunda in mediocribus. Prima verò in teneris, vt in pueris; expleto vlcere, vel hoc vnguento, vel pulueribus dictis, impono circum circa vlcus medicamentum, quod occupet multam partem ſanam, quod medicamentum habeat vim refrigerandi, repellendi, & attemperandi acredinem humorum; & in hoc caſu, vtor eiſdem emplaſtris, quibus vtebar in herpete, vt illo ex lenticula, ex folijs plantaginis, & germinibus rubi, uel illo ex corticibus granatorum, uel illo Celſi ex folijs hederæ, vel alio Galeni ex carne citoniorum, hæc enim omnia ſunt præſtantiſſima: Alij ſolent uti unguento, ex bolo armeno, quod licet bonum ſit, tamen non eſt tale, quale requiritur; & ideo nunquam ego pro ipſo omitterem emplaſtra dicta. Itaque in ipſis inſiſtatis, & hac curatione utemini, donec cognoueritis ſuperatam eſſe malignitatem phagedænæ, quod cognoſcetis his ſignis, primo ex mitigatione doloris, nam cum uidebitis mitigatum eſſe dolorem, quod ſolet fieri, per tres, uel quatuor impoſitiones, aliquando dictorum medicamentorum: indicium eſt malignitatem eſſe ſuperatam; ſecundum ſignum eſt, quando non egreditur ex ulcere multa uirulentia, ſeu ſanies; nam debetis ſcire, quòd ex ulcere iſto ſolet copioſiſſima uirulentia effluere, ita ut non ſufficiant ægro lintea: quando ergo uidebitis cohibitam eſſe uirulentiam, dicatis ſuperatam eſſe malignitatem. Tertium ſignum eſt quando caro, quæ in ulcere eſt, uel ſub oritur, eſt boni coloris, bonæque ſubſtantiæ, non nimis dura, nec nimis mollis, hoc pariter indicat ſuperatam eſſe malignitatem. Itaque perſiſtetis in dicta, & propoſita curatione quouſque uideritis malignitatem eſſe victam. Iam ſuper eſt, ut uideamus quid ſit agendū, quando malignitas illa non ſuperatur medicamentis enarratis. dico itaque quòd deueniendum eſt ad uſum medicamentorum robuſtiſſimorum, & ita explendum eſt ulcus ægyptiaco puro, uel ægyptiaco cui admixtum ſit alumen, & calcanthum, quod ægyptiacum hoc modo mixtum in aliquibus locis uocatur ægyptiacum Auicennæ, purum autem illud eſt Meſuæ; & hoc ægyptiacum mixtum, cum calcantho, & alumine eſt medicamentum robſtiſſimum, quod poteſt ualidiſſime repellere, ſiccare, & digerere; uel loco iſtorum utamini aliquo ex ijs trochiſcis, de quibus diximus in curatione herpetis, ſcilicet uel trociſcis Polyidæ, uel Andronis, uel Paſſionis, uel utamini illo puluere arſenici ſublimati, de quo pariter meminimus ſupra in curatione herpetis æſtiomenis, quo puluere utuntur recentiores, & optimum eſt ipſum, igitur inſpergatis ſuper ulcus, & ipſum expleatis donec ſuperata fuerit maligna illa natura; uel deueniatis

Refrigerans, repellens, & attemperans acredine.

Signa ſuperatæ malignitatis.

Si malignitas nō cedat.

Robuſtiſſimum medicamentū.

Digitized by Google

ueniatis ad uſum aquæ illius, quæ fit ex arſenico, madefaciendo in ipſa linamenta, & explendo ulcus; & hæc aqua præſtantiſſima eſt: uel ſi uultis cautius rem tractare, & ex mente antiquorum, legatis Galenum in quarto libro, de compoſition. medicamentorum, pergenera, capite decimo, ubi proponit aliquot ſimplicia medicamenta optima ad ſuperandam malignitatem huius vlceris, & facilè parabilia. Recentiores monent unum de quo non meminere antiqui, & eſt, quòd quando uidemus malignitatem non cedere his medicamentis, deueniamus ad exuſtionem cum ferramentis ignitis, immò ex præcepto Auicennæ, non ſolum aliquando pars eſt exurenda, ſed etiam amputanda, ut ſeruetur uita, quod ego aliquando feci in lupa, quæ exederat iam manum, & corpum, & ſerpebat ſurſum, ita quod periculum erat de uita.

Vſtio, & inciſio.

Igitur quando malignitas non cedit medicamentis, utamini exuſtione, & ſi exeſa iam ſit caro, & omnes partes circum circa articulum, & relictum ſit tantum os, & ipſum pariter infectum ſit ſecate ipſum. facta exuſtione, ſiue facta ſit ſectio, ſiue non, tentandum eſt omni ſtudio, ut concidat cruſta, non tamen cum ijs communioribus medicamentis maturantibus, ut optimè monent recentiores, cuiuſmodi eſt butirum, oleum amygdalarum dulcium, & ſimilia maturantia, ab his enim tamquam à diabolo cauendum eſt, quia inducunt aliquam putredinem, & ita ſunt in cauſa, ut ſuccreſcant in ulcere carunculæ quædam dure, & canceroſæ: canceroſo autem reddito ulcere impoſſibile poſtea eſt, ut amplius ſanetur: & ideo caueatis ab ijs omnibus, quibus ſolemus uti ad faciendum, ut cruſta concidat, & ſunt maturantia ipſa, nam inducunt putredinem aliquam, & ſic cancroſum reddunt ulcus: unde & tetrapharmacum malum eſt; Itaque ſoleo ego abluere ulcus, & cruſtam aqua hordei in qua ſint decoctæ maluæ, uel radices altheæ; & hac aqua calida abluo optimè locum, & calore illo fouetur calor naturalis, & facit, ut cruſta concidat; facta ablutione non ſuper impono tetrapharmacum, ſed medicamentum, quod conficio ex terebyntina pluries abluta, cui admiſceo ſuccum apij. nam hoc ſiccat, & non inducit putredinem: aliquando etiam admiſceo uitellum oui, & hoc facio, quando uolo maiorem concoctionem, & ut non ita incaleſcat locus. poſtea cum ceciderit cruſta, explendum eſt ulcus carne: ſed monent Recentiores, ut non deueniamus ad ſarcotica, nam, licet ſiccent, tamen quia calefaciunt, ſunt in cauſa, ut in ulcere gignantur carunculæ canceroſæ; & ideo applicanda potius ſunt ea, quæ repellunt, nam melius eſt, ut tardè obducatur ulcus cicatrice, quàm canceroſum fiat; & ideo moneo, ut utamini aqua aluminoſa, quæ tamen ſit dilutior, quàm eſſet ea, qua ſuperius utebamur.

Quomodo explēdum vlcus carne.

igitur accipiatis aquam hordei, & in ea ponatis parum aluminis, & hac aqua abluatis ulcus quoties ipſi medemini, deinde ſuper imponatis aliquod, quod ſiccet, & detergat moderatè, quale eſt plumbum vſtum elotumque, vel elotum tantum, & non exuſtum, hoc igitur poteritis inſpergere, vel capiatis minium officinarum, abluatis, & inſpergatis: vel loco ipſius inſpergatis parum, Soli orientalis officinarum, deinde ſuperimponatis vnguentum de tutia, quod eſt diapompholigos vocatum ab antiquis: vel imponatis alterum vnguentum de tutia, quod à me vocatur vnguentum de tutia magiſtrale, & aliàs tradidi vobis deſcriptionem, & hoc modo procedetis, donec ſuboriatur caro, & obducatur cicatrice.

Siccans, & detergens.

Verùm ſciatis, quòd aliquando difficillimè talia ulcera obducuntur cicatrice, & de modo obducendæ cicatricis nihil ab antiquis habetis, ſed vtique à Recentioribus, & docent nos vnum, quo cicatrix gignitur in his vlceribus, cuius ego nequeo inuenire rationem, qua id præſtet, tamen illud efficit præſtantiſſime, & eſt lamina plumbea tenuis, in qua ſit mixta portio argenti viui; & hanc laminam ſuper imponunt vlceri, inibique relinquunt, & cicatricem inducit, & hoc remedium ego aliàs habebam ſuſpectum propter argentum viuum, tamen aliquando neceſſitate coactus, quia non poteram vllo alio medicamento vlcus cicatrice obducere, expertus ſum hanc laminam, & feliciſſimo cum ſucceſſu: Lamina autèm eſt imponenda poſt caſum eſcharæ à principio, vſque ad finem: quantum autèm argenti viui ſit admiſcendum cum plumbo non docent recentiores: ego tamen dico, quòd debet eſſe pauca quantitas, nam ſi multa eſſet plumbum redderetur fragile, ita quod non poſſet extendi, & formari in laminam: vnde ſoleo ego pro vna libra plumbi admiſcere tres, vel quatuor drachmas hydrargyri: liquefacio enim plumbum ad ignem, deinde ſuper inijcio argentum viuum, & cum refrigeratum fuerit plumbum, extendo ipſum, & formo laminam, & ſi videam, quòd frangatur, & non poſſit extendi, accipio illud plumbum liquefacio, & admiſceo minorem quantitatem argenti, vt ſi in priori admiſcui quatuor drachmas, in hoc addam tres tantum, aliquando actus faſtidio formandæ laminæ hoc modo, accipio plumbum efformoq; laminam tenuem, & frico ipſam argento viuo in eo latere, quo debet reſpicere vlcus, deinde

Modus obducendæ cicatricis.

Lamina plumbea.

Modus cōficiendi laminam.

ipſam ſuperimpono, & præſtantiſſimum eſt remedium ad obducenda cicatrice huiuſmodi vlcera. Hæc de phagedæna, iam veniamus ad aliud genus vlceris, quod nome, vel nomi appellant.

De Vlcere Nomode. Cap. XXII.

NOme vlcus ſuccedit, quod ſi vocabuli huius nome ſignificationem attendamus erit vlcus depaſcens, ſeu exedens, nomi enim apud Græcos ſignificat paſculum; vnde nomi vlcus dicetur illud, quod depaſcit, atque exedit. Sed licet vox id ſignificet, tamen per vlcus nomi, vel nome, vel nomodes non intelligimus vlcus eſſe, quod depaſcit, & procedit, quia non differret ab herpete, & à phagedæna, nam & ipſa ſerpunt, & exedunt, tamen non ſunt nome vlcus. Præterea vox hæc nomi in hac communiori ſignificatione accepta non eſt in vſu apud Medicos Græcos, præcipuè apud illos, qui Galeni temporibus vigebant, nam, vt teſtatur Galenus in quinto de compoſitio. medicam. local. capite decimoquarto, ex conſuetudine aliqua accidit, vt Medici vocent nome vlcus, quod habeat putrefactionem, atque corruptelam partium coniunctam, quæ corruptio ſerpat, ac depaſcatur. Et ideo dico, quòd nome eſt aliud vlcus, quod habet ſuam naturam non in depaſcentia, ſed in alio; & in quo? declarat nobis Galenus loco dicto, vbi monet, quod quamuis vox hæc nome ſignificet vlcus exedens, & ſerpens, tamen vſus inualuit apud Medicos, vt pro nome intelligant morbum quendam compoſitum ex vlcere, & gangræna, ideſt cum mortificatione partis, nam gangræna dicitur corruptio, & amiſſio vitæ partis alicuius, ita vt ſit denigrata, fœteat, non ſentiat, cum tamen antea haberet colorem rubicundum, & ſentiret. Itaque vlcus nome dictum eſt morbus compoſitus ex vlcere, & mortificatione partium vlceris, ideſt labiorum, & partium, quæ in cauo vlceris ſunt, & penes mortificationem nomi differt ab herpete æſtiomeno, & à phagedæna, nam quamuis vlcus herpeticum augeatur, tamen partes vlceris ſentiunt; ſimiliter, licet in phagedæna partes exedantur, vſque ad oſſa, aliquando, & denigrentur, tamen partes vlceratæ, quæ remanent ſentiunt: at in vlcere nomode partes denigratæ ſunt, fœtent, & vitam prorſus amiſerunt, & quamuis labium in vno latere aliquando ſentiat tamen in alio non ſentiet: nec ſentient partes internæ vlceris, morbus igitur iſte compoſitus ex vlcere, & gangræna, id eſt mortificatione partis eſt ille, qui nomi, vel nome appellatur, & de quo agimus nunc nos: Sed notate, quòd non ſolum vocatur nome, ſed etiam elcos nomodes, ideſt vlcus depaſcens, vocatur etiam vlcus cum putredine: vlcus igitur iſtud habet hoc quod eſt coniunctum cum gangræna, & gangræna ſolet ſerpere, & procedere, ſunt enim aliqui, qui ſtatis quibuſdam temporibus ſolent pati vlcera in cruribus, & illa quidem herpetica, quæ ſenſim augentur; ſed facto aliquo de fluxu ex toto corpore, reperietis cras, verbi gratia, quando accedetis, partes denigratas, & mortificatas; nigredo autem, & mortificatio iſta ſolet aliquando validiſſimè, & citiſſimè procedere, aliquando ſenſim; & ita vlcus nome duas habebit ſpecies, vna in qua gangræna validè, & citò ſerpit; altera in qua ſerpit paulatim: ſi gangræna, id eſt, priuatio, & corruptio vitæ lentè, & ſenſim procedat, tunc tale vlcus vocatur à Celſo therioma, ſeu thirioma; & notate, quod aliud eſt thirioma apud Celſum, & aliud apud Galenum; nam, vt Galenus dicit in commentario ſecundo, in ſextum Epidemiorum, commento textus vigeſimiquarti, thirioma vocabant antiqui ſolum vlcus pulmonis, eo quod tale vlcus faciat homines ferinos, nam iis, qui patiuntur phthiſim, ſolent incuruari vngues, ſicut incuruatos habent feræ, & hoc vlcus non intelligit Celſus per uocem illam, thirioma, ſed aliud, quod eſt ſpecies nomis, quando putrilago non multum ſerpit; altera ſpecies nome eſt quando gangræna multum ſerpit, & hæc ſpecies à Celſo vocatur herpis æſthiomenos; & hinc colligatis herpetem æſthiomenos Celſi non eſſe vllum herpetem æſthiomenum Græcorum, de quo audiuiſtis iam curationem. duæ itaque ſunt ſpecies nomis, vna in qua gangræna non multum procedit vocata à Celſo thirioma, & à Recentioribus barbaris appellatur ulcus putridum, uel ulcus fraudulentum, altera eſt, in qua putrilago validè ſerpit vocata à Celſo herpes æſthiomenos, & à Recentioribus vlcus putridum, vel fraudulentum, inclinans ad æſthiomenum, nam per æſthiomenum ipſi intelligunt gangrænam, vel ſphacelum tantum; uocant autem hanc ſpeciem nomis ulcus æſthiomenatum.

Quid ſit nome.

Huius vlceris duæ ſpecies.

Appellationes diuerſæ.

Digitized by Google

natum. vnde notate errorem Ioannis Tagaultij, qui Latinum fecit Guidonem, dum
per vlcus æſthiomenatum vertit vlcus manducans, & errauit, nam per vlcus mandu-
cans audiunt aliud genus vlceris ipſi barbari Recentiores, vt ſupra diximus; Ha-
bitis diuerſis appellationibus huius vlceris ſuccedunt iam ſigna, inter quæ primum
locum tenet color, qui in hoc vlcere nomode eſt liuidus, vel niger, ſemper enim *Signa huius vlceris.*
videbitis in huiuſmodi vlceribus partes exulceratas eſſe liuidas, vel denigratas.

Secundo odor eſt fætidiſſimus, & intolerabilis, qualis eſt odor cadaueris corru-
pti. Tertio, ſuperficies ipſius vlceris inæqualis prorſus eſt, vlcus enim videbitis ha-
bens partes inæquales, & videbitis vlcus eſſe plenum non carunculis, nec ſanie,
ſed materia quadam corrupta, & fætente, quæ eſt veluti limus, prætcrea humor co-
pioſiſſimus effluit, qui glutinoſus eſt, & fœtens, & luto ſimilis, quoad colorem.
aliud ſignum habeo ſumptum à Specillo, cui magis fido, quam cuicumque alij,
& quando alia ſigna non patefaciunt affectum, iſtud ſolum nunquam deficit, vt ſi
vlcus ſit in parte recondita, & non poſſimus videre colorem, nec ſuperficiem, vt
accidit, quando eſt in præputio, nam aliquando oritur caries in glande, intumeſcit
præputium, ita quod glans nequit detegi, caries non patet, & contrahit gangræ-
nam: in ſinibus quoque muliebribus frequenter oboriuntur talia vlcera, & tunc cum
non poſſim cognoſcere, an adſit gangræna ex alijs ſignis, recurro ad Specillum ar-
genteum, quem inijcio, & obſeruo colorem, & ſi, cum extraho, video colorem il-
lum argenteum mutatum eſſe ad luteum, vel ad ſubrubrum, colligo certo, quòd
adeſt gangræna, & hoc ſignum eſt ita certum apud me, vt certius non inuenia-
tur; tactus quoque per digitos, & medicamenta acria indicant, an ſit cum vlce-
re gangræna, nam ſi tangatis, & non ſentiat æger contactum, dicatis, quòd vl-
cus eſt nomi: ſi pariter imponatis medicamenta valde acria, & dicat ſe non per ſen-
tire dolorem; ſed pruritum quendam, indicium eſt, quod eſt nomi; & hoc e-
tiam ſigno cognoſcetis, an vlcus in abdito loco exiſtens ſit nomi imponendo,
vel inſpergendo aliquem puluerem acrem. His addatis, quòd in vlcere nomode par-
tes ſanæ adiacentes vlceri ſemper ſunt inflammatæ, & inflammatio eſt maxima re-
ſpectu vlceris, quamuis enim vlcus aliquando ſit paruum, tamen inflamma-
tio erit magna; his etiam vlceribus ſolet aliquando ſuccedere magna fluxio ſan-
guinis, quod fit, quia ob corruptelam carnis, & aliarum partium aperiuntur ve- *Adeſt ſemper febris.*
næ, & arteriæ, his accedit febris, & rariſſime fit, vt cum his vlceribus, non ad
ſit febris, & eſt quaſi impoſſibile, aliter eſſe, quia putredo communicatur cor-
di per venas, & arterias, & ſemel tantum reperi vlcus nomode ſine febre, erat
quidam, qui habebat vlcus nomodes in crure, & putrilago communicata eſt fauci-
bus, & linguæ, ita, quòd tota lingua eſt gangrænata, tamen nihil febris aderat,
quòd mihi viſum eſt veluti miraculum: & inde colligebam maximum eſſe robur
cordis in reſiſtendo illi putredini: Hæc ſunt ſigna: ſubiectum autem huius vlceris
eſt cutis, caro, nerui, & oſſa, & partes denique omnes. Cauſæ proponuntur à *Cauſa.*
recentioribus, & dicunt eas eſſe humores ſanguineos, craſſos, prauos, & ebullien-
tes, qui ob maximum feruorem contrahunt malignam, & uenenoſam naturam,
qua mortificant partes: & hinc eſt, inquiunt, quòd hæc vlcera ſolent ſuboriri ad
carbunculos, quia in carbunculis, adeſt ſanguis iſte craſſus; dicunt etiam, hæc vl-
cera conſequi ad apoſtemata magna, ſed ſi vultis cauſam immediatam, & proxi- *Cauſa corruptionis caloris innati.*
mam horum vlcerum, dicatis, quòd cauſa eſt corruptela caloris innati; calor au-
tem innatus corrumpitur in his vlceribus, vel quia humores, ſint quicumque vo-
luerint humores, præcipuè tamen melancholici, & ſanguis, ſi fuerit inflamma-
tus, vel quia, inquam, humores putreſcunt inſigni putredine, ex qua putredine
acquirunt venenoſam naturam, quæ natura corrumpit innatum calorem, vnde vi-
debitis in vlceribus herpeticis, & in phagædænicis ſtatim ſuperuenire mutationem, *Cauſa proxima.*
ita vt contrahant gangrænam; & ita ex herpete, vel phagedæna fiet nome; quod
non aliunde prouenit, niſi quia humores efferueſcunt inſigniter, & fit maxima eo-
rum putredo, ex qua acquirunt malignam naturam corrumpentem innatum calo-
rem. Altera cauſa corruptionis innati caloris eſt frigiditas ſumma; patet hoc ex vl- *Altera cã.*
ceribus obortis circa pedes, & vocantur perniones, ſæpe enim puro exiſtente ſan-
guine in ipſis ob ſummam frigiditatem perſeuerantem vlcera illa corripiuntur gan-
græna, & partes extremæ corrumpuntur. vnde poſtea neceſſe eſt ſæpe digitos, vel
partes alias amputare: cauſa igitur corrumpens calorem eſt ſummum frigus, & hoc
genus vlceris nomodis, ex corruptela caloris, ratione ſummi frigoris accidit præ-
cipuè in triremibus, hominibus ijs, qui ob delictum aliquod inibi detinentur. Ita-
que duplex eſt cauſa immediata, corruptionis innati caloris; vna eſt ingens putre-

Digitized by Google

do humorum, ſit qualiſcumque uoluerit humor: altera eſt ſumma frigiditas: tales ſunt cauſæ; ſuccedit iam curatio, in qua primum, quod eſt tractandum, inquit Celſus, eſt ratio uictus, & quies, debet enim æger quieſcere, & ſtare in lecto, & primis diebus cauere à craſſioribus, & ſolidioribus cibis, ſed uti liquidioribus debet, etiam bibere aquam, ut inquit Celſus, & ut ſummatim dicam ratio uictus debet eſſe talis, ut attemperet feruorem, qui eſt in toto corpore, & in partibus affectis: ſomnus ſit moderatus. ratione uictus inſtituta oportet ſecundo loco, inquit Celſus. euacuare humores, & ſi plenitudo adſit, euacuatio eſt facienda per ſectionem uenæ, & quidem ſtatim antea tamen leniatur aluus, alioqui ſuccederet maius malum; debetque ſanguis copioſus extrahi, ſi magna adſit plenitudo; quod ſi plenitudo non adfuerit, uel adſint contrariæ indicationes ad ſecandam uenam, deueniendum eſt ad euacuationem per pharmacum, & in hoc caſu idem pharmaci genus conuenit, quod propoſitum eſt in herpete, atque in phagedæna, euacuans exuſtos, & feruentes humores. Lenita aluo, ſecta uena, & exhibito pharmaco, ſtatim incumbendum eſt loco affecto, & prius obſeruandum eſt an gangræna ualidè ſerpat nec ne: ſi non ſerpat, uel parum, moderatius eſt procedendum in curatione; ſi autem corruptela multum procedat, robuſtiſſimis medicamentis eſt agendum. eſto igitur quòd blandè procedat, uel non ſerpat, quod cognoſcetis obſeruata corruptela, uerbi gratia, hoc ueſperi, & cras; ſi enim cras uidebitis, non eſſe auctam gangrænam, indicium eſt, quòd non ſerpit, uel parum. Præterea quando non ſerpit eſt linea quædam albicans, & capillaris inter partem ſanam, quæ rubea eſt, & inter nigram, & mortuam; ſi itaque adſit hæc linea, dicatis quòd non ſerpit, ſi autem non adſit, dicatis quòd putrilago procedit; ſi itaque non ſerpat gangræna, uel parum ſerpat, imponenda ſunt toti parti mortificatæ ea, quæ ualidè ſiccent, digerant, & aſtringant, nam facultate digerente reſoluentur mali humores; per aſtringentem repelluntur humores fluentes; per facultatem autem ſiccantem coercetur maligna natura; & ideo Celſus mandat, ut ſtatim aſpergamus aloem, & oenanthe ſimul mixta, quod medicamentum habet omnes illas tres facultates. igitur primo abluatis diligentiſſimè locum aqua aluminoſa, & ſi in ipſa cocta fuerint aliquot medicamenta, quæ habeant illas tres facultates, melior erit: quæ medicamenta poteritis etiam coquere in aqua calybeata, & erit præſtantiſſima, uel in aqua ſalita, ſiue marina ſit, ſiue reddita ſit ſalita ob admixtum ſalem; ea autem, quæ in his aquis incoquere debetis, ſunt primo folia oleæ uiridia, quibus folijs nihil eſt præſtantius ad intercipiendam putredinem. Secundo loco eſt marubium, ſcabioſa ſicca, uel uirens, radices tormentillæ, radices pentaphili, folia agrimoniæ, radix ariſtolochiæ rotundæ, folia roſarũ, folia betonicæ, radices cucumeris aſinini, oenanthe, gallæ immaturæ, folia camedrios; ſed inter hæc præcipua ſunt folia ficuum, igitur incoquatis in aliqua dictarum aquarum aliquot ex his medicamentis, ut duo, uel tria, & huic decocto poſtea colato admiſceatis mel roſaceum, & actu calido abluatis optimè totam corruptam partem; facta ablutione inſpergatis puluerẽ aliquem, ex his medicamentis, ut capiatis aloem gallas immaturas, bolum orientalẽ, ebur cõbuſtũ, ariſtolochiã rotundam, corallium combuſtum, æquis portionibus, & facto puluere inſpergatis: uel ſi uultis puluerẽ præſtantiſſimum, capiatis folia ficuum, comburatis, & inſpergatis cinerẽ illum, uel capiatis folia ficuum ſiccata, & abſq; quo comburatis, redigatis ipſa in puluerem, & ſat erit; & ſciatis, quòd inter mediocria medicamenta, nihil eſt præſtãtius folijs ficuum: & quamuis medicamenta enarrata ſint mediocria, tamen opportuna ſunt non ſolum pro ulcere nomode non ſerpente, uel parum; ſed etiam pro eis, in quibus gangræna ſerpit ualidiſſime, dummodo non ſint in partibus cutaneis, & manifeſtis, ſed in occultis, ut in ſinu muliebri, nam in locis illis abditis non eſt tutus uſus metallicorum: inſperſo puluere ſuperimponendum eſt poſtea medicamentum hoc.

Curatio. *Victus ratio.* *Euacuatio.* *Loci affecti curatio.* *Siccantia, digerentia, & aſtringentia.* *Folia ficuum.*

Rec. terebynthinæ lotæ ℥ 1.s
mellis roſacei ℥. s.
farinæ lupinorum } an. ʒ. 1. s.
lolij
aloes
boli orientalis } an. ʒ. 1.
eboris combuſti

Miſce, & facto linimento imponatur ſuper partes corruptas: in partibus autem ſanis, adiacentibus imponetis aliquod ex illis emplaſtris, quæ diximus in herpete, ſiue ſit illud ex capreolis uitiũ, ſiue ex carne citoniorũ, ſiue aliud. Sed accidit aliquando ut affectus ſit uehemens, & non cedat his medicamentis; & tunc deueniendum eſt ad uehementiora, & ita ablutio cum aqua illa non erit opportuna; ſed capietis aliquam dictarum aquarum, ſeu decoctionum, & ad miſceatis ægyptiacum, uel miſceatis ægyptiacum cum uino, & optimè, abluatis locum affectum: facta ablutione inſpergatis præcipitatum, præparatum tamen, &

Fortiora.

ablutum

Digitized by Google

ablutum, vt alias vos docui; vel loco præcipitati vtamini aliquo ex dictis trociſcis, ſcilicet, Andronis, Paſſionis, & cæt. Sciatis tamen, quod iſti trociſci debiles ſunt in hoc caſu; & ideo vtamini trociſcis de charta combuſta deſcriptis à Galeno, vel illis de charta pariter combuſta deſcriptis ab Auicenna, qui ſunt validiſſimi, & quidem validiores, quàm illi Galeni, quia recipiunt arſenicum ſublimatum: & ſi vultis amplam materiam horum validiſſimorum medicamentorum, pro vlcere nomode, legatis Galenum in quarto, de compoſit. medicam. per genera, cap. decimo, & Aetium libro decimoquarto, capite quadrageſimonono, & Paulum libro quarto, capite quadrageſimoquarto, vel vtamini ægyptiaco ſimul cum arſenico mixto, & cum calcantho; vel puluerello arſenici, vel deueniatis, vt neceſſe eſt aliquando, ad vſum ignis, vt monent recentiores, nam ſæpe vlcus non cedit medicamentis; facta exuſtione incumbatis caſui eſcharæ, ea ratione, qua dixi in phagedæna, non tamen cum ijs, quæ nimis humectantia, & calefacientia ſunt; ſed per ea quæ coſtant ex melle, ſucco apij, & ſimilibus: poſt caſum cruſtæ vtamini potius refrigerantibus, quàm calefacientibus ad regenerandam carnem, & obducendum vlcus cicatrice.

De cancro exulcerato. *Cap. XXIII.*

POſt illud genus vlceris, quod habet coniunctam corruptelam, & nome, vel nomoſum vlcus appellatur, ſuccedit aliud vocatum carcinos, vel carcinoma, hoc eſt cancer, vel canceroſum vlcus, qui affectus dicitur à græcis carcinos, vel carcinoma à ſimilitudine, quam habet, cum cancro animali, vt dicit Galenus in ſecundo methodi, capite ſecundo, & in ſecundo ad Glauconem, capite decimo, vbi inquit quod talis affectus ſuo corpore exprimit corpus cancri animalis: quibuſdam autem venis, & arterijs habet ſimilitudinem pedum cancri animalis. Auicenna autem in tertia quarti, tractatu ſecundo, ex Paulo, & Aetio, ab ipſis enim accepit, inquit morbum hunc ideo dictum eſſe carcinos, vel carcinoma, quia ſicut cancer animal hæret robuſtiſſime corporibus apprehenſis, ita vt vix euellatur, ita vlcus iſtud hæret adeo partibus, quas appræhendit, vt vix ſeparari queat. Aetius præterea in libro decimoſexto, cap. quadrageſimotertio, inquit hoc vlcus dictum eſſe carcinos, vel carcinoma, quia obducatur corio, & cruſta quadam dura, qualis eſt cruſta cancri animalis. Itaque tam uaria eſt ratio appellationis huius affectus; qui affectus diſtinguitur à Galeno in ſexto aphor. trigeſimooctauo, ſed antequam referam diuiſionem Galeni, proponam diuiſionem, & differentias cancri ſecundum alios, prius tamen moneo uos de uno, & eſt, quòd ſi quis auctor eſt legendus, ac relegendus de re hac, ille vnus eſt Celſus, qui fuit decus, & honor medicorum: verum notare, quòd carcinoma, vel carcinos, ideſt cancer apud Græcos non eſt idem apud Celſum, nam carcinos, ſeu carcinoma, ſeu cancer apud Celſum idem eſt quod gangræna; & ideo quando legetis apud ipſum in ſexto lib. capite quadrageſimooctauo, de cancro oris, intelligatis de gangræna palati; ſimiliter quando in eodem libro, capite ſexageſimotertio, agit de cancro colis, intelligatis de gangræna penis: pariter in octauo libro, quando facit mentionem de cancro ſuperueniente fracturis, & luxationibus, ſemper intelligatis ipſum loqui de gangræna. Itaque cancer apud Græcos, & apud Celſum, non ſunt idem affectus, de quo nos agimus; nam nos agimus de cancro, pro ut accipitur à Græcis, qui cancer à Celſo vocatur non cancer, ſed carcinoma, & huius facit tres ſpecies ipſe Celſus in quinto libro, capite vigeſimooctauo, vna uocatur cacoites, ideſt male moratus, & hunc cancrum dicit eſſe ſanabilem: altera ſpecies uocatur carcinoma, & dicit quod eſt incurabilis, & quòd ſi quis tentet ipſius curationem, potius irritatur, & augetur: tertia ſpecies uocatur carcinoma thimium, ſeu uleus thimium, & hanc ſpeciem dicit eſſe omnium ſęuiſſimam: ſed hac voce thimium notate, quod aliud eſt vlcus thimium, & aliud thimium apud Celſum ipſum, nam thimium ſimpliciter eſt ſpecies uerrucæ: vlcus autem thimium eſt ſpecies cancri, quam dixi, & vti habemus tres ſpecies cancri apud Celſum, ita & apud recentiores, & barbaros, nam prima ſpecies vocatur ab ipſis ſephiron, & eſt idem, quod cacoithes apud Celſum, igitur ſephiron Auicennæ, & ſequalium, & cacoithes ſunt unus, & idem affectus, carcinoma autem apud Celſum, eſt illa ſpecies cancri, quæ ab iſtis vocatur cancer ſine vlcere, vlcus autem thimium Celſi eſt idem quod cancer exulceratus apud iſtos. Hæc eſt diuiſio cancri ſecundum Celſum, & barbaros, Galenus autem, vt dicebam diſtinguit & ipſe cancrum in occultum, & manifeſtum, & nulla alia differentia cancri reperitur apud Galenum, & per occultum cancrum Galenus intel-

ligit

Cur ſic appelletur.

Cancer Celſi qui ſit.

Carcinoma Celſi eſt cancer Græcorũ.

Cancri tres ſpecies ſecundum Celſum, & barbaros.

Digitized by Google

ligit duo; ſcilicet cancrum exulceratum, qui tamen latitet in aliqua cauitate corporis [*Gale. alia diuiſio.*] vt in palato, in cauitate narium, genarum, in inteſtinis, in liene, in hepate, in veſica, in vtero, & huiuſmodi partibus. Secundo ſignificat cancrum non exulceratum; & ſi ſit in ſuperficie, & tumor ipſe ſit conſpicuus: manifeſtos autem cancros vocat eos, qui ſunt in ſuperficie corporis, & conſpicui, ſiue ſint exulcerati, ſiue non, & quamuis cancer ſecundum Galenum ita diſtinguatur, [*Recentiorum diuiſio.*] tamen Recentiores diuidunt etiam hos cancros ratione partium affectarum, nam ſi cancer ſit in aliqua parte faciei, vocant noli me tangere, & cancrum etiam; ſi autem oriatur circa coxas, vel humeros, vel alias carnoſas partes vocant lupum, vel morbum lupi, & cancrum, quia exedat carnoſas partes; ſi autem oriatur circa truncum, vt circa abdomen, vel circa thoracem, appellant non ſolum cancrum, ſed etiam cingulum, vt videre eſt apud Rogerium, & meritò vocant cingulum, quia nimis ſtringit partes illas; & quamuis ſint plures ſpecies cancri, vt dictum eſt tamen debetis ſcire, quòd nos loquimur tantum de exulcerato, cuius exulcerati cancri loquentes iſti proponunt vnam diuiſionem, quam ego non admitto, dicunt enim quòd exulcerati cancri vnus eſt benignus, alius malignißimus; ſed ego dico quòd omnis cancer eſt [*Omnis cãcer eſt intenſe malignus.*] intenſè malignus ex crucians ægrum, & medicos, & difficilis cognitu aliquando, & longè difficilior curatione, cognoſcitur tamen, per ſua ſigna, & primo ex tumore, nam ſi æger patiatur exulceratum cancrum in aliqua parte conſpicua, conſpiciatis vlcus ipſum, & videbitis, quod circum circa eſt tumor, ſecundo accipiuntur ſigna ex colore, nam co- [*Signa.*] lor eſt obſcurus, fuſcus, liuidus, inclinans ad nigredinem, & eiuſdem coloris ſunt etiam labia ipſius vlceris: & color huius vlceris eſt ita varius, & malus, quod primo intuitu incurit timorem ipſi medico, quicunque ille fuerit ita inæqualis, & multiplex color eſt. Præterea debetis apponere manum, & obſeruare calorem ulceris, & partium illarum, qui color, ſi vlcus ſit canceroſum, erit acutus, & exurens, ſi videlicet aliquantiſper manum detineatis in loco, ita quod videtur quaſi calor ferri candentis, tertio inſpiciatis venas, & arterias ambientes vlcus, quæ ſi referent pedes cancri animalis, habeatis pro certo, quod affectus eſt cancer. Sed notate, quod hoc ponitur ab omnibus pro ſigno certiſſimo, & perpetuo cancri, ita quòd nullus ſit cancer, qui non habeat hoc ſignum; verùm ego vidi ſaltem decem cancros, in quibus venæ, & arteriæ non referebant ſimilitudinem pedum cancri animalis, & in hoc ſigno vidi multos errare, nam ſæpe non videntes hoc ſignum, putant affectum non eſſe canceroſum, cum tamen ſit, vnde dico, quod hoc ſignum non eſt perpetuum, quia non in omnibus patribus, venæ, & arteriæ ſunt copioſæ, & orbiculariter circa partem diſpoſitæ, ſed circa mammas, cum vaſa ambiant corpus mammillare, neceſſariò, ſi adſit cancer in ipſis, aderit etiam tale ſignum: contra autem in brachio, cum vaſa ſint per longum collocata, non aderit cum cancro hoc ſignum, nec in cancro circa palatum videbitis hoc ſignum, quare dico, quod ſignum hoc non eſt perpetuum: verum tamen eſt, quòd quoties adeſt, neceſſariò indicat cancrum. Quanto addatis, quod in cancro labia vlceris ſunt inuerſa, & cauernoſa; debetis enim ſcire quòd labiorum vlcerum, aliqua ſunt æqualia, & paria, alia quæ conuulſa, & inuerſa ſunt, & horum aliqua inuertuntur ad exteriores ſuperioreſque partes, aliqua ad interiores: dico itaque quòd in cancro labia ſunt inuerſa ad internam cauitatem; ita vt ſub ipſis ſit cauerna, vt iſti loquuntur, quæ cauerna percipitur ex iniecto ſpecillo: ab exeuntibus etiam accipiuntur ſigna cancri, vt à ſanie, quæ è cancro egreditur vt plurimum tenuis, & aliquando [*Ab odore.*] aquoſa, aliquando nigra, & veluti limus, non ita tamen craſſa, aliquando flaua. Odor autem ſaniei eſt intolerabilis, i[illegible] etiam odor vlceris, ita, vt aliquando medicus, qui non eſt aſſuetus tali fœtori, non poſſit perferre. Dolor adeſt intolerabilis, & primò eſt pungens, dein- [*A dolore.*] de aggrauans. ſed grauedo ſemper adeſt, punctio autem non eſt continua; continuò autem dolor eſt talis, vt videatur, quòd ad ſit aliquod graue corpus comprimens, & ſæpe ſæpius percipitur, & redit, ceſſatque dolor pungitiuus, ita ut in ulcere uideantur eſſe acus tranſeuntes. ex una parte in alteram, vt tales puncturæ non ſunt continuæ, ſed, vt dixi, percodiæ: addatis etiam ſignum acceptum ex ratione medicationis, nam ſi caſu medicus applicuerit medicamentum aliquod, quod parum poſſit mordicare, quale eſt vnguentum Iſidis, vel [*A medicamentis.*] quid ſimile, & aucta ſit inflammatio, & factus ſit maximus dolor, & vlcus magis ſerpat; habeatis pro certo ſigno, quòd vlcus eſt canceroſum. Cancrorum autem alij per ſe oriuntur; [*Cauſa.*] alij ſubſequuntur ad vulnera, vel ad vlcera malè curata. hæc de ſignis. Cauſæ autem, quænam ſunt? Dico quod una tantum eſt cauſa immediata propoſita à Galeno in libello de tumoribus præter naturam, capite ſeptimo, nono, & duodecimo, & in ſecundo ad Glauconem; capite decimo, & eſt humor melancholicus putreſcens, qui decubuerit in loco; nam decumbens feruet, feruens fit acris, & exedit ſubſtantiam, & niſi efferueſceret talis humor, non faceret cancrum, etiam ſi decubuiſſet in partem aliquam, ſed quomodo decumbit ad partem? Galenus in ſecundo ad Glauco. capite duodecimo inquit, quòd talis humor decumbit,

Digitized by Google

cumbit, vel quia attrahitur ab aliquo medicamento acri, uel ratione intemperiei ſummæ introductæ in parte ipſa, quæ intemperies gignat inibi talem humorem; quæ intemperies ſolet introduci, uel ratione exuſtionis factæ cum ferro candente, uel ratione applicationis medicamenti alicuius intenſè calidi, ſed rarò fit, ut introducatur tanta intemperies, quæ ſit apta generare talem materiam: quæ faciat cancrum, ut plurimum autem cancri oriuntur, quia tales humores abundant in toto corpore: cauſa autem abundantiæ horum humorum eſt ratio uictus, ut uſus carnium bouinarum craſſarum, uſus ſalitorum, cochlearum, carnis aſininæ, & aliorum, quæ generant tales humores melancholicos, igitur ſuccus melancholicus acris, præterquam, quòd eſt cauſa materialis, eſt etiam efficiens cauſa immediata cancri: ſunt & aliæ cauſæ, ſed mediatæ, & remotæ, ut ſuppreſſio alicuius euacuationis, ob quam cauſam ſæpe cancri accidunt mulieribus, & ex centum nonaginta patiuntur canceroſa ulcera in loculis, at præcipuè circa mammas, ita quòd mammę uidentur ſedes ſuppreſſi menſtrui, & certè ſi qua ex cauſa ob hanc præcipuè miſeræ mulieres ſunt dignæ commiſeratione, quòd ſint ob noxiæ morbo tam periculoſo, igitur ſuppreſſio menſtruorum, & hęmorroidarum eſt ſæpe in cauſa cancri, quia melancholicus ſuccus coaceruatus, & ſuppreſſus putreſcit, & feruorem contrahit, aliquando fiunt cancri, quia corpus eſt ita diſpoſitum, quòd generat tales humores, aptos ad cancrum faciendum, ut accidit quando habitus eſt calidus, & ſiccus, uel gignuntur tales humores propter ætatem; & ideo ſenibus, & uiris accedentibus ad ſenectutem ſolent accidere cancri. Hęc de cauſis. Preſagium autem, & iudicium afferendum, quod nam eſt? quoties uidebitis cancrum eſſe exulceratum, & in occulto loco, dicatis, quòd omnino eſt incurabilis, & hoc tam certo prenunciare poteſtis, ſicut quod omnia cordis uulnera ſunt letalia nemo enim eſt, qui uiderit unquam ſanatum eſſe cancrum in utero, uel in palato, uel in inteſtinis, & huiuſmodi alijs partibus; & ideo illi etiam cancri poſſent uocari, noli me tangere; igitur omnes cancri in parte abdita ſunt inſanabiles; & ideo fugiatis ipſos, ſi autem cancer ſit in mammis opportet, ut uideatis, an hæreat pectori, nec ne, quod cognoſcetis ſi appoſita manu deducetis mammam ex pectore, nam cum deducitur; & ſimul etiam pars exulcerata, ſignum eſt, quòd non hæret thoraci: contrà, quando non deducitur, ſi igitur cancer hæreat thoraci, dicatis, quòd eſt inſanabilis etiam ſi ſit manifeſtus, & in parte conſpicua, & cauſa eſt magnitudo uaſorum reſpectu loci, quæ uaſa inibi ſunt, & oriuntur alia ex venis, & arterijs perrepentibus per internam cauitatem thoracis: alia ex uenis, & arterijs circa iugulum; & ideo quando cancer hæret thoraci habet hæc uaſa apprehenſa, & ut illi dicunt infiltrata: cum autem opus ſit ſectione, ſequitur, quòd ſectis uaſis illis ortis ex illis perrepentibus per cauitatem thoracis inter ſpatia coſtarum homo iugularetur ex magna ſanguinis effluxione; ſed dices, ego facta ſectione, ne hoc ſequatur, intercipiam uinculo uaſa illa. Galenus reſpondet, quòd ex interceptione etiam moreretur homo, quia ob ſympathiam communicaretur affectio, & dolor partibus, quæ ſunt circa cor. Sed dices etiam, ego non ſecabo, nec ligabo uaſa, ſed utar medicamento cauſtico, & ita potero curare affectum, ut ego aliquando ſum uſus, & ita auferam illud totum, quod corruptum eſt. Dico, quòd non eſt tutum uti cauſtico, quia affectio communicaretur intimis partibus, igitur cancer in mammis, ſi hæreat thoraci, eſt prorſus inſanabilis: ſi autem non hæreat, poteſt quidem ſanari, ſed difficillimè, & maxima adhibita diligentia. Si cancer ſit in alijs partibus, uidendum eſt, an ſit infiltratus, ut utar uoce barbarorum, nec ne, & per cancrum infiltratum intelligunt illum, qui hæſit iam neruis, arterijs, & uenis, illaſque apprehendit, ſi igitur cancer ſit circa inguina, & iam comprehendit uaſa illa profundiora, & magna, dicatis, quod eſt inſanabilis; ſimiliter, ſi cancer infiltratus ſit faucibus: itaque cancri infiltrati non ſunt ſanabiles: in reliquis autem partibus exiſtentes, & non infiltrati, nec exiſtentes in cauitate aliqua abdita poſſunt quidem ſanari, ſed maxima cum difficultate, quomodo autem, dicam nunc, quia igitur omnia, quæ aguntur rectè aguntur, quando diriguntur in rectos ſcopos, ac certos, ideo uidendum eſt quinam ſint ſcopi & quot implendi in hac curatione, quæ difficillima eſt. dico igitur, quòd duo ſcopi ſunt traditi à Galeno in decimo quarto Meth. cap. nono, unus eſt, qui reſpicit affectum ipſum: alter reſpicit cauſam, & communiora illa, hi ſunt duo principales ſcopi; dicam primò de communioribus illis. Cancer eſt ulcus phagedænicum, & de genere ulcerum ſerpentium, quoniam ſemper procedit, & augetur, hoc cum ita ſit, colligo morbum hunc non ſemper conſiſtere in eodem ſtatu, ſed continuò creſcere, & eſſe ſemper in motu, & cum dixerim immediatam cauſam huius affectus eſſe humorem melancholicum, ad locum fluentem, & feruentem; & morbus continuo augeatur; colligo cauſam ſemper eſſe præſentem. hoc ſtante, ſcopus erit remouere cauſam, ſcilicet, inhibere fluxionem humoris, & facere, ne humor putreſcat, & ferueat in loco, ne augeatur continuo morbus: hic igitur erit unus ſcopus. Secundus eſt, quòd non ſolum oportet auferre humorem, & impedire, ne fluat, & ferueat, ſed etiam curandum eſt,

Succus melancholicus acris eſt cauſa materialis cancri.

Cauſæ mediatæ plures.

Suppreſſio menſtruorum, & hemorroidarum.

Præſagiũ.

Cancri qui incurabiles.

Obiectio.

Solutio.

In Curatione duo ſunt ſcopi.

Primus ſcopus remouere cauſa.

Secundus ſcopus prohibere generationẽ humoris.

ne

ne in corpore gignatur nouus iſte humor, cum enim, curatio huius morbi ſit longa, & licet curatio procederet ex uoto, & ſecundum ſpem, tamen curatio eſſet nimis longa, quia fluente nouo humore, renouaretur affectus: ne igitur hoc accidat, oportet etiam inhibere nouam generationem talis humoris, igitur poſt inhibitionem fluxionis, faciendum eſt, ut

Tertius ſcopus emiſſarium parare.

denuo non generetur iſte humor melancholicus. Tertio debetis obſeruare, quòd omnia, quę proponuntur in arte, non poſſunt ex arte perfici, nam ſi cancer eſſet in homine calido, & ſicco; uel homo eſſet in regione calida, vel in ea, in qua eſſent in uſu ſolum cibaria, quæ generant, melancholicum ſuccum, tunc non poſſetis facere quin in huiuſmodi corpore generaretur continuo melancholicus ſuccus: & ideo in eo caſu oportet putare locum aliquem, qui ſit tamquam emiſſarium, per quod humor ille continuò egrediatur ex corpore, hic ergo eſt tertius ſcopus,. Hos ſcopos cum fueritis aſſecuti, debetis deſcendere ad lo-

De loco affecto roborando.

cum affectum, & primò oportet reddere ipſum ineptum ad receptionem melancholici ſucci, apponendo ea, quę roborent locum ipſum, niſi enim locus redderetur ineptus ad receptionem uana eſſet curatio. Itaque oportet locum roborare, & ſimul, & ſemel remouere illud totum, quod eſt præter naturam, ſed ex Celſo auctore certè diuiniſſimo obſeruandum eſt, qui loquens de hoc morbo inquit exciſa etiam poſt inductam cicatricem, ta-

Cancer ſolet reuiuiſcere poſt ſanationē.

men reuerſi ſunt, & cauſam mortis attulerunt. Solet cancer exulceratus, ſi quis alius affectus reuiuiſcere poſt ſanationem, & ſæpe medicus exuret locum, inducet cicatricem, tamen inde ad duos, uel tres menſes renouabitur cancer: & ego uidi cancros renouatos poſt tertiam etiam ſanationem: ne igitur poſt ſanationem cancer reuiuiſcat, oportet poſt ſanationem roborare partem, & reducere ipſam in ſuam naturalem temperiem, ne amplius

Quartus ſcopus.

ſit cancro ſubiecta, & hic eſt nouus ſcopus. Hi igitur ſunt ſcopi, quibus oportet uos eſſe intentos in cancri curatione. Ad primum ergo, qui reſpicit inhibitionem fluxionis materiæ melancholicæ ad locum, veniamus: quo modo igitur inhibemus fluxionem? Galenus in ſecundo ad Glau. capite 10. dicit, quòd omnia conſiſtunt in attemperatione humoris, &

De primo ſcopo.

feruoris, qui eſt in parte affecta, & in attemperatione totius corporis, & in imminutione, & ablatione ſeu euacuatione talis humoris, ad contemperationem autem pertinet victus

Victus rō.

ratio, de qua Galenus, & omnes alij meminerunt in principio, quæ victus ratio debet refrigerare, & humectare, & aliquantulum attenuare, ſed non debet attenuare, per calefactionem, at per imminutionem alimenti; igitur vt à potu incipiam, conuenit potio aliqua, quæcunque illa fuerit dummodo refrigeret, & humectet, & ne quidquam calefaciat, nam vidi ego mulierem laborantem cancro in mamma, quæ ſemper cruciabatur intenſo dolore, & ſolo uictu humectante, & refrigerante ſedatum eſſe dolorem illum. Cibi pariter ſint humectantes, & refrigerantes, & qui parum nutriant, & aquoſum generent alimentum; & ideo omnia olera, dummodo non generent ſuccum acrem, vt faciunt radiculæ, & rapæ, conueniunt; atriplex igitur, blitum, malua, latuca, acetoſa, endiuia, & cichoracea omnia ſunt opportuna, & præcipuè ſonchus, ita quod quando poſſum non nutrio ægrum,

Sonchus.

præſertim ſi ſit mulier, alio libentius, quàm ſoncho, nam præter quam quod refrigerat, & aperit, reſiſtit etiam malignitati, in cancro autèm ex præcepto Galeni exhibemus teriacam etiam ſi calefaciat, & ſiccet, quia reſiſtit veneno huius morbi, & ideo ſonchus eſt præſtantiſſimus, ſi quod aliud ſiluestre olus: ſpinachiæ etiam, quæ ſunt ſpecies quædam rumicis ſatiuæ, ſunt opportune concedatis piſces ſaxatiles, quantum æger voluerit, etiam ſi eſſent durioris carnis, dummodo ſint elixi, & pauco oleo conditi; aquæ bibat quantum velit: lac eſt optimum, comedat & recoctum illud, ſed moderatè, bibat ſerum caprinum matutina hora, vel in prandio, vel in cęna, de carne conueniunt auiculæ paruæ, & molles; & comedat paucam carnem, qualiſcumque illa fuerit, quia caro nimium nutrit. Hoc modo tentabitis contemperationem humorum, & corporis totius per victus rationem, qua inſtituta reſpiciendum eſt ad euacuationem, & præcipuè ad illam, quæ fit per pharma-

Euacuatio.

cum, & per ſectam venam, nam aliæ, vt ea quæ fit per ſudorem, per inediam, & cæt. parui fiunt ab omnibus. igitur illis omiſſis loquamur de illis duabus euacuationibus magnifaciendis. Itaque conſiſtentibus viribus ſecabitis venam, lenita tamen prius aluo cum caſ-

Sectio venæ.

ſa, vel alio huiuſmodi. Sed dices non adeſt indicatio de ſecanda vena, quia hic adeſt humor corruptus, qui indicat non ſectionem venæ, ſed ſui euacuationem; ergo non eſt ſecanda vena: Galenus tamen in ſecundo ad Glauconem, capite decimo, ſecat venam, quamuis in decimoquarto meth. reſpiciens magis ad alios ſcopos non meminerit de ſectione uenæ; ſed de pharmaco exhibendo, tamen dico, quòd uena eſt ſecanda; quoniam rarò eſt quod fiat ſcirrhus canceroſus, & exulceretur, quin in toto corpore abundet ſanguis craſſus, & limoſus impediens actionem medicamentorum, niſi cancer ſit factus ab errore medici, quod rarò accidit, vt plurimum autèm ſcirrhoſi cancri fiunt per ſe, deinde exulcerantur; & ideo datur medicatio minuendi, ac euacuandi limoſum illum ſanguinem, vt poſtea medicamenta exhibita, ſiue fuerint ſoluentia, ſiue non, poſſint agere, & natura poſſit conco-

quere: igitur ſtatim poſt lenitionem alui ſecare venam, vel ſi non vultis venam incidere, conſiderate an abundantia illius limoſi ſanguinis proueniat propter ſuppreſſam aliquam euacuationem conſuetam, vt per hęmorrhoides, vel per vterum, vel per nares, nam & ex ſuppreſſione vacuationis ſanguinis per nares accidit aliquando cancer; & ego habeo amicum, qui ſolebat expuere copioſum ſanguinem ita, vt vna nocte aliquando expuerit vſque ad 14. libras, quæ euacuatio fiebat ex apertione capitum venarum illarum, quæ deueniunt ad inciſorios dentes: qua euacuatione ſuppreſſa obortus eſt cancer in palato, & vtinam tandem non interficiat cariſſimum illum amicum meum. In hoc ergo caſu, in quo abundantia limoſi ſanguinis præuenit ex ſuppreſſa euacuatione, oportet euacuationem illam conſuetam reuocare, verum non tentetis reuocationem menſium in muliere quinquagenaria, quia tranſactum eſt tempus menſtruorum: quod ſi non ſperaretis uos eſſe aſſecuturos, reuocationem ſuppreſſæ euacuationis conſuetæ, ſecare venam ſeruata rectitudine, & reliquis requiſitis ad ſectionem venæ. Hoc facto euacuandus eſt humor, qui cum craſſus ſit, & viſcidus, opus eſt præparatione, quæ præparatio facienda eſt, cum ijs, quæ attenuant, & aperiunt vias, vnde ea omnia, quæ recipiunt, vel fiunt ex betonica ſunt opportuna, quia betonica attenuat, aperit, & non multum ſiccat; cichoracea quoque omnia ſunt opportuna, fumus terræ, capillus veneris, quia attenuat, & aperit, & non calefacit ita, & politricum: cum his autem ad miſcebitis acetum, quia attenuat, & aperit: mel roſaceum quoque eſt opportunum. verùm ſemper debetis ante oculos habere, quòd hic habebitis habitum ſiccum: ideo cum præparantibus admiſcenda ſunt, ea, quæ retundunt ſiccitatem, cuiuſmodi eſt liquiritia paſſulæ, borago, & hæc etiam aliquando incoqueris ſimul cum carne, & inferculis. Nec mirum vobis videatur, quòd ſim ita diligens in hoc affectu, quia ſunt duo genera affectuum, quæ me maxime excruciant, vnum eſt illorum, qui citò interficiunt, & quaſi ſubita, alterum eſt cancer ipſe: in officinis etiam habetis parata aliquot opportuna, qualis eſt Syrupus de fumaria ſimplex, & compoſitus, de pomis tùm ſimplex tùm compoſitus, nam omnes iſti ſyrupi attenuant, aperiunt, non calefaciunt, nec valde ſiccant: facta præparatione euacuabitis, ſed quonam medicamento? Galenus aliquando eſt contentus ſolis quatuor drachmis epithymi, quod exhibebat in iure, vel cum ſero, vel cum mulſa ſalita, & medicamentum eſt ſane optimum, & nihil offendit: ſed reuera nos caremus epithymo; loco tamen ipſius vtimur epithymbra, quam habemus, & communiter vocatur epithymum, & eſt cuſcuta, de qua meminit & Aetius, & Paulus, habetque vires eaſdem, quas epithymum; ſed debiliores; ideo loco epithymi, vtor epithymbra, vel epihyſſopo, & eſt epithymum natum ſuper hyſſopum; accipio igitur non quatuor drachmas, ſed vnam vnicam huius noſtratis epithymi, & contundo, & facto decocto, exprimo, & exhibeo: accipio autem magnam quantitatem, quia eſt debilius, quàm verum epithymum: quando autem requirebatur uacuatio maior, & medicamentum validius, Galenus vtebatur quodam ſuo medicamento, quod conſtabat ex triginta duobus medicamentis: ſed quod nam ſit illud ſuum medicamentum, ipſe nullibi explicat, non in libro de antidotis, nec in libro de compoſitio. medica. per loca. in quibus libris multa recenſet medicamenta, nec alibi; medicamentum tamen illud diuinum erat, vt patet, quia vocat ſuum: præterea quia vtebatur ipſe in morbo tam ſæuo: dum lego Paulum in quarto libro cap. 26. vbi curat cancrum exulceratum, et non exulceratum, video quòd omnia accipit à Galeno, & dum vult purgare corpus dicit primo purgandum eſſe eum quatuor drachmis epithymi, deinde ſi hoc non proſit, dicit exhibendam eſſe hieram recipientem helleborum nigrum: ex quo loco coniecturam facio medicamentum Galeni eſſe aliquam ſpeciem hieræ, multa enim fuere medicamenta apud antiquos vocata nomine hieræ, nam omne medicamentum valide purgans nuncupatum eſt ab ipſis hiera, hoc eſt medicamentum ſacrum, & diuinum: cum itaque Paulus omnia accipiat ex Galeno, & ſit veluti eius ſimia, & videam, quòd quando robuſtiori eget medicamento, exhibet hieram cum veratro nigro; colligo medicamentum Galeni fuiſſe hieram aliquam; ſed quænam ſit hiera illa, quæ recipiat helleborum, ambiguum eſt, infinitas tamen hieras habemus propoſitas à Nicolao Mirepſio, & aliquot etiam proponit ex Galeno. Paulus etiam in ſeptimo libro proponit vnam ex Galeno, ſed non eſt medicamentum Galeni illud. Recentiorum aliqui volunt medicamentum illud Galeni eſſe hieram diacolocynthidos traditam ex Archigene, moti auctoritate Aetij, in octauo libro capite 57. ſed friuola eſt authoritas, nec vlla eſt ratio pro ipſis, quia hiera illa non recipit 32. medicamenta, vt medicamentum Galeni; quare non eſt dicendum, quòd illa ſit medicamentum Galeni, nec reperio aliam hieram, quæ mihi videatur eſſe illud: quid igitur dicendum? ego laboraui multum in hac re inueſtiganda, & tandem veni in hanc ſententiam, vt credam, quòd licet medicamentum illud Galeni ſit dictum hiera, tamen quòd non ſit aliqua hiera earum, quæ deſcribantur, ſed quod ſit medicamentum illud, quod deſcribitur ab Aetio ex Galeno in tertio, libro cap. 113. & eſt medicamentum

Preparãtio humores.

Betonica, cichoracea.

Syrupi.

Medicamentum euacuans.

De medicamento Galeni.

dicamentum

dicamentum purgatorium validum recipienſque helleborum, ita vt dici poſſit hiera, &
multa etiam recipit, ita ut accedat ad numerum illorum, quæ recipiebantur in illo Galeni
recipit enim 28. medicamenta; ſed ſi exhibeatur cum mulſa ſalita, erunt 31. quia in tali
mulſa recipitur mel, & ſal, cum ergo recipiat tot ferè, quot illud Galeni, ſitque validè pur-
gatorium, & recipiat multa, quę corrigunt helleborum; credo quòd ſit illud Galeni, & me
dicamentum quidèm diuinum eſt, vt vocari poſſit hiera: & hoc idem medicamentum re-
peri deſcriptum apud Actuarium cap. 27. & vocatur etiam ab ipſo medicamentum Gale-
ni, verum tamen eſt quòd deſcriptio Actuarij recipit 35. medicamenta: tamen nihil ingre-
ditur quod poſſit corrumpere diuinam illam compoſitionem: medicamentum iſtud fa-
cio ego, & aliquot etiam ex Medicis huius gymnaſii, vt ſeplaſiarij parent modo ſecun-
dum deſcriptionem Aetij, modo Actuarij, quod nihil refert, & facio parare non in for-
mam electuarij, ſed ſpecierum, & voco ſpecies hieræ diacolocynthidos magnę: quas
ſpecies exhibeo cum caſſia. Itaque quando vultis euacuare, exhibeatis has ſpecies, vel
cum caſſia, vel cum confectione hamech, vel factis pilulis: & quamuis medicamen-
tum hoc ſit optimum, tamen cum non habetur paratum utamini ijs, quæ ſiunt in offici-
nis, vt eſt electuarium Indum, confectio etiam hamech pretioſa eſt. Sed addatis, quòd
Paulus vult, vt vtamini ijs, quæ recipiunt helleborum nigrum, hoc autem non recipitur
in confectione hamech, & ideo admiſceatis ſecum aliquid ueratri nigri, etiam ſi eſſet ve-
ratrum noſtrate. Habemus etiam ſyrupum vocatum ſyrupum Montani, nam fuit il-
lius diuini hominis, quo ſyrupo ipſe utitur in morbo Gallico, & optimum eſt medica-
mētum, euacuatque pręſtantiſſimè, & pręcipuè humores exuſtos, hoc igitur ſyrupo pote-
ritis vti optimo cum ſucceſſu: de ipſo autem mentionem faciam, quando hinc ad paucos
dies agam de morbo gallico: aliquo igitur iſtorum euacuabitis bis, uel ter, repetita etiam
præparatione, totidemque vicibus facta euacuatione, deſcendetis ad ſecundum ſcopum,
qui eſt alteratio totius habitus, & uiſcerum, ne amplius gignatur ſanguis talis, ſcilicet
feruens, & craſſus: hoc autem ſolet fieri per exhibitionem poſt factam euacuationem,
per exhibitionem inquam ſaccari roſacei per multos dies, vel exhibeatis ſaccarum viola-
tum, ſed his admiſceatis ſaccarum boraginatum, vt habeatis refrigerationem, & humecta-
Refrigerantia & humectantia. tionem, ſine ſiccatione, & ſi ægri eſſent ditiores, inſtituatis vt vtatur uarijs generibus
conditorum, cuiuſmodi eſt lactuca condita ſaccaro: radix cicorei condita, caro cucurbitæ
condita: cucumeres ſatiui conditi. nam omnia hæc temperant uiſcera calefacta, ſolemus
etiam exhibere diarodon abbatis, confectionem diatrion ſandalorum, cui tamen admiſce-
mus ſaccarum boraginatum, vt refrigeret ſine ſiccitate: ſolemus quinetiam exhibere per
vices, & multum inqualibet uice, ſerum caprinum, uel ouinum, uel etiam aſininum,
ſi aliud non adſit: ſolemus etiam exhibere iuſcula, ſeu portiones aliquas ex lactuca cico-
reo, endiuia, & ſimilibus; ſed inter hæc primas obtinet herba illa, quæ hepatica dicitur, &
ab Antiquis lichene, in hoc enim affectu, & in alijs etiam eſt præſtantiſſima, & poteſt ex-
hiberi ſine incommodo. Sed ſciatis, quod affectus iſte habet radices fixas; ideo eget ro-
Radix chinæ. buſtis admodum medicamentis: unde ego uti ſoleo duobus præcipuè ad contemperan-
dum totum habitum, & viſcera, & vnum eſt decoctum radicis chinæ, in quo decocto ego
expertus ſum tot èffectus optimos, ut ſit mirum: & quamuis hoc medicamentum ſit pri-
mo receptum in vſu ad morbum gallicum: & ipſo etiam in tali affectu ſim uſus, tamen nō
poſſum atteſtari, quòd habeat magnas illas uires quas expertus ſum habere incontempe-
rando habitum totum, ac uiſcera. Itaque ego exhibere ſoleo feliciſſimo cum ſucceſſu
uiginti dierum ſpatio in doloroſo hoc affectu ea ratione, qua exhibetur in morbo galli-
co, quem modum exhibendi docebo uos, cum inferius agam de morbo gallico, & ut di-
xi, ego ſoleo exhibere hoc decoctum feliciſſimo cum ſucceſſu, & ſuperiori hyeme incipien
te exhibui nobiliſſimæ mulieri uenetæ, quæ habebat cancrum in altera mamma doloro-
ſiſſimum, & cum alia nihil profuiſſent, uix octo diebus uſa eſt hoc decocto, quòd dolores
omnes penitus ſunt ablati, ita temperatus eſt ſanguis, uiſcera, & totus habitus. Verū ſciatis
quòd radix iſta china ſcilicet, rara eſt, & pauca illa quantitas; quæ apud nos habetur, ſem-
per ferè eſt carie corrupta, ſed apud montem Orthonem habemus alterum medicamen-
Aqua Virginis. tum pretioſiſſimum, quo eius decocti loco uti poſſumus, & eſt aqua uirginis uocata, ex cu-
ius exhibitione in cancris exulceratis uidi mira, igitur ad contemperationem poteritis ex-
hibere hanc aquam: & omnem aliam, quæ refrigeret ſine ſiccitate, ut facit iſta, hoc modo
contemperabitis, ſicut etiam inſtituto uictu refrigerante, atque humectante, & inuncta re-
gione hepatis cerato roſaceo, uel infrigidante Galeni, & adhibito ſemper uſu balnei aquæ
tepidæ, inquam aquam infundatur æger, nam eſt remedium, ſi quod aliud, præſtantiſſi-
mum. Quòd ſi caſu uiſcera ſint ita exuſta, ut non poſſitis auferre intemperiem, deueniatis
ad tertium ſcopum, qui eſt, vt continuo euacuetis humores craſſos, & ferueutes, qui gene-
rantur, ſed quo modo fiet hæc euacuatio? Reperio antiquos tentaſſe euacuationem hanc
duobus

duobus modis,vno quidem per medicamenta purgantia,altero per medicamẽta digerẽtia; per purgantia quidẽ euacuabitis,vt ſingulis quindecim dieb.exhibendo parum caſſię admitta confectione hamech,vel parum epithymi,nam leue erit medicamentum,poteritq; euacuare materiam coaceruatam in primis viſcerib.nõ totam quidèm,ſed aliquam partẽ;euacuationem autèm per digerentia tẽtabitis,exhibito aliquo medicamento robuſto.vnde antiqui in cancro vniuerſali,qui eſt elephantiaſis,exhibebant mitridatum,& præcipuè teriacã, ita & ego ſoleo facere,ſed admiſceo ſaccarum boraginatum,vel roſaceum,vt refrãgatur caliditas,& ſiccitas teriacæ:hac igitur vtraque euacuatione.i.facta tũ per medicamenta purgãtia,tum per diſcutientia ſatisfacietis tertio ſcopo.

Per digerentia, ſeu diſcutientia.

Hoc facto ſuccedit quartus ſcopus,qui reſpicit locum affectum,& primum quod eſt agendum circa ipſum,eſt vt conſpiciatis cancrũ, & videatis,an ſanabilis ſit,nec ne,quia alia curatio conuenit in ſanabili,& alia in inſanabili, ſupponatur ꝙ ſit ſanabilis, & conſpicuus,vt ꝙ non ſit in foraminib.narium, non in palato, non in loculis mulierum,non in inteſtinis,nec in alio abdito loco, & non ſit infiltratus, nec hæreat thoraci, iſte eſt curabilis,ſed ſola ea curatione, ꝗ docet Gale.& curatio eſt, ꝙ oportet cancrum ipſum extirpare:modum aũt,quo ſit extirpandus,docet Gal.in 14.meth. c.9.& eſt vt præmiſſis omnib.cõiorib.deueniamus ad ſectionem,& primo oportet ęgrum rectè collocate, ita vt ſitus ſit aptus ad actionem,& æger non concidat animo,& ne robur deficiat inter agendum,vt facilè poſſet,quia actio violenta eſt, oportet exhibere parum vini odoratiſſimi, & panem infuſum.quo facto ſecandus eſt circumquaq; cancer nouacula; & ſi cancer occuper magnam partẽ,eſt ſecanda pars magna;ſi paruã parua:nec hoc ſat eſt, inquit Gal. ſed radices etiã cãcri ſunt extirpãdæ: per radices aũt videtur intelligere turgẽtes venas circũquaq; poſitas,& exprimẽtes cãcri animalis pedes;& hoc quidẽ modo poſſumus intelligere; ſed aliud ẽt eſt per radices intelligendum;debetis.n.ſcire,ꝙ cancri exulcerati,vt plurimũ fuerunt nõ vlcerata, & erant tubercula glandularum,primo.n.fiunt ſtrumę,& ſcirrhi glandularum, deinde cancri exulcerati,& ex centum cancris exulceratis nonaginta erãt tumores glãdularũ,qui poſtea ſunt exulcerati,& facti cãcroſi:glãdularũ aũt aliquot ſunt magnę,aliquot paruę,alię ſuperficiales,alię in profundo ſitæ.In mãma igiẽ verbi gratia erit glãdula cãceroſa,ꝗ eſt ſecãda; at hoc nõ ſat eſt,verũ oportet videre, an & aliæ glandulæ profundæ, & paruæ ſint exulceratę,vel nõ exulceratę,ſed tumidę,& affectę,& ipſe quoq; erunt auferẽdę,alioqui fier, vt ſolet,de lapide veſicæ:ſolent.n.aliqñ duo,& tres lapides eſſe in veſica: vnde illi ſecãt, & extrahunt vnũ,& non inſpicientes poſtea an plures adſint,fit vt æger ſanetur, & non percipiat moleſtiam aliam,niſi poſt decem,vel plures menſes,nam lapis relictus fit grandior, & ita nihil eſt factum,cum habeat vt & antea lapidẽ in veſica excruciantẽ ipſum: idem quoq; ſolet de cancro accidere;nã iſti ſecta glãdula maiori relinquũt illas paruas affectas,& circũpoſitas turgentes,ꝗ poſtea ſunt in cauſa,vt inde ad aliquot menſes ſuccedat iterum cancer.dico igiẽ ꝙ per radices poſſumus intelligere ẽt paruas illas glandulas:facta ſectione monet Gal.vt exprimamus totũ ſanguinẽ contentũ in illis partib.& ſinamus ẽt, vt copioſus ſanguis effluat, & cũ effluxerit quantitas opportuna, ſiſtendus eſt,ad ꝗ ſanguinis ſuppreſſionẽ Recentiores vtuntur igne,exurunt.n.capita illarum venarũ:Gal.autem non meminit de vſtione,ſed ſimpliciter inquit ſanguinem eſſe ſupprimendum,& cum ſimpliciter loquatur credendum eſt, ꝙ ipſe intelligat de ſuppreſſione,non quidèm facta per vſtionem, ſed medicamentis aſtringentib.Vos autèm diſtinguatis; ſi.n.cancer ſit in loco,vbi non ſunt venæ magnæ, & non timeatis maximã fluxionẽ,ſupprimatis cum medicamentis aſtringentib.vt albo oui, vel medicamentis ſiccis.i.lineamentis ſiccis, vt eſt goſſipium &c.nam ignis fugiendus eſt in cãcris, quantum fieri poteſt,quia ſiccat,& calefacit,ſicut.n.in affectib.frigidis,& humidis ignis valde prodeſt,ita in affectibus,in quib.materia eſt calida,& ſicca maximè obeſt; ſi,autèm cãcer eſſet in loco,vbi ſunt magnæ venæ vtamini exuſtione. Sed aliquando reperiuntur homines tales, qui nullo modo volunt perferre exuſtionem, nec ſectionem, & medici aliqui ſunt tales, & ego ſum ex illis; nam ſemper fugio quantum poſſum ſectionem omnem in corpore humano;unde recentiores,cum hoc uiderint docent, modum,quo poſſimus extirpare cancrum ſine igne,ut per medicamenta cauſtica,quod ego ſoleo ſæpe facere, non oportet autẽ vt multum laboretis in inueniendis medicamentis his cauſticis opportunis in hoc caſu,quoniam ſtatim recurrendum ad ea ualidiora,quæ reperiuntur in medica facultate, & illa ſunt arſenicum ſublimatum,argentum ſublimatum,& riſagal,quod eſt ſpecies arſenici,ſed compoſitum eſt medicamentum.hæc tria ſunt potiota. 4.loco poteritis uti aliquo capitello, uel illo cauſtico,de quo memini ſuperius in tabella cauſticorum,& dixi,quod uocatur cauſticũ ad cancros;aliquod igitur iſtorũ imponatis: modus aũt imponendi eſt duplex, aliqñ ſi cancer non ſit admodum auulſus,ita ut nequeat filo uinciri,alio modo imponitur,quàm quando auulſus eſt,ita ut poſſit uinciri filo,ſi enim ſit auulſus, ut ſolet eſſe,quando eſt in mãmis, non imponimus cauſticum toti cancro,ſed filo arripimus cancrum,& uincimus,& circum circa inter cancrũ,& ſanam partem imponimus cauſticũ,& cũ inibi fuerit quantũ opus eſt ſensìm & ſensìm altera die, vel etiam eadem die ſecamus circumcirca, & auferimus inte-

Quartus ſcopus qui reſpicit locũ affectũ.

Extirpatio cancri per ſectionem.

Radices cancri.

Abſque ſectione.

Cauſtica vehemẽtia.

grum cancrũ,& optimè ſuccedit curatio,ſi aũt cancer magis hęreat,& nequeat vinciri, vtẽ-
dum eſt argento ſublimato puro,vel alio cauſtico in trociſcos formato eo modo,quo docet
Trociſci Io. de Vigo Ioannes de Vigo: vel vtamini trociſcis eiuſdem Ioãnis,quorum compoſitionem habetis in-
tabella,quam ſupra tradidimus, & trociſcis illis vtimur, hoc modo, perforamus vlcus duo-
bus, vel tribus in locis, & ita relinquimus per 24. horas, & ſuper vlcus imponimus linteum
madidum aqua roſacea, vel oleo roſaceo,vt arceatur inflammatio:tranſacto ſpatio 24.hora
rum, ſecamus cancrum: Sed notate, quod cancer aliquando ſuperatur vnica impoſitione
cauſtici, aliquando opus eſt, bis, vel ter imponere, quouſque fuerit ſuperatus vſque ad pro-
fundum quod cognoſcetis obſeruato tumore, nam ſi poſt impoſitionem cauſtici videritis,
Signũ cancri ſuperati. quòd non ſolùm partes ſuperiores vlceris, ſed etiam aliæ circum poſitæ vſque ad profun-
dum intumuere, ſignum eſt, quòd cancer eſt victus vſque ad profundum; contra autèm ſi
intumuerint ſolum partes ſuperiores,& magis extimę: & ideo tunc repetendum eſt medica
mentum:tumor autem,qui ſolet ſuccedere ad impoſitionem cauſtici,eſt oedema tolus non
Caſus eſchara. tamẽ ſimpliciter,ſed eſt oedema inflammatum,& lucidum:facta ſectione tentabitis caſum
eſcharę,ſciatis tamen quòd ſemper remanet pars aliqua corrupta;& ideo non eſt tentandus
caſus eſcharæ cum ijs,quæ valde calefaciunt,& ſiccant; ideo tetrapharmacum licet optimè
faciat ad caſum eſcharæ, tamen in hoc caſu non eſt opportunum, quia nimis calefacit, ſed
conuenit butirum lotum, medicamentum ex albo oui atque ex terebyntina lota, & huiuſ-
modi:dum autèm concidit, & maturatur eſchara, abluatis locum aqua hordei,cum qua ſit
Sarcotica. admixtus ſyrupus roſaceus recens,vel cum ſero,hæc enim detergent,& non calefaciunt, ca-
dente cruſta explebitis vlcus carne, non tamen vtamini validis medicamentis generantibus
carnem, quia calefaciunt nimis: ſed opportuna erunt ea, quæ diximus conuenire in phage-
dena,vt eſt diapompholigos,& medicamentum factum ex farina hordeacea,pompolige lo
Roboratio partis. ta, & alijs,vt diximus in curatione phagedænæ; vlcere carne repleto deuenietis a d robora-
tionem partis, ne recipiat denuò materiam, & fiat nouus cancer, quod fiet eo modo, quo
Si cancer non ſit curabilis, q.d agendum. iam iam dicam: & hoc modo eradicabitis cancrum. Verùm ex centum cancris vix vnus
eſt curabilis, cùm igitur cancer non eſt curabilis quid agendum? Dico quòd conſeruanda
eſt vita, quantum oportet, & curandum eſt ne morbus creſcat; ſed potius protrahatur,
& fiat antiquus, & hæc curatio vocatur à barbaris paleatiua, vel palearis, non quòd ſa-
piat paleam, ſed à voce græca eò, quòd ſapiat paleoſin, hoc eſt antiquitatem; eſt ergo
paleatiua curatio, quæ conſeruat vitam morbi ſimul cum vita hominis; ad hanc ergo cu-
In quo conſiſtat curatio palearis rationem eſt deueniendum, cum cancer non eſt ſanabilis, & curatio conſiſtit in extin-
ctione feruoris humorum, in ablatione doloris, in moderata ſiccatione, ne vlcus augea-
tur in collectione ac deterſione cuiuſque saniei ne firmetur in loco vbi acris fiat, & errodat.
& in reddendo partem aliquantulum ineptam ad receptionem humorum, in his omnibus
poſita eſt palearis curatio cancri inſanabilis: quo modo autèm hæc fient? Si quod eſt quod
Serum lactis calibeati. omnibus his ſcopis ſatisfaciat, illud eſt ſerum lactis caprini, vel ouini, vel vaccini, caly-
beati tamen, ideſt in quo ſæpe, & multoties ſit extinctum fe rum ignitum: hoc ergo ſero
abluatis vlcus, vel madefactis linteis in ipſo applicabitis, & ita mitigabit dolorem, abluet
omnem ſaniem, moderatè ſiccabit ratione ferri, & ob ferri qualitatem modice reprimet,
& ſic reddet partem aliquantulum ineptam ad ſuſcipiendos humores: Hæc omnia etiam
Succus ſolani. præſtat ſuccus ſolani hortenſis ductus in mortario plumbeo per horam integram, & ma-
defactis in ipſo linteis, & applicatis: tale quoque eſt lac calybeatum, cui magis fido quàm
Lac calibeatum. ſero, quia habet partes caſeoſas, quæ ſiccant, & réfrigerent moderate: hoc igitur abluatis
cancrum, vel imponatis lintea ipſo madida. Sum copioſus in tradendis his medicamen-
tis, quia ſæpe vnum non facit, & aliud ſatisfacit, & ſi qui ſunt, qui excrucient aliquan-
do medicos, profecto ſunt mulieres habentes cancrum in loculis doloroſiſſimum: vnde
ſemper noua auxilia petunt, & ſi caſu fiat, vt vno, vel pluribus adhibitis non mitigetur
dolor, & tandem vtamini aliquo, quo ſedetur, res tam grata ſibi ſit, vt adorent ferè medi-
Alia medicamẽta ad idem. Pro cãcris exterioribus. cum. Addit Galenus, & ab ipſo Paulus, & Aetius accipiunt, alia medicamenta oppor-
tuna, & locus eſt in commento, de facul. ſimpli. capite de plumbo, & ſunt ſuccus lactu-
cæ, ſuccus pſyllij, ſuccus portulacæ, ſemperuiui maioris, cotilidonis, ſi habeantur, &
ſuccus vuæ accerbæ, ſed quali ſcumque iſtorum ſuccus fuerit, eſt ducendus in mortario
plumbeo, deinde madefaciendum eſt linteum, & applicandum, & ſupra linteum eſt ap-
ponenda ſpongia eodem ſucco madida,& cum incipit ſiccari iterum eſt madefacienda, vt
ego ſoleo facere, quando cancer eſt in parte aliqua; vbi poſſim manus aptare, quod ſi ſit
in parte, vbi nequeam aptare manus, vt ſi eſſet in palato, vel in loculis muliebribus,
tunc vtor ſucco tali in gargariſmatibus, vel cliſtere, ſed notate ex Galeno quòd curatio,
quæ fit per ſuccos eſt grauis, quod enim æger debeat continuo madefacere lintea, & im-
ponere eſt ſibi valde moleſtum, ſicut etiam quòd habeat continuò gargarizare, & geſta-
re lintea illa in loco; & aliquando etiam obliuiſcitur, & ideo opus eſt aliquo, quod
perduret diu in loco, & inibi conſiſtat: vnde deueniendum ad emplaſtra, vnguenta,

&

& linimenta, materia autèm apta pro cancris exterioribus ad paranda hæc medicamenta, varia eſt, vt plumbum, & omnia, quæ ex plumbo conſtant; hæc ſunt vera, & certa materia parandorum medicamentorum pro cancris exulceratis exiſtentibus in partibus exterioribus: ſunt igitur plumbum elotum, plumbum vſtum, recrementum, ſeu ſcoria plumbi, molibdena etiam dicta ex plumbo facta, lithargyrium, & ceruſſa, quibus addatis pompholigem præparatam, & lotam; ſpodium præparatum, & lotum, cadmiam, quæ eſt thutia officinarum: vltimo ex Celſo addatis teſtam combuſtam. Hæc eſt materia, ex qua ſimul cum oleo, vel cera poteritis ſub varijs formis parare medicamenta, pro exulceratis cancris exterioribus. Verùm loca latentia non tolerant hæc metallica, nec tutum eſt vti gargariſmate, in quo hæc recipiantur, nam lithargyrium, ceruſſa, & reliqua dicta maxima obeſſent; pariter non eſt tutum infundere ipſa in nares, vel in vterum, vel in aliam partem latentem, & ideo oportet, vt proponam vobis etiam materiam medicamentorum, pro cancris exulceratis latentibus, quæ non eſt ita valida, vt materia dicta. primum eſt igitur eryſimi herba vſta, & in cinerem redacta, bolus orientalis, terra armena, quæ bolus armena dicitur ab antiquis, ſed omnia ſuperat cinis cancrorum fluuiatilium, non intelligatis de longis cancris, qui hic habentur, & cammari vocantur, ſed de illis rotundis ſimilibus cancris marinis, qui in Hetruria habentur ſatis copioſi, & reperiuntur in dulcibus illis aquis; horum igitur cinis eſt præſtantiſſimus: præterea ſi coquantur in lacte, & exhibeantur; & eorum caro ponatur ſupra cancrum, optimum erit remedium, his addatis cinerem eboris, cinerem cornu cerui, ſcabioſæ, & illius herbæ, quæ ab iſtis vocatur robertiana, ſed omnes iſti cineres ſunt abluendi: hæc erit materia componendorum medicamentorum, pro cancris latentibus vlceratis. habita materia poteritis componere, & primo ex materia priori pro cancris exterioribus, ſolemus varijs modis componere medicamenta, vt in formam liquidam per ſuccos, per ſyrupos, ſolemus inſpergere puluerem in ipſos, & ſolemus etiam parare vnguenta: per ſuccos componimus hoc modo.

Emplaſtra vnguenta linimenta.

Si fuerint cancri latẽtes, & interiores.

Pro cãcri exterioribus.

Rec. ſucci ſolani hortenſis
lactis calybeati
ſucci roſarum } an. ℥ j.
olei roſati omphacini
myrtini } an. ℥ j. s.
ceruſſæ
lythargirij
pompholigis
thuris } an. ʒ ij.

Miſcentur omnia in mortario plumbeo optimè cum piſtillo plumbeo, donec acquiſiuerit conſiſtentiam, deinde extenditur ſupra linteum, & applicetur, & notate, quod cum priori materia pro cancris exterioribus, ſemper admiſcendum aliquid, quod habeat vim concoquendi, alioqui non ſuccederet mitigatio, quam requirimus, & ideo admiſceatis maſticem, vel crocum, vel thus, ſi cancer eſſet in ore, parabitis medicamentum hoc modo.

Notandũ.

Accipietis ſolanum, eryſimum, & ſcabioſam, & hæc coquetis in lacte calybeato, & ſimul etiam cum his, incoquetis cancros fluuiatiles, deinde colabitis decoctum, quo æger colluat ſibi os; deinde habeatis aliquod non durum, nec tenerum, quo illinatur cancer exiſtens in palato, vel in loculis mulierum, quale eſt hoc. Accipiatis bolum orientalem, cinerem ex cornu cerui, ex ſcabioſa, ex ebore, & potiſſimum ex cancris fluuialibus, & addito ſyrupo roſaceo recenti, vel. violaceo ducetis omnia in mortario plumbeo, & formabitis linimentum. Verùm ſæpe accidit, vt indicetur, vt diutius debeamus conſeruare vim medicamentorum, in loco, & tunc prius inſpergemus ſupra totum cancrum puluerem dictum, deinde ſuper imponimus linimentum. Pro exterioribus autèm cancris facietis medicamentum hoc modo.

Si fuerit in ore.

Rec. litargyrij loti.
ceruſſæ lotæ.
plumbi loti. } an. ʒ j.
pompholigis lotæ. ʒ ij.
cineris cancrorum. ʒ j. s.
Thuris ℈ ij.
croci gr. v.

Miſcentur in mortario, tunduntur & fit puluis, qui inſpergitur ſupra totũ cãcrum, dein-

Digitized by Google

de ſuper imponitur linteum cum linimento. Puluerem autèm pro cancro in palato, vel vtero, facietis hoc modo.

Rec. cineris cancrorum.
ſcabioſæ. } an. ʒ j.
In palato. boli orientalis
eboris vſti } an. ℈ ij.
Thuris ℈ j. s.
Croci. gr. v.

Fiat puluis in mortario, & per fiſtulam inſpergatur ſupra cancrum: ponitur puluis in fiſtula. deinde medicus adigit os alteri orificio fiſtulæ, & iufflat: hoc puluere inſperſo ſupra totum vlcus, ſuperimponetis linimentum dictum, vel vnguentum aliquod, quale eſſet illud, de quo meminit Galenus in commento de facultate ſimpli. cap. de plumbo, & vocatur diacadmia, ideſt medicamentum ex cadmia, & deſcribitur in ſecundo libro, de compoſition. medicamentorum, per genera, capite decimoquarto, ſed deſcriptio eſt multiplex. Verùm quamuis hoc medicamentum probetur à Galeno ipſo, tamen ego non audeo ipſo vti in cancris exulceratis doloroſiſſimis, quia recipit magnam quantitatem calcitidis, nec habet tot medicamenta, quæ poſſint retundere acredinem calcitidis: deſcribitur etiam hoc medicamentum à Scribonio Largo, in capite 242. deſcribitur quoque ab Aetio in libro decimoquarto, capite trigeſimonono, ſed vt dixi medicamentum hoc ob ſui acredinem nullo modo mihi placet, in cancro exulcerato, quando adeſt magnus dolor, & ſi vellem vti medicamento aliquo ex cadmia, potius vterer illo, quod deſcribitur à Paulo in ſeptimo lib. & à Nicolao Alexandrino ſectione decima, medicamento 131. & deſcriptio talis eſt.

Rec. calcitidis vſtæ ℥. ij.
cadmiæ exuſtæ, & in vino præparatæ & lotæ
mannæ thuris } an. ℥ j.
ceræ
colophoniæ
olei myrtini } an. lib. 1.
vini. q. s.

Miſcentur, & fit medicamentum, eo modo, quo ipſi auctores docent, ſed notate, quòd nos caremus calcitide; ideo ego eius loco vtor calcantho Romano moderatè exuſto, at non in ea quantitate, quæ recipitur calcitidis in hoc medicamento; ſed impono tantum vnam drachmam. Galenus in ſecundo ad Glauconem, capite decimo, & in decimo de
Medicamentũ dia pompholigos. faculta. ſimpl. cap. de lacte, addit medicamentum vnum optimum, & diuinum, quod appellatur diapompholigos, quod etiam laudatur ab omnibus antiquis, Græcis, Arabibus, & Recentioribus. Sed notate, quòd à Nicolao Alexandrino, & à Paulo non vocatur diapompholigos, vt à Galeno, & ab alijs Græcis, ſed vocatur pompholigiron: ab Arabibus autèm vocatur vnguentum de tutia, cuius medicamenti deſcriptionem habetis à Paulo, & à Nicolao Mirepſico: ſed eorum deſcriptio non placet, quoniam recipit oleum ſeminum lini, vel camomillinum, quæ calefaciunt Aetius in libro decimoquinto, capite trigeſimonono, proponit tres deſcriptiones huius medicamenti, quarum prima, & tertia mihi magis placent, licet & media ſit bona, non tamen pro omnibus corporibus; medicamentum hoc in officinis habetur paratum ex deſcriptione luminaris maioris, vel Theſauri ſeplaſiorum, vel ex alijs receptarijs, ſed mala eſt deſcriptio, & malum medicamentum, quia recipit abſynthium, quod amarum eſt, & mordicat. Valerius Cordus deſcribit, & ipſe medicamentum hoc, & ſatis concinnè, tamen ego probo magis eam deſcriptionem, quæ habetur in officinis his Patauinis, non quidem in omnibus, ſed in præſtantioribus, & quando ego volo, vt paretur, deſcribo eodem modo, & deſcriptio talis eſt.

Rec. olei roſati
ceræ albæ } an. lib. x.
Deſcriptio diapõpholigos optima. ſucci ſolatri. lib. v.
ceruſſæ lotæ. lib. vj.
plumbi vſti & loti
pompholigis lotæ
Thuris } an. ℥ xvj.

Miſce, & coque ad vnguenti conſiſtentiam, medicamentum hoc ſuperat omnia in mitigando dolore cancri, & in protrahendo cancro. Cæterùm aliquando ſuccedit cancro dolor, ita ingens, vt nequeat æger expectare mitigationem introductam ex his medicamentis; & ideo opus eſt vti ſtupefacientibus, ſi igitur talis daretur occaſio, quo nam ſtupefa-

cientē eſt vtendum? Dico quod poteritis vti ſief albo cum opio, vel collirio Cleonis, vel collirijs ſpodiacis, ita vocatis ab Aetio, qui deſcribit ea in ſeptimo libro, capite trigeſimoprimo, in curatione cancri vlcerati oculorum, nam in illis vtitur huiuſmodi trociſcis, ego tamen vtor etiam in cancro aliarum partium, vbi dolor eſt ſæuiſſimus, vel vtamini alio medicamento, de quo meminit idem Aetius, in eod. lib. cap. 104. quod medicamentum ſoleo ego habere familiare, & eius deſcriptio hæc eſt.

Obſtupefaciēs in maximo dolore.

Rec. ceruſſæ lotæ ℥ vj.
Cadmiæ, vſtæ, & lotæ ℥ iiij.
pompholigis per linteum lotæ
oppij
Tragacanthe
Gummi arabici } an. ℥ ij.

Teruntur, & ducuntur in mortario admixto ſucco ſolani, vel pſyllij, vel lacte, in mortario inquam plumbeo, vſque ad linimenti conſiſtentiam, deinde ſuperimponitur vlceri. Et notate, quòd per pompholigem lotam per linteum antiqui intelligunt, quòd nos accipiamus pompholigem pulueriʒatam, ponamus in linteo, & faciamus faſciculum, quem abluimus multum in aqua, deinde ſinimus, vt id quod egreſſum eſt ex linteo ſubſidat, & illo vtuntur. Poteritis, & hoc modo parare medicamentum. accipiatis ſuccum florum mandragoræ, ſuccum foliorum hyoſcyami, & oleum roſatum omphancinum, quantum ſufficit, & addito pauco litargyrio, miſceantur in mortario plumbeo, vſque ad linimenti conſiſtentiam. Sed notate, quòd hæc medicamenta ſtupefacientia ſunt fugienda in vtero, & palato, nam ſi caſu laberentur in ventriculum maximè læderent; & ideo in cancro vteri, vel loculorum, & palati, vtemini iſto. accipiatis ſemina hyoſcyami albi, ſemina papaueris albi, & multum crocum, & contundatis omnia ſimul affundendo lac copioſum, deinde exprimatur, & ſucco illo expreſſo vtamini, & eſt optimum medicamentum. Quòd ſi non poſſitis mitigare dolorem, nec alia ſymptomata remouere etiam cum ſtupefacientibus, tunc rogandus eſt Deus, vt vita ægrum priuet: nam melius eſt ſemel mori, quàm tantum perferre dolorem, & tam longo tempore, nam aliquando cancri hi exulcerati, cum tam intenſo dolore durant decem, & duodecim annos, quod ego vidi in muliere Veneta, quę habebat plures, quàm centum cancros in toto corpore; ſed vnus tantum in mamma erat exulceratus, & credo quòd ſuperuixerit 12. vel 14. annos, ſi poteſtis ergo palliare, pallietis, ſin minus rogetis mortem ipſi ægro: ſed notate, quod ego ſoleo euitare, & fugere omnia medicamenta dicta in cura palliata, & vtor tantum quibuſdam alijs, vt linteis mundis, & folijs, & hoc modo, palliaui exulceratos cācros multos, & optimo cum ſucceſſu, loquor iam de cancris præcipuè exteriorib. capio igitur aquam ſolatri hortenſis, vel ipſa deficiente aquam plantaginis ſtillatitiā, uel etiam aquam puram decoctam, ſi aliæ deſint, & in hac, uel illa aqua frigida, ſed non extremè frigida, madefacio lintea munda, & ſuperimpono ipſi cancro, & ſuper linteum pono multa folia uiridia, & folia ſint ſolatri hortenſis, uel plantaginis, ſi illæ non habeantur; ſi nec hę nec illæ, capietis ſolia lactucæ, uel nenupharis, & ſupra folia, addatis nouum linteum, & obducetis faſciam, & ita relinquetis, uſque ad ueſperā, uel ad alteram diem, deinde cum exiſtimabitis folia eſſe ſemicōcta, detegetis, & renouabitis, & ſic ſemper procedetis, uſq; ad finem; & hac cura palliatiua utor ego ſemper libentius, q̃ alia per medicamenta dicta, quia in hac ſunt munda omnia, mundities aūt eſt maximè affectanda in hoc ſæuo, & prolixo morbo, & ſæpe res mihi optimè ſuccedit, & hæc ſint ſatis de cācro exulcerato, ſuccedit iā ſinus, qui ab iſtis uocatur ulcus cauernoſum, de quo in ſeq.

Pompholix lota per linteū quid ſit.

Aliud medicamentum.

Dicta ſtupefaciētia fugiēda in vtero, & palato.

Cōuenientia his partib.

Horū cancrorū perduratio.

Medicamenta auctoris in cura palliata.

De ſinu, ſeu cauernoſo vlcere. Cap. XXIIII.

IAm tractemus de ulcere profundo, quod appellant iſti cauernoſum, uel ſinum talpum; uerba ſunt ridicula, tamen & ipſa explicanda, & declaranda ſunt, ut legentes iſtorum uolumina, & incidentes in has uoces, intelligatis eorum ſignificationem: uocant igitur ulcus profundum, quod cauum eſt, uocant, & cauernoſum, quia exprimit vobis cauernas terræ; uocant & talpum ſinum, quia ulcus iſtud habet cauitates, & cuniculos ſimiles cuniculòs, quos efficit talpa animal ſubtus terra, Auicenna in quarta quarti tractatu tertio, capite quinto, uocat & ipſe ulcus profundum, uocat etiam cauernam, nec non abſconſionem: uocant autèm iſtud ulcus abſconſionem, quia tota ſolutio continui, quæ eſt in ipſo, latet, vnicum enim apparet oſtiolum, at magna cauitas, & multi cuniculi, qui in ipſa cauitate adſunt, latent; Græci & ipſi donarunt hoc vlcus ſuis appella-

Nomina.

tionibus, nam Galenus in ſecundo commentario, lib. de officina medici, commento textus vigeſimiſeptimi, vocat colpon, ideſt quaſi ſinum, vnde & Latini vocant hoc vlcus ſinum; vocat quin etiam Galenus hunc affectum chilia, hoc eſt ventrem, ſeu cauitatem, quia ſicut in ventre continentur feces; ita in hoc vlcere continetur ſanies copioſa: vocatur à Latinis ſinus, eo, quòd cauum ſit, igitur colpos, chilia, ſinuſque idem prorſus ſignificant: ſed quid eſt vlcus iſtud tot modis appellatum? Galenus aliquo modo videtur diffinire, locus eſt in ſecundo de locis affectis, capite octauo, vbi inquit ſinum eſſe cauitatem partium coniunctarum, in qua cauitate partes, quæ deberent eſſe coniunctæ, & vnitæ, diſtant vna ab altera: & quamuis Galenus in hac definitione explicet vobis quaſdam conditiones, quæ reperiuntur in ſinu, tamen non exactè naturam ipſius explicat, quoniam ſi quis gladio punctim vulneraretur, & vulnus in interna parte valde dilataretur, vt ſolet aliquando accidere; in huiuſmodi vulnere eſſet profectò cauitas magna, & partes, quæ debent eſſe coniunctæ, diſtarent, tamen non poſſet dici ſinus; ita vocabo ego ſemper vlcus iſtud, ſinum videlicet; Pariter oriuntur abſceſſus, ſeu apoſtemata magna, in quibus eſt magna cauitas, & pus copioſum, & partes, quę debent eſſe vnitę maxime diſtant, tamen nullus diceret abſceſſum eſſe ſinum, valde enim differunt: & ideo opus eſt addere aliam conditionem, nimirum illam, quæ accipitur ex Galeno in ſecundo ad Glauconem, capite quinto, & eſt, vt adſit difficultas aliqua vnionis partium illarum, quæ inter ſe diſtant, ita vt in ſinu non ſolum adſit magna cauitas, qua partes, quæ deberent eſſe vnitæ, diſtent vna ab altera; ſed etiam, vt adſit difficultas vnionis partium illarum internarum, & hac cōditione fit, vt ſinus differat à vulnere cauo punctim facto, quoniam licet labia illa interna valde diſtent, facilè tamē vniuntur. differt etiam ab apoſtemate, quia in apoſtemate, ſeu abſceſſu, quamuis partes diſtent: attamen remota ſanie poſſunt facilè denuò vniri. Verùm oportet, ne decipiamini, vt diſtinguatis ſinum etiam à fiſtula, quam iſti aliquando confundunt cum ſinu; valde tamen differunt, nam fiſtula habet orificium anguſtum, ita etiam ſinus: ſinus habet cauitatem amplam, at fiſtula non habet amplam cauitatem: præterea cuniculi ſinus, vt plurimum ſunt recti, fiſtulæ autem cuniculi ſunt intorti, inſuper cuniculi fiſtulæ ſunt calloſi; ſinus autèm callum nullum habent. Cauſæ autem ſinus quænam ſunt? nam proponit Galenus in libello de tumoribus præter naturam, capite ſecundo, & in ſecundo commentario libro de officina medici, commento textus vigeſimiſeptimi, & trigeſimiprimi, & eſt abſceſſus, ſæpe enim fit inflammatio in parte aliqua, & collecta in cauitate materia multa fit abſceſſus, quo aperto, egreditur ſanies, ſed tanta intemperies in loco eſt, vt abſceſſus non poſſit ſanari, ſed ex abſceſſu fiat ſinus. igitur ſæpe abſceſſus eſt in cauſa ſinus, nam abſceſſu aperto ſuperuenit difficultas ſanationis proueniens ex intemperie exiſtēte in parte affecta, & ita ſinus conſequitur abſceſſum; Guido addit aliam cauſam, & eſt mala curatio vulnerum, vt quando pars vulnerata malè collocatur, ita vt malè purgetur vulnus, tūc colligitur ſanies, quæ fluens ad muſculos illos ſeparat, & dilatat, & ſic fit ſinus, & hic eſt vnus modus quo mala vulnerum curatio eſt cauſa ſinuum: eſt & alter modus propoſitus à Galeno in ſecundo ad Glauconē, & eſt mala conſutio; nam ſæpe accidebat tempore Galeni, ſicut & nunc, vt chirurgi conſuentes profunda vulnera arriperent conſuendo cutim tantum relictis partibus carnoſis, & profundis labiorum vulneris, ex quo fit, vt agglutinetur cutis, & partes intimæ repletæ grumo, & ſanie patiantur ſinum; igitur mala curatio vulnerum dupliciter eſt in cauſa ſinus; datur & tertia cauſa, & quidèm magis frequens ſinuū, & eſt gangræna, & carbunculus, nam ſæpe in parte aliqua oboritur carbunculus, vel gangræna, & accidit aliquando, vt ab aliquo iſtorum, maior pars partium exiſtentium ſub cute corrumpatur potius quàm cutis; tunc medicus imponit medicamenta ſeparantia partem corruptam; & ita cum parum cutis ſeparetur, (nam ſeparatur ſolum id, quod corruptum eſt) & multum carnoſæ ſubſtantiæ, fit vt remaneat ſinus: Hæ ſunt cauſæ, ſuccedit, vt videamus an vnicus ſit ſinus, an plures. Duas itaque reperio ſpecies ſinus, vt apud Galenum in ſecundo ad Glauconem, capite octauo, & apud Aetium libro decimoquarto, capite quinquageſimotertio, & quinquageſimoquarto, & iſtæ duæ ſpecies ſunt ita diuerſæ, quod maximè variant curationem; vna igitur ſpecies eſt, quæ ſimplex dicitur ſinus, vel colpos, eò quod habeat eas oēs conditiones, quas dixi in differentia ſinus, vt oſculum anguſtum, cauitatem magnam, ſordem, &c. altera ſpecies eſt, quæ à Galeno vocatur colpos racodes, vel elcos racodes, hoc eſt ſinus attritus, debetis enim ſcire, quòd aliquando colligitur ſanies inter cutim, & ſubiectas partes, quæ ſeparando cutim à ſubiectis partibus facit ſinum; ſed ſanies illa aliquando eſt frigida, aliquando calida, & acris; ſi ſit frigida, tunc ſeparat quidèm cutim; ſed relinquit ipſam in ſua craſſitie, & tunc ſinus ille vocatur ſimpliciter ſinus; ſi autem materia ſanioſa ſit acris, attenuatur per eroſionem cutis ipſa continuò, & fit veluti attritus pannus, qui pannus attritus vocatur à Græcis rachis; ideo fit tunc ſinus vocatus ſinus rachis, ideſt attritus, quia cutis eſt relicta tenuis, attenuata, & attrita admodum; Hoc poſito,

Quid ſit ſinus ex Galeno.

Correctio definitionis Gal.

Differētia inter ſinū, & fiſtulā.

Cauſa ſinus.

Altera cā.

Tertia cā.

Quotuplex eſt ſinus.

Rachis.

poſito, quod ſcilicet duplex ſit ſinus, quorum curatio maxime diuerſa eſt; ſit modo quiſquis ſinus voluerit, vel ſimplex, vel rachis, ſolet habere differentias, quæ oriuntur ratione oſculi, nam vlcus iſtud id eſt ſinus vterque poteſt habere ſuum oſculum, vel in parte ſuperiori, vel in inferiori, vel in laterali, & niſi obſeruaretis hanc collocationem oſculi, ſciatis, quod non poſſetis recte curare ſinum: per partem autèm ſuperiorem, vel inferiorem, vel lateralem orificij ſinus, intelligo poſitionem membri, in quo ſinus eſt, vt verbi gratia, ſi eſſet ſinus in brachio, vel in thorace, tunc pars illa, quæ eſt magis verſus caput, dicitur ſuperior, & ſic de alijs. Itaque tres habemus differentias ſinus vtriuſque, ſcilicet tam ſimpliciter dicti, quàm alterius, qui attritus dicitur: ſinum qui habet oſculum in parte inferiori, Galenus in ſecundo commentario, libro de officina medici, commento textus vigeſimioctaui, vocat ſinum rectum: ſi autèm habeat orificium in parte laterali, vocat ſinum obliquum, ita & nos vocabimus; ſi habeat oſculum in parte ſuperiori appellat in eodem loco ſinum contrarium recto, & in ſecundo ad Glauconem, appellat ſinum vrgentem ad ima. Signa ſinuum ſunt manifeſtiſſima, nam vnuſquiſque per impoſitum ſpecillum, uel candelam, uel per compreſſionem poteſt ſinum cognoſcere; & ideo non eſt opus, ut ego ſim longus in tradendis ſignis. Præſagium autem quod nam eſt? uos proferetis præſagium pro ratione magnitudinis ſinus, anguſtiæ uiæ, ſordis, & fluxionis materiæ ad locum; nam ſi magna ſit cauitas, orificium anguſtum, admodum copioſa adſit ſanies, & magna fiat fluxiò, malum præſagium proferetis; ſi autem omnia hæc erunt leuiora, leuius quoque erit præſagium; ſi mediocria, mediocre erit præſagium; iam accedamus ad curationem, & primo ſinus illius ſimplicioris, nam poſtea agemus de curatione ſinus laceri, uel attriti: curatio igitur ſimplicis ſinus conſiſtit in exiccatione totius habitus, atque ipſius ulceris, & ratio eſt tradita à Galeno in libello de tumoribus præter naturam, capite quarto, quia ſinus fiunt propter fluxionem, fluxio autem fit à toto corpore; ideo oportet attenuare totum habitum, ut exiccetur, attenuabitur autem primo per rationem uictus, qui ſiccet, atque attenuet: ſed in uictus ratione inſtituenda pro curando ſinu uidetur eſſe magna contrarietas inter Auicennam, & Galenum, quoniam Auicenna in curatione ſinus, uult ut exhibeamus ea, quæ habeant uim humectandi, & replendi venas bono ſanguine, ut poſſit optima caro gigni: Galenus autèm præcipit exhibenda eſſe illa, quæ attenuent, & ſiccent. Sed contrarietas eſt in uerbis, ſumma autem una, & eadem eſt, nam dum inſtituimus uictum in hoc morbo poſſumus reſpicere ad duo, ſcilicet uel ad ſinum, uel ad habitum corporis, & ad cauſam ſinus; tunc dico quòd Galenus reſpexit ad habitum totius, & ad fluxionem; & ideo ut recidatur cauſa ſinus, nempè fluxio ipſa, quæ fluxio fit à toto corpore, uult ut in principio exhibeamus ea, quæ attenuant, & ſiccant, ſinus enim ſuccedunt ad abſceſſus, abſceſſus uerò fiunt ex fluxione, & fluxio fit ex toto habitu; ergo utendum eſt ea uictus, ratione, quæ tollat cauſam nimirum fluxionem; hac igitur de cauſa Galenus inſtituit rationem uictus ſiccantem, atque attenuantem. Auicenna uerò reſpexit ad aliud, uidelicet ad ſinum, quem ſibi propoſuit iam exiccatum, & mundatum, & indicat ſolam repletionem ex carne, & ideo exhibet ea, quæ generant optimum ſanguinem, ut poſſit generari bona caro, & cauitas expleri, qua re nulla eſt contrarietas inter ipſos: Vos igitur in principio inſtituetis uictum ſiccantem, atque attenuantem: ſed antea uidendum à uobis eſt, an cum ſinu coniuncta ſit febris, nec ne; ſi febris adſit inſtituetis uictum humidum, & frigefacientem, & ut exequamini etiam ſententiam Galeni exhibeatis paucum cibum, nam hoc modo habebitis præter refrigerationem, & humectationem etiam attenuationem, quoniam paucitas cibi attenuat habitum; ſi autem non aderit febris, inſtituetis uictum attenuantem, & ſiccantem. Inſtituta recta ratione uictus, uidebitis, an adſit abundantia ſanguinis; quod ſi aderit, lenita aluo, ſecabitis uenam, deinde præparabitis humores. ultimo eos euacuabitis, & exhibebitis ea, quæ opportuna erunt pro quolibet humore, nam ſinus oportet fieri ex fluxione cuiuſque humoris, cum enim ſequantur ad abſceſſum, & abſceſſus fieri poſſit ex quolibet humore; ſequitur quòd & ſinus fiet ex quolibet humore. His factis deueniendum eſt ad locum affectum, cuius integra curatio conſiſtit in tribus, & curatio eſt ſatis difficilis, egetque diligentia maxima, ſanabilis tamen eſt affectus. Primum igitur quod eſt agendum in curatione loci affecti, ſcilicet ipſius ſinus, eſt ut tradamus liberum exitum ipſi ſaniei, quæ colligitur in cauitate, ut per emiſſarium aliquod continuò effluat, hoc primum eſt tentandum. Secundum eſt, ut reddamus ſinum ipſum, ſeu cauitatem aptam ad aglutinationem; tertium eſt, ut aglutinemus. Itaque ſi ſinus habeat orificium in parte inferiori, non opus eſt arte, nec labore ad faciendum, ut ſanies non retineatur, quia per ſe continuo effluet, & ſatis erit oſculum, illud apertum ſeruare, ſi autem orificium eſſet in ſuperiori, opus erit, & arte, & diligentia maxima, quia ſinus erit ueluti ſaccus, & nihil ſaniei poterit effluere, ſicut etiam ſi orificium ſit in parte laterali. ſi igitur orificium ſinus ſit in parte ſuperiori, uel laterali, tentandum eſt, ut ſanies liberè exeat; id autem fieri poteſt tribus modis, uel ſitu, & collocatione

Differẽtiæ ſinuum.

Poſitio ſinus.

Sinus rectus.

Obliquus.

Vergẽs ad ima.

Præſagiũ.

Curatio ſinus ſimplicis.

Victus uĩ attenuans.

Sectio venæ.

Purgatio.

Ad locum affectum.

Tria conſideranda in cura ſinus.

Si orificiũ ſuperius.

Digitized by Google

Tribus modis datur exitus materiæ. locatione opportuna; vel apertione; vel deligatione; ſitu quidèm, nam ſæpe ſinus eſt in parte aliqua, cui tradito opportuno ſitu, ſanies prompte, & liberè continuò effluit, vt fuit ſententia Galeni in ſecundo de officina medici, commento Tex. 28. & in ſecundo, ad Glauco. vt verbi gratia ſi ſinus eſſet in brachio, vel in fæmore, quamuis haberet orificium in parte ſuperiori, tamen per collocationem orificium fiet inferius, quia ſi vlna, vel genu attollatur, fit vt oſculum ſit inferius. Hoc itaque modo per collocationem tentabitis dare exitum liberum ſaniei, ne intus retineatur, ſed ſciatis, quòd quandoque accidit, vt per ſitum non poſſumus id præſtare, nec orificium ſeruare apertum, quid igitur agendum ſi membrum, in quo eſt ſinus ſit optimè collocatum, & tamen oſculum non ſtet apertum? *Fiſtula plũbea, ænea, argentea. Tenta cannulata.* Recentiores ſeruant ipſum apertum fiſtula plumbea, uel ex ære, & vt plurimum argentea vtentes, quibus fiſtulis & ego vtor aliquando: ſed interdum vtuntur etiam, ſicut & ego cãnulata tenta, quæ fit ex tela aliqua, quæ ſit inbita cerato aliquo, vel aliqua reſina, capiunt verbi gratia ceram, vel reſinam aliquam, & eliquant ad ignem, deinde infundunt linteum, mox extrahunt & ſinunt, vt refrigeretur, & ex hoc poſtea linteo accepta portione aliqua, faciunt fiſtulam, ſiue tentam cannulatam, & imponunt optimo aliquando cum ſucceſſu: ſed ego vtor libentius folijs hederaceis, *Folia hederæ.* accipio folium inuoluo ipſum deinde ligo flocco ſtupæ, vel filo tenuiſſimo, & inijcio, & optimè detinet apertum orificium, & expurgatur ſanies, & non facit dolorem, vt facit tenta illa, quia cedit aliqualiter. Itaque quando collocaueritis membrum ſinu affectum ita, vt orificium ſit in parte inferiori, opus eſt ſeruare orificium apertum, quod fiet vel per iniectam fiſtulam plumbeam, vel auream, vel argenteam, vel per tentam arundinoſam, vel per folium hederaceum, verùm aliquando non poſſumus ſitu efficere, vt orificium reſpiciat inferius, vt accidit, quãdo ſinus eſt in thorace, vel dorſo, ſi enim velletis, vt orificium ſinus in his locis exiſtentis reſpiceret inferius, oporteret hominem pedibus ſuſpendere: *Orificium ſuperius ſecandum.* & ideo tunc opus eſt ſectione aperire ſinum in parte inferiori: ſed quo modo fit hæc ſectio? Recentiores dicunt, quòd debemus tentare, vt in ſinu colligatur multa ſanies, quod fiet, ſi clauſum detineatur eius orificium: nam per ſaniem illam extendetur magis cutis ſinus: ſcd̃o faciũt hoc vt cutis illa attenuetur, qa ſanies erodit, & attenuat: extenſio aũt cutis in ſeruit ad hoc, quod cognoſcimus melius quantitatem ſinus: hoc facto accipiunt organum quoddam, quod eſt veluti maxima acus, ex illis quibus conſuimus uulnera, nam in ſummo apice habet veluti geminas alas, in altero autem apice habet foramen, ſeu auriculam vocatam inquam inijciunt funiculum ſatis craſſum, deinde accipiũt hoc organum, & in acie poſſunt parum cerę; deinde immittunt hanc aciem in orificium ſinus, & cũ peruenerint ad fundum in parte oppoſita, & inferiori adigunt acum, & forãt, extrahuntque funiculum, quod poſtea inibi relinquunt, vt tracto modo ſurſum, modo deorſum ſanies habeat, inquiunt, emiſſarium ſemper apertum, quod funiculum; puto uos aliquando uidiſſe in equis, nam eſt medicina equorum, quoniam veterinarij ita ſolent perforare, & relinquere *Improbatur funiculus recentiorum.* funiculum in abſceſſibus equorum, & huiuſmodi funiculum uocant ſetonem uulgo ſetagno; ſed quamuis faciat ad euacuationem ſaniei, tamen in ſinu non eſt opus ipſo funiculo, quia ſat eſt, ut ſectio ſeruetur aperta: præterea funiculus habet hoc incommodum, quod reddit orificium calloſum; & ideo malum eſt pręcipuè, quia nos non uolumus longo tempore ſeruare foramen illud apertum, immò tentamus, ut ſinus agglutinetur, quando citius fieri poteſt; in affectibus autem oculorum, qua opus eſt, ut cauterium, ſeu foramen factum per ſetonem in occipitio maneat diu apertum; ideo inibi relinquimus funiculum: ſed hæc neceſſitas non eſt, ut dixi, in ſinu: & ideo ex Galeno dico, quòd ſat eſt, ut orificium ſeruetur apertum per iniectum linamentum, addo, & aliud, quòd mihi non placet, & eſt, quod malum eſt tentare, ut copioſa ſanies colligatur in ſinu, quia atterit, coroditque cutim, & ita ex ſimplici ſinu poſſent fieri attritus: & ideo dico, quòd ſat eſt, ut mediocris quantitas ſaniei colligatur in cauitate: *Deligatio, exprimẽs.* Quod ſi nec per ſitum, nec per ſetonem poſſitis facere, ut ſanies continuò effluat, accidit enim aliquando, ut æger nolit ad mittere ſetonem, uel ſectionem, uel alia de cauſa non poſſitis eam moliri, tunc tentandus eſt continuus exitus ſaniei per deligationem, quę talis ſit, ut continuò exprimat quicquid ſaniei in cauitate colligitur; & hęc uacuatio quamuis non ſit præcipua ratio euacuandi, & tradendi liberum exitum ipſi ſaniei, tamen cogimur ipſa uti, & eſt etiam ſatis opportuna: fit autem expręſſio hęc per plumaccolum, ſeu ſplenium ſæpius duplicatum, & craſſum, nam imponimus hoc ſplenium ſupra abſceſſum, deinde ligamus faſcia, & deligatio debet fieri hoc modo, ut incipiat in parte inferiori circa fundum ſinus, & finiat ad orificium: & in deligatione notate, quòd primæ deligationes debent eſſe arctiores, ultimæ autem laxiores, ut id quod eſt expreſſum à primis deligationibus, colligatur facilius à ſecundis, tertijs, & quartis, & exprimatur; Hęc pertinebãt ad primum caput agendorum circa ſinum, *Agglutinatio ſinus* ſecundum erat, ut redderemus ſinum aptum ad agglutinationem, quod fiet per maximam ſinuationem, & maximam deterſionem, nam cum factus ſit ſinus ex fluxione, & adſit ſanies copioſa, vt ſemper adeſt neceſſariò, requiri-

tur ea, quæ maximè ſiccant, detergũtque ſummopere; & ideo Galenus in ſecundo de officina medici, & in ſecundo ad Glauconem, dicit, quòd requiruntur ualidè ſiccantia, atque detergentia; vnde Auicenna infundit ſuum apoſtolicon, vel lixiuium, quod maximè ſiccat, & detergit, vel aquam marinam, uel aquam aluminoſam: Galenus & ipſe habet ſua medicamenta, quibus vtebatur, & ſunt validiſſima, & vnum eſt, quod vocatur diacharta, ideſt medicamentum ex charta combuſta, quod deſcribitur in quinto de compoſitio. medicamentorum per genera, capite decimoquarto, & deſcribitur etiam à Paulo, à Nicolao Mirepſio, & a multis alijs: & ſciatis, quod in ipſo recipitur papyrus antiquorum, qua papyro nos caremus, ego tamen quando curo hoc medicamentum parandum utor tipha pariter combuſta, & eſt herba in aquis naſcens habens eaſdem vires, & eſt materia illa, quæ ponitur in rimis doliorum, ne vinum effluat, & vulgo dicitur pauero. vtitur etiam Galenus medicamento Macarionis, quod deſcribitur in quinto de compoſitione medicamentorum per genera, cap. tertio, & eſt robuſtiſſimum medicamentum. addit Galenus emplaſtrum Epigoni, vel emplaſtrum Iſidis dictum, & hæc omnia robuſta ſunt, quia recipiunt, vel æruginem æris, vel ſquammam æris, vel alumen, vel quid ſimile, ſed diceret aliquis, tu ſupra dixiſti, quod vlcera magna, quale etiam eſt ſinus, à medicamentis validis redduntur ſordidiora, & proritantur: quomodo igitur medicamenta à Galeno propoſita, cum ſint validiſſima, conuenient in ſinu? Dico quod quamuis ſint robuſtiſſima, tamen non vtimur ipſis ſinceris, nam debetis ſcire, quod cum ſinus ſit vlcus cauum, ſi nos imponeremus medicamenta ſolida, medicamentum illud non diſpergeretur per totam cauitatem; & ideo oportet omnia medicamenta, quibus in ſinu vtimur, diſſoluere, & liquida reddere, vel oleo, vel aliquo liquore, quo fit, vt medicamenta, quamuis ſint robuſtiſſima, tamen reddantur mediocria: & ita medicamenta Galeni opportuniſſima ſunt, & ipſis ſemper ego vtor, non autèm Apoſtolico Auicennæ, quia habet in ſe iudam, nec aquis illis, nec alijs ab ipſo propoſitis, & inter illa Galeni præcipuè vtor Iſide diſſoluto oleo, ſed olei magna requiritur quantitas ita, vt pro vna vncia emplaſtri Iſidis opus ſit accipere ad minus ſex vncias olei. Verùm in admiſcendo oleo, & diſſoluendo hoc medicamento, notate quòd pro ratione loci affecti oportet modo cum hoc, modo cum illo oleo Iſidis emplaſtrum diſſoluere, nam in ſinu aliquando eſt calor aliquis, & inflammatio, aliquando nulla adeſt inflammatio; ſi inflammatio ſit coniuncta cum ſinu, medicamentum eſt diſſoluendum cum aliquo oleo refrigerante, quale eſt roſaceum, violaceum, nenupharinum, myrtinum, & huiuſmodi, nam ſimul, & ſemel medicamentum deterget, ſiccabit, & reſiſtet inflammationi; ſi autem non adſit inflammatio, Galenus diſſoluebat cum oleo communi antiquato, quia detergit: ſed quia noſtri ſeplaſiarij, non habent antiquum oleum, niſi arte illud parent; ideo ego loco ipſius vtor oleo cammomelino, vel liliorum alborum, vel maſticino, quia calefacit, & attenuat: diſſolutum cum fuerit medicamentum, inijciatur: poteſt autèm inijci triplici inſtrumento, vel cum veſica, vt faciebat Galenus, vt habemus apud ipſum in ſecundo ad Glauconem, cap. octauo, & in ſecundo de compoſitio. medicamentorum per genera, cap. quinto, accipiebat veſicam paruam, cui aptabat fiſtulam, ex quacumque fuerit materia, deinde explebat veſicam medicamento, & per compreſſionem veſicæ inijciebat, ſecundo poteſt inijci piulco vocato organo, & eſt organum attrahens ſaniem, de quo memini alias in vulneribus thoracis, tertio poteſt inijci cum cliſtere: expleta cum fuerit cauitas ipſo medicamento, tentanda eſt conſeruatio medicamenti in ſinu: nam ſi egrederetur, non ſiccaret, nec detergeret, & quanto diutius continebitur intus in cauitate, tanto melius erit: vnde ego in hernia, ubi nequeo extrahere folliculum, ſoleo inijcere Iſidis emplaſtrum diſſolutum, & ſtatim iniecto, vel paulo poſt clauditur orificium, quaſi natura ipſa id volente, & medicamentum continetur in ſcroto aliquando ſex, ſeptem, & aliquando decem dies, & interim medicamentum erodit folliculum, & carnem etiam, ſi ſit hernia carnoſa; fit poſtea abſceſſus, quo aperto extrahitur folliculus, igitur conſeruandum eſt medicamentum intra ſinum quanto diutius fieri poterit; & cum egreſſum fuerit, iterum inijciendum eſt, hoc quæ faciendum eſt, donec videbitis vlcus eſſe ſiccatum, & deterſum optimè, quod cognoſcetis, quia tunc incipiet gigni aliqua portio bonæ carnis, & egredietur ſanies concocta; hæc cum videritis dicatis vlcus eſſe deterſum, & ſiccatum, deterſo & ſiccato ſinu, inſurgit tertius ſcopus, cui debet medicus ipſe ſatisfacere, qui eſt, vt agglutinetur ſinus, quod fiet ſi vniantur partes inter ſe, ita vt ſe contangant, & imponendo ea medicamenta, quæ ſua vi ſiccante, & aſtringente habent facultatem agglutinandi; vt autèm ſatisfaciatis huic ſcopo debetis imitari Galenum in ſecundo ad Glauconem, qui vult vt omiſſis medicamentis detergentibus, & ſiccantibus, vt emplaſtro Iſidis, & reliquis ſupra dictis, abluamus ſinum aliquo mediocri, vt poſſit fieri agglutinatio, & primo abluit cum melicrato ſuauiſſimo, hoc eſt aqua, in qua coctum ſit

Siccantia, & detergẽtia valide.

Medicamẽtum ex charta, vel ex typha.

Obiectio.

Solutio.

Iſis oleo diſſolutio.

Quomodo iniciatur oleum in ſinum.

Hic est notand

Signa vlceris deterſi & ſiccati.

Tertius ſcopus agglutinandi ſinum.

mel,

mel, vel vtamini vino dulci, & aliqualiter auſtero, nam ratione dulcedinis mediocriter deterget, ratione autem auſteritatis aſtringet aliquantulum, & ita faciet ad agglutinationem; facta ablutione exprimatis lotionem, & imponatis medicamentum agglutinans, & erit illud, quod imponitur cruentis vulneribus, de quibus medicamentis habuiſtis à me enumerationem anno ſuperiori, cum agerem de vulneribus, & inter ipſa præcipuum locum tenent, ait Galenus, barbara ex aſpaltho hoc eſt ea, quæ recipiunt bitumen, de quibus videatis Galenum in ſecundo de compoſi. medicá. per genera, capite penultimo, & vltimo; ſed ſunt, & alia præſtantiſſima, in hoc caſu, & inter cætera, ait Galenus, ſunt illa conſtantia ex metallicis, illa, inquam, inter conſtantia ex metallicis, quæ chera dicuntur à græcis, à noſtris autèm gilua, vel fulua ratione coloris, & ſunt opportuniſſima ad agglutinandos ſinus, non quidèm ratione coloris: ſed ratione metallorum ex ære, quæ in ipſis ſunt, & inter hæc etiam medicamenta chera vocata primas obtinet illud, quod dicitur à Galeno chiron ex metallis, hoc eſt emplaſtrum ex metallis, de quo videatis Galenum in ſecundo de compoſ. medica. per genera cap. 12. re vera in agglutinandis difficillimis, & maximis ſinibus iſtud ſuperat omnia alia medicamenta: ſunt etiam opportuna illa medicamenta, quæ à græcis dicuntur phea, à noſtris autem fuſca, nam habent æruginem, & ſquammas decoctas, quæ talem generant colorem in ipſis: de horum autèm medic. materia legatis Galenum in ſexto de compoſ. medica. per genera cap. 10 vbi plura deſcribit medicamenta talia. Itaque imponatis aliquod iſtorum, & præcipuè emplaſtrum illud ex metallis Galeni: modus autèm imponendi eſt: mandat Galenus, vt accipiamus magnum linteum, & ſuper ipſum extendamus medicamentum, deinde in ea lintei huius parte, quæ debet reſpicere orificium ſinus, vult vt amputemus portionem, & faciamus foramen, vt per ipſum poſſit ſanies ex ſinu aggredi, facto foramine imponendum eſt linteum ſupra totum ſinum, ita vt occupet etiam aliquid partis ſanæ, ita enim magnum debet eſſe linteum: hoc facto, quia & orificium ſinus debet teneri apertum aliquo medicamento, ideo vult Galenus, vt capiamus paruum linteolum oblinitum eodem medicamento, & ſuper imponamus; tertio capiatis ſpongiam magnam, vel loco ſpongiæ ſplenium ſæpius duplicatum, & imbuatis vino mulſo, vel aqua mulſa, vel vino antiquo, vel vino dulci auſtero, vel vino auſtero tantùm, & ita madidam ſpongiam ſuper imponatis, quarto adigatis faſcias, quibus comprimetis & ſpongiam, & ſinum, nam per hoc aſſequemini ſecundum indicatum in hoc tertio ſcopo, dixi enim ſcopum habere duas partes, vna eſt, vt vniamus partes ſinus, ita vt ſe contangant, quò fieri poſſit agglutinatio, & hoc præſtabit vobis deligatio: altera erat impoſitio alicuius medicamenti agglutinantis; deligabitis igitur, ita tamen, vt deligationes incipiant circa fundum ſinus, & ſenſim aſcendendo deſinant ad orificium, in quacumque parte orificium extiterit, & ita deligatum ſinum relinquetis vſque ad alteram diem, vel ad tertiam, ſunt enim aliqui ſinus, in quibus poſſumus protrahere detectionem vſque ad tertiam: aliqui vſque ad alteram diem tantùm. igitur relinquetis ita vſque ad ſecundam, vel tertiam diem, interimque nihil aliud facietis, niſi quòd videbitis an ſpongia, vel plumaceolus, ſeu ſplenium exiccatum ſit, nec ne: quòd ſi erit ſiccatum, imbuetis iterum vino, vel alio dictorum liquorum, vt per hoc tollatur omnis defluxio, & conſeruetur temperies partis; altera die, vel tertia aperietis locum, & niſi ſinus ſit agglutinatus, iterum abluetis, & renouabitis eadem omnia, quæ prima die fuerant impoſita, vt linteum oblinitum, ſpongiam, & cæt. cognoſcetis autem an ſinus ſit agglutinatus, nec ne, ex proprijs ſignis, quæ ſunt, ſi paucus, vel nullus ichor egrediatur ſecunda, vel tertia die. Secundo, ſi paucus ille ichor, qui egreditur, ſit concoctus, boni coloris, & ſubſtantiæ: Tertio, ſi ſinus non doleat, nec prorietur ad tactum; quarto, ſi aderat tumor aliquis, & videatis, quòd altera, vel tertia die deſiderit, vel ſi nullus aderat, nullus ſit factus tumor; Hæc cum videritis, dicatis quòd eſt facta agglutinatio, & quidèm bona; Sed notate vnum ex Galeno, quòd ſecunda, vel tertia die ſolet poſt impoſitionem medicamenti effluere ichor tenuis admodum, & valde aquoſus, & in hoc dicit Galenus debetis eſſe cauti, ne ſemper, cum videtis hunc ichorem dicatis, quòd non eſt facta bona agglutinatio, quia inquit hoc accidere aliquando propter ſiccantem vim impoſiti medicamenti, & exprimentem ichores, & humiditates illas; & ideo, ſi in altera, vel tertia die, poſt impoſitionem medicamenti, videbitis effluere ichorem tenuem, & aquoſum. non deſperetis de agglutinatione; at ſi poſt tertiam diem, vt quarta, vel quinta videbitis talem ichorem tenuem egredi, tunc habeatis pro certo ſigno, quod non eſt facta agglutinatio; & ideo opus eſt auferre, & dimittere medicamentum agglutinans, & redire ad priorem curationem, ſcilicet ad detergentia, & exiccantia, & facta bona derſione, & exiccatione, redibitis denuò ad agglutinantia, nam cum facta fuerit optima deterſio, & mundificatio ſinus, videbitis quaſi miracula, per impoſitionem medicamenti agglutinantis, ego enim vidi per ſolam impoſitionem medicamenti agglutinantis vna

die

Agglutinantia medicamẽta.

Emplaſtra ex metallis.

Ordo vtendi emplaſtrum.

Deligationes.

Signa agglutinati vlceris.

Notandũ.

Signa non factæ agglutinationis, et quid præſtandũ.

Digitized by Google

die maximos ſinus agglutinatos; & hæc de curatione ſinus ſimplicis, in quo cutis ſinus eſt in ſua naturali craſſitie; Iam deuenio ad ſinum lacerum, ſeu attritum, in quo maxima eſt opus diligentia, nam aliquando cutis ſinus eſt ita attenuata, vt ſit penitus coriacea, & veluti ſubtiliſſima charta, nec habet ſuum colorem naturalem; ſed eſt vel ſub pallida, vel nigricans, & tunc non debetis ſperare, quod poſſit cutis ipſa agglutinari, cum ſubiectis partibus; ſed oportet ipſam eximere impoſito aliquo medicamento exedente, vel in extrinſeca facie ſupra ipſam, vel in facie interna in cauitate ſinus, nam cutis, quæ eſt ita ſiccata, & attenuata, & in colore mutata, nequit cum ſubiectis partibus agglutinari; quòd ſi ſit quidèm attenuata, & attrita, ſed non decolor, tentanda eſt curatio, & agglutinatio cum ſubiectis partibus, nam aliquando ſuccedit; Debetis autèm in curatione huius attriti ſinus vti eiſdem medicamentis, quibus in alio ſimplici vtebamur, omnia tamen debent eſſe mediocria: vnde non deuenirem in hoc ſinu ad emplaſtrum Iſidis, nec ad illud Macherionis, nec ad diachartu. & ſi non valida admodum ſint, quoniam nimis exiccatur cutis; vnde pro deterſione eſſem contentus melle roſaceo. vel ſi vellem aliquantulum validius, vterer melle crudo, & ita eliquarem mel, & inijcerem, & ad maiorem deterſionem admiſcerem ſecum ſuccum apij, ſi haberi poſſet, vel eius loco, ſuccum fæniculi, vel anagallidis, vel altheæ, ab acribus autem, & metallicis, in hoc abſceſſu penitus abſtinerem, quia nimium exiccarent cutim ſinus; cum videtis vlcus eſſe deterſum, & quòd cutis incipit craſſeſcere, & aliquid carnis gigni, imponatis aliquod agglutinans; ſed non ex illis robuſtis ſupra dictis, & benè abluetis cum liquoribus ſupra dictis: poſtea autèm imponetis medicamentum agglutinans lenius, quale eſt diapalma, quod certè in hoc caſu eſt optimum, nam moderatè ſiccat, & moderatè expellit, nam facultas ſiccans magna calcanthi, & lithargyrij retunditur ab axungia, & oleo veteri: vnde ego in habitibus præcipuè delicatioribus, & vbi cutis attrita eſt, ſemper hoc vtor; impoſito linteo cum medicamento hoc ſupra totum ſinum, vt ſupra dictum eſt; ſuperaddenda eſt ſpongia, & faſcia, & eadem omnia ſunt ſeruanda, quæ in ſimplici ſinu. Vel loco diapalmæ vtor emplaſtro Galeni, quod dicitur emplaſtrum ex melle, & fit hoc modo, coquimus mel quo vſque acquiſiuerit craſſam ſatis conſiſtentiam, & cum eſt propè cocturam, addimus myrrham, thus, & aloem, in pauca quantitate, & fit medicamentum præſtantiſſimum, quod ea omnia præſtat, quæ requiruntur, hoc igitur poteritis ſupra linteum magnum extendere, & imponere ſinui, & reliqua deinde omnia agetis, quæ dicta ſunt in ſinu ſimpliciori, & hæc de ſinu; ſequitur fiſtula, quæ eſt veluti ſoror, vel frater ipſius ſinus, ſed de ipſa agemus in ſequenti.

Curatio ſinus laceri, ſeu attriti.

Eadē medicamenta adhibēda, quæ ſupra, ſed mediocria.

Ab acribus, & metallicis hic abſtinendum.

Diapalma

Emplaſtrum Gal. ex melle, quomodo fiat.

De fiſtula. Cap. XXV.

INtet maligna vlcera, malique moris habet & locum ſirinx à Græcis dictum vlcus, & à Latinis fiſtula, quam quidèm venuſtè ſatis definiuit Galenus in quinto capite, libro de tumoribus præter naturam, & Paulus libro quarto, capite quadrageſimonono, & Aetius libro decimoquarto, capite 55. Verùm nullus inter auctores, tum recentiores, tùm ſuperioris ſeculi, rectius, breuius, & elegantius fiſtulam definiuit, quam Celſus ipſe, libro quinto, capite 188. qui quatuor verbis tantum explicauit nobis naturam huius vlceris, dicens fiſtulam eſſe vlcus altum anguſtum, & calloſum. igitur omne vlcus, quod habebit cauitatem profundam, ſed anguſtam, & calloſam, fiſtula erit dicendum: ex quo colligatis inſcitiam horum recentiorum, qui cum primum vident aliquod vlcus profundum, dicunt illud eſſe fiſtulam; vnde omnes ſinus vocant fiſtulam, & malè faciunt, quia tres requiruntur conditiones dictæ, ad hoc vt vlcus aliquod ſit fiſtula, videlicet, vt cauitas vlceris ſit profunda, ſecundo, vt ſit anguſta, & reuera eſt aliquando ita anguſta, vt non poſſimus etiam, ſpecillum inijcere, tertia eſt vt adſit calloſitas, & hæc eſt præcipua conditio, nam ipſa ferè ſola conſtituit naturam fiſtulæ: debent igitur labia cauitatis eſſe dura, & calloſa, & doloris expertia. Verùm animaduertatis, quod auctores, & quidèm probatiores aliquando abutuntur hac voce fiſtula, vt reperietis apud Galenum ſecundo ad Glauco. capit. octauo, vbi vocat nomine fiſtulæ vlcus tendens ad naturam fiſtulæ, & dicit etiam ſe ſanaſſe plures fiſtulas, in quibus erat ſordes, & non callus, medicamento illo ex metallis; ex quo loco apparet manifeſtè ipſum vocare fiſtulam vlcus, in quo tamen deeſſent illæ conditiones: igitur fiſtula duo ſignificat primo fiſtulam impropriè dictam, ſecunda propriè dictam, in qua ſunt illæ tres conditiones; de qua nos loquimur in preſentia, cuius cauſæ ſunt variæ, & primo mala curatio vulnerum, ſecundo abſceſſus malè purgati, vt ſupra dictum eſt, ſunt

Definitio excelſo.

Tres conditiones fiſtulæ.

ſæpe

ſæpe in cauſa ſinus, & ex ſinu poſtea fit fiſtula, reſtricto, ſcilicet, & calloſo reddito ſinus orificio. Tertio cauſæ fiſtulæ ſolent eſſe fluxiones copioſæ ad quodlibet genus vlceris caui; igitur cauſæ fiſtularum ſunt vel vulnera malè curata, vel ſinus, vel diuturnæ fluxiones ad caua vlcera. Sed quæres iam, an fiſtula vnius tantum generis ſit, an verò patiatur differentias; dico quòd habet differentias varias acceptas à magnitudine, à numero, à ſitu, à figura, & à parte in qua eſt: vnde recentiores loquentes de fiſtula dicunt, quòd aliqua eſt breuis, aliqua longa, ita vt perueniat aliquando ab vna ſuperficie fæmoris, verbi gratia, ad alteram ſuperficiem. & aliquando longitudo eſt vnius drodantis, hoc eſt duodecim digitorum, aliquando fiſtula eſt minoris longitudinis, aliquando maioris; aliquando etiam ſunt fiſtulæ rectæ, ideſt, quæ recta penetrant ad aliquam partem, & aliquæ ſunt obliquæ, & per tranſuerſum penetrantes, præterea aliquæ ſunt ſimplices, aliquæ duplices, vel triplices, & quadruplices: aliquando vnicum erit foramen apparens, tamen ad ipſum pertingent duæ, vel tres, vel quatuor fiſtulæ, & in his perquirendis debet medicus eſſe ad modum diligens: Item aliquæ ſunt rectæ, aliquæ tortuoſæ, ſed vt plurimum fiſtulæ ſunt intortæ, ita ut agitent medicos in inueſtiganda via, & quouſque pertingant: differunt etiam fiſtulæ ratione partium, & hæ differentiæ ſunt tanti momenti, vt euarient curationem, & aliquæ ſint inſanabiles; ſunt etiam aliæ in parte carnoſa, quæ ſunt ſanabiles, aliæ quæ pertingunt vſque ad oſſa, vel vſque ad cartilagines, aliæ, quæ perueniunt ad interiores partes, vt ad veſicam, vel ad cauitatem thoracis, & ad pulmonem, aliquæ pertingunt vſque ad ſtomachum, & ego vidi iam duas fiſtulas peruenientes vſque ad os ventriculi, aliæ perueniunt vſque ad guttur, aliæ vſque ad neruos, aliæ ad arteriam, aliæ ad venam aliquam magnam, quæ omnes ſunt inſanabiles, tot ſunt differentiæ. Signa autèm, quibus fiſtulæ cognoſcuntur, alia ſumuntur à propria ſubſtantia fiſtulæ; à ſubſtantia quidem vt à calloſitate à profunditate, & ab anguſtia: alia ſumuntur ab ijs, quæ egrediuntur: à calloſitate quidèm, quoniam de ſubſtantia fiſtulæ eſt vt ſit calloſa, profunda, & anguſta; quòd autèm ſit calloſa, & profunda, & anguſta cognoſcetis ex iniecto ſpecillo, ſecundo cognoſceris callum impoſito digito in exteriori orificio; nam ſi perſenſeritis aliqualiter tumidum, & durum orificium, dicatis, quòd vlcus eſt fiſtuloſum, tertio cognoſcitur callus impoſito medicamento acri, vt eſt mel, nam ſi non fiat mordicatio, ſignum eſt, quòd adeſt callus: cognoſcitur etiam vlcus eſſe fiſtuloſum, ex profunditate, & anguſtia, & aliquando tanta eſt anguſtia, vt nec argenteum ſpecillum poſſimus inijcere: vnde Galenus in primo de compoſ. medica. per genera, cap. 7. inquit, quòd aliquæ fiſtulæ ſunt interdum ita anguſtæ, vt opus ſit inueſtigare ipſas ſeta porcina iniecta, accipiamus enim ſetam, pilum ſcilicet porcinum, & in ſummo ponimus parum ceræ, deinde inijcimus, vt tentemus profunditatem: aliquando tentamus hoc ſpecillo plumbeo, vel ſtanneo, quoniam interdum, & pro maiori parte fiſtulæ ſunt ita intortæ, vt non poſſimus tentare profunditatem ſpecillo argenteo, vel aliqua alia re dura; & ideo tunc confugimus ad ſpecillum ex plumbo, vel ex ære: ego tamen, vt plurimum vtor candelis ſubtilibus, quas habeo ſemper paratas, ex cera alba, & ipſis magis fido, quàm cuicumque aliæ rei, nam flectuntur eo modo, quo inuertitur fiſtula: ſecundò accipiuntur ſigna ab ijs, quæ egrediantur, vt cum videritis adeſſe profunditatem, anguſtiam, & calloſitatem: & præterea egredi ſaniem tenuem, & virulentam vt plurimum, ac copioſam ſatis, dicatis, quòd vlcus eſt fiſtuloſum; quod ſi ſanies virulēta ſit longè copioſior, quàm deberet, proportione habita ad vnum orificium, colligatis non eſſe vnicam fiſtulam, ſed duas, vel plures: pręterea ſi ſanies egrediēs ſit alba, & boni coloris, ſignum eſt, quòd fiſtula eſt in parte carnoſa, dicat quicquid velit Guido, qui vult tunc indicare, quòd fiſtula eſt in parte carnoſa, quādo ſanies eſt nigra; ſed ego in hac re ſum potius cum Celſo, qui dicit, quòd ſi ſanies exeat alba indicium eſt vlcus eſſe in parte carnoſa; ſed ſi ſanies egrediens non ſolum ſit tenuis, & multa, & virulenta; ſed etiam habeat pinguedinem ad mixtam, & ſit veluti oleum, ſignum eſt, quòd fiſtula peruenit vſque ad neruum: ſi verò exeat continuò ſanies cruenta, ſignum eſt, quòd pertingit vſque ad arteriam, vel venam aliquam magnam. Vltimò ſi ſanies ſit aquoſa, multa, virulenta, & admodum fætens, indicium eſt, quòd pertingit vſque ad os, præterquàm quòd ſpecillo iniecto perſentietis duritiem oſſis: aliquando tamen non poſſumus ſpecillo vſque ad os peruenire propter inuerſionem fiſtulę: & cum fiſtula pertingit ad os, accidit aliquando, vt vitiant os in ſuperficie tantum, quod cognoſcitur, quia perſentitur aſperitas tantum iniecto ſpecillo: aliquando vitiatur os ita vt corruptum ſit, & carioſum redditum, & tunc ſpecillo percipiuntur certa foramina; & cum adeſt oſſis corruptio, ſanies exit copioſa nigra, & maxime fętens; non ita autèm quando os eſt tantum exaſperatum, & inæquale redditum. A dolore quoque cognoſcitur fiſtula, & quo vſque pertingat, nam ſi ſpecillus perueniat vſque ad fundum, & fiat dolor maximus, & veluti conuulſio, ſignum eſt quod fiſtula deſinit in chordam, vel neruum aliquem magnum: ſi autèm non perſentiatur dolor, ſignum eſt quòd peruenit vſque ad os,

Differentia fiſtularū varia.

Signa quibus fiſtula dignoſcuntur.

Quomodo inueſtigandæ ſunt fiſtulæ.

Signa ab egredientibus.

Signa a dolore.

vel ad cartilaginem: pariter quando ſpecillo perueneritis vſque ad partem aliquam mollem, & non ſit dolor, tamen poſt extractionem ſpecilli egreditur ſanguis, indicatur fiſtulam pertingere, vſque ad aliquod magnum vas, ſiue ſit arteria, ſiue vena.

A tẽpore.

Ex tempore quoque cognoſcitur fiſtula, quia ſi videritis vlcus longo tempore perduraſſe, non eſt dubitandum, quod ſit redditum fiſtuloſum. Ex his ſignis cognoſcetis, an ſit fiſtula, quanta ſit, ad quam partem perueniat, & an recta, vel obliqua. Hoc cognito afferendum eſt preſagium, & neceſſariò eſt afferendum, & prænunciandum, Quid ſit ſucceſſurum, quoniam aliquando fiſtulæ ſunt inſanabiles.

Præſagiũ in fiſtulis.

Dico itaque, quòd omnes fiſtulæ exiſtentes in parte carnoſa ex natura partis affectæ, & propter fluxionem perpetuam, curabiles quidèm ſunt; ſed magna cum difficultate; tamen ſi æger velit ſe obedientem præſtare, ad omnia rectè propoſita, ſanantur; ſi autèm fiſtulæ pertingant ad rectum inteſtinum, vel ad ventrem, vel ad veſicam, vel ad cauitatem thoracis, vel ad articulum coxæ, vel ad vertebras dorſi, vel ad magnos neruos, vel ad arteriam, aut venam magnam, fiſtulæ iſtæ, vel nunquam ſanantur, vel miraculo artis, vel Dei; quod ſi fiſtulæ pertingant ad oſſa, & cordas, vel muſculos recti inteſtini, vel ad canalem vrinarium, ſanabiles ſunt, ſed diuturno tempore, ac maxima cum difficultate.

Curatio fiſtularũ perficitur trib.

Iam ſuccedit curatio, quæ in tribus præcipuè capitibus continetur. Primo quidèm, vt corpus totum exiccemus. Secundo, vt exiccemus, & detergamus locum affectum. Tertio, vt vlcere, & corpore toto ſiccato ſanemus ipſum; iam tractemus primum caput, cui ſatisfacere poſſumus tribus modis.

Primum caput. Victus iõ.

Primo quidem victus ratione, ſecundo euacuatione, & tertio potionibus, ſeu medicamentis quibuſdam; ita ſolent facere recentiores, & quidèm recte. Victus igitur debet eſſe attenuans, & ſiccans admodum, vt & Celſus, & omnes alij dicunt: vnde omnes cibi humectantes, vel cum humidis parati, mali ſunt; & ideo caro ſit potiùs aſſata, ſitque ſiccans, vt ex auiculis montanis: herbarum illæ, quæ attenuant, & calefaciunt bonæ ſunt, vt eruca, ſerpillum, petroſelinum, & ſimiles; hoc modo exiccabitis victus ratione.

Euacuatio.

Nec euacuatio eſt deſpicienda; ideo ſi aderit plenitudo ſecetur vena: ſi cacochimia, quemadmodum ſolet ut plurimum adeſſe, exhibebitis pharmacum, lenita tamen prius aluo, & facta præparatione, addit vnum Celſus, quòd laboranti fiſtula ſæpe eſt prouocandus vomitus radiculæ, id eſt raphani, vſu; verùm cum nos non habeamus in vſu vomitum, ſed ipſum fugiamus, tamquam præter modum grauem, & moleſtum, ideo eliciemus commune præceptum ex Celſi dicto, quòd ſubinde viſcera ſunt expurganda ab excrementis, nam per vomitum euacuatur pituita ex ventriculo, loquendo non de vomitu, quo euacuatur totus ambitus; debetis enim ſcire, quòd duplex eſt vomitus, vnus quo euacuatur totus ambitus, & iſte fit per vſum hellebori: alter eſt, quo euacuatur ventriculus tantum à pituita, & de hoc intelligit Celſus; cum ergo Celſus vtatur vomitu, & vomitus non ſit nunc in vſu, colligo, quòd loco ipſius debemus vti aliquo, quod loco radiculæ, & vomitus ſatisfaciat; & ideo conſulo vobis, vt exiccato corpore per rationem victus, vel interim dum exiccatur, exhibeatis ſæpe caſſiam ſimul cum ſpeciebus hieræ, vel aliud ſimile medicamentum. Tertius modus ſiccandi corpus eſt per exhibitionem medicamentorum valde ſiccantium, quorum non repetio mentionem apud antiquos, ſed à recentioribus tantum proponuntur, & optima quidèm ſunt, & ego expertus ſum ipſa in fiſtulis, præcipuè illis, quę pertingunt ad neruos, vel ad canalem vrinarium, & in alijs ſimilibus: inter medicamenta igitur, quæ exhibent, eſt decoctum hoc.

Medicamentũ ſiccãs nobile.

Rec. foliorum plantaginis. m.ij.
oliuæ viridium. m. j.
agrimoniæ. m. iij.
vini albi.q.s.

Folia hæc omnia debent eſſe viridia, teruntur, & miſcentur cum vino, & coquuntur, & huiuſmodi vini poſtea exhibetur ciathus vnus, verbi gratia quatuor, vel quinque vnciæ: medicamentum hoc quamuis recentiorum ſit, tamen à quibuſdam appellatur medicamentum Cardinalis Bembi, quia Reuerendiſſimus ille Cardinalis fuit olim ſanatus à fiſtula hoc decocto; vnde medicamentum eſt nobile, ſed nobilius nomen accepit à Reuerendiſſimo illo viro, qui & pietate, & literis ita claruit, vt nullus ſit ei præferendus; medicamentum eſt præſtantiſſimum, & ego vſus ſum ipſo optimo cum ſucceſſu: Aliqui ſiccant etiam corpus exhibendo decoctum guaiaci; ſed decoctum factum ex vino: ego in fiſtulis præcipuè illis, quæ perueniunt, vſque ad cauitatem thoracis, vel ad neruos, vel ad principem aliquam partem, vtor decocto quodam, quod vocatur decoctum Iudæi ad fiſtulas, quia Iudeus quidam Carpenſis fuit primus, qui vſus ſit tali medicamento, & ipſo ſanauit à fiſtulis Duces quoſdam Ferrarienſes: vnde ratio poſtea componendi medicamentum remanſit in aulis illis, & ego accepi pro dono maximo medicamentum hoc ab Ex-

Decoctum Iudæi.

H cellentiſſimo

cellentiſſimo meo præceptore Braſaulo; medicamentum igitur, ſeu decoctum fit hoc modo.

Rec. radicum alteæ
foliorum mille folij.
marubij
artemiſię
lapatij.
caulium rubeorum
pimpinellæ
ſummitatum rubi
radicum rubiæ tinctorum cum folijs
ariſtolochiæ rotandæ
foliorum fragariæ
matricariæ
centaurij minoris
matriſiluæ
betonicę
ſaluiæ
radicum gariofilatę, quam aliqui volunt eſſe geum antiquorum } an. m s.
Thuris maſculi ℥ s.
ſarcocollæ præparatæ ℥ j.
ſeminum plantaginis
aniſorum
fæniculi
capparis } an. ℥ s.
croci.
reubarbari electi
reupontici } an. ℥ s.
vini albi odoriferi lib. xv.

Bulliunt ſimul ad conſumptionem tertiæ partis, deinde colatur decoctum, & additur.

Mellis puriſſimi lib. iiij.

Et iterum ſimul bulliunt, poſtea capiat æger mane in aurora quatuor, vel quinque vncias, pro vt ventriculus fert, huius decocti, & viginti, vel vigintiquinque diebus, ita iuuat medicamentum hoc, vt viderim ego difficillimas fiſtulas ſanatas ex eius vſu. Secundum caput propoſitum erat, vt poſt totius corporis ſiccationem incumberemus ſiccationi, & ſanationi vlceris: *Sanatio vlceris.* ſanatio autem poteſt tentari varijs modis dummodo ſanabilis ſit fiſtula; nam dixi aliquas eſſe inſanabiles, quæ potius requirunt paleationem, vt iſti dicunt; ſed ſi poſſit ſanari, hæc eſt vera ratio, & certa, vt primo aperiamus, dilatemuſque anguſtum vlcus. *Tres ſcopi in curatione fiſtulæ.* Secundo, vt auferamus callum. Tertio, vt expleamus cauitatem: *Primum dilatatio.* pro primo antiqui dilatabant materia apta, & prima materia erat papyrus inuoluta, & compreſſa, & iniecta in fiſtulam; macerabatur materia illa ab ichore, & ita dilatabat: dilatabant etiam penicillo impacto, hoc eſt ſpongiolis molliſſimis, quibus antiqui vtebantur etiam ad pingendum; ideo penicilli dicta ſunt; penicillos igitur hos comprimebant, & inijciebant: nos caremus papyro, ſed non ſpongijs, quibus & nos cum recentioribus aliquando vtimur. *Spongiolis.* Sed notate, quòd ſpongiolæ ſolent admodum hærere carni, ita vt non poſſint deinde extrahi ſine ſanguinis fluxione; & ideo vt hoc incommodum remoueatur, oportet ſpongiolas veſtire aliqua molliſſima tela, & ita veſtitas inijcere; præparantur autèm ſpongiolæ iſtæ dupliciter, primus modus eſt talis: capimus fruſtum ſpongię, ita magnum, vt videtur requiri, ipſumque comprimimus, deinde filo continuato obuoluimus, & ſtringimus, & ita inuolutam ſpongiam relinquimus, ſex, vel octo horas, poſtea ablato filo inijcimus: Alij ſecundo modo parant, & quidem rectius, coquunt ſpongiam in reſina laricina, quæ vulgo dicitur terebynthina, & cum cocta eſt, & dura, ſecant in fruſta, & inijciunt, & opportunus certè eſt vſus: Alij dilatant fiſtulas radice gentianæ ſiccata; vel radice cyclaminis ſiccata, vel radice bryoniæ nigræ ſicca, & radice dragotheæ, id eſt, draguneuli maioris ſiccata, vel medulla ſambuci, & ego pariter ſi materiam meliorem non habeam, vtor aliqua dictorum; ſed hic eſt *Radice gẽtiana, & alijs.*

vna

vna materia, qua nulla inueniri poteſt præſtantior, & eſt medulla illius plantæ, quæ dicitur milium nigrum, & à Paulo milium indicum, & vulgo dicitur ſurgus, vel melica, & in Hetruria appellatur ſagena; medulla huius plantæ eſt laxa, facileque comprimitur, & eſt ita præſtans, vt non reperiatur præſtantior; & ego aliquando ipſa ſola dilataui ad tantam cauitatem vlcera, vt viſum ſit miraculum: Verùm hæc inſtrumenta, quibus dilatantur fiſtulæ ſemper debent eſſe oblinita aliquo, quod habeat vim auferendi callum, aliud poſtea maximi momenti in his inſtrumentis eſt notandum, quòd aliquando fiſtula eſt in parte aliqua, vbi fit magna, & continua fluxio: vnde ſi ſanies collecta retineatur, & non habeat liberum exitum, poſſet rodendo nocuum vlcus parere, & vix etiam retenta per vnam, aut duas horas ſolet eſſe in cauſa fluxionis: & ideo in tali caſu, oportet in medio organi, ſeu materiæ, quæ inijcitur ad dilatandum, collocare argenteam fiſtulam paruam, vt per ipſam effluat continuò ſanies: Facta dilatatione, auferendus eſt callus; poteſt autèm auferri vel medicamento, vel ferro, medicamento quidèm vel leniter erodente: vel acerrimo, & pariter erodente; ſi callus ſit tener, & mollis, vtemini leni medicamento erodente, ſi autèm ſit durus, & antiquatus, vtemini robuſto. pro callo molliori, vtor ego aliquando libenter radice hellebori nigri, quam macero in aceto, vel eximelle, & hanc radicem, ita maceratam inijcio, & eximit callum ſine magno dolore. Verum ſciatis, quòd eſt leue medicamentum: aliquando vtor præcipitato, & alumine rochæ combuſto ſimul mixtis: addatis emplaſtrum Iſidis purum, non autèm temperatum unguento roſato: addatis & unguentum ægyptiacum admixtum cum diapompholige, uel cum unguento roſaceo, uel etiam unimur puro; poteritis etiam vti medicamento illo ex charta combuſta: ſed ualidiſſimum eſt arſenicum, chalcantum uſtum; & trochiſci de minio, ſublimatum, oleum chalcanti, quod dicitur oleum uitrioli, & aquæ ardens, quam uocant uulgò aquam da partire. Hæc robuſtiſſima ſunt. Poſſumus autèm his multis modis uti, & primo admiſcendo ipſa cum aliquo humido, & illo humido poſtea oblinimus materiam, quæ inijcitur. Secundo poſſumus ſub forma arida in puluere, poſito puluere in fiſtula aliqua, & per flatum iniecto. Tertio capimus medicamenta, & miſcemus cum ſucco aliquo, uel etiam cum uino, & cliſtere inijcimus: quando ulcus eſt profundum, & ſimplex inſufflamus medicamentum per fiſtulam; quando autèm fiſtula eſt duplex, uel triplex inijcimus cliſtere, ut ope illius liquoris, medicamentum abſumens callum deducatur per omnes fiſtulas: quando autem eſt ſimplex; & non profunda fiſtula, utimur medicamento illinito ſupra materiam, quæ inijcitur impoſito medicamento abſumente callum, imponendum eſt ſupra, ut dicit Celſus, aliquid, quod impediat inflammationem; nam medicamentum abſumens callum, cum faciat dolorem, eſt in cauſa inflammationis; & ideo ſuperimponenda eſt ſpongia madida poſca, & cum ſiccatur, eſt iterum imbuenda; uel loco poſcæ utamini uino auſtero, & aquoſo; & hoc modo procedetis uſque quo eliquatus, & abſumptus fuerit callus, uel facta fuerit cruſta ex medicamento, ut ſolet, & tunc incumbetis caſui eſcharæ inijciendo oleum amygdalarum dulcium, nel butirum eliquatum, & ſubinde inijcietis ſuccum apij, ideſt oleo ſelini, ut detergatur ulcus: cadente cruſta, ueniendum eſt ad repletionem ulceris. Sed dixi, quòd callus aufertur etiam ferro, ut docet Paulus, libro ſexto, capit. ſeptuageſimoſeptimo, & Celſus libro ſeptimo, capite quarto. Sed mihi magis placet modus traditus à Guidone, qui uult, ut capiamus lignum tale, ac tantum, ut ingredi poſſit fiſtuloſum ulcus, & hoc ligno iniecto ſecemus nouacula fiſtulam ſupra lignum, Celſus autèm loco ligni utitur ſpecillo; ſed mihi placet magis lignum.

Medulla milij nigri, quis eſt ſurgus.

Notate quod

Secundũ ablatio callu.

Radix hellebori nigri.

Varia medicamenta ad idem.

Sectione.

Poſſumus etiam dilatare organo illo, quod uocatur ſiringotomum, & eſt organum fiſtuloſum, in quo laritant gemini ſcalpelli, & hoc organo impoſito comprimitur manubrium, & exeunt gladioli, atque extrahentes organum ſecatur fiſtula, & hic uſus eſt optimus; facta ſectione auferendus eſt callus; auferetur autèm dupliciter ſecundum antiquos, uel ungue, uel ferro: ſed unguibus raròhoc poteſt fieri præcipuè ab ijs, qui candore quodam exercent hanc artem; quia non geſtant ungues leoninos; & ideo recurrendum eſt ad nouaculam, uel gladiolum. Sed aliqui utuntur nouacula ignita quod non placet, quia excruciat nimis ægrum, ita extrahatur callus ferro frigido, & ſi quod calli remanſit in fundo, vbi non potuit aptari medicamentum, nec ferrum Celſus, dicit illud, quod remanſit auferendum eſſe medicamento erodente, idem, & Paulus confirmat, ablato callo, deueniendum eſt ad tertium caput, vt carne expleamus vlcus, (dicunt Recentiores) applicando ſareorica, deinde ea, quæ cicatrice obducunt, ita etiam dicit Paulus: ſed Celſus aliter ſentit, & ego ſum cum ipſo, vt veniamus ad agglutinationem, quæ opportunè, & citiſſimè ſolet ſuccedere,

Tertium caput, vt vlcus expleatur carne.

Agglutinatio præſtantior.

quoties ablatus eſt callus, vidi enim ego vna nocte tantum agglutinatam fiſtulam; ſi autem tentetur ſanatio, per expletionem vlceris cum carne longo tempore, & difficile ſuccedit, & ſæpe fit prius noua fiſtula, quam vlcus carne expleatur; & ideo dico, quòd ablato callo tentanda eſt agglutinatio, vt etiam Gal. faciebat; nam multas fiſtulas dicit ſe agglutinaſſe ſolo illo medicamento ex metallis, ita & ego ſoleo facere, & vtor, uel barbaro, vel ſacro, vel illo medicamento ex metallis: barbaro quidèm in mollibus habitibus; ſacro in durioribus; illo ex metallis in robuſtiſſimis; & duobus, uel tribus diebus ex uſu iſtorum uidi agglutinatas maximas fiſtulas; at per repletionem ex carne, tardè admodum, & difficile, vt dixi, ſanantur, nam fiſtulæ ſunt vlcera rotunda, quæ ægrè, & tardè explentur carne. Dixi quòd aliquot ſunt fiſtulæ, quæ non ſanantur: & ideo in his tentanda eſt paleatio, vt producatur, quod fiet ſi ſemper imponetis emplaſtrum Iſidis, vel vnguentum, quod dicitur abſterſiuum in officinis: extrinſecus deinde, ſi adſit inflammatio, applicabitis linteum oblinitum vnguento magiſtrali dicto; ſi autem non adſit inflammatio diapalma, & hac paleatione vtamini à principio, vſque ad finem, & hæc de fiſtula, ſequuntur iam vlcera communiora, quæ occupant totum corpus, vel magnam partem ipſius, vt eſt ſcabies; de quibus in ſequenti agam; vt poſtea deuenire poſſimus ad ſcabiem gallicam.

Agglutinantia medicamẽta.

De fiſtulis inſanabilibus.

De ſcabiei varijs nominibus, ac differentijs. Cap. XXVI.

Nomina affectionũ cutis.

VArias affectionum cutis appellationes reperio apud grecos & illas, quidèm confuſas, & apud latinos, & apud barbaros arabes, ſicut & apud recentiores barbaros, quæ voces ita difficiles ſunt, vt ſicut varia cutis morborum genera nobis proponunt, ita difficultates, & ſcrupulos magnos inijciant doctiſſimis, etiam hominibus: appellationes autẽ primum enumerabo, vt poſſim poſtea certa via, ac methodo omnẽ difficultatem tollere, & reperire certas ſpecies ſcabiei, illarumque tradere cauſas, ſigna, & curationes, primum igitur reperio apud Paulũ lib. 4. c. 20. lepram, & pſorã, & in eo. lib. c. 3. & in lib. Introductorij, qui liber aſcribitur Gal. c. 17. reperio inquam lichinon; & apud Paulum in eodem lib. mentionem cuiuſdam alterius affectus cutanei, quem vocat chniſmon, noſtri autèm pruriginem, vel prutitum. quarto in eo. lib. apud Paulum reperio vocem hanc epinictis, quæ ab aliquot transfertur exanthima, vel exanthemata, quæ appellationes omnes explicant nobis affectiones cutaneas, quæ affectiones reducuntur ad vnum genus affectus, qui ſcabies nominatur; apud Marcellum medicum reperio etiam voces varias, locus eſt in capite decimonono vbi reperio mentionem de ſcabie, de lepra, de mentagra, de impetigine, vltimo de lichene: quæ voces explicant pariter nobis cutis affectus compræhenſos ſub vno tantum genere, quod ſcabies dicitur. Apud Paulum libro 26. capite primo, & apud Quintum Serenum, capite ſexto, & vndecimo, reperio mentionem ſpecierum quarumdam ſcabiei, & vnam vocant papulam, quaſi bullam: reperio & ſcabiem, pruritum ſalſum, & impetiginem: has voces omnes reperio apud iſtos explicantes nobis cutis affectus compræhenſos ſub genere ſcabiei. Celſus libro quinto, cap. vigeſimooctauo, facit & ipſe mentionem papulæ, ſcabiei, impetiginiſque, quæ voces ſub vno genere affectionis cutis, quòd dicitur ſcabies continentur. Arabes & ipſi ſuas habent appellationes: nam apud Auic. in quarto lib. fen ſeptima tractatu tertio, cap. ſecundo, legimus albaras nigrum, ſaphatum, impetiginem, ſcabiem, ſerpiginem, pruritum, ſcirrhones, pediculos, impetiginem ſcorticatam, derbiam, phlegma ſalſum. has uoces reperio apud barbaros, tum arabes, tum recentiores, quibus omnibus explicatur genus vnum ſcabiei, loca hæc apud auctores poteritis vos percurrere, nam ſi in aliquo eſt difficultas, maxima profectò eſt in coniungendis his appellationibus varis diuerſorum Auctorum; unde non mirum eſt, ſi ſcabies eſt moleſta, quoniam & appellationes, & ſigna, & curatio moleſta eſt, & ſcabioſa; ita ut fecerint difficultatem doctiſſimis uiris, ut Manardo in ſeptimo libro ſuarum epiſtolarum, epiſtola ſecunda, ubi uult pſoram eſſe ſcabiem, unde damnat eos, qui dixere pſoram eſſe albaras nigrum Auicennæ, ſed decipitur Manardus; & in his etiam uocibus lapſus eſt doctiſſimus Fernelius. non mirum itaque uideatur uobis, ſi dixerim appellationes has uarias facere magnas difficultates, quas ut tollatis debetis ſcire, quod ſcabies connumeratur inter affectus cutaneos, nam vlcerum, quædam occupant partem aliquam, quædam totum ambitum, ut cutim totam; & inter hæc, quæ uniuerſam cutim occupant, ſcabies eſt, nam eſt cutis propria paſſio. Hoc poſito uideamus, an poſſimus certa methodo ſpecies ſcabiei inuenire, & omnem difficultatem ex appellationibus ortam de medio tollere. Dico igitur, quòd

reperio

Digitized by Google

reperio cutim pati duo genera affectus, alterum quidem, quo cutis patitur accidentia quædam, & potius ſunt immutationes cutis, quam veri morbi, neque enim in ipſis patitur cutis ſubſtantia, ſed ſolum immutatur, & alteratur.

In cutiduo genera affe ctus ſunt.

Alterum vero genus eſt, in quo propria cutis ſubſtantia patitur; loquamur primo de affectibus primi generis, in quibus cutis patitur non quoad ſubſtantiam, ſed quoad accidentia tantum, inter quæ primum locum obtinet color; ſæpe enim cutis color alteratur, & immutatur, quæ cutis infectio morbus non eſt, quoniam non lædit operationes conſuetas; color autem, quo cutis inficitur, eſt varius, aliquando inficitur colore ſubluteo, vt accidit in arquato tranſmiſſa bile per corpus totum ad cutim; & talis infectio dicitur vna affectio cutis, quæ pertinet ad decorationem, non autem ad curationem, quoniam color cutis non facit ad ſanitatem, alioqui mulieres, quæ fuco alterant ſibi cutim faciei, ſemper eſſent morboſæ: aliquando cutis atra redditur, vt fit quando atrabilis ſuffunditur per corpus, & hæc pariter infectio morbus non eſt. aliquando etiam cutis patitur nigritiem in ſuperficie propter Solem, & hæc infectio a Sole facta vocatur à Græcis ephilis, a noſtris autem coctura, quaſi quod ſuprema cutis efflorеſcentia cocta, & denſata ſit: Hæc leuiora in ipſa cuti ſunt; ſed accidunt in ipſa, & grauiora, nam aliquando cutis patitur in ſubſtantia, ita vt fiat, vel nigra, ſeu liuida, ac ſi eſſet melancholico ſanguine repleta; aliquando rubicunda, vt videatur ſanguis, aliquando fit alba admodum, quæ affectiones habent ortum ex alia cauſa, quam accidentia dicta ſupra; ſi igitur cutis fiat alba, talis affectio vocatur a Græcis alphos, ſicut & omnis alia immutatio cutis in ſubſtantia, quo ad colorem: igitur alphos ſignificat omnem immutationem cutis in ſubſtantia, omnem inquam immutationem quoad colorem, & talis affectio vocatur à Latinis vitiligo, vt a Celſo libro quinto, capite vigeſimooctauo, & ab Arabibus morphea, igitur alphos apud Græcos, vitiligo apud Latinos, morphea apud Arabes eandem prorſus affectionem ſignificant, nimirum immutationem ſubſtantiæ cutis ad colorem vel album, vel nigrum, vel purpureum, vel liuidum. Sed ſi cutis tingatur colore albo talis infectio vocatur à Græcis alphos leuchi, & à Celſo vitiligo alphos, & à barbaris morphea alba; quare alphos, leuchi, vitiligo alphos Celſo, & morphea alba Arabibus barbaris, eandem omnino cutis affectionem ſignificant, quam affectionem, ſeu infectionem, ſæpe vt arbitror vidiſtis, vel ſi non vidiſtis hinc ſumpta occaſione videre, & obſeruare poteritis in multis, quia multi ſunt, qui habent talem cutis infectionem, quam ſuperſtitioſe iſtæ mulieres vocant voluntatem lactis, vel alterius rei candidioris; videbitis aliquando aliquos habere vnam maxillam totam albam, alteram autem non; albedo illa cutis eſt affectio, de qua loquimur, quam mulieres appellant voluntatem. & omnes tales affectiones vocant voluntates lactis, vel ſimilis rei, ſiue ortæ ſint à primo ortu hominis, vel poſt ortum, appellant autèm voluntates, quia dicunt, quòd ſi mulier dum geſtat vtero appetierit rem aliquam albam, vt lac, & huiuſmodi, quam non potuerit habere, fit vt in ea ipſa parte, quam mulier fricat, tangitvè dum rem illam appetit, excitetur talis infectio cutis in fœtu, & ſi res, quam appetit erit nigra, cutis inficitur colore nigro; ſi alterius erit coloris, pariter illo inficietur colore; vnde alias vocant voluntates lactis, alias hepatis, alias lienis, & huiuſmodi, Itaque voluntates illæ albæ ſunt, infectio illa cutis colore albo vocata à Græcis alphos leuchi, à Celſo vitiligo alphos vtente voce partim Græca, partim Latina, & à Barbaris morphea alba; nam Barbari morpheam vocant id, quod vulgo dicitur maſchera; cum ergo talis infectio cutis, ſi ſit in facie, videatur veluti maſchera; ideo vocata eſt à Barbaris morphea: & apud Græcos morphi ſignificat indolem; ſi autèm infectio nigra ſit, vel ſubliuida, vel rubicunda vocatur à Græcis alphos melas; & a Celſo vitiligo melas, & à Barbaris iſtis vitiligo nigra, & a vulgaribus voluntas hepatis, vel lienis, vel vini rubei, & ab Arabibus morphea nigra, & ab iſtis vocatur etiam panni, liuores, & baſia mortuorum, nam ſæpe quis vna nocte ex deflaxu bilis atræ contrahet ſubito talem infectionem in parte aliqua, abſque quo ipſe quicquam animaduerterit, ſed ſolum cum expergiſcitur, videt talem liuorem partis, vnde cum manifeſta cauſa non præceſſerit talis infectionis; dicunt vulgares liuorem eſſe factum ex oſculo mortuorum; & ideo vocant has infectiones baſia mortuorum. Sed notate, quod doctiſſimus Fernelius, in ſeptimo libro ton pathologicon, capite ſexto, dicit quod morpheæ nigræ, vel liuidæ, quando fiunt, abſque quo homo patiens tales infectiones quidquam perſenſerit, vocantur, ait, malum mortuum à Barbaris recentioribus; ſed decipitur Fernelius, vt conſtat ex Ioanne de Vigo, libro quinto, capite tertio, quia aliud eſt malum mortuum apud iſtos, vt infra dicam; igitur alphos melas Græcorum: vitiligo melas Celſi: morphea nigra Arabum, voluntates vini, vel hepatis, vel lienis vulgarium; panni, liuores, & baſia mortuorum, idem omnes ſignificant.

De primo affectu.

Secundus affectus cutis.

Alphos ſeu vitiligo.

Alphos leuchi, morphea alba.

Alphos melas, vitiligo nigra baſia mortuorũ.

Vitiligo leuce, albaras. *Phacos, lēs.* *Stigmata, & vermicata.*

Accidit etiam ut non ſolum cutis immutet colorem, ſed & illa, quæ cuti adnaſcuntur, ut pili, & talis affectio, quando ſcilicet non ſolum cutis, ſed etiam pili mutant colorem, uocatur a Græcis leuchi, & eſt infectio ſatis profunda, ita ut ſi acu pungas cutim dealbatam, non egrediatur ſanguis, ſed ſuccus quidam lacti ſimilis, & has affectiones, ſeu infectiones profundas mulieres vocant voluntates animalis habentis pilum album, vt hædi, & ſimilium, & a Celſo hæc infectio profunda vocatur vitiligo leuce, & à barbaris albaras. igitur leuchi Græcis, voluntas animalis albi mulierum, vitiligo leuce Celſo, & albaras arabum, idem ſignificant nimirum infectionem cutis, qua vna cum cute immutantur pili quo ad colorem. Aliquando cutis inficitur, & quidèm in toto corpore colore lentiginis, ita vt tota videatur lenticulis repleta, & obducta, & talis infectio vocatur lens, vel lenticula, à Græcis autem phacos. Vltimo aliquando in cute oriuntur quædam minima puncta nigra, quæ vocatur à Græcis ſtigmata, & à recentioribus quibuſdam barbaris vermicata. igitur ſtigmata Græcis, & uermicata barbarorum iſtorum idem ſignificant nimirum infectionem cutis, quando inficitur veluti nigris, & minimis punctis. Omitto iam exanthemata, quæ ab iſtis vocatur peticulæ, & ſunt paruæ, & rubicundæ maculæ, vt videantur morſus pulicum, omnia hæc attinent ad medicum conſeruantem decorationem; ſed licet cutis patiatur in propria ſubſtātia, tamen non intendo de omnibus paſſionibus ipſius in ſubſtantia tractare, quoniam omitto paſſiones illas magnas, quibus patitur in ſubſtātia, vt eſt elephātiaſis à Græcis dicta, & à noſtris lepra: omitto etiam poros, ſcilicet verrucas acrocordones, & ſimiles affectus cutaneos; & venio tantùm ad illos, qui accidunt circa ſcabiem, & primò

Enismos, i. pruritus.

eſt eniſmos, ideſt pruritus, qui eſt affectio cutis vlceroſa, non autèm eſt ſymptoma ipſius cutis, ſed vt dixi eſt affectio, & quidèm vlceroſa; dicitur autèm à Latinis pruritus ſalſus, vnde Quintus Serenus in ſuo lib. cap. 6. ſic inquit

Pruritus autèm ſalſos lauat humor aceti
Siue maris rapidi ſudor.

Talis ſpecies ſcabiei pruritus ſalſus vocata, eſt propria ſenibus, & à Gordonio, & à reliquis vocatur ſcabies non vlceroſa, neque ſquammoſa; quoties igitur videritis cutim nihil eſſe exulceratam, nec ſaniem, nec ſanguinem egredi, tamen adeſt pruritus, dicatis illum hominem pati ſalſuginem: vnde reperietis aliquos dicentes, quod habent totum corpus ſalitum.

Prima ſpecies Scabies nō vlceroſa.

Prima ergo ſcabiei ſpecies eſt affectio iſta non vlceroſa, & eſt, vt dixi, pruritus ſalſus, qui ſolet præcipuè ſenibus accidere.

Secundas ſpecies animalia parua; pediculi.

Secunda ſunt quædam animalia parua, & quidèm ita parua, vt vix conſpiciantur, tamē mulieres colligunt ipſa in ſumma acie acus, & manifeſtè apparet, ipſa moueri motu progreſſiuo, etiam ſi minima ſint; dicuntur autèm animalcula iſta pediculi, vel pedicelli vulgo, & à barbaris iſtis ſyrones, vnde quando reperietis caput inſcriptum apud iſtos de ſyronibus, ſemper intelligatis de pediculis iſtis, qui ſolent in cute excitare veſiculas, quæ veſiculæ replentur humore, & ſi dirumpantur reperiuntur animalcula, dummodo induſtria, & arte inquirantur.

Tertia ſpecies ſcabies vlcerata, volatica dicta lichen, & mentagra, & impetigo.

Tertia ſpecies ſcabiei eſt, quando cutis vlceratur, & incipit apparere vlcus ipſum manifeſtum, ſed non profundum, & ſerpit, quæ circulariter, & ſuper ipſum creſcunt ſquammæ aliquantulum aridæ, quæ fricatæ concidunt, & nouæ regenerantur, & vt dixi, vlcus iſtud ſerpit circulariter, ita vt in media vlceris parte cutis ſit ſana, circumquamque autem exulcerata, vt verbi gratia, ſi vlcus iſtud occuparit totam faciem, vel magnam aliquam aliam partèm corporis (ſolet enim vlcus iſtud magnam corporis partem vt plurimum occupare) tunc in media faciei parte, quæ pars fuit origo vlceris, cutis erit ſana, circumquaque autèm vlcerata. hæc eſt tertia ſpecies ſcabiei, quæ volatica dicitur, quoniam non ſolum ſerpit, ſed volat, ita vt ſit mirum, nam ſubitò ſerpit ab vna parte ad aliam, & magnam corporis partem occupat; vidi ego his diebus in presbitero quodam occupaſſe totum ventrem; aliquando occupat totum truncum, aliquando totum ſcrotum, inguina, & fęmora, quia igitur videtur volare, idcirco volatica ab iſtis eſt dicta, à Græcis autèm dicitur lichen, & à Latinis mentagra, vt videre eſt apud Marcellum medica. cap. decimonono, & apud Plinium libro vigeſimoſexto, capite primo, à quibus etiam vocatur impetigo, quia cum impetu ſerpit, vnde Quintus Serenus, in cap. 11. inquit

Si vero natum eſt, quod ducit ab impete nomen
Hoc matutina poteris cohibere ſaliua.

Loquitur de hac cutis infectione, & ait, ducit nomen ab impetu nam, vt audietis infra, quando ex Siria delatus eſt, hic morbus Romam inuadebat tanto cum impetu nobiliſſimos illos Romanos, vt exederet mentum, & nares, hanc affectionem Caſſius Felix vocat Zerniam, & impetiginem. Celſus autem libro quinto, capite vigeſimooctauo, vocat papulas, ita & Serenus. Igitur eniſmon, ſcabies non vlceroſa, & pruritus ſalſus idem ſignificant, affectionem ſcilicet, ſupra dictam. idem quoque ſignificant pediculi, & ſyrones, ſic

pariter

Digitized by Google

pariter volatica recentiorum, lichen Græcorum, mentagra, & impetigo Plinio, & Quinti Sereni Zernia, & impetigo Caſſij Felici, & papulas Celſi eandem prorſus affectionem nobis explicant, quæ eſt tertium genus ſcabiei, ſed notate quod impetigo apud Celſum non ſignificat hanc affectionem, ſed ipſe appellat papulam; vnde & Quintus Serenus vocat papulas feruentes, & barbari vocant ſaphatum. Sed notate, quod duplex eſt ſaphatum apud barbaros, vnum quod oritur in capite tantum, & vocatur tinea vulgo; alterum eſt, quòd inuadit omnes partes, & de hoc intelligatis. Itaque volatica vulgarium, lichene Græcorum, mentagra, & impetigo Plinij, & Quinti Sereni Zernia, & impetigo Caſſij felicis, papula Celſi, papula feruens Quinti Sereni, & ſaphatum barbaris eandem prorſus affectionem denotat. Vnde cum eritis domi, legatis Fernelium in capite de impetiginibus, & videbitis quod obſcurè, & confuſè loquitur, nam colligit impetiginem ex Celſo, & alijs, & putat eſſe idem cum tamen falſum ſit. Volatica autèm duplex eſt, vna benigna, altera ſera, & ſæua. & ita etiam duæ ſunt ſpecies lichenis apud Græcos, & latinos, & prima ſpecies, quæ mitis eſt, vocatur à græcis lichen imeros, hoc eſt manſueta, vocatur & lichen praoteros, vt videre poteritis in libro Introductorij, capite decimoſeptimo, & hæc volatica, ſeu lichen mitis à Celſo dicitur papu a ſimplex, ſine adiunctione vlla; vel vocatur ab eodem papula mitis, eſt quæ vera impetigo chirurgorum, nam quoties de impetigine loquuntur, ſemper intelligunt de iſta, eſtque illa pariter, quam ſputo, ſeu ſaliua ſanari dicebat Quintus Serenus: altera eſt lichen, ſeu volatica fera, quæ à græcis vocatur lichen agrios, id eſt agreſtis, nam eſt fera, & difficilis admodum, & hæc à Celſo vocatur papula agria, ſeu agreſtis, à recentioribus autèm appellatur ſerpigo eo quod ſerpendo abſumat, hæc facit magnas cruſtas, & vulgo vocatur volatica maligna, & hæc non coercetur ſaliua; Itaque lichen agrios Græcorum, lichene agreſtis, uel fera Latinorum, papula agria Celſi, ſerpigo recentiorum, & volatica maligna uulgarium eandem affectionem ſignificant: Hæc eſt tertia ſcabiei ſpecies; & eſt quædam affectio cutim æqualiter inficiens, in qua ſquammæ ſiccæ admodum oboriuntur, & occupat æqualiter totum corpus: & ſquammæ illæ cadentes ſunt aridiſſimæ, & facilè cadunt; affectio hæc uocatur phlegma ſalſum à recentioribus, ab antiquis autèm, & à Celſo vocatur impetigo, & eſt grauiſſima ſcabies, cruſtoſam, & ſquammoſam totam reddens cutim, ut uideatur cutis piſcium, & quamuis pruritus ſenum ſit inſanabilis, tamen phlegma hoc ſalſum eſt ſæuius, & aliquando non poteſt ſanari, interdum etiam ſanatur, ſed perdurat multos annos: vocatur & ab Auerroe impetigo: igitur phlegma ſalſum recentiorum, & impetigo Celſi, & Auerrois ſignificant eandem affectionem, quæ affectio eſt diuerſi generis, unum quorum vocatur phlegma ſalſum moderatum, in quo exulceratur cuticula tantum ſub cruſta, & hoc à Paulo uocatur pſora, & à barbaris impetigo non ulcerata, & à recentioribus barbaris dicitur ſcabies ſicca cum ſquammis. Igitur plegma ſalſum moderatum, uel mite pſora Pauli, impetigo non vlcerata arabum, & ſcabies ſicca cum ſquammis recentiorum barbarorum, idem ſignificant: ſi autem ſub cruſta exulcerata ſit cutis, & ulcus ſit profundius, uocatur impetigo profundior, & à Græcis lepra, unde lepra, & pſora Græcorum differunt tantum ratione maioris, uel minoris profunditatis ulceris, utrumque tamen eſt phlegma ſalſum; ſed ubi ulcus eſt profundius, uocatur, ut dixi, à Græcis lepra, & ab Auicenna impetigo ulcerata, & albaras nigra, & ſerpigo nigra, & à Gordonio uocatur malum mortuum, unde errauit Fernelius, qui putauit malum mortuum iſtorum recentiorum eſſe ſpeciem morpheæ: igitur impetigo profundior, lepra Græcorum, impetigo non ulcerata, uel albaras nigra, uel ſerpigo nigra barbarorum, & malum mortuum Gordonij, eandem prorſus affectionem ſignificant, & eſt ſecunda ſpecies phlegmatis ſalſi. Vltimo, in phlegmate ſalſo humor aliquis colligitur ſub cruſtis fiuntque tubercula, quibus diſruptis unguibus, uel alia ratione, egreditur ſanies cruenta, & hæc non eſt uera ſpecies phlegmatis ſalſi: ſed eſt uera ſcabies: omnes aliæ impropriè ſunt ſcabies, ſed hæc una eſt vera, & proprie ſcabies, ubi ergo in toto corpore oboriuntur puſtulæ, ex quibus diſruptis exit ſanies, dicatis talem affectionem eſſe ueram ſcabiem, & uocatur ab iſtis ſcabies ſaniola, uel ſcabies pinguis, de qua neſcio an Græci ſint locuti: & niſi reducatur ad epinictidas, uel ad efflorefcentias, uel ad exanthemata Græcorum, equidem neſcio, ad quam aliam Græcorum affectionem poſſit hæc uera ſcabies reduci. His addatis ultimam ſpeciem ſcabiei, quæ morbus gallicus uocatur, & ſcabies etiam gallica, quia & iſte morbus ſcabies eſt: & dictus eſt ſcabies à nonnullis; quoniam in ipſo ſolent oboriri ulcuſcula quædam, quæ corrumpunt cutim. His hoc modo diſtinctis ueniamus ad curationem harum ſpecierum, & primo pruritus.

Saphatum barbarorũ quid ſit.

Lichenis duæ ſpẽs.

Volatica fera, & difficilis.

Phlegma ſalſum impetigo.

Secunda ſpecies phlegmatis ſalſi.

Tertia ſpecies ſalſi phlegmatis, vera ſcabies.

Vltima ſpecies ſcabiei, morbus gallicus.

Digitized by Google

De pruritu. Cap. XXVII.

PRuritum dixi vocari ab iſtis ſcabiem non vlceroſam, quoniam requitit vt ſcalpatur, & ſi quæ ſquammulæ adſint, illæ ſunt minimæ, & vix apparentes. de hoc igitur pruritu loquamur, quem explicans Galenus in libro de ſympt. differ. cap. tertio dixit eſſe ſymptoma pertinens ad læſam operationem animæ ſentientis: & vt clarè intelligatis, eſt ſpecies doloris leuis admodum: quæ autèm ſit cauſa huius leuis doloris, habetis a Galeno, in ſecundo de cauſis ſymptomatum, capite ſexto, vbi

Pruritus cauſa.

inquit pruritus huius cauſam eſſe, corpus pruriginoſum ſtimulans cutim, ſi autem quæras à Galeno, quod nam ſit iſtud corpus pruriginoſum faciens hoc ſymptoma, ipſe reſpondet in libro de plenitudine capite octauo, vbi inquit eſſe primam ſpe-

Humoris acris quatuor ſpecies.

ciem humoris acris, debetis enim ſcire, quòd inibi Galenus facit quatuor ſpecies humoris acris, & prima eſt acris, at parum ſecunda eſt humoris magis acris, tertia adhuc magis, quarta eſt acerrimi, vult igitur, quòd corpora illa, quæ in primo ordine, ſeu ſpecie ſunt acria ſint in cauſa pruritus, ea autèm, quæ ſunt in ſecundo gradu acria, faciunt ſenſum exulceroſum, & eſt quando quis præſentit dolorem quendam in corpore, & videtur quod adſit vlcus, cum tamen non adſit; ea autèm, quæ acria ſunt in tertio gradu dicit, quod faciunt horrorem; acria autèm in quarto gradu, non ſolum faciunt ſenſum vlceroſum, & horrorem: ſed etiam rigorem, redeundo igitur ad propoſitum dico, quod ſymptoma hoc pruritus ſcilicet ſit à corpore acri, & mordaci in primo gradu. corporum autèm iſtorum acrium & morda-

Corporum acrium, & mordentiũ differẽtia.

cium ex Galeno in ſecundo de cauſis ſympto. capite ſexto alia ſunt nitroſa, alia amara, alia ſalſa, alia acria tantum, & qualiacumque fuerint, vel amara, vel ſalſa, vel nitroſa, vel acria, & pruriginoſa, dummodo ſint parum acria, & mordacia, faciunt pruritum: vnde vrtica facit pruritum, propter nitroſitatem, aqua maris propter ſalſedinem; acetum acre propter acredinem, aquæ autèm erodentes, vt illa, qua ſeparatur argentum ab auro, aqua chalcanti, quæ dicitur oleum vitrioli, aqua ſulphuris, quæ dicitur oleum ſulphuris, omnes iſtæ aquæ, ſi eorum nimia acredo retundatur admixtione aquæ communis, faciunt pruritum inſignem: Iam igitur apparet quid ſit pruritus, & à qua cauſa fiat ſecundum Galenum, tamen eſt addendum, quoniam ex hac Galeni ſententia non habetur immediata cauſa pruritus, neque enim corpus acre eſt cauſa immediata; ſed mediata, quamuis non malè dixerit Galenus aſſerens tale corpus eſſe cauſam; ſed vt dixi non eſt immediata. inquiramus

Cauſa immediata pruritus.

igitur immediatam cauſam nos. Dicit Galenus pruritum eſſe ſymptoma attinens ad læſam operationem animæ ſentientis: ergo cum ſit ſymptoma, inſequitur morbum aliquem; vidẽdum eſt igitur cuiuſnam morbi ſymptoma ſit; & quis ſit morbus ille, ad quem

Pruritus definitio.

inſequitur, & quomodo organum tactus lædatur, ab hoc ſymptomate: dico igitur quod

Quomodo patiatur organum tactus.

tactus læditur, vel ab obiecto, præter modum agente ſua aliqua ſumma qualitate, vt eſt immoderata caliditas, immoderata frigiditas, & huiuſmodi: nam introducitur intemperies in organo tactus, & ſic fit morbus in intemperie, ad quem ſequitur mala ſenſatio. verum morbus iſte non poteſt eſſe ille, ad quem ſequitur mala illa ſenſatio, quæ dicitur pruritus, nam corpus illud, quod facit pruritum, non eſt ita calidum, vel frigidum, vt poſſit in temperiem introducere. Secundus modus, quo patitur organum tactus, vel tactus ipſe, eſt

Secundus modus quomodo patiatur organum tactus.

ſolutio continuitatis, quæ ſolutio dum ſit, ſequitur mala ſenſatio. dico igitur quòd immediata cauſa pruritus eſt ſolutio continui; verùm quia leuis introducitur ſolutio continui, ita vt non pateat ſenſui, & eſt ferè momentanea; idcirco talis ſolutio vocata eſt pruritus, & non alio nomine conuenienti ſolutioni continui; ſed quomodo, dicat veſtrum aliquis, fit hæc continui ſolutio? diximus quòd corpora illa pruriginoſa ſunt cauſa me-

Cauſa immediata pruritus eſt ſolutio continui.

diata pruritus; omnia autèm illa corpora ſiue ſint amara, ſiue acria, ſiue ſalſa, ſiue nitroſa, ſunt terreſtria, & exuſta: & ideo omnes habẽt partes aliquas tenues, & calidas; aliquas terreſtres, & craſſas; & ideo apta ſunt ad ſolutionem cõtinui, quoniã acta à partibus calidis penetrant; nã partes calidæ, & tenues facilè penetrantes trahunt ſecũ partes craſſiores, quæ craſſę partes, cũ difficile penetrẽt per poros cutis vellicãt ipſos, & ſoluũt cõtinuũ; ad quam ſolutionem leuem ſequitur pruritus. Itaque modus, quo corpora iſta faciunt ſolutionem continui, eſt, quia partes calidæ ducunt ſecum terreſtres, quæ cum difficile penetrent, ſoluunt continuum. Igitur dico, quòd pruritus eſt ſymptoma oriens ex leui ſolutione continui, quæ ſolutio fit à corporibus habentibus diſſimilares partes, alias nimirum tenues, & calidas; alias terreſtres, & craſſas: talia autèm corpora ſunt nitroſa, ſalſa, amara, & acria: hæc eſt cauſa pruritus, qui pruritus proprius, & verus dicitur, quoniam fit à cauſa, quæ in ipſa cuti eſt, non autèm ab externis cauſis: eſt & alius pruritus non verus, maximus tamen, qui

excitatur

excitatur ab externis corporibus, vt ab animalculis quibuſdam nempe à pediculis, qui pediculi ſunt trium generum: nam alij ſunt communiter dicti, alij lati, alij in cute ipſa latitantes, qui uocantur ſyrones; horum autem pediculorum omnium cauſa eſt inquirenda & quomodo faciant pruritum, & primò illorum latiorum, quibus iuuenes, & fœminæ ſolent moleſtari, & dicuntur vulgo piattole, vel piattoni, & iſti deſcribuntur ab Ariſtotele in quinto de hiſtoria animalium, cap. 31. vbi vocat ipſos phtires agrios ideſt pediculos agreſtes, vel feros, & re vera ſilueſtres ſunt; hi dum hærent ſuis pedibus tenaciſſimis ſoluunt cutim, & faciunt pruritum maximum: ſunt & pediculi communes, qui oriuntur copioſi in capitibus puerulorum, qui pariter ſuis pedibus infiguntur cuti, & ſoluentes inſenſibiliter cutim efficiunt pruritum tertia eſt ſpecies pediculorum, qui ſyrones vocantur latitanteſq; ſub cute exedunt cutis ſubſtantiam, eamque ſenſim ſoluunt, & ſic pruritum generant: igitur pruritus ſiue fiat à cauſa interna, vt ab humore illo pruriginoſo, aut à medicamento, ſiue à cauſa externa, vt ab iſtis animalculis, ſemper fit à ſolutione continui; Iam videnda eſt cauſa horum animalium, & quomodo generentur. Vos ſcitis, quòd corpus cum continuò nutriatur, & mutentur alimenta, neceſſariò etiam fiunt continuò excrementa, quæ excernuntur per varia loca, vt per vrinam, per ſeceſſum, per palatum: & ſemper etiam aliqua excernuntur per cutim; nam ad ipſam deferuntur ſordes, & vapor, qui vel inſenſibiliter exhalat, vel compactus abit in ſordem, vnde inter partes ex quibus excernuntur corporis excrementa, eſt cutis ipſa, quæ cum habeat poros ſatis anguſtos, & ad ipſam deferatur excrementorum genus varium, fit, vt aliquando excrementa illa retineantur, quæ excrementa, ſi ſint amara, vel acria faciunt tantum pruritum leuem, ſi autèm ſint ignea exedunt ſubſtantiam cutis, & excitant vlcera: ſi autèm non ſint acria, ſed craſſa, atque frigida excitant in cute tubercula; ſi verò ſint calida, & humida, & habeant in ſe aliquid ſpiritus generantis hoc eſt caloris vitalis, vertuntur in animalia, & quia ad curationem attinet ſcire quomodo excrementa retineantur in cute; ſciatis quòd retinentur, vel propter propriam excrementorum ſubſtantiam, vel ratione cutis; propter ſubſtantiam quidèm excrementorum, vt quando ſunt nimis craſſa, ita, vt nequeant per poros cutis egredi; ratione autèm cutis, vt quando eſt vel nimis imbecilla, vel obſtructa: debilis autèm redditur, quando præter modũ refrigeratur, ſecundo fit debilis aliquãdo in generatione, ſunt enim aliqui, qui à primo ſui ortu habent cutim admodum imbecillam, tertio debilitatur ex nimio coitu, quarto ex contagio, vt quando quis dormit cum aliquo habente cutim debilem, & infectam: cuti autèm exiſtente imbecilla. Retinentur excrementa etiam ſi ſint tenuia, quia ob imbecillitatem cutis non expelluntur: retinentur etiam, quando cutis eſt obſtructa; obſtruitur autèm, vel ex intemperie frigida, vt quando ambiens eſt nimis frigidum, vel obſtruitur à corpore aliquo obſtruente, vt fiet à ſorde cuti hærente, ſi non abſtergatur, & ab vnguentis etiam; vnde ſi ſordes non abluatur obſtruuntur pori cutis, retenentur excrementa, putreſcunt, & generantur pediculi; & hinc eſt, quod in miſeris, & mendicis iſtis hominibus generantur plures pediculi, nam geſtant illas veſtes ſordidas obſtruentes cutim, idem fit in iis ægrotantibus, in quibus ex longo vſu epithematum obſtructa eſt cutis, nam retinentur excrementa, quæ acta à calore naturali, vertuntur in animalia; Itaque materia hæc retenta facit animalia; ſed cuius nam generis eſt materia hæc? Galenus in primo de compoſ. medicam. per loca, cap. ſeptimo, inquit, quòd eſt calida, & humida; vnde omnia corpora calido, & humido hoc excremento abundantia, generant hæc animalia; ſimiliter omnia cibaria, quæ peccant in calido, & humido, faciunt pediculos; vt dicit Galenus in ſecundo de alimentorum facultate, capite ſexto; & ideo vſus caricarum diuturnus, præcipuè in habitu calido, & humido, facit pediculos. Vnde videbitis plures fieri ſtatim ſcabioſos ex vſu caricarum; nam generant calidum, & humidum alimentum, ſimiliter caſtaneæ coctæ, quibus pueri veſcuntur, generant pediculos; quoniam gignunt alimentum ſubpingue, & humidum; igitur pruritus vltimus fit à pediculis, qui ſunt trium generum; generanturque ex excremento calido, & humido retento in cute, & putreſcente, ſed agente ſpiritu vitali vertuntur in animalia. Iam curemus pruritum poſtquam patuit, & quot modis fiat, & quot ex cauſis proueniat, & primo illum curemus, qui fit ratione generationis animalium, de eo quidem primo agentes, qui fit à pediculis latis, nam de illo, qui fit ratione pediculorum communium nihil dicam, quia mundatio veſtium, cutis, & & omnium exteriorum eſt eorum curatio: ſed, vt dixi, tradam primo curationem pruritus prouenientis ratione pediculorum latorum, qui pruritus ſæuus admodum, & difficilis aliquando eſt: curatio autèm conſiſtit in his, vt auferantur animalia, & cauſam generationis ipſorum, dixi autèm pediculos oriri ex materia calida, & humida contenta, & impacta in poris ipſius cutis, & obſtruente cutim ipſam, vnde ſi velimus pruritum hunc curare, oportet animalia interficere, ſecundo detergere, aperire, & euacuare materiam illam putredinoſam, vtendum igitur primo eſt ijs, quæ euacuant pediculos, ſecundo ijs, quæ detergunt,

Pediculi trium generum.

Quõ pediculi generentur.

Quomodo excrementa retineantur in cute.

Vſus ſcaricarum generat ſcabiem.

Curatio pruritus, et primũ de animalculis facti. Ex pediculis latis. Staphis agria.

Digitized by Google

digerunt, aperiunt, & ex alto trahunt, vnde ſtapiſagria, & eius ſemen primum locum obtinet, nam ea omnia præſtat, ſecundum locum tenet ſandaraca, non quidèm arabum, ſed Græcorum. Tertium locum tenet nitrum noſtrate: omnia enim hæc interficiunt pediculos, digerunt, ex alto trahunt, & cutim ſiccant ab excrementis illis putredinoſis quarto loco eſt puluis, & radix hellebori tùm albi, tùm nigri; addatis aquam marinam, & ſimilia; aliquo igitur iſtorum poteritis vti, ſed vt plurimum confugimus ad ſtaphidem agriam, accipientes vnam partem pulueris ipſius, & admiſcentes cum tantundem pulueris iridis, vel maſticis, & inſpergentes puluerem ſupra locum prurientem: aliquando capimus duas partes pulueris ſtaphidis agriæ, & vnam iridis, vel maſticis; aliquando è contra duas maſticis, vel iridis, & vnam ſtaphidis agriæ, & optimum eſt remedium, interficit enim animalia, & ea omnia præſtat, quæ requiruntur: aliquando accipimus puluerem ſtaphidis agriæ, & ſeminis ipſius, ponimus in linteo, & facto faſciculo maceramus totam noctem faſciculum illum in aqua, poſtea abluitur moderatè pruriens locus tali aqua; diximoderatè, quoniam ſi immoderate ablueretur, excoriaret cutim excitando veſicas, qui morbus poſtea eſt ſatis grauis: aliquando cum hæc non faciunt, vtimur ſapone nigro, & eſt præſtantiſſimum remedium inter paratu facilia; ipſo autèm vtimur hoc modo: inungimus ipſo ſapone partem prurientem, vbi ſunt animalia, & ita inunctam relinquimus per dimidiam horam, vel minus etiam; deinde abluimus locum, & optimè ſatisfacit, nam interficit animalia, digerit, aperit meatus, & ex alto trahit: aliquando animalia iſta ita hærent, & pruritus eſt tam magnus, vt iſta non ſatisfaciant; & ideo opus eſt deuenire ad robuſtiora, & quæ à tota quaſi ſubſtantia enecant animalia, hæc ſunt quæ vocantur catarctica, nam euacuant, & digerunt per halitus, atque ex alto trahunt, & inter iſta primas obtinet hydrargyron, ideſt argentum viuum, quod ſtatim interficit pediculos, digerit, aperit, & euacuat materiam illam cutis meatus obſtruentem: hydrargyro autèm vtimur varijs modis, nam aliquando accipimus linteum, & facimus cingulum, & cingulum illinimus medicamento, quod iam dicam, deinde mandamus, vt æger cingat ſibi ventrem totum ipſo cingulo, & geſtet cingulum tota nocte, & omnes pediculi, in quibuſcunque fuerint corporis partibus, pereunt, aperiuntur meatus, & digeritur materia illa, ex qua pediculi iterum fierent: medicamentum autèm, quo oblinio cingulum eſt hoc.

Staphis agria.

Sapo niger.

Argentum viuum.

Rec. olei communis ℥. ij.
Ceræ albæ ℥. s.
Argenti viui ℥. j.
Miſce optime in mortario.

Alij accipiunt vnguentum roſaceum, & cum ipſo miſcent in mortario argentum viuum, & obliniunt locum prurientem; alij accipiunt pomum dulce, coquunt ſub prunis: deinde accipiunt carnem illius pomi, & cum ipſa miſcent in mortario argentum viuum. Verùm tutior vſus eſt per cingulum illum; quia argentum viuum non hęret partibus. Sed apud aurifices habetis remedium optimum, nam auri fabri habent pannum quendam, quo fricant, & detergunt vaſa, quæ volunt inaurare: ſimiliter habent pedem leporinum, & vtrumque iſtorum optimum eſt in hoc caſu, fricando locum prurientem panno illo, vel pede ſemel tantum, & videbitis pediculos cadere, & materiam, ex qua fiunt digeri. hoc itaque modo curabitis pruritum prouenientem ex pediculis latis. At ſi pruritus fiat ratione ſyronum latitantium in cute ipſa, qui ſyrones ſolent præcipue oriri in volis manuum, & in interna parte pedum, & ſæpe videbitis mulieres ipſos extrahere acu, vt ego multoties vidi, & conſpexi talia animalcula mouere ſe motu progreſſiuo, ac ſi haberent exquiſitos pedes: ſi inquam pruritus fiat ex his animalibus, curatio eſt, vt interficiamus animalia, & auferamus materiam ex qua fiunt, quod fiet per digerentia, & ſiccantia. primo ergo acu, vel attritione oportet aperire cutim, & diſrumpere minimos illos folliculos, in quibus latitant animalcula, & ſi poſſunt extrahi animalcula certè bonum erit; verùm ſæpe auferentur aliquot, & multi remanebunt; & ideo diſruptis veſiculis illis vtamini ijs, quæ ſiccant: vnde recentiores laudant decoctum ſalitorum, quod & ego commendo: ſiue fuerit decoctum tunni ſaliti, vel ſardarum, vel alterius piſcis: in hac ergo aqua, ſeu decocto madeat pars pruriens, vel ſi non adſit talis aqua, vtamini aqua maris, vel muria arte facta, & valde ſalita; vel accipiatis aloem, & incoquatis in aceto acerrimo, & hoc aceto vtatur, & optimè enecat animalia, & extinguit humiditatem illam putredinalem, ex qua fiunt; ſed primum locum tenet hoc: accipiatis muriam optimè ſalitam, & in ea coquatis cancros fluuiatiles, vel marinos, vel etiam cancros iſtos, ſi alios non habeatis, & hoc decocto vtamini, & eſt præſtantiſſimum, vt ego ſum expertus. Recentiores accipiunt ſuccum hederæ terreſtris, quæ eſt herba, quæ poteſt referri ad ſpeciem elatiuæ, & ſuccum hunc miſcent cum aceto, & vtuntur & optimum eſt. Recenſeo multa medicamenta, quia affectus iſti ſunt aliquando ita maligni, vt non cedant vni, vel alteri;

Pes leporis aurificum.

Syrones idest pediculi latitantes.

Decoctum ſalitorum.

Aloe cum aceto.

Aliud optimum.

ideo

Digitized by Google

ideo oportet habere ſiluam remediorum, vt vno non ſatisfaciente experiamini aliud, & hoc modo ſæpe res ſuccedit; accipiunt etiam recentiores ſuccum foliorum mali perſicæ, & miſcent cum aceto, & ipſo vtuntur; *Aliud.* Aliquando pruritus non cedit his, & tunc aperimus veſiculas, & acumine ſtili madefacto in aqua ſulphuris, vel in oleo chalcanti, tangimus veſiculas illas diſruptas, & optimè interficiuntur animalcula illa, & abſumitur putredinalis materia. Vtimur etiam ſuffitu; *Suffitus.* accipimus ſemen porri, vel hyoſcyami, & vrimus ſuper laminam ignitam, vel ſupra carbones, deinde poſtquàm veſiculæ fuerint apertæ, facimus, vt fumus recipiatur in partem prurientem; ſed ſemina debent eſſe macerata prius in aliquo dictorum decoctorum, & hoc eſt præſtantiſſimum remedium; nam vapor ille facilè penetrat, & interficit animalia, & abſumit putredinoſam materiam. Si autèm pruritus fiat ex materia acri, & mordicante, *Si pruritus fiat ex materia acri.* oportet reſpicere ad cauſas, & ipſas remouere, quibus ablatis ceſſabit pruritus, nam pruritus eſt ſymptoma, quod eſt in fieri, eſt enim triſtis ſenſatio, ſeu dolor quidam (quomodocunque dicas nihil refert) qui dolor ſequitur ſolutionem continui; ſolutio autèm continui non facit dolorem, niſi dum fit; & ideo talis dolor ſemper eſt in fieri; vnde ſi volumus remouere pruritum hunc, oportet recidere cauſam; cauſa autèm eſt humor ſalſus, vel amarus, vel nitroſus, vel acris dilutus, & huius deinde humoris triplex eſt cauſa, ait Galenus, vna externa, & duæ internæ; *Humoris acris, vel ſalſi triplex cauſa.* externa ſunt ſordidi panni, qui ſua ſorditie obſtruunt, & ſunt in cauſa, vt excrementa retineantur, & fiant acria; internarum autèm vna eſt cacochimia, vt phlegma ſalſum, & acre redditum, vel ratione hepatis, vel propter admixtionem bilis; altera cauſa interna eſt mala victus ratio, vt vſus acrium, amarorum, ſalſorum, & eorum omnium, quæ reddunt excrementa acria, vel amara, vel ſalſa, vel nitroſa, Itaque ad ſanandum hunc pruritum oportet recidere cauſas has omnes præſentes; de cauſa autèm exteriori non eſt, vt ego dicam, quia quilibet nouit, quòd ſi inde fiat pruritus, curatio conſiſtit in deterſione, ablutioneue cutis, & pannorum. Omitto, etiam pruritum hunc ſalſum vocatum contingentem in ſenibus, *Indicatio.* qui ſunt in vltimo ſenio, quoniam in ipſis non ſanatur, & ratio eſt, quia ſemper habent cauſas præſentes. ſemper namque ſunt immundi, ſiquidèm ſenes ſunt veluti pueri, ſemper etiam commedunt, & veſcuntur malis cibis. Tertio ſemper ſunt cacochimi, & cacochimia in ipſis eſt frigida admixtis partibus acribus; cum ergo omnes cauſæ in ſenibus ſint ſemper præſentes, non eſt mirum, ſi ſalſus pruritus in ipſis non ſanetur, ſi igitur accidat hic pruritus in alio quàm in ſene, & proueniat ex mala victus ratione, oportet *Victus ratio.* inſtituere optimam victus rationem, vt ſit victus humectans, atque etiam aliquantulum refrigerans, & generet ſanguinem purum, & ſincerum; hoc facto oportet euacuare humorem acrem contentum, tùm in venis, tùm in cute: pro euacuando autèm illo, qui eſt in toto ambitu, oportet exhibere pharmacum, ſed prius exhibenda ſunt præparantia, vt eſt ſyrupus de fumo terræ, de cicorea, de lupulis; *Præparātia humorem.* deinde euacuabitis, cum ſena, vel confectione hamech, vel epithymo; ſed ſi peccet pituita cruda, cui ad mixta bilis purgabitis cum rhabarbaro, & caſſia, ſi autèm cum pituita ſit admixtum ſerum, exhibebitis ſerum, in quo ſint decocti folliculi ſenæ; *Vacuātia.* & quamuis iſti dicant, quòd ſena euacuat humores melancholios, tamen ego vidi ſemper, quòd educit pituitam, & ſeroſos humores, vel exhibeatis ſuccum fumi terræ ad mixtum cum ſero capræ, vel ſuccum lupulorum, cum eodem ſero. Euacuatus cum fuerit totus ambitus liberanda eſt cutis, alioqui non ſanaretur pruritus, & ideo facietis, vt æger vtatur balneo aquæ, in qua ſint decocta folia betarum, lupini, ſemen erui amarioris; & cum fuerit extra balneum, inungatur, obliniaturuè corpus cremore ptiſſanæ, vel ptiſſana ipſa, cum qua tamen ad mixtum ſit oximel, vel illiniatur cremore farinæ fabaceæ, vel lupinorum, vel erui amari, quæ tamen farinæ ſunt diſſoluendæ oximelle, & his cutis detergetur, & materia illa impacta euacuabitur; aliquando hæc non ſufficiunt, ſed poſt vſum balnei opus eſt illinire corpus, ex helleboro, vel ſapone nigro. Serenus proponit tria opportuna in hoc caſu dum dicit.

Pruritus autèm ſalſos leuat humor aceti,
Siue maris rapidi ſudor, cocleæque minutæ.

Igitur æger obliniatur aceto, vel ſpuma maris, nam & hæc digerit, & euacuat materiam illam impactam, vel accipiatis paruas illas cocleas, præcipuè marinas, contundatis, & admixto melle, vel oximelle faciatis veluti linimentum, quo obliniatur corpus, & hoc medicamentum laudatur etiam à Paulo: facta deterſione cutis, & euacuatione illius materiæ, oportet temperare cutim, nam ex vſu ſiccantium reddita eſt ſicca; ideo eſt humectanda, & redigenda in ſuum naturalem ſtatum: vnde ſicut antea vtebamini digerentibus, ita nunc vtendum eſt per aliquot dies balneo aquæ dulcis, in quo debet manere mane, & veſperi per integram horam, & melius etiam erit, ſi in aqua illa coquantur folia maluarum, ſpinachia, aliquando lactuca, radices maluarum; cum autèm egreditur ex balneo, vt humiditas illa aquoſa retineatur, debet corpus inungi oleo amygdalarum dul-

cium

Digitized by Google

cium pluries loto, aqua ſtillatitia ex violis, vel ex lactuca: vel butiro recenti eadem aqua decies, vel pluries abluto: vel inungatur oleo, & butiro ſimul mixtis, dummodo inungatur aliquo vnguine refrigerante, vnde ſi aliud non haberetis vtamini pinguedine anſerina recenti, & diſſoluta, vel axungia porcina non ſalita, & abluta; Hæc ſint ſatis de prima ſpecie ſcabiei, quæ pruritus dicitur, vel ſalſus, vel ex animalibus factus.

De lichene, ſeu Mentagra. *Cap.* XXVIII.

Nomina varia.

VTi curanda ſit illa non excoriata ſcabies, quæ dicitur pruritus ſalſus, vti etiam pruritus ille, qui fit ex animalibus abigendus ſit, in ſuperiori diximus. Iam ſuccedit ſecunda ſcabies mentagra vocata à Plinio, & à Marcello, Zernia à quodam recentiore, papula à Celſo, lichen à Græcis, ſaphatum commune, non autèm illud, quòd caput tantum inuadit, ab Auicenna impetigo, & derbia à recentioribus, & à vulgo volatica, vel ignis ſiluagius, vel ignis volagius: morbus iſte tot nominibus appellatus antiquitus Aſiaticos tantum agitabat, & præcipuè illos, qui in capite Aſiæ manebant, quæ a Romanis colebatur, & Aſia minor vocatur, hanc autèm ſcabiem Italia non nouit olim ante tempera Tiberij Cæſaris, ſed in medio imperio ipſius Claudij Tiberij Cæſaris, quidam Peruſinus ex equeſtri ordine, cum eſſet quæſtorius ſcriba, in ea Aſiæ parte, infectus eſt hoc morbo, & Romam veniens infecit Italiam totam, ex quo colligatis Fucſium in ſecundo libro paradoxorum, paradoxo. 17. malè accuſare Plinium, eo quod dixerit mentragram ignotam fuiſſe toti Europę ante imperium Tiberij, in quo Fucſius redarguit Plinium, nam inquit mentagra fuit nota Hippolyti, & alijs antiquis, ergo & alijs multis, & Italicis, ſed non vidit Fucſius, quòd Hippocrati fuit Aſciaticus, nam natus, & altus eſt in Coo inſula, quæ erat ſub cenſu Aſiæ: & ideo Hippocrates meminit de mentagra, tanquam de Aſiatico

Cur mentagra fuit dicta.

morbo; Morbus autèm iſte Romæ primo inuadebat mentum, vnde mentagra, quaſi ioco dictus eſt: vt plurimum autèm ſolebat naſci per contagium ratione oſculi, Romæ enim mos erat, qui mos etiam adhuc ſeruatur in vrbibus, in quibus reſpublica viget; vt publicè homines oſcularentur ſeſe; & ideo per contagium morbus oriebatur; vnde neceſſarium fuit oſcula omittere. Morbus iſte nunc non oritur ita per contagium, vt antiquitus oriebatur, nec eſt ita ſæuus, ſed potius nunc eſt fœdus, quam ſæuus: antiquitus autèm, &

Huius morbi ſæuitia.

fœdus, & ſæuus erat, & eo ſæuior erat, & difficilior quia nullus reperiebatur, qui ſciret ipſum curare; vnde Romani cogebantur ex Aſia ineptos etiam viros vocare; qui eos curarent, & ſi quando morbus iſte ſanabatur, & cicatrice obducebatur, deinde iterum exulcérabatur locus, & erat longè peior, & malignior morbus; & ſi morbi huius malitiam vultis cognoſcere, legatis Plinium, qui dicit quod Romani, vt ſanarentur, ſolebant ſoluere medico millia nummorum aureorum, ſicut etiam fiebat de morbo gallico, nam Manilius Cornutus ditiſſimus præſes Aquitaniæ legatus perſoluit cuidam, qui ſanauit ipſum à mentagra ducenta ſeſteria, quæ ſi redigas ad numerum noſtrorum aureorum efficient numerum quinque millium aureorum nummorum, nam vnum ſeſtertium valet vigintiquinq; aureos nummos noſtrates, ſi ego vnum tantum ex his curaſſem, & mihi tot nummos perſoluiſſet, & accederet deinde alter non pręmio curarem amplius, & poſſem, vt dicitur, apothecam claudere. Præterea tanta erat morbi iſtius ſæuitia, vt Marcellus inquit, quòd in Aquitania, & eſt tertia pars Galliæ, quæ regio nunc dicitur Ducatus guaſcognæ, vel Ducatus Auignoni, ducebant ſtipendio maximo medicos ex alijs regionibus ad curandum hunc ſolum morbum, & inter illos fuit vnus Soranus, qui ſe locauit ducentis hominibus, qui hoc morbo laborabant teſte Marcello Medico, & ratione huius morbi congeſſit magnam copiam diuitiarum; nunc autèm factus eſt morbus triobolaris, ſicut & morbus gallicus, & potius gratia, q̃ præmio ipſum curamus Natura, & motus mentagræ olim erat ꝙ vt plurimũ incipiebat a mẽto, & totã faciẽ, & caput occupabat præter oculos; ꝙ non facit gallicus morbus, nam & oculos, & dentes, & partes omnes afficit: deinde deſcendebat ad inferiora, & totum aliquando truncum occupabat, ſicut & nunc facit, ſed ut plurimum in facie

Cauſa huius morbi materiai.

nunc incipit oboriri, & frequenter affligit pueros, & mulieres. Cauſa huius morbi materialis, ut ait Paulus, & excrementum pituitoſum craſſum, quod habet admixtum ichorem, & melancholicum ſuccum, quod excrementum retentum in cute putreſcit, & moderatè exulcerat, & facit cruſtas, & ſemper ſerpit, ideo ſerpigo etiam talis ſcabies eſt dicta. Eandem materialem cauſam mihi uidentur aſſignare recentiores, licet ſub alijs uerbis. Cauſa autèm cur talis materia, ſeu excrementum mentagram gignens, coaceruetur, antiquorum Romanorum tempore erat contagium, nam uix uno tactu introducebatur mala qualitas in alio,

alio, quæ qualitas exurebat excrementa trahebatque ipſa ab internis ad cutaneas partes: nunc autèm contagium non eſt ita ſæuum, niſi enim quis dormiat cum aliquo, qui totus ſit infectus, non afficitur, at antiquitus vix ex vno contactu inficiebantur: cum itaque nunc non ita facilè oriatur per contagium, omittamus hanc cauſam, & veniamus ad alias; inter quas vna eſt affectio alicuius intrinſecæ partis principis, vt affectio hepatis, vel lienis, vel ventriculi, & cætera, altera eſt mala victus ratio, Recentiorum quidam addit ambientem præter modum calidum, & ſiccum; & hinc eſt, quod qui incolunt Aegyptum, & alias calidiores regiones patiuntur maxime hunc morbum, quia talis aer ſiccat cutim, deuritque excrementa, Quarto Auicenna addit ambientem præter modum frigidum, ſi quis enim ſit habitus calidi; & ſicci, & exponat ſe aeri frigidiſſimo conſtipatur cutis, & retinentur excrementa illa, quæ putreſcendo exulcerant moderatè, & mentagram faciunt, & hinc eſt, quod aliquando etiam hieme oritur mentagra, ait Auicenna. Quinta cauſa eſt imbecillitas facultatis expulſiuæ ipſius cutis, quamuis enim maior pars hominum habeat robuſtam cutim, aliqui tamen ſunt, qui habent ipſam, ita imbecillam, vt non poſſit expellere nitroſa excrementa, quæ ſolent per cutim excerni, & ita retenta faciunt hunc morbum: qui quamuis oriri ſolear omnibus anni temporibus, tamen vere eſt frequentior, vere etenim Natura ſolet omnes malos humores tranſmittere ad cutim, vnde Hippo. vocat hanc ſcabiem morbum uernalem, & locus eſt in tertio aphoriſmorum vigeſimo, vbi enumerat morbos, qui vere ſolent ex cute erumpere, & inquit, quòd aduentante vere natura ſolet expellere excrementa extra cutim: unde ſi cutis ſit ualida, excrementa illa digeruntur in halitum; ſi autèm ſit debilis, retinentur, & faciunt morbos uarios, inter quos eſt ille, qui lichen uocatur; Hæ ſunt Cauſæ, iam ad curationem deueniamus. cum autèm mentagra ſit duplex, una miris, quæ imeros, id eſt manſueta uocatur, & papula à Celſo, altera ſæua; duplex quoque eſt curatio; nam ad curandam benignam mentagram, non oportet ſtatim deuenire ad ſectionem venæ, aut ad exhibitionem pharmaci, ego enim ſanaui plures, quàm ſint capilli, & pili, quos geſto, ſine vlla purgatione, & unicò tantum aliquando præſidio, & inter auxilia, quibus utor in mitiori lichene ſunt duo illa propoſita à Sereno, dum inquit:

Alia cauſa.

Curatio mentagræ.

Si mitior ſit morbus

Si verò vitium eſt, quod ducit ab impete nomen
Hoc matutina poteris exhibere ſaliua
Seu folio platani, quod manſum mane vorabis.

Saliua.

Itaque mane cum æger ſurgit, madefaciat uolaticam ſaliua, nam ſputum matutinum eſt concoctum, & nitroſum; & ideo digerit, & ſiccat, & ſi uultis medicamentum, quod ualidius digerat, & ſiccet, & aliqualiter etiam repellat, quæ repulſio in hoc affectu indicatur, ut etiam corium aliqualiter roboretur, accipiatis folia platani, mandatis ore, & manſa applicetis, & habebitis medicamentum optimum, quod digerit, ſiccat, & aliquantulum repellit, hæc ſunt duo auxilia propoſita à Sereno, & ſaliua laudatur etiam à Celſo, & ſi uultis aliud medicamentum, capiatis quatuor, uel quinque grana lolij, mandatis ore, & manſa cum fuerint, miſceatis parum aceti, & obliniatis uolaticam, uel miſceatis acetum cum ſaliua matutina, & inungatis locum, & his medicamentis ſanaui ego multos. Sed ſi his non cedat morbus, ueniatis ad radicem lapatij maioris: quod rumicis etiam nomine donatur, ponatis radicem in aceto, ut maceretur, deinde teratis ipſam, & mane, & ueſperi illiniatis locum affectum; aliquando ego accipio cutim ſiccam ex perna, ideſt larido; & macero in aceto, deinde ea facie pinguiori frico mane, & ueſperi locum affectum, aliquando utor radice plantaginis trita, & mixta cum aceto, aliquando radice quinque folij eodem modo; aliquando capio ſemina orobi, & lupinorum, & cum manſa fuerint, admiſceo parum aceti, & oblinio locum. Hoc modo ſanabitis lichenem mitiorem, ſed ſi lichen, ſeu uolatica mentagraue ſæua ſit, & altè iecerit radices ulcuſque ſit profundius, & ſerpat, tunc non ſolum adſunt indicationes curatiuæ partiales; ſed etiam omnes, ut ſi adſit plenitudo, ſecanda eſt uena, deinde quia ſit morbus iſte ex pituita craſſa, quæ habet admixtum ichorem, & ſuccum melancholicum, oportet corpus expurgare à tali materia, unde lenita aluo, & ſecta uena, præparabitis materiam cum ſyrupo de fumaria, de lupulis, de cicorea, de capillo ueneris, additis & earumdem herbarum decoctis: deinde euacuabitis cum confectione amech, vel electuario indo, vel cum ſena in ſero cocta, vel cum multo ſero, uel alijs omnibus, quæ recipiunt helleborum nigrum; & inſtituta recta uictus ratione, qui non generet pituitam, nec melancholiam, & ſit boni ſucci, deuenietis ad locum affectum, & imponetis quædam, quæ ſua natura uidentur agere contra hunc morbũ, inter quæ eſt herba illa, quæ uocatur lichen prima Plinij, uel impetigo, de qua ſum ego dubius quid ſit; unde loco ipſius utemini li-

Foliũ Platani manſum.

Grana lolij

Radix lapatij maioris.

Si morbus ſit ſæuus.

Præparatio materiæ.

Euacuatio.

Herba lichen vocata.

Digitized by Google

chene herba Dioſcoridis,quæ vulgò vocatur figatella eo,quòd faciat in affectibus hepatis, & fortè eſt muralisCelſi:antiqui autem vocarunt hanc herbam nomine lichenis,tumquia ſua figura explicat nobis figuram lichenis morbi : tum quia iuuat ad hunc morbum lichene dictum contemperando,& retundendo acredinem atræ bilis, Itaque vtatur æger copioſa hac herba,vel faciendo ex ipſa decoctum, vel fercula, vel acetaria, vt aliqui ſolent ; & teratur etiam,imponaturque loco affecto,quòd ſi huic morbus non cedat, tentanda eſt euacuatio illius mali humoris ex cute cum ijs , quæ valde digerunt, & euacuant, inter quæ eſt

Chelidonium maius optimum. chelidonium maius,quod ego habeo peculiare: accipio eius ſuccum, cui admiſceo puluerem ſulphuris non experti ignem,& facto veluti linimento inungo locum affectum,& permitto , vt ſtet ita inunctum tres, vel quatuor horas,deinde abluo locum , & ſæpe vna tantum inunctione ſanatur;eodem etiam modo vtor decocto cucumeris aſinini . ſi his nõ cedat,venio ad validiora,quibus pariter oblinio locum,inter quæ hoc eſt vnum quod.

Validius. Rec.axungiæ porcinæ ablutæ ʒ j.

vnguenti roſ.Meſue, olei roſ.completi } an. ℥ j.

auripigmenti, arſenici criſtallini } an. ʒ j.

lithargyrij aurei, vel argentei, ceruſſæ } an. ʒ iij.

ſucci ſolatri ℥ j. s.

Teruntur in mortario ſimul optimè,& fit linimentum,quo vtor optimo cum ſucceſſu vnica ſæpe impoſitione tantum,vel vtor hoc.

Rec.thuris ʒ ij.

bituminis iudaici, ſulphuris viui } an. ʒ j.

gummi arabici, atramenti ſutorij } an. ʒ j. s.

aceti q. s.

Miſcentur, contunduntur ſimul, & fit medicamentum, quod eſt præſtantiſſimum, aliquando his morbus non cedit ; vnde cogor deuenire ad medicamentum antiquorum , &

Scilla medicamentum antiquorum. eſt ſcilla,quæ & ſquilla ab iſtis dicitur,& præcipuè vtor ea rubra,quia eſt acrior: accipio itaque ſcillam rubeam contero,& impono loco affecto,& vna vice impoſita ſuperat morbũ.

Aqua partitionis auri. Sed ſi vultis aliquod,quod certiſſimè agat,accipiatis aquam erodentem,qua partitur,& ſeperatur aurum ab argento,vel oleum ſulphuris,& quando hæc,vel illa aqua fuerit aliqualiter contemperata,madefaciatis in ipſa pennam,& quaſi pertranſeundo vix madefaciatis affectum locum,& hoc ſemel tantum facietis,quod videbitis mentagram ſuperatam; poteritis etiam vti aquis modo dictis non contemperatis , ſed puris,prout neceſſarium videbitur. *Oleum ſulphuris.* Cæterùm Paulus inquit,quòd accidit,vt mentagra ſit admodum maligna, ita vt ſi vtamini leuibus medicamentis,non cedat : ſi autèm vtamini robuſtis,proritetur magis,atque magis: vnde monet, vt in tali caſu vtamini mediocribus , & ſæpe ita vt potius ſanetis frequentia,quàm violentia;inter iſta autèm mediocria nullum vnquam reperi ego præſtantius , quam medicamentum à me , & ab eo , qui primo mihi communicauit vocatum lac

Lac virginis medicamentum eiuſdem auctoris. virginis:lac quidèm dicitur,quia ſit veluti lac,dicitur poſtea virginis,quia virgines, & puellæ ſolent ipſo vti ad decorandam ſibi faciem , & hoc medicamentum non ſolum eſt optimum ad volaticas mali moris,& ad decorandam faciem,ſed etiam ad remouendas tinctoras illas in facie relictas à Sole, & ad tollendam morpheam, tum nigram, tum aliam, & ad candidam reddendam faciem ; fit autèm medicamentum iſtud ex duobus aquis, ita vt ſit compoſitum ex duobus aquis elambichatis, quas aquas vobis deſcribam , & vna eſt hæc.

Rec. aceti acerrimi , & quanto eſt acrius, tanto eſt melius, capiatis igitur aceti acerrimi. lib.v.

lithargyrij aurei,vel argenti ℥ iiij.

Teritur lithargyrium, & miſcetur cum aceto,ponunturque in elambich, & extrahitur aqua,quæ ſeruatur in vaſe vitreo.altera aqua eſt hæc

Rec.aluminis plumæ, ſalis gemmæ } an. ʒ j.

thuris maſculi ʒ s.

camphoræ ʒ ij.

aquæ roſaceæ lib. j.

olei tartari ℥ vj.

Miſcentur

Miſcentur omnia, & ponuntur in elambich, & extrahitur aqua, quæ pariter ſeruatur in alio vitreo vaſe, poſtea tempore vſus accipimus duas, vel tres guttas vnius aquæ ſuper volam manus, & totidem alterius, & cum primum iſtæ duæ aquæ miſcentur, ſit vnum compoſitum, quod videtur lac, & lac virginis vocatur, & hoc madefacietis volaticam mane, & veſperi, & videbitis, quòd in duabus, vel tribus impoſitionibus ſanabitur. Virgines & ipſæ quando volunt dealbare ſibi faciem eodem modo vtuntur hoc medicamento, accipientes ſcilicet guttulam vtriuſque aquæ ſuper volam, Et vt intelligatur, quid ſit oleum tartari. debetis ſcire, quod in cadis vaſorum vinariorum, præcipuè in ijs locis, vbi vina ſunt potentia adhæret vaſibus ipſis, in interna facie, materia quædam, quæ videtur ſal, & vocatur tartarum, hoc igitur accipitur poniturque in olla, & olla collocatur in fornace, vbi coquuntur ollæ: deinde ſiccatum, & coctum cum fuerit tartarum accipitur, & collocatur in loco humido, & ſubtus aptatur vas, & ſtatim cum ſentit humiditatem liquatur, abitque in liquorem, qui vocatur oleum tartari.

Oleũ barbari quomodo ſi at.

De Pſora, & Lepra. *Cap.* XXIX.

ALia ſcabiei accedit ſpecies curanda, quæ ſolet inficere totum corpus, in ſuperioribus, atque inferioribus partibus, in qua oboriuntur cruſtæ aliquot, aliquando tenuiores æmulantes ſquammas piſcium, aliquando cruſtæ ſunt ita craſſæ, & ſolidæ, vt ſua aſperitate, & duritie, craſſitieque explicent cortices arborum, & cum prioribus illis cruſtis tenuioribus coniungitur pruritus, & leuis exulceratio cutis: cum poſterioribus autèm & craſſioribus, & latioribus coniungitur exulceratio profundior, & pruritus maximus, vnde iſtæ duę ſcabies differunt ratione cruſtarum tenuiorum, vel craſſorum, & ratione exulcerationis magis, vel minus profundæ, & ideo Græci primam illam ſpeciem, in qua ſunt ſquammæ tenuiores, minores, & varia figura conſtantes, & veluti furfureæ, & vlcera minus profunda, vocarunt pſoran: alterã autèm vocarunt lepram: & notate quòd intelligo de lepra græcorum, non autèm de lepra Arabum, nam lepra Arabum eſt elephantiaſis, & quoties voluero intelligere de lepra Arabum uocabo ipſam elephantiaſim; at lepra græcorum non eſt elephantiaſis, ſed eſt ſpecies ſcabiei, in qua totum ferè corpus obducitur ſquammis, ſub quibus eſt ulcus profundum ſatis, & pruriginoſum; & de hac lepra Græcorum loquimur nos. hoc totum genus ſcabiei continens ſub ſe, & pſoram, & lepram Græcorum uocatur à recentioribus phlegma ſalſum, & uocant phlegma, quia ut plurimum ſapit naturam phlegmatis: ab Auicenna autem uocatur impetigo, quæ duplex eſt apud ipſum una mitior, altera ſæuior: primam quæ mitior eſt uocat impetiginem, & idem eſt cum pſora græcorum, alteram uero appellat impetiginem excoriatam. & idem eſt, quod lepra apud græcos, & ab Auicenna uocatur etiam albaras nigrum, & à quibuſdam recentioribus dicitur malum mortuum, & à Celſo impetigo, cuius facit quatuor ſpecies ratione lenitatis, uel intenſionis differentes. Scabies hæc phlegma ſalſum à recentioribus uocata habet pro materiali cauſa phlegma craſſum, & ſalſum ex permixtione humoris aduſti, & melancholici ſine admixtione alicuius ichoris, tenui enim humore reſoluto lichen tranſit in impetiginem, & in hoc differt à uolatica, quia materia cauſa uolaticæ eſt quidèm materia pituitoſa craſſa habens bilem, & melancholiam admixtam; ſed habet etiam admixtum ichorem, qu non eſt in materia phlegmatis ſalſi; & ideo phlegma ſalſum efficit ſquammas aridiſſimas, quia materia eſt tantum pituita craſſa cum admixtione bilis aduſtæ, nullum in ſe ichorem habens admixtum, cauſa autèm cur talis materia coaceruetur in corpore, & cute, faciatque hanc ſcabiem, eſt primo ambiens calidus, & ſiccus, ut regio calida, & ſicca, nam exuritur cutis, totus habitus, & humores etiam, ideo fiunt talia excrementa. Secunda eſt mala uictus ratio, ut uſus ſalitorum, aromatum, & ſimilium. Tertio addatis partem aliquam internam uitioſam, & hæc ut plurimum eſt cauſa, nam rarò erit phlegma ſalſum, quod eſt difficillimus morbus præcipuè in ijs, qui infecti fuere aliqua labe gallica, raròinquã quin adſit affectio aliqua uiſcerum: unde ſi uentriculus ſit ualde refrigeratus, & hepar præter modum calidus, & ſiccus, ſolent ſuccedere iſti affectus cutis, quia excrementum pituitoſum genitum à uentriculo exuritur ab hepate. Præterea cum omnis ſcabies ſit contagioſa, tamen phlegma ſalſum eſt magis contigioſum quacumque alia, unde ita cutis contagio inficitur, ut ſiccentur humores, fiantque excrementa phlegma ſalſum generantia. Cognoſcitur autem ſalſum hoc phlegma, quia inficit totum corpus, habet ſquammas multas, quæ cum cadunt cutis apparet exulcerata, & iterum regenerantur, adeſtq; coniunctus perpetuus & moleſtiſſimus pruritus, & ſqualor, ſiccitaſque maxima totius cutis, & illius etiam, quæ non eſt exulcerata, nec cruſtis obducta.

Lepra Arabum.
Lepra græcorum.
Impetigo Auic.
Phlegmatis ſalſi.
Materialia.
Cauſa.
Signa.

Morbus iſte difficillimus eſt, curatur tamen, ſi adhibeatur diligentia curatio autem incipit à communioribus capitibus, & primo à vacuatione illius excrementi, quod abundat, & *Curatio.* ſcabiem facit; vnde cum in ijs, qui laborant phlegmate ſalſo, abundet ſanguis exuſtus; & craſſus obſtruens cutim; ideo oportet ſecare venam, non tantum ratione quantitatis imminuendæ, quantum ob malam qualitatem, quam habet, nam etiam ſi paucus eſſet oporteret ſecare venam, ob qualitatem illam malam, quam habet: itaque lenita aluo, ſtatim ſecate venam, & videbitis exire ſanguinem atrum, & craſſum; deinde præparabitis humo- *Indicatio attenuãdi aperiendi* res, cum ijs, quæ reſpiciunt vtrumque genus humoris peccantis in hoc morbo, ſcilicet pituitam & bilem exuſtam; & ideo datur indicatio attenuandi, aperiendi, exobſtruendi cutim, & aliqualiter humectandi; vnde fumus terræ, betonica, radix petroſelini, cicoracea, vt ſonchus, endiuia, & ſimilia optima ſunt; & ideo decocta, & ſyrupi ex his opportuniſſima ſunt, & vt leniatis ſiccitatem viſceris admiſceatis cum his boraginem, & liquiritiam; nam reſiſtent ſiccitati illi maximæ; facta præparatione euacuabitis cum pilulis cochiis præparatis cum helleboro, nam ſine helleboro euacuant ſolam pituitam, ſed longè magis in his af- *Euacuatio.* fectibus mihi placet hiera magna Galeni quæ dicitur hiera diacolocyntidos, & deſcripta eſt etiam ab Actuario & tenetur ſub forma ſpecierum parata in his officinis; accipiatis igitur puluerem huius hieræ, & miſceatis cum electuario diacatolicon, vel cum diaſena, quod vocatur ellectuarium lenitiuum, vel cum caſſia, & exhibeatis, & uidebitis quòd optimè mundat cutim. Vel ſi vultis capiatis trociſcos alhandal, & veratrum, miſceatiſque cum quolibet alio purgante: ſed notate quod ſi qua materia eſt impacta, & hæret, hæc una eſt, ita vt videatur ſordes connutrita, & conata ipſi cuti, ſicut eſt ſordes aliquando in vlceribus ſupra carnem, & entroſon, id eſt connutrita dicitur à græcis, ita hæc materia hæret oſculis venarum, & cuti, & ideo opus eſt duplicata, & aliquando triplicata euacuatione: facta euacuatione, ego ſtatim ſoleo deuenire ad alterationem hepatis, & hunc ſcopum habeo ſemper poſt euacuationem ante oculos vt auferam ſiccitatem, & caliditatem hepatis; & quamuis adſit ventriculi frigiditas, tamen ſciatis quòd pituita non exuretur, cum erit remiſſa caliditas & ſiccitas hepatis: & ideo ſoli hepati incumbo, inungendo ipſum cerato roſaceo; uel violato, vel madefacio aqua roſacea: exhibeo etiam per os confectionem diarodon abbatis, id eſt diatrion ſandalorum, nam omnia hæc refrigerant; ſed duo habeo peculiaria in hoc *Succus endiuiæ, & ſonchi.* caſu, & unũ eſt quod per aliquot dies mane ſummo exhibeo ſuccum endiuiæ, & ſonchi tùm lenis tùm aſperi, exhibeo inquam cum ſaccharo; quantitate trium, vel ad ſummum quatuor vnciarum & optimum eſt medicamentum; alterum eſt ſerum caprinum; uel loco eius ſi deſit ouinum, vel aſininum, vel uaccinum, ſed caprinum eſt veluti ſacra anchora, cuius *Serum caprinum.* accipio libram unam & exhibeo aliquot diebus, ut octo; vel decem, in ipſis crepuſculis; ſed cum primo ciatho admiſceo quatuor uncias ſucci fumi terræ; alios autem accipiat ſine ſucco: & hoc medicamento ſemper uidi tam præſtanter eſſe remiſſam ſiccitatem, & caliditatem uiſcerum ut ſit mirum, & quocunque tempore exhiberi poteſt. Cum exhibuerim hoc ſerum decem, vel octo diebus, deuenio ad locum affectum, ſcilicet ad cutim, & ait Auicenna quod applicandæ ſunt hirudines: ſed non determinat poſtea, cuinam parti ſint applicandæ, an hæmorrhoidibus, an cuti, ego tamen experientia edoctus credo ipſum velle, quòd applicentur cuti nam poſt facta illa communiora datur indicatio, vt euacuemus cutim ab illo excremento impacto, quæ euacuatio maxime fiet per ſcarificationem cutis, & applicitis ſanguiſugis, & eadem fermè localis eſt curatio huius affectionis, quæ induratorum labiorum ulceris atque calloſorum, niſi enim impactus, & craſſus humor egrediatur, non poteri ſanari paſſio. hirudines autem illud ſuctu extrahunt. Verùm citius quod magis faciunt cucurbitulæ; & ſunt in uſu; & ideo ipſis utimur in balneo calefacto prius, & mundato corpore, ut educatur ſanguis ex cute, deinde inſtituto conueniente uictu, qui ſit facilis concoctionis, boni alimenti, & potius refrigeret, & humectet, poſtea obliniendа eſt cutis cum ijs, quæ habent has facultates, ut trahant ex alto, id quod impactum eſt, 2. attenuent. 3. detergant. 4. robuſtè ſiccent; materia autem iſtorum proponitur à Paulo, & in primo loco eſt farina lolij, anemones radix, capparum radices, brioniæ radix, aſphodelorum radices, nitrum, calx extincta ſemel tantum, ſulphur apiron, id eſt non extinctum, & ſandaraca græcorum: hęc habent omnes illas facultates. addit Paulus & calcantum, quod quamuis detergat, & aperiat, tamen non trahit ex alto, & excoriat: nam cauſticum eſt; & ideo non multum placet, & ſi vultis uti, admiſceatis paucam ipſius quantitatem cum alijs dictis: ex his igitur poteritis uobis parare linimenta varia; ſed antequam obliniatis cutim, oportet ut corpus abluatur in balneo, vel in thalamo calido, deinde ſiccetur corpus, & inungatur, decoctum autem quo debet corpus ablui eſt hoc.

Rec. foliorum maluarum ⎫
fumi terræ ⎬ an. m. iiij,
lapatij maioris ⎭

ſeminum

Digitized by Google

ſeminum hordei } an. m. ij.
furfurum tritici

Coquantur ſimul, in multa aquæ quantitate, deinde coletur decoctum, & abluatur corpus, & hoc eodem foueatur corium, vt emolliatur, incaleſcat, & aperiatur, & detur facilior tranſitus linimento, quo eſt corpus illiniendum, poſtquam lauatum, & ſiccatum fuerit, & eſt hoc

Rec. foliorum ſaluiæ
roris marini
corticum hellebori nigri
foliorum menthę
matricariæ } an. m. s.
hederæ
ſabinæ
lauri viridium
radicum cyclaminis } an. ℥ j.
bryoniæ nigræ, vel albę
Thuris maſculi. ℥. j. s.
ſalis nitri. ℥. s.
laridi ſolati ex ſue maſculo lib. iiij.

Accipimus laridum, incidimus, & tundimus gladio ſupra tabulam optimè, deinde admiſcemus viridia folia, & gladio iterum tundimus optimè, & cum tota maſſa fuerit benè tuſa admiſcemus, pulueres ex thure, & nitro, & iterum tundimus gladio, & ita per vnam diem, vel duas relinquimus maſſam, vt maceretur, deinde coquimus ad ignem moderatum, donec herbæ fiant aridiores, deinde colamus laridum, quod ineſt eliquatum, & ſinimus, vt laridum illud congeletur, poſtea ponimus ipſum in mortario, & addimus duas vncias ſulphuris non extincti, & facimus linimentum, quod eſt præſtantiſſimum ad phlegma ſalſum in habitibus etiam durioribus, vt ego multoties ſum expertus; quod ſi morbus non cedat his, vt ſolet quando eſt inueteratus, vtor medicamento, quod & recentiores, vt Ioannes de Vigo, habent in vſu, quod recipit argentum viuum; & quamuis ego libenter fugiam omnia, quæ recipiunt argentum viuum, tamen aliquando cogimur ipſis vti. medicamentum igitur fit hoc modo, & eſt robuſtiſſimum. *Linimentū ex lārido optimū.*

Rec. ſucci lapatij acutioris
plantaginis } an. ℥ s.
ſolatri hortenſis
Axungiæ porcinæ } an. ℥ ij.
vnguenti populeonis
olei roſati omphacini ℥ iij.
lithargyrij aurei ℥ ij.
Tutiæ præparatæ ʒ vj.
Ceruſſæ lotæ ℥ j. s.
argenti viui ʒ. x.

Hæc, tritis terendis, miſcentur optimè in mortario, & fit linimentum, quo illinitur cutis, & ſanat rebelliſſima phlegmata ſalſa; Ego tamen, quando video phlegma ſalſum inclinare ad elephantiaſim, vt ſolet aliquando, quia eſt veluti via ad ipſam, quod cognoſco, quia cum lepra Græcorum inclinat ad materiam lepræ Arabum cruſtæ fiunt duriores, & craſſiores, & totus habitus, videtur inclinare ad elephantiaſim: tunc cum ſum vſus ſupra dictis, & non cedit morbus, deuenio ad quædam valida; quæ etiam quaſi natura ſua videntur facere ad hos affectus; vnde cum nouerim viperas habere maximam vim in ſananda elephantiaſi Arabum, ideo in phlegmate ſalſo, ſoleo ego habere vnum peculiare, & quaſi diuinum, nam certiſſimè, & optimè ſanat, & eſt oleum viperinum, ita voco ipſum, quod facio hoc modo, accipio duas viperas, & ſeco in fruſta, & nihil ex ipſis abijcio, at omnia illa fruſta, & ſanguinem earum pono in fialem magnam, oleo repletam, & ſinò, vt tota æſtate fiala ſtet ſub Sole; & *Oleum viperinū peculiare, & optimū medicamentū.*

Digitized by Google

macerantur viperæ, fitque oleum illud rubrum, & fœtens ſatis, & hoc oleo ſemper certo cum ſucceſſu ſum vſus, & vtor, non tamen vtor ipſo puro, ac capio vnam libram ſeui hircini, & mediam libram huius olei, & ſimul miſceo; & inungo corpus, & præcipuè ſub axillis, & in inguinibus, vbi video plegma ſalſum magis inclinare ad elephantiaſim. Addatis quòd omnia, quæ habent facultatem ſulphuris habent magnam vim contra hos affectus: ſimiliter & ea, quæ habent facultatem nitri, vnde aquæ ſulphureæ in hoc affectu, ſcilicet in pſora, & lepra Græcorum optimæ ſunt, vt teſtatur Auicenna, in cap. de aqua, & ego multos vidi talibus morbis laborantes, qui ex vſu balnei aponitani tantum, ſimiliter, & illius aquæ Sancti Petri, quæ deſcendit ad lacunam maiorem, liberati ſunt, nam habent aquæ illæ vapores ſulphureos: nitroſæ quoque aquæ præſtantiſſimæ ſunt, quales ſunt geminæ illæ in agro Corſenæ, & qualis quoque eſt aquariana. quod autèm aquæ nitroſæ faciant ad hos affectus, teſtis eſt Galenus in primo de facult. ſimplic. capite ſeptimo. Sciatis tamen, quòd ſi aqua ſulphurea, vel nitroſa, haberet etiam in ſe aliquid aluminis, eſſet longe præſtantior: aluminoſa autèm pura mala eſt: ſed ſi cum ſulphure, vel cum nitro, erit coniuncta pauca aluminis quantitas, erit, vt dixi, valde præſtantior; facta mundificatione cum auxilijs prædictis, reuocanda eſt cutis ad ſuam naturalem temperiem, ne amplius ſiccet, exuratque excrementa, & gignantur tales affectus: temperabitur autèm & reuocabitur in priſtinum ſtatum naturalem, ex vſu balnei aquæ dulcis, aliquot diebus, ſequitur iam vera ſcabies curanda.

Aqua ſulphurea, & nitroſa.

De ſcabie vera, quæ & humida, & pinguis dicitur. Cap. XXX.

PEnultima ſcabiei ſpecies erat illa, quam verè ſcabiem vocamus, & ſi quis affectus cutaneus ſcabiei nomine eſt donandus, hic vnus eſt, de quo agimus, qui & à Celſo in libro quinto, cap. trigeſimooctauo, ſcabies uocatur, ſimiliter ſcabies vocatur à Marcello medico, & à Sereno medico, & poeta, & ab Auicenna vocatur ſcabies humida, & pinguis, & ſanioſa, ita etiam à recentioribus appellatur, & vulgo nominatur rogna, & de hoc affectu nos agimus, qui à Celſo explicatur hoc modo. Scabies eſt tumor cutis rubicundus, ex qua puſtulæ oriuntur quædam humidiores, quædam ſicciores. Exit ex quibuſdam ſanies, fitque ex his continuata exulceratio, pruriens, ſerpitque in quibuſdam citò. Atque in a-
„ lijs quidèm ex toto deſinit, in alijs uerò certo anni tempore reuertitur; Hæc eſt explica-
„ tio Celſi tradita de uera ſcabie, ex qua primo habemus, quod eſt tumor rubicundus.
„ Secundo, quod adſunt puſtulæ. Tertio, quod puſtulæ ſerpunt, & in aliquibus etiam
„ ſerpunt per totum corpus, ſcilicet per totum corium. Quarto, quòd in aliquibus ſanantur prorſus, in aliquibus autèm redeunt ſtatis quibuſdam temporibus: ſcabies autèm hęc eſt duum generum, alia mitis, & quæ facilè ſuperatur, alia ſæua, quæ agria à Celſo uocatur, quæ ualidius prurit, & difficillimè ſanatur. Vtriuſque autèm materialis cauſa eſt, ut inquit Auicenna, ſanguis corruptus. Verum non purus ſanguis putrefactus eſt in cauſa, ſed qui corruptus eſt, & habet ſemper aliquid alterius humoris admixti, ut, uel aliquid bilis, uel phlegmatis ſalſi, uel aduſti humoris, & hinc eſt, quod puſtulæ uariant in colore, & in materia, quam intra ſe continent, nam aliquando ſunt huius, aliquando illius coloris, ratione miſcellæ aliorum diuerſorum humorum cum ſanguine; ideo puſtulæ aliquando ſunt rubicundæ, aliquando albæ, aliquando luteæ, uel ſub fuluę. aliquando atriores. miſcella quin etiam diuerſorum humorum eſt in cauſa, ut puſtulæ aliquando ſint acuminatæ, & tales ſunt, quando cum corrupto ſanguine eſt admixtus humor calidus, ut uel bilis, uel ſerum acrius: aliquando ſunt depreſſæ latioreſque circa fundum, ut quando cum ſanguine eſt admixta pituita ſalſa, uel humor aduſtus; hinc ſimiliter accidit, ut puſtulæ ſint plenæ, uel humore flauo, uel cruento, uel aqueo: item aliquando ſicciores, & magis pruriant, aliquando minus: Hę ſunt cauſæ materiales ſcabiei ueræ; tam mitioris, quàm agreſtis. Cauſæ autèm, quæ habent rationem ueluti efficientis, uel ſunt in cauſa, ut generetur, & aceruetur talis ſanguis corruptus admixtus cum huius, uel illius humoris portione, ſunt uariæ, & inter illas, duæ proponuntur remotiores à Sereno dum dicit

Scabies duplex.

Cauſa materialis eſt ſanguis corruptus, cũ miſcella alterius humoris.

Illotus ſudor, vel copia nobilis eſca.
Sæpe graui ſcabie correptos aſperat artus.

Cauſæ corrupti ſanguinis.

Digitized by Google

Ex his carminibus duas colligimus cauſas, & vna eſt ſordes corporis, vt quando vere aduentante, iuuenes non abluunt ſe, nec detergunt cutem à ſorde, fit vt ſanguis contentus in capillamentis venarum circa cutim putreſcat ratione ſtipatæ cutis à ſorde: & ideo oboritur ſcabies. ſecunda cauſa eſt abundantia eſcarum nobilium, & earum vſus: & per eſcam nobilem intelligit Serenus apparatum illorum ciborum ex aromatibus, melle, & ſimilibus, qui erant in vſu apud nobiles; nam huiuſmodi cibi faciunt ad exuſtionem, & putredinem humorum. Igitur cauſa proxima ſcabiei verè eſt ſanguis putridus, aliquando purior, vt plurimum tamen mixtus, vel cum portione bilis, vel phlegmatis acrioris, vel humoris aduſti, putreſcentis: generantur autem, & putreſcunt humores iſti circa cutim, aliquando propter ſordem, aliquando propter vſum ciborum, qui poſſunt multum nutrire, & humores adurere, vt ſunt cibaria copioſa condita ſaccaro, pipere, cinnamomo, & ſimilibus, cibi etiam, qui ſua natura mali ſunt conſueuere gignere talia excrementa, vt vſus prauorum olerum, eſus multi caſei, & ſimilium, addatis, & aliam cauſam ex antiquis, & eſt debilitas cutis, vt quando non poteſt excrementa concoquere, & digerere; addatis etiam cruditates ventriculi, quæ delatæ ad corium vnà cum ſanguine, & putreſcentes ſimul cum ipſo, ſunt in cauſa ſcabiei. His adiungatis vires fortes partium profundarum ad expellendum, ſæpe enim viſcera ſunt præter modum robuſta, ita vt omnia excrementa expellant ad cutim: de contagio nihil dicam, quoniam quilibet veſtrum nouit ſcabiem contagio oboriri, & quidèm facillimè, vt ex ſolo contactu panni, vel chirotecæ, vel veſtis alicuius infectæ: & vos iuuenes optime nouiſtis quàm facile contrahatis ſcabiem ex contagio, niſi eam habeatis, quod rarò accidit, quoniam ſcabies eſt quaſi ſcholaſticorum proprietas, ita vt ingrediatur ſcholaſticorum definitionem, quod ſit animal ſcabioſum: cætera vobis nota ſunt. His igitur iam omiſſis veniamus ad curationem nam ſigna per ſe nota ſunt: In omni ergo ſcabie vera ſiue ſit mitis, ſiue ſæua, & à quacumque cauſa orta fuerit, vel per contagium, vel ex prauo victu ſemper adeſt aliqua ſanguinis plenitudo, fieri enim non poteſt, vt ſanguis abundet in capillamentis venarum *Curatio ſcabiei.* quin etiam in corpore toto multus ſit, vt ex eo patet; quòd ſcabies vt plurimum oritur tempeſtate verna calida, & humida, vel temperata, in qua ſanguis abundat, & vt plurimum etiam ſcabies per ſe oritur: & ideo in quacunque ſcabie optimum eſt ſecare venam, lenita tamen prius aluo, nam inter potiora præſidia ad ſanandam veram ſcabiem eſt venę ſectio, *Vena ſectio.* igitur lenita aluo ſecate venam, quę euacuet totum corpus, vt communem, vel iecorariam dextri lateris, & extrahatis multam quantitatem ſanguinis, quia ij, qui laborant ſcabie, vt plurimum ſunt iuuenes, & in temporibus illis præcipuè oboritur, in quibus poſſet ſecari vena vſque ad defectum animi: non dico tamen vt ſecetis vſque ad defectum animi, quia nunc non eſt in vſu; ſed dico, quòd debetis extrahere multum ſanguinis, ſecta vena præparabitis humores exhibendo ea, quæ reſpiciunt miſcellam humoris, & ita ſi cum ſanguine erit admixta bilis, exhibebitis ea, quæ contemperent, & aliquantulum *Preparatio humorum.* bilem craſſefaciant, vnde cicoracea, vt ſonchus, & endiuia erunt opportuna, & his addatis ea, quæ expurgant ſanguinem, vt lupulos: & hæc conueniunt etiam præcipuè cicoracea, quia prouocant lotium cum decoctis iſtorum miſcebitis ſyrupum de lupulis, & cicoraceos; ſi autèm cum ſanguine ſit admixta pituita, exhibebitis mel roſatum, vel oximel ſimplex in pauca quantitate; ſi ater humor, exhibebitis ſyrupum de ſumaria, de pomis, vel alia, quæ attenuant, & incidunt, & ne tanta introducatur ſiccitas, admiſcebitis liquiritiam, boraginem, vel ius pulli, facta præparatione cum iſtis, & cum victu etiam, qui attenuet quantitate non autèm qualitate, nam in omni ſcabie debetis cauere in potu, & cibo ab ijs, quæ acria ſunt, & digerant; quoniam licet poſſint ſiccare, tamen inflammant magis: & ideo victus ſit refrigerans, & humectans, & paucitate ſua attenuans; facta inquam præparatione, purgabitis, & quæſo purgate corpus, antequam inungatur, alioqui *Purgatio.* ſolent oboriri febres malignæ, & abſceſſus in cute, vt ego ſæpiſſime vidi, ſi itaque cum ſanguine ſit permixta bilis, exhibebitis rabarbarum, vel ſyrupum roſa. ſolutiuum, vel electuarium de ſucco roſarum, vel diacatoliconem, ſi pituita, exhibebitis diaphiniconem, vel confectionem hamech, vel agaricum purum mixtum cum caſſia; ſi autèm cum ſanguine ſit mixta atra bilis, exhibeatis ea pharmaca, quæ heri dixi exhibenda in phlegmate ſalſo. Verùm quia ferè ſemper adeſt miſcella bilis, & pituitæ cum corrupto ſanguine: ideò ego ſoleo componere vnum medicamentum ex diacatolicone, agarico trociſcato, caſſia, & *Medicamentũ purgans auctoris.* rabarbaro, & hoc ſemper vtor, nam mundat ſanguinem, & roborat viſcera: facta vacuatione ſi ſcabies ſit mitis inungo corpus aliquo miti medicamẽto; ſi autem ſit ſæua, antèquam inungam euacuo cutim ipſam, nam mãdo, vt vtatur balneo, ideſt mando, vt eat ad ſtufam, *Euacuatio cutis ante vnctionem.* & faciat applicare ſibi cucurbitulas multas, & extrahere multum ſanguinis; at ſi ſit ſcabies mitis non venio ad cucurbitulas, ſed ſtatim inungo aliquo miti medicamento, inter quæ habeo vnum familiare, & ſatis odoratum, quo etiam vtor ad expellendam ſcabiem ex ma-

nibus

nibus ante vllam præparationem,& eodem etiam vtor ad inungendum corpus totum, ſed poſt præparationem; medicamentum autem eſt hoc.

Rec. pulueris cardamomi maioris }
cardamomi minoris } an. ʒ j.
pulueris gariofilorum ʒ s.
pulueris baccarum iuniperi ʒ j.s.
ſulphuris non experti ignem,quod vocant ſulphur beretino à colore ʒ iij.
pomatæ delicatæ q. s.

Valentius, & delicatum medicamētū.

Pomata eſt vnguentum,quod non conficitur à ſeplaſiarijs; ſed à miropolis, ideſt ab vnguentarijs pro defendendis manibus,naſo,& labijs,ab hyemalibus frigoribus. Teruntur optimè omnia,& vertuntur in puluerem,deinde pulueres omnes miſcentur cum pomata; & fit medicamentum optimum,& odoratum; ſi autèm ſcabies huic non cedat, & opus ſit validiori,venio ad aliud,quod eſt delicatum, & opportuniſſimum, pro nobilibus ditioribuſque,ſed eſt robuſtum medicamentum,& certo agit,& fit hoc modo,accipimus ſemiunciam, ideſt quatuor drachmas ſublimati, & terimus ſuper marmor, vel ſuper porphiritidem lapidem; terimus inquam optime,deinde ponimus in mortario plumbeo,& ſuperaddimus libram vnam ſucci limonum,& ducimus optime per tres,vel quatuor horas,deinde affundimus quinque libras aquæ roſatæ, & iterum optimè ſimul ducimus, & poſtea extrahimus ex mortario,colamus per pannum fixum, & colaturam ponimus in vaſe vitreo, & vna, vel duabus diebus relinquimus, vt deſideat, deinde accipimus partem illam ſuperiorem limpidam, & quando æger it dormitum,mandamus, vt fricet ſcabiem, deinde habeat ſpongiolam, vel parum cotonis leniter madidi hoc medicamento, & parum nicet madefaciatque quaſi percurrendo confricatam ſcabiem, & videbitis, quod vna, vel duabus, vel tribus ad ſummum vicibus ſanatur ſcabies. Inungēdo autèm mihi placet,vt ſeruetur ea norma, quæ ſeruatur à vulgaribus, vt ſcilicet corpus non quotidie, ſed alternis tantum diebus inungatur, licet etiam quotidie poſſetis inungere, facta præparatione, & euacuatione corporis; & ablutione cutis;& ſi ſcabies erit agreſtis mihi placet,vt antè inunctionem æger eat ad balneum, & abluatur decocto maluarum, violariæ, fumiterræ,betarum, & aliquando addo parum hellebori nigri: facta ablutione inungatur medicamento dicto, vel hoc alio, quod eſt leuius inter omnia dicta.

Rec. terebynthinę }
butiri recentis } an. lib. 1.

Miſcentur, & ponuntur ad ignem, & primum abluuntur optimè poſca, deinde aqua pura, deinde adduntur

olei roſacei }
myrtini } an. ℥. iij.
ouorum vitella num. vj.
ceruſſæ lib. s.
ſalis candidiſſimi ℥. iij.

Medicamenta ex ſulphure ſunt certiſſima. Modus nobilis.

Miſcentur in mortario, vel in catino cum piſtillo ligneo, & fit linimentum, quòd ſi ſcabies his non cedat, deuenio ad ſulphur non quidèm ad commune præſidium ruſticorum, quod tamen certiſſimum eſt. capiunt enim ſulphur coquunt in oleo, & illo oleo, ſe inungunt, & eſt auxilium maximum, & quod certiſſimè agit, ſed non eſt dignum vrbe; vnde ego venio quidem ad vſum ſulphuris: ſed non illo modo vtor, at iſto: Accipio vnam libram laridi ſaliti,& tero optimè in mortario, & abluo ter, vel quater aqua, deinde admiſceo vnam vnciam cum dimidia ſulphuris loti, ſulphur autèm abluitur hoc modo: liquefacio ſulphur,& ter infundo in aquam; ſed primis duabus vicibus in aquam communem, deinde cum fuerit concretum, liquefacio iterum, & tertio infundo in aquam roſaceam,& hoc ſulphur voco ego ablutum,per quam ablutionem amittit omnem odorem malum,non autem facultatem ſiccantem; huius ergo ſulphuris puluerizati addo vnciam cum dimidia, & duas vncias ſucci limonum, & tero, miſceoque optimè omnia ſimul in mortario,& facio linimentum, quo inungo corpus alternis diebus veſpertina hora; quod ſi huic non cedat ſcabies vtor robuſtiori,quod eſt hoc,

Ablutio ſulphuris quomodo fiat.

Rec. terebynthinæ }
butiri recentis } an. ℥ iij.

Miſcentur ad ignem,& primo abluuntur poſca,deinde aqua communi,deinde adde

vnguenti roſati Meſues ℥ ij.
olei laurini ℥ iij.
ceruſſæ ℥ ij.
ſublimati ſuper porphiritidem lapidem triti ʒ ij.

Hæc miſcentur optime in mortario; & fit linimentum, ſi huic non cedat deueniendum

Digitized by Google

dum eſt ad argentum viuum, quod eſt inuentum Arabum, & recentiorum etiam: & ipſo vti poteritis in durioribus corporibus, & eſt certiſſimum remedium: facietis ergo hoc modo.

Rec. pinguedinis porcinæ } an. ℥ ij.
vitulinę }

olei maſticini } an. ℥ ſ. *Validiſſimum medicamentum.*
laurini }
roſati completi }
terebynthinæ ℥ j. s.
lithargyrij aurei }
ceruſſæ } an. ʒ ij.
puluer. hellebori nigri }
ſtoracis liquidæ ʒ s.
Argenti viui extincti ſputo ʒ j. s.

Diſſolutis diſſoluendis piſtillo ducantur in mortario optimè, & fiat linimentum, quo inungatur corpus, & hoc eſt vltimum, & validius cæteris, quo ſuperatur ſæua ſcabies. Poſt inunctionem mittatis aliquando ægrum ad balneum, vt detergatur cutis, aperiantur pori, quod etiam facietis ante inunctionem, quia apertis poris penetrabit magis vnguentum: ſanata cum fuerit ſcabies, ſi relinquatur pruritus moleſtiſſimus, vt ſolet aliquando, & eſt in cauſa, vt renouetur ſcabies, quia fricatur cutis, & exulceratur fiuntque cruſtæ; & ideo ad remouendum talem pruritum vtatur balneo aquæ tepidioris, & melius etiam erit, ſi in aqua cocta fuerit lactuca, malua, violaria, lapatium: vel inungatur cutis oleo amygdalarum dulcium nouies loto cum aqua violata, vel butiro recenti nouies pariter abluto, ſed aqua pura, non autèm violacea, & hoc modo extinguetis pruritum, & ſcabiem, quæ alioqui reuiuiſceret, in ſequenti decreueram incipere, de ſcabie gallica, verùm quia interponuntur duo dies feſti, qui interturbarent vnicam lectionem: ideo deliberaui cras agere de ambuſtis: die lunæ poſtea incipiam de morbo gallico. *Si relinquatur aliquis pruritus.*

De Ambuſtis. *Cap. XXXI.*

MOrbum, quem Græci, ut Galenus varijs in locis, Paulus in quarto libro, capite vndecimo, Aetius libro decimoquarto, capite ſexageſimoquarto, & reliqui poſteriores vocant pericauton illum, Latini ambuſtum dixere, teſte Plinio libro vigeſimo, capite ſexto, vocarunt etiam Latini combuſtum, teſte eodem Plinio, in eodem libro, capite octauo, appellarunt etiam aduſtum, teſte pariter Plinio, & Celſo in libro quinto, capite 177. vnde pericauton Græcorum ambuſtum, combuſtum, & aduſtum Latinorum, idem & vnum genus morbi ſunt, qui morbus ab Auicenna, in quarta quarti tractatu ſecundo, capite decimotertio, vocatur combuſtio: noſtri autèm recentiores vocant cocturam; vnde cum apud chirurgos recentiores videbitis caput inſcriptum de cocturis, intelligatis ſemper de pericauto, vel de ambuſto, vel de combuſto, vel de aduſto, vel de combuſtione Auicennæ, quæ voces omnes vnum, & idem morbi genus nobis explicant; affectio autem iſta eſt duum generum, altera, in qua cutis, & ſubiectæ ſibi partes videntur conuerſæ, veluti in carbonem talem contraxere cruſtam, & eſcharam, & vocatur ab iſtis exuſtio in eſcharam, & de hac non loquimur, quoniam non eſt vera coctura, ambuſtiovè. Altera eſt in qua partes illæ cutaneæ, quaſi elixantur, & oboriuntur veſicæ, & de hac nos loquimur, quoniam eſt verum pericauton Græcorum, & ambuſtum Latinorum: de illa autèm priori, in qua cutis vertitur veluti in carbonem Græci non ſunt ſub hoc nomine locuti; loquimur ergo de vero pericauto, quod eſt vera coctura, in qua oboritur tantum veſica, & cutis videtur elixari, & hanc cocturam veram hoc modo definiam. Coctura eſt incendium alicuius partis cutaneæ, ab extrinſeca cauſa factum cum puſtula, vel veſica; cui excoriatio vnà cum inflammatione accedit, talis eſt natura veræ cocturæ. Incendium autèm hoc non fit vno tantum modo, ſed tribus, prout & tres ſunt ſpecies partium, quibus corpus componitur, noſtis enim corpus componi partibus ſolidis, humoribus eliquatis, & ſpiritibus impetulatis; & quemadmodum tria hæc genera partium ſunt in corpore; ita quoque tribus modis corpus patitur incendium; nam aliquando ſolidæ partes inflammantur, & exuruntur ab ignito corpore, vel ab igne, & fit cruſta, eſchara, & veluti carbo, & hoc eſt vnum genus incendij, de quo nos non loquimur, aliquan-

Duplex affectio ambuſtorum.

Ambuſti definitio.

Incēdium triplex

Primum genus.

do

Secũdum genus.

do inflammantur humores putreſcunt, & feruent, ita vt videantur bullire, & pariunt incendium tale, vt videatur partes ipſas elixare, quod incendium accidit in ſæuis carbunculis, vidi enim ego ſæpe ſæuos carbunculos, in quibus à feruentibus illis humoribus totum membrum erat corruptum, & veluti elixatum; non autèm obductum eſchara, & de hoc etiam incendio nos non loquimur;

Tertium genus.

Tertium incendium eſt quando ſpiritus ſoli inflammantur, & exurunt, vt enim fumus, qui eſt exhalatio calida, & ſicca, ex lignis, vel alijs corporibus elatus, dum inflammatur feruet, & facit flammam, ita ſpiritus inflammatus feruet, & parit incendium, & de hoc incendio nos loquimur, quod eſt ambuſtio in aliqua parte cutanea excitata à ſpiritu inflammato, & feruente, ad quem ſpiritum feruentem ſequitur ſummus dolor, nam ſpiritus inflammatus latitat in meatibus cutis, & partium ſubiectarum, & introducit maximam intemperiem præternaturam, quæ facit maximum dolorem, ſicut etiam quia ſpiritus ille inflammatus in illis meatibus contentus ſoluit continuum ſecundo ad incendium ſuccedunt veſicæ, quoniam ſpiritus ille inflammatus liquefacit humores exiſtentes in ſubſtantia cutis, quæ humiditates & ipſæ

Proxima cauſa incẽdij, & ſymptomatũ, hunc ſpiritus inflammati.

feruentes colliguntur inter cuticulam, & corium; & quia cuticula dura ſatis eſt, & calloſa, hinc fit vt humiditates craſſiores cum non poſſint egredi eleuent cuticulam in tumorem. Præterea propter ſolutionem continui, & propter ſummum calorem introductum fit intolerabilis dolor, quo fit vt humiditates ex remotis partibus attrahantur ad dolentem, quæ humiditates attractæ, vel ſunt ſeroſæ, & tenues, vel craſſæ, & ſanguineæ: ſeroſæ cum ſunt ad cutim faciunt veſicas, nam ipſæ citò attrahuntur: ſuccedunt poſtea partes illæ ſanguineæ craſſiores, quæ ſunt in cauſa inflammationis. Patet igitur iam proxima cauſa incendij, & ſymptomatum, quæ in ipſo ſunt, vt doloris, veſicarum, & inflam-

Obiectio.

mationis; ſed dices non videtur, quòd incendium fiat ratione affectuum ſpirituum, ſed potius ex eo, quod affecti ſunt humores, vel ſolidæ partes, nam tam magnum morbum

Solutio quòd ſpiritus inflammentur.

fieri ex affectis ſpiritibus videtur impoſſibile. Dico quòd cauſa affectus huius non eſt inflammatio, & ignitio alterius partis, quàm ſpiritus, vt patet ex generatione ipſius morbi, nam morbus fit in inſtanti, videmus enim puerum cadentem ſuper ignitos cineres, vel aquam feruentem ſuper manum ancillæ, & vix pars contangitur, quòd afficitur; ſimiliter ſi quis tangat ferrum ignitum, vel metallum eliquatum videmus morbum fieri in inſtanti, & ſemper augeri; omnes autèm actiones, & paſſiones, quæ fiunt inter ſolida corpora requirunt tempus, non autèm fiunt in inſtanti, vt rectè Philoſophi dicunt, ergo cum morbus iſte fiat in inſtanti non poſſumus dicere, quòd fiat ex inflammatione humorum, vel partium ſolidarum, alioqui non fieret in inſtanti, nam partes, iſtæ ſolidæ non poſſunt in inſtanti agere in aliam partem ſolidam, ſcilicet in cutim; nec cutis poteſt in inſtanti ab ipſis pati; vnde ex modo generationis affectus colligo cauſam eſſe ſpiritus, & non humores, nec ſolidas partes: ſed morbus poſtea non eſt ſpirituum, at ſolidarum partium; quòd autèm ſpiritus poſſit inflammari, nemo eſt, qui dubitet: ſecundo ſi obſeruemus partem, in qua excitatum eſt incendium, colligemus cauſam incendij eſſe ſpiritum inflammatum, non autem partes ſolidas, quoniam ſi quis tangat ferrum ignitum, vel quid ſimile ſtatim fit incendium in ea parte, quæ tacta eſt ab ignito corpore tamen ſi inſpiciamus cutim illius partis, in illo inſtanti temporis, apparet cutim ipſam nullo modo eſſe affectum, nam nec color: nec aliud in ipſa immutatum eſt: nec ob id eſt dicendum affectas eſſe partes intrinſecas, etiam ſi non appareat affecta cutis, quoniam cum corpus ignitum ſit extrinſecum, neceſſarium eſt, vt ſi debeant affici internæ partes, prius afficiatur cutis; & ab ipſa poſtea ſucceſſiuè communicetur affectio intrinſecis, & ſibi ſubiectis partibus; cum itaque nec in cute, nec in ſubiectis partibus ſolidis ſit affectio, neceſſe eſt dicere, quòd affectum ſit aliquid, quod in cute latitet: ea autèm, quæ ſub cute latitant, ſunt duo, humor, atque ſpiritus: ſed affectio non eſt in humore, quia continetur in venis, vel in ſpatijs medijs; vnde ſi eſſent affecti humores continuò emanarent è parte, in qua eſt incendium, ergo neceſſe eſt dicere, quod affectus ſit ſpiritus; cum itaque non poſſit eſſe, nec corium, nec humor id, quod inflammatur, neceſſariò eſt ſpiritus,

Spiritus qui inflammatur eſt duplex.

quo meatus cutis toti ſunt repleti; ſpiritus autèm iſte eſt duplex vnus vaporoſus, alter fuliginoſus; vaporoſus eſt ille, qui in halitus diſcutitur, & aliquando in ſudorem vertitur: fuliginoſus autèm eſt, qui aliquando abit in ſordem, & eſt materia pilorum. Itaque ſpiritus eſt, qui ex contactu rei ignitæ inflammatur, & incendium generat: vnde ſpiritus inflammatus eſt proxima, & immediata cauſa incendij: inflammatur autèm ſpiritus ab ex-

Cauſa externa, & cõburẽs eſt duplex.

trinſeca cauſa, quæ neceſſariò debet eſſe ignita, & feruere, alioqui non inflammaret ſpiritum; cauſa autèm hæc externa feruens, & bulliens eſt duplex, vna eſt in actu feruens, & bulliens: altera in potentia, dicamus primo de ea, quæ eſt in potentia talis: ſpiritus ſæ-

Potentia feruens.

pe inflammatur per attritionem, vt quando duo dura corpora ſimul atteruntur, & fricantur, tunc fit vt ſpiritus exiſtens inter vtrumque durum corpus inflammetur, vnde

quando

quando calcei atterunt calcaneos, vel digitos pedum, vel manu vnguibusuè fricamus partem aliquam, & atterimus, ſolet excitari incendium, ac ſi ab ignito corpore pars illa fuiſſet contacta, quod ego expertus ſum in me ipſo, nam tertio ab hinc anno cum eſſem circa lacum Comenſem, excitatus eſt mihi pruritus maximus in ſuperiore parte dextri pedis ratione ſudoris, nam ambulaueram per illos montes, & ſudaueram, ego fricabam, nec poteram fricando pruritum ſatiare, vnde vocato ſeruo mandaui, vt linteolo pedem mihi fricaret, ex qua attritione nulla eſt facta excoriatio; ſed ita inflammatus eſt ſpiritus, vt pars illa pedis ſuperiot ſit exuſta, & veſicis obducta, ac ſi igne fuiſſet contacta, quare non eſt dubitandum duo corpora dura ſimul attrita eſſe in cauſa, vt inflammentur ſpiritus, & fiat incendium, verùm incendium genitum ex ſpiritu inflammato ratione attritionis non vocatur pericauton ab antiquis, nec ambuſtum; ſed proprie nominatur intertrigo de qua Paulus libro quarto cap. 14. & libro primo, cap. 11. & Aetius libro 14. cap. 67. & 12. & ab ipſis vocatur aliquando apoſirma; aliquando apotrima, aliquando paratrima, & quamuis ego non loquar de hac ambuſtione facta ex ſpiritu inflammato ratione extrinſeci corporis poteſtate calidi; ſed de illa, quæ fit ex inflammatione ſpiritus, qui ſpiritus inflammatus eſt ab extrinſeco corpore, actu calido, & feruente, tamen eadem eſt curatio; & ideo ſi tradam curationem iſtius, ſcietis etiam curare alteram ſpeciem coctura. Inflammatur igitur ſecundo ſpiritus à cauſa, quæ actu feruet, & ignita eſt, & hæc eſt, vel carbo accenſus, vel flamma, vel cinis feruens, vel ferrum ignitum, vel alia metalla ignita, & eliquata, vel puluis ſclopetorum, ſæpe enim accidit, vt pueri vtentes hoc puluere exurant ſibi partẽ aliquã: & aliquando quædam grana ipſius infiguntur in cute faciei, & deturpant; addatis vaporem ignitum, quo mihi aliquando exuſtæ ſunt internæ partes manuum; nam cum haberem catinum aquæ frigidæ prope ignem, effuſa eſt aqua illa ſupra cineres feruentes, & vapor illæ ignitus elatus eſt ad manus, & eas exuſſit: addatis oleum feruens, aquam, ceram eliquatam, & ſimilia; & notate quòd quamuis Græci vocent pericauton ideſt ambuſtum quando fit ab igne, tamen eodem etiam nomine vocant quando fit ab aqua, vel ex alijs extrinſecis cauſis, vt dicit Galenus in primo libro, de compoſit. medica. per genera cap. quarto. Talis eſt morbus, tot ſunt cauſæ: de ſignis autèm non eſt vt dicam; quoniam ad ſenſum patet ambuſtio. Præſagium autèm eſt vtique neceſſarium, quoniam ad ambuſtionem ſolent ſuccedere incommoda grauia; primo ergo ſi incendium ſit alicuius momenti (nam ſi ſit leue non indiget medico) prenuntietis ſemper difficultatem magnam, nam creſcit motu inflammationis: vnde licet opinio ſit vulgaris, tamen eſt vera, quòd ambuſtio augetur vſque ad nonam diem, nam cum habeat motum inflammationis, & inflammationis primus terminus ſit ſeptima dies: ſecundus ſit, nonus, & aliquando vndecimus iure optimo dicitur, quòd creſcit per nouem dies, cum ergo morbus augeatur, & ſit rebellis, prænuncietis in omni incendio alicuius momenti curationem difficilem, & longam. Secundo ſi exuſta ſit cutis in aliqua parte, vbi adhæreat muſculis ſubiectis, aut cutis ipſa ſit muſculoſa vltra ea quæ dicta ſunt, prænuncietis aliquod impedimentum illorum muſculorum, fieri enim non poteſt, vt patiente corio, non patiantur & muſculi ſibi adhærentes, vnde ſi exuratur cutis in fronte, vel in labijs, vel circa collum, vel in volis manuum ſolet cutis corrugari, & contrahi, & lædi muſculorum motus, & ſic deturpatur tota facies, quod eſt vnum, quod maxime, ſi quod aliud, exagitat mentem ægrotantium, ſemper enim ſunt ſolliciti in inquirendo, an remanſurum ſit veſtigium: & vos in hoc ſitis cauti, vt nunquam dicatis, quod non remanebit, quoniam deciperemini, vt decepti ſunt antiqui; nam Galenus & alij deſcribunt nobis quædam medicamenta, quibus aſſerunt veſtigia omnino auferri: quod tamen nos experimur eſſe falſum; ideo eſtote cauti; ſi exuſtio ſit in digitis, dubitetis ſemper de cohærentia digitorum, nam ego vidi duos, & tres digitos cohæſiſſe ratione incendij, & coactus fui ſecare, & ſeparare ipſos. Viſo quid ambuſtum, qua ex cauſa fiat, quos habeat coniunctos affectus, quæ ſint externa efficientia talis morbi, quam difficultatem habeat ipſius curatio coniunctam, & quid ſit præſagiendum, & quaſi diuinandum in quolibet ambuſto, & quid ſoleat ſuccedere ambuſto male curato; Iam deueniamus ad curationem, quæ reſpicit hæc omnia feruorem ingentem, dolorem intolerabilem, veſicas, inflammationem, & exulcerationis generationem: hæc omnia oportet, vt habeat ante oculos, tanquam ſcopos, ille, qui vult rectè curare ambuſta; vt auferat magnum feruorem, mitiget dolorem; hæc enim vt plurimum præſentia ſunt: impediat veſicarum obortum; & ſi veſicæ iam factæ ſint, & exulceratæ, vt ipſas auferat; & vt auferat inflammationem ſi adſit, pro his autèm ſcopis aſſequendis multa ſunt à Scriptoribus medicamenta propoſita, quæ inter ſe aduerſaria ſunt; & contraria, & licet quidam videantur diſtinguere inter medicamenta ratione occaſionis, ita vt dicant hæc eſſe hoc tempore applicanda, illa autem illo, vel alio tempore, tamen indiſcriminatim, & confuſè ſine certa methodo propoſita applicant ambuſto, nunc

Intertrigo ex attritione.

Cauſa actu feruens.

Præſagiũ in ambuſtis.

Curatio ambuſtorũ, et ſcopi.

frigida,

frigida, nunc calefacientia medicamenta, non propoſitis ſibi certis indicationibus, vnde oportet vt ego non ſolum doceam vos curationem ambuſtorum, ſed etiam, vt doceam quomodo per rectas, & certas indicationes ſit curandum hoc, vel illud ambuſtum; vt autèm hoc fiat, oportet diſtinguere affectum, ideſt ambuſtum in multas partes, nam aliquando proponitur nobis curandum ambuſtum, in quod eſt feruor, & dolor tantùm maximus, aliquando ambuſtum habet coniunctum feruorem, dolorem, & veſicas, tertium eſt cum vlcere, & detecta puſtula cum dolore, & inflammatione, quarto aliquando eſt curandum ambuſtum cum vlcere tantum, ſine dolore, & ſine inflammatione, hæc ſunt quatuor genera ambuſtorum, quæ ſicut ſunt inter ſe diſtincta, ita etiam habent quatuor indicationes diſtinctas, & quatuor genera medicamentorum diſtincta indicant, deueniamus ad primum genus ambuſtorum. Concidit puer ſuper cineres calidos, & feruentes, vel concidit aqua feruens ſuper manum, vel plumbum eliquatum, vel aliud corpus extrinſecum continens in ſe vim ignis, accenduntur ſpiritus, fitque in parte feruor ſummus, & ſtatim excitatur dolor intolerabilis, quid agendum? prima indicatio eſt, vt faciamus ne ſuccedant puſtulæ, & ne augeatur morbus, vt fuit ſententia Galeni in primo de compoſit. medic. per genera. capite quarto, & in nono de ſimplici medicamen. faculta. cap. de terris, vbi inquit, quod cum ſoleant combuſtæ parti ſuccedere veſicæ, Prima indicatio eſt, vt ipſarum generationem, & augumentum morbi impediamus. hoc autèm fiet, ſi ſatisfecerimus ſecundo indicato, quod eſt mitigatio doloris, niſi enim auferatur cauſa attrahens nouos humores ad locum, non poterunt impediri puſtulæ, quin ſuboriantur, mitigabitur autèm dolor, ſi explebitis tertium indicatum, & ſibi ſatisfeceritis, vt eſt ablatio feruoris. igitur in ambuſto, in quo nondum obortæ ſint veſicæ, impedienda eſt veſicarum generatio, & augumentum morbi, mitigandus eſt intolerabilis dolor, & auferendus feruor; ſed indicatio, quæ fuit vltimo inuenta, debet eſſe prima in executione, quam indicationem, & Antiqui viderunt; & ideo in omni ambuſto ſtatim applicant ea, quæ actu, & potentia frigida ſunt, quæ poſſunt ſuffocare feruorem, & flammam extinguere: vnde non ſolum applicant refrigerantia, ſed etiam habentia vim aliqualiter ſiccandi, & repellendi, vt ratione frigiditatis extinguatur feruor; ſiccitas autèm digerat aliquas humiditates eliquatas, & ratione facultatis repellentis impediatur fluxus alicuius materiæ, quæ iam inceperat ad locum fluere; & ideo Galenus in primo de compoſ. medica. per genera, cap. 4. ſtatim imponit medicamentum diacalciteos vocatum mixtum tamen optime cum aceto, imponit inquam actu frigidum, & ſubinde immutat ipſum, admiſcet autèm acetum, vt medicamentum non ſolum ſit frigidum actu; ſed etiam poteſtate, & vt ſit aliqualiter digerens, acetum enim ſiccat, & ſecundo digerit, & potentia frigidum eſt, calcitis autèm aſtringit: vnde medicamentum refrigerat actu, & potentia; ideo extinguit feruorem, digerit aliquantulum, & repellit, & ita repellendo impedit generationem cruſtæ. In nono de faculta. ſimpl. cap. de terris imponit omne genus terræ, quod ſit leue, & aliquam habeat concoctionem, ſicut enim aquarum aliæ ſunt leuiores, & magis concoctæ, aliæ grauiores, & craſſiores, ita, & terrarum aliquæ ſunt leues, & concoctæ, aliæ ponderoſiores, & crudiores, Galenus autèm imponit omnem terram, quæ leuis ſit, & concocta, & præcipuè cimoliam: vos poteritis capere terram argilloſam, diſſoluetis poſca, vel aceto diluto, non autèm acriori, & actu frigido illinietis locum, & ita extinguetur feruor, digeret aliquantulum, & repellet, & mitigabitur dolor, & ſic non fiet puſtula; In 11. de ſimplicium medic. facult. cap. de ouo Galenus actus hac eadem indicatione applicat lanam imbutam albo oui vnà cum linteo, quia refrigerat, ſiccat aliqualiter, & repellit; ſed præſtantius erit medicamentum, ſi admiſcebitis parum aceti, nam album oui ſiccatur ſtatim, & glutinoſum eſt: & ideo impedit exhalationem. Paulus applicat folia lenticulæ, quæ etiam opportuna ſunt: Auicenna affundit copioſam aquam ſolatri, vel roſarum actu frigidam, vtitur, & bolo armena officinarum, & camphora tanquam medicamento refrigerante: ego quoque camphora vtor, & ei multum fido, ſed non vtor tanquam medicamento frigido, ſed calefaciente; credo enim ego camphoram calefacere, licet Auicenna oppoſitum ſentiat, proponit etiam Auicenna cretam oleum roſatum, opium aliquando, hyoſcyamum, & alia, quæ ſumme refrigerantia ſunt; lutea ouorum, ceruſam, calcem lotam, cadmiam lotam, & ſimilia, quæ refrigerant, reprimunt, & aliqualiter diſcutiunt; & ſi aliud non adeſſet, monet Auicenna, vt affundamus ſuper ambuſtum copioſam aquam fontanam, vel ex puteo actu frigidam: Recentiores, & ipſi habent ſua medicamenta, & quidèm optima, inter quæ eſt terra ſigillata diſſoluta aceto non acri, qua vtuntur obliniendo locum optimo cum ſucceſſu: vtuntur, & vnguento populeonis, quod etiam optimum eſt, ſimiliter accipiunt ſuccum roſarum, vel plantaginis, & admiſcent oleum roſatum, & continuò ſuperaffundunt, donec ceſſarit dolor, & feruor: Aliqui vt impediant generationem veſicarum accipiunt

lutum

Quatuor genera ambuſtorũ pro curatione.

Quatuor Indicationes.

Primum genus.

Prima Indicatio, & ſecunda.

Tertia Indicatio ablatio feruoris, quæ eſt prima in curatione.

Diachalcites Galeni.

Terra argilloſa.

Lana imbuta albo oui, cum linteo.

Aqua ſolatri, vel roſarum.

Camphora calefacit.

Medicamenta Recẽtiorum.

Digitized by Google

Lutum ex molis optimum.

lutum illud, quod concreſcit circa molas eorum, qui exacuunt gladios, & obliniunt ambuſtum optimo cum ſucceſſu, & certò. nam lutum illud conſtat partim ſubſtantia lapidea, partim ſubſtantia ferri, & præcipuè ſtomomatis, hoc eſt ſcoria ferri, & ideo refrigerat, ſiccat, & repellit: Sed huic luto admiſcent etiam acetum, & quoties poteritis habere hoc lutum, & volueritis procedere per hanc indicationem, vtamini iſto luto, potius quam alio medicamento, quoniam eſt omnium præſtantiſſimum, & optime extinguit feruorem; vulgus imponit atramentum ſcriptorium, quod etiam optimum eſt, quia conſtat calcanto, gummi, & gallis: gummi & gallæ refrigerant, & repellunt; calcantum autèm maximè digerit; ſed in vſu atramenti non faciatis, vt vulgus, quod illinit ſemel tantum combuſtum locum, & nihil aliud facit; at vos continuo madefacietis lintea in atramento, & applicabitis, donec ceſſauerit dolor; & quamuis hæc benè ſe habeant, & ſatisfaciant indicationi, tamen experientia inuenimus, quod impoſitis ijs, quæ calidiſſima ſunt, ſtatim euocatur ſpiritus ille ignitus, & ſedatur dolor, impediturque generatio puſtularum; & quamuis adſit feruor, qui indicet eſſe auferendum, & per contraria; qualia ſunt ea, quæ dicta ſunt, tamen experientia docet, quòd calefacientia citius, & melius faciunt; & ego edoctus experientia, & auctoritate veterum; quamuis confusè, & ſine certa indicatione calefacientia medicamenta proponant, & pariter edoctus exemplo mechanicorum, qui dum vident in aliqua domo accenſum ignem, tentant domum tueri, vel ſuffocando ignem trudendo tecta ſuper ipſum, vel dando liberum exitum igni, aperiendo, & remouendo tectum, hoc cum obſeruarim, & viderim methodum indicare, vt vel recto tramite extinguamus feruorem, vel aperiendo cutim, & dilatando exhibeamus ſibi exitum, & euocemus foras flammam, ne intus clauſa magis inflammet: mihi ſemper magis placuit, vt procedamus per ſecundam indicationem, nimirum vt ex alto attrahamus, & euocemus feruorem, & ignitos illos ſpiritus, dummodo non ſperetis ſucceſſuram eſſe facilè extinctionem feruorum per applicationem refrigerantium: verum ſi feruor ſit ſummus, non eſt hoc ſperandum, immo per vſum refrigerantium fit veluti antipariſtaſis intus, & ſic augetur feruor, & dolor; nam coaceruatur magis ſpiritus ignitus, & magis accenditur; & ideo oportet, vt diſtinguatis, an ambuſtio, & feruor ſit valde impreſſa, nec ne; ſi non ſit impreſſa, & leuis ſit exuſtio, poteritis vti frigefacientibus; ſed ſi magna ſit ambuſtio, & impreſſa, aperiatis caminum, vt ita dicam, nimirum meatus cutis, & tentate euacuationem flammæ, & fugiatis vſum frigefacientium, quoniam non eſt tutus; contra autèm vſus calefacientium, & euocantium, trahentiumque ex alto feruorem tutiſſimus eſt, celerimus, & certiſſimus hinc eſt, quòd antiqui propoſuere medicamenta calefacientia ad impediendam veſicarum generationem, & tollendum feruorem, non tamen ex eorum indicatione, quoniam nullum reperio, qui meminerit de hac indicatione, quæ eſt euacuatio ignitorum ſpirituum: Illa autèm, ex quibus poteritis parare vobis materiam medicamentorum euocantium, & trahentium ex alto, proponuntur varia ab antiquis, inter quæ eſt muria ex oliuis, id eſt aqua illa ſalſa, in qua maceratæ ſunt oliuæ, vt reddantur dulces: hanc aquam affundunt ſuper ambuſtum, & optima eſt, nam ſiccat, & euocat ſpiritus illos feruentes, affundunt etiam lixiuium multum, quod etiam ſua nitroſitate optimè euocat; & ſciatis, quod vſus horum calefacientium, & euocantium eſt duplo, & quadruplo melior, quàm vſus frigefacientium; addunt aliqui fel taurinum, quo cum admiſcent parum aceti ad penetrationem; addunt etiam radices liliorum alborum, radices narciſi, nam ſiccant, & ex alto trahunt, ita vt dicit Galenus hæc eſſe bona à principio, vſque ad finem ſanationis ambuſtorum: Auicenna addit æruginem, lithargyrium, quæ diſſoluit cum vino, & oleo, & applicat, & impedit generationem veſicarum, ſi quod aliud: & ſciatis, quod totum negocium in ambuſtis eſt in prohibendo generationem veſicarum. Idem Auicenna proponit calcem non extinctam, quæ dicitur calx viua, & commiſcet cum cerato roſaceo, & optimum etiam eſt, ego vſus ſum, & vtor aliquando his, quæ propoſita ſunt ab antiquis; ſed habeo quædam familiaria, & in frequentiori vſu, inter quæ eſt mel crudum odoratum, cui admiſceo parum vini potentiſſimi, vt maluatici, & hoc medicamento liquido, & actu frigido oblinio linteola, & impono, & optimè impedit generationem puſtularum, euocat feruorem, & mitigat dolorem; ſi poſſum, admiſceo etiam cum melle parum aquæ ardentis, quæ & aqua vitæ dicitur; ſed accipio aquam illam mitiorem, qualis eſt illa, quæ ab iſtis chimiſtis vocatur aqua primæ, & ſecundæ cocturæ, illam autem quæ eſt tertiæ, & quartæ cocturæ fugio. Secundo loco vtor radice rapi illius, ſcilicet communis, quo vtimur in cibo, de rado radicem, & raſuram frigidam impono, vel contundo ipſam in mortario, & frigidam impono, & ſubinde commuto; ſed melior eſt radix raphani deraſa, vel contuſa in mortario, & impoſita ſuper

Secũda Indicatio per med camẽta calida magis probantur.

Diſtinctio inter ambuſta.

Vſus calidorum, & euocãtium ſpiritus eſt præſtatior. Silua horũ remediorũ.

...mitigandũ.

Radix raphani.

ambuſtum locum, & ſæpe immutetur, & ſtatim ſatisfacit, vt ego expertus ſum. opti- *Oleum petroleum.* ma etiam eſt radix bryoniæ albæ, vel nigræ, ſi haberi poſſit; radix etiam cyclaminis. Vidi, & expertus ſum oleum petroleum, quod eſt genus naphtæ, nunc rufi, nunc alterius coloris, & oritur copioſum in agro tùm Parmenſi, tùm Mutinenſi; & in noſtris illis partibus, vbi eſt copioſum, vidi ruſticos illos, cum exuruntur, ſtatim infundere partem exuſtam in illo oleo, & vidi ſucceſſum præſtantiſſimum; quare & vos poteritis hoc oleo vti, vel mergendo partem in ipſo, vel affundendum ſuper ambuſtum; Aliquando venio ad radicem ſcillæ, quæ & ſquilla dicitur ab iſtis, capio vnam cepam ſcillæ, ſeco per tranſuerſum, & impono, & quamuis omnia hæc ſim expertus, & fœliciſſimè res mihi ſucceſſerit, tamen habeo duo familiaria, à quibus numquam di- *Duo familiaria remedia auctoris.* ſcedo, & ſunt præſtantiora reliquis, vnum autèm eſt doloroſum, alterum autem facit ſine dolore: doloroſum eſt admorio partis ambuſtæ ad ignem, ita tamen vt non accendatur magis feruor, ſed pars ſentiat ſatis magnum calorem ignis, & hoc remedium *Admorio ad ignem.* ſum ego millies in me ipſo expertus, & ſemper res tam benè ſucceſſit, vt ſit mirum; debet autem pars teneri, & ſeruari tanto tempore propè ignem, quantum requiretur, vt ſi bis diceremus duos pater noſtros. alterum quo vtor familiariſſimè eſt mite, & eſt cæpa communis, quæ tam cito, & ita certò agit, vt omnibus ſit præferenda: ſeco ipſam per- *Cæpa optimum remedium.* tranſuerſum, & impono ſtatim, & ſua quadam humiditate non ſinit inflammationem augeri; & euocat citiſſimè, & certiſſimè ignitos ſpiritus, & inhibet generationem veſicæ præſtantiſſimè: ſiue autèm cepa impoſita immutetur ſubinde, ſiue non, nihil refert; quod ſi non haberetis cepas, vtamini eius loco porris viridibus cum ſuis folijs contritis, & impoſitis; ſed non ita faciunt, vt cepæ: hæc autem imponenda, & ſeruanda in ambuſto loco ſunt, donec ex toto ablata fuerit flamma: ſed hoc eſt punctum, cognoſcere ſcilicet, quando ex toto ablata ſit; tamen dico, quod duobus modis cognoſcitur, primo *Signum quando ex toto ablata fuerit flamma.* quidèm per dolorem quieſcentem, quia ablata flamma ceſſat dolor, ſed accidit, vt quieſcat dolor, & ego auferam cæpam, qua ablata reuertitur interdum dolor, quia non omnes ſpiritus illi inflammati ſunt euocati, ſed aliqui ſunt relicti, qui impulſi ex frigiditate ambientis, iterum ſoluunt continuum, & excitant dolorem, cum itaque ſignum ex doloris remiſſione ſit fallax, oportet vt recurratis ad aliud; & eſt quòd ſi cum dolore quieſcente, & remiſſo videritis cuticulam exuſtam eſſe factam aliqualiter duram, & ſiccatam aſperioremque redditam, habeatis pro ſigno certiſſimo flammam ex toto eſſe ablatam, & quòd non amplius reuerſurus eſt dolor, vapor enim, & ſpiritus ille ignitus egrediens fuit illud, quod aſperiorem reddidit cuticulam; cum autèm cognoueritis, ex his duobus ſignis dolorem non eſſe amplius reuerſurum, auferatis cæpam, & non dubitetis, quòd ſucceſſura ſit veſica, & nihil aliud facietis; nam vel cuticula exuſta cadet non remanente veſtigio, vel non cadet adueniente humiditate aliqua, qua imbibatur. Itaque in ambuſtis poteſtis vti refrigerantibus, & repellentibus; ſed tutius eſt, & certius deuenire ad calefacientia, quæ euocent feruorem, inter quæ duo obtinent principatum, ignis, & cæpa communis: ſed non omnibus ambuſtis adſunt medici, nec omnia auxilia, quæ ſtatim in principio applicantur, faciunt, vt morbus non augeatur, & vt non oboriantur veſicæ; ſed accidit, vt oboriantur puſtulæ expleantur aqua, & creſcat morbus, cum quo coniungatur dolor ſatis inſignis; quando ergo aderunt veſicæ, & latitans vlcus aliquod ſub *Si iam obortæ fuerint veſicæ, & morbus auctus, quid agendum.* ipſis, quid erit agendum, ne morbus fiat maior, & vt mitigetur dolor?

Dico quòd debetis obſeruare, an cum veſicis adſit principium inflammationis, vel nullum adſit veſtigium inflammationis, diuerſa enim eſt curatio quando adeſt inflammatio, & quando non adeſt. Sed eſto quòd cum veſicis ſit feruor ingens, dolor maximus, & inflammatio incipiens, quid erit agendum? Antiqui accipiunt indica- *Si cum veſicis ſit feruor dolor, & inflammatio.* tionem, vt imponant ea, quæ refrigerant, aliqualiter ſiccent, & repellant, nam datur indicatio extinguendi feruoris, firmandæ fluxionis, ne augeatur inflammatio, & ſiccandæ humiditatis, quæ continetur in veſicis ipſis; vnde accipiunt calcem lotam, miſcentque cum vitellò ouorum, & imponunt: vtuntur etiam ſuccis ſupra dictis, poſca, *Indicatio.* & generibus illis cretarum omnibus, quibus admiſcendum eſt oleum roſarum ad miti- *Remedia.* gandum dolorem; & omnia hæc medicamenta extinguunt feruorem, repellunt, & leniter ſiccant; & omnia, quæ habent facultatem extinguendi, feruorem repellendi, & leniter ſiccandi ſine vlla mordicatione ſunt optima. Aetius loco ſupra dicto dicit vnum, quod mihi non placet, & eſt quòd in principio, quando videmus veſicam eſſe plenam a- *Veſicã perforandã contra Aetiũ.* qua non debemus perforare ipſam, ſed ita relinquere, vſque ad finem, & tunc perforare; ego autèm dico, quòd cum vidèbitis veſicam magnam debetis ſtatim in principio perforare, ſed in perforando debetis obſeruare, vt perforetur in ea parte in qua poſſit fieri

Digitized by Google

bonum emiſſarium, ita vt aqua poſſit liberè per ſe exire, & facillimè. Secundo cum forraueritis, nunquam comprimatis veſicam, & vix perforabitis, & ſinetis, vt natura ipſa per ſe euacuet totam illam humiditatem. Itaque perforabitis, his duobus ſemper obſeruatis; ſi autem nòn perforetur, vid te quid incommodi ſequeretur, primo aqua illa in veſica contenta eſſet impedimento, quo minus facultas ſiccans medicamenti applicati penetraret vſque ad corium. Secundo cum aqua illa ſeruear, facit magis ad dolorem. Tertio augendo dolorem trahit, & ſic auget veſicam, cui etiam ſuccederet magna exulceratio; ideo ego in ambuſto cum principio inflammationis, & cum veſica vtor medicamentis dictis, ſed foro veſicam ſtatim in principio; & ſi ſemel aperta non educatur aqua, iterum foro, ſi enim permittatur, vt per ſe diſrumpatur, ſequitur magna exulceratio; & curatio poſtea eſt ita difficilis, vt eſt cuiuſcumque alterius morbi, & omnia, quæ applicantur, etiam ſi ſint mitiſſima mordicant, & non poteſt æger quidquam perferre, & ideo totum veſtrum ſtudium debet eſſe, vt faciatis ne veſica diſrumpatur, nam curatio ambuſti cum exulceratione magna eſt, vt dixi, difficillima. Monet aliud Aetius, & quidèm rectè, & eſt, quòd nec manu, nec linteis ſunt tangendæ veſicæ: nam ſi caſu excoriarentur, ita proritantur, vt ſit mirum, & ideo omnia medicamenta ſunt inducenda ſuper veſicam cum penna, dicit etiam Aetius, quod debemus imponere linteola tenuiſſima imbuta medicamento: Ego autèm dico, quòd ſemper debetis fugere linteola, nam ſi fugietis linteola, videbitis quòd ſine dolore, & longè citius ſanabitur locus, quia corium non poteſt quicquam impoſitum perferre, vel ſaltem, ſi vultis, linteola ſint tenuiſſima, & rara, & relinquantur in loco per integram diem; & omnia medicamenta applicentur ſupra linteolum, cum enim ſit rarum, facilè penetrabunt; verum aduertatis, quòd linteolum debet eſſe ex materia ſericina, non autèm ex cotone, vt dicunt aliqui, quia niſi ſit ex ſerico, cum debeat manere in loco, ita hæret aliquando, vt non poſſit auferri. præterea ſi ſit ex cotone, & relinquatur vnam, vel duas dies in loco, putreſcit, & excitatur magnus fætor; & ideo linteolum debet eſſe ex materia non facilè putreſcibili, qualis eſt ſericina; ſed melius erit ſi veſica ſit magna, ſuperponere medicamenta cum penna, & quotiès volueritis auferre linteolum, madefaciatis ipſum optimè aliquo liquore, vt vel oleo, vel poſca, vel alio ne ſimul cum linteolo auferatis etiam cuticulam: Hoc modo curabitis ambuſtum cum veſica, & principio inflammationis. Si autem non adſit vllum veſtigium inflammationis, nec dolor, nec feruor: ſed aqua tantum contineatur in veſica, vtamini medicamentis ijs, quibus & Antiqui vtebantur, & videbitis optimum ſucceſſum; materia autem horum medicamentorum proponitur à Veteribus, vt ab Auicenna, à Paulo, ab Aetio, & ab alijs, ſed indiſtinctè admodum, nam alia proponuntur calida, alia frigida, quæ non omnia conueniunt in ambuſtis cum veſica, ſed in ea tantum, in qua non eſt coniuncta inflammatio vnà cum veſica, vt in hoc caſu; inter alia autèm, quæ proponuntur, eſt cinis quidam factus ex pannicillis imbutis melle, & farina hordeacea; accipiebant pannos quoſdam paruos, inuoluebant melle; & farina hordeacea, & exurebant, & capiebant cinerem ex his, cui commiſcebant oleum roſaceum, & vinum, & ponebant ſuper veſicam, neque enim in hoc caſu datur indicatio repellendi, ſed ſiccandi cutim, & humiditates illas, utebantur etiam miſi, calcanto, alumine, rhu obſoniorum, calce viua, fimo columbino exuſto, rubrica ſinopica, & reliquis, quæ habent magnam uim ſiccandi; & hæc excipiebant oleo roſaceo, uel unguento ceratouè roſaceo, uel oleo, & uino ſimul, & magno cum ſucceſſu his utebantur; utor etiam ego calcanto, & camphora, qua nihil præſtantius, ut infra dicam. Auicenna in quarta quarti, tractatu ſecundo; cap. decimoquarto, proponit unum medicamentum magnæ compoſitionis præſtantiſſimum præſentibus ueſicis ſi quod aliud, ita ut ego uellem ipſum in officinis teneri paratum: ipſius autèm deſcriptionem uobis non explico, quia longa ſatis eſt, ſed uidere poteritis apud ipſum, & certè optimum eſt medicamentum. Ego habeo quædam peculiaria quibus utor, inter quæ eſt camphora, & cum ea admiſceo lithargyrium, & parum calcanti, ut

Fugienda linteola.

Vti penna eſt melius.

Si nõ adſit feruor, neque dolor.

Cinis ex pannicillis combuſtis antiquorũ.

Varia medicamẽta.

Peculiaria auctoris.

Rec. camphoræ ʒ j.
lithargyrij ʒ ij.
calcanti ℈ j.
Diſſoluantur in mortario & addatur
uini auſteri nigri
olei roſati omphacini } an. ℥ j.

 Miſcentur,

Miſcentur, & in mortario fit medicamentum, quod optimè diſcutit, diſſoluit, & repellit materiam hanc, & ita res ſemper mihi cum iſto feliciter ſuccedit; verum animaduertatis, quòd ipſo vtor quando veſica non eſt diſrupta; ſi enim corium eſſet detectum, non debetis hoc, nec alijs dictis vti: ſoleo etiam maximo cum ſucceſſu admiſcere cum medicamento iamiam dicto ſuccum plantaginis, & ſolatri, vel aquas ex ipſis extractas: vtor etiam naphta, ſcilicet oleo illo petroleo mixto cum aliquo aſtringente, vt cum oleo myrtino, vel ſucco plantaginis. Præterea cum in porris ſit vis ſiccandi, & aſtringendi, ſoleo vti oleo, in quo ſint cocta porra. Capio oleum roſaceum, & myrtinum, & miſceo, atque in eis coquo copioſos porros tritos: addo etiam corticem intimum ſambuci, illum ſcilicet, qui immediatè hæret ligno: & ſi hunc corticem non habeam, capio eius loco ſambuci folia: olea autèm accipiantur pari menſura, & penna madefacio veſicam, & ſi vultis medicamentum, quod diutius perduret in loco, admiſceatis cum oleo parum ceræ albæ, & hoc oleo, ſeu medicamento vtor ego aliquando vſque ad integram ſanationem. hemorocalis etiam martagum vulgo dicta planta optima eſt: capio eius cepam, coquo ſub prunis, deinde miſceo cum oleo roſato, vel myrtino, & facio medicamentum in mortario, & hoc illinio locum, & optimum eſt, & ſi aqua non egreditur, ego do ipſi continuò exitum.

Si corium ſit detectũ.

Si veſica diſrumpatur, & exulceretur locus.

Si autèm veſica diſrumpatur, & exulceretur locus, quod vt plurimum fit, nam antè quàm puer educat manum ex cineribus, vel faber ex ferro, eximitur cuticula, & ſeparatur; tunc adeſt feruor, & dolor intenſus, & inflammatio incipiens, & huiuſmodi ambuſtum vocatur excoriatio, ſicut illud primi generis dicitur inflammatio, & ſecundum veſicatio; ſi ergo ſit ambuſtum cum exulceratione, ſeu excoriatione, quid agendum? Dico, quòd debetis primo diſtinguere, an adſit inflammatio, & periculum ſit de ipſa, quod citò ſit aduentura nec ne? neque enim in omni ambuſto cum exulceratione eſt inflammatio: ſi ergo ſit coniunctum ambuſtum cum inflammatione incipiente, habenda eſt primo ratio capitum vniuerſalium: de qua re nihil meminere antiqui, nullam enim habent rationem totius corporis, ſicut nec ego in alijs generibus ambuſtorum, de quibus ſupra eſt actum, at in hoc cum video cutim auferri, & adeſſe ruborem, & imminentem inflammationem, ſemper habeo curam totius corporis, ita vt ſecem venam lenita prius aluo cum caſſia, vel alio quod attemperet feruorem: ſeco inquam venam, in latere oppoſito, aut in alio loco conferenti, & hoc præceptum eſt oculatiſſimi noſtri Guidonis, qui monet, vt in magnis exuſtionibus cum exulceratione, cum periculo inflammationis, ſecemus venam: ita quoque moneo ego vos, vt faciatis, deinde inſtituetis victus rationem refrigerantem, & exhibebitis quotidie potiones quaſdam refrigerantes, vt aquam hordei, vel decocta, & facta præparatione attemperabitis etiam feruorem, & vacuabitis cum exhibitione pharmaci, & quæſo non deſpiciatis capita hæc vniuerſalia, nam ego vidi obortam gangrænam ex huiuſmodi ambuſtis: Cum ſatiſfeceritis vniuerſalibus capitibus deuenietis ad locum affectum, in quo applicabitis ea, quæ lenia, & blanda ſunt, vt voluit Hippocrates in tertio de fracturis decimoſexto, vbi inquit leniter tractanda ſunt ambuſta, & intelligit de ambuſtis cum exulceratione, & inflammatione, vt patet ex Galeno inibi, qui dicit, ratio cur Hippocrates dicat ambuſta eſſe leniter tractanda, eſt quia acrium, & calidorum humorum commixtione conſtant ambuſta, ſi ergo fluunt humores acres, & feruentes, oportet uti lenibus, unde Hippocrates applicat ceratum roſaceum, ſed licet hoc lene ſit, & conueniat, tamen & nos habemus mitia medicamenta, & magis opportuna, quæ mitigant, impediunt inflammationem, & fluxionem materiæ, quæ fluxio in ambuſtis eſt perpetua: unde uulgo diei ſolet, quòd ambuſta creſcunt, uſque ad nonam diem, & eſt uerum: ſi enim fiat ueſica, & iam incipiat fluxio, ſolet perdurare, uſque ad terminum inflammationis, qui eſt ſeptima, uel nona, niſi medicus inhibeat, nam ſi applicentur ea, quæ dicta ſunt, nec etiam uſque ad tertiam diem creſcit morbus. igitur applicanda ſunt medicamenta lenia: ſed quæ ſatisfaciant fluxioni, & exulcerationi, nam exulceratio eget ſiccatione; & ideo medicamenta debent repellere, & leniter ſiccare ſine ulla penitus mordicatione; ſint igitur refrigerantia, repellentia, & leniter ſiccantia ſine mordicatione, aut minima; inter hæc autèm primum locum tenet album oui, ſimiliter & luteum: & hinc eſt, quod Galenus ita laudat hæc duo intelligens quidèm ad impediendum ueſicæ obortum, ſed præcipuè intellexit eſſe optima in ambuſtis cum exulceratione, quia refrigerant, repellunt, & ſiccant mordicare ſine ulla mordicatione; hæc igitur duo diſſoluetis oleo roſaceo, uel cum lacte calybeato, ut ego ſoleo facere, & addo etiam aliquando parum boli orientalis, & applicabitis, & præſtabit omnia, quæ dicta ſunt, & mitigationem doloris

Antiqui accipiunt folia betaruum, coquunt, deinde contundunt ad mixto oleo roſaceo, & imponunt optimo cum ſucceſſu; ego actus authoritate Aetij, & Pauli ſoleo accipere ſuccũ foliorum betarum viridium, & miſceo cũ cerato roſato, vel cum cerato myrtino, & ſuper impono, & ſupra hoc impono folia betarũ ſemicocta in aqua, & optime ſatisfacit omnibus indicationibus. Aliquando vtor vnguento roſato Meſues, mixto cum ſucco betarum viridium, & optimum eſt. Vltimo monet Aetius, vt accipiamus ſemen portulacæ, & miſceamus cum polẽta, & imponamus, & hoc etiam opportunum eſt medicamentum; verũ ego vtor frequentius ſucco betarũ admixto cũ oleo roſaceo, vel myrtino, vel vtor vnguẽto de ceruſſa admixto luteo oui; aliquãdo vtor vnguẽto roſato Meſues, cui etiã interdũ admiſceo lithargyriũ, ceruſſam lotã, & luteũ oui, vel ex his tribus tãtũ facio medicamentũ omiſſo vnguẽto, & ſi volo maiorẽ ſiccationẽ, admiſceo bolũ oriẽtalẽ, ceruſſam, & ſuccũ betarũ cũ ipſo vnguẽto roſaceo. His ſemper vtor, vel alternatis, vſq; quo extinctus fuerit feruor, & ſanatus locus, & optimè res mihi ſuccedit; ſi autẽ adſit exulceratio unà cũ inflãmatione, & opus ſit deterſione, & ſiccatione, nã ſemp in huiuſmodi ambuſtis ulcera ſunt manantia, ita ꝙ exulceratio ſemper effundit humorẽ; & ratio eſt, ꝗa adeſt fluxio continua ad locũ illũ; in hoc igitur caſu opus eſt medicamẽtis, quæ detergãt, ſiccẽt, & aliqualiter reprimant, ſed ſint priuata omni mordicatione; vnde omnes cineres dicti ſupra ſunt boni, dũmodo ſint loti; & ita bonus eſt cinis ex ſtercore colũbi lotus, cinis ex hordeo lotus, calx nouies lota aqua cõmuni, pompholix præparata, cadmia officinarũ lota, & præparata: omnia hæc bona ſunt, & laudata ab antiquis; Nos vtimur quibuſdã, quæ habentur in officinis, inter quæ eſt vnguentũ de calce, ſiccat enim moderatè, detergit, & repellit; ſed ego cõmiſceo ſecũ portionẽ olei, in quo ſint cocti porri, & cortex intimus ſambuci, quoniã ratione iſtorum magis aſtringit vel admiſceo portionẽ radicis martagi, & ſucci betarũ, vt pariter magis aſtringat. In officinis eſt, & aliud, quod vocatur vnguentũ diapompholigos, & eſt in hoc caſu pretioſum, & ſi nõ detergit, ita, vt videbitur vobis opus eſſe, miſceatis ſecum minimã portionem aluminis, ſed minima ſit portio, quoniã vnguentũ eſt per ſe ſatis potens: Vltimo ego curo, vt in officinis paretur vnguentum, quod voco vnguentum de tutia magiſtrale, cuius tradidi vobis alias deſcriptionem, & optimum in hoc caſu eſt medicamentum; His itaque poteritis vti, vel tandem capiatis cæpas liliorum alborum, coquatis ſub pru is, & poſtea ponatis in mortario, & addatis oleum roſaceum, vel parum ex his dictis vnguentis, & faciatis in mortario medicamentum, quo utemini uſque quo ulcus obducetur cicatrice. Habetis iam abſolutum ſermonem de ambuſtis, in ſequenti modò incipiam de morbo Gallico.

Morbus Gallicus, quando, quomodo, vnde, à quo in Italiam fuerit delatus, & per totam deinde Europam diſſeminatus. Cap. XXXII.

OMnis Religio, quæ iam hoc Orbe viget, vel ea ſit Chriſtiana Sanctiſſima, vel obſoleta Hebraica, vel iniquiſſima Turcica, habet hoc dogma, tanquam axioma quoddam, quòd propter peccata mors in Mundum irrepſit, detulitque ſecum morborum genera varia, & accruum maximum, quibus errores, & varia hominum peccata puniret: & ſicut homines nunc ad hanc, nunc ad illam errorum ſpeciem ſe conuertunt: ita nunc illo, nunc iſto morborum genere corripiuntur, & à ſuis erroribus purgantur: Vnde Italia olim Tiberij Claudij temporibus ſenſit lichenem Græcorum, ſeu mentagram vocatum morbum à Latinis, quo mentum circulariter ſerpente vlcere correptum afficiebatur, & fuit delatum ex Aſia à Peruſino quodam equeſtri ordinis, qui tunc temporis erat Quæſtorius ſcriba in Aſiaticis illis regionibus, & inde rediens, vt ait Plinius lib. 26. cap. primo, detulit Romam talem morbum, qui impetuosè, & grauiter admodum graſſabatur Romæ, & in tota Italia, & caſtigabat illius temporis hominum peccata, & nouum tunc inauditumque morbi genus in Italia erat. Tempore etiam quo Lucius Paulus, & Quintus Martius erant Cenſores cœpit Italia ſentire carbunculos; In Italia autèm inauditos, qui etiam puniebant peccata illorum temporum. Temporibus quoque Pompeij ſubiugato iam Aegypto, & Aſſyria delatus ex Aegypto nouus alius morbus eſt Romam, vt ait idem Plinius elephantiaſis, ſeu lepra Græcorum vocatus, quo depreſſa eſt aliqualiter Romanorum ſuperbia. Morborum itaque dictorum exemplo manifeſtũ iam vobis Iuuenes amantiſſimi eſſe arbitror nouos, & non alias notos morbos ob eã, quam dixi cauſam oboriri, qui quidèm morbi quãto in aere magis nouo exiſtunt, tãto etiã magis graſſantur, & ſæuiunt; quod alio etiã exemplo

fiet nobis perſpicuum, quoniam homines ſuperioris ſeculi immediatè, nedum antiquiores, non nouerunt puſtulas illas contagioſas, quas periculas uulgò uocamus, & puncticulas à figura, & copioſiores eſſe ſolent Bononiæ, Ferrariæ, ac multis alijs in locis Italiæ, nam anno uigeſimo octauo ſupra milleſimum, & quingenteſimum cæpit lues hæc inuadere, & ſæuiebat ita, quòd induxit peſtem maximam in tota Italia, quod factum fuit, ut caſtigarentur ingentes errores huius regionis. His addatis, & morbum, quem uocamus gallicum, genus inſuperabile morbi, non ita tamen, ut penitus inſanabile ipſum eſſe cenſeamus, nam mali Medici eſſemus, cum dicat Boetius: mali Medici eſt deſperare, ne curetur æger, qui obortus eſt ut caſtigaret errores iuuenum, & aliorum etiam, qui rei ueneræ nimis indulgent: ortus eſt autèm morbus iſte eo tempore, quo tota Italia maximo bello flagrabat, & plena erat exercitu barbaro, nam Carolus Gallorum Rex, Gibbus, uel Gobbus uocatus magna manu exercitus collecta deſcendit in Italiã, & ſubacta Mediolanenſis prouincia, atque Hetruria irruit in Regnum Neapolitanum, quod tũc erat ſub cuſtodia Hiſpanorum, qui à Gallis iam ferè ſuperati cum deſperarent ſe poſſe uiribus illos ſubiugare aſtu rẽ tentarunt, nam legitur Hiſpanos conueniſſe cum mercatoribus, qui conficiebant panem, & eum per exercitum Gallorum vendebant, vt in ipſo pane commiſcerent giplum, ex quo multitudo Gallorum magna cæpit varijs morbis corripi, & interfici: Venenis etiam inficere puteorum, & fontium aquas, & inde pariter contagioſæ febres ſunt ortæ. Sed hoc nihil facit, Habebant Hiſpani ſcorta apud ſe infecta morbo Gallico, & cum optimè nouiſſent, quàm grauis morbus eſſet: & quàm contagioſus, non ignari etiam, quàm natio Gallica ſit inſolens in potu, & in venere, miſerunt ſcorta illa in exercitum Gallorum, cum quibus cæperunt inſolenter rem habere, & morbo corripi, & eo quidem facilius, ac magis, quo lues illa noua in eo cœli tractu erat, atque ex ignoto orbe delata; vnde factum eſt, vt breui tempore totus exercitus ferè infectus ſit: cui rei ſucceſſit, vt tunc primum morbus iſte in tota Italia apparuerit manifeſtiſſimè: hæc ſunt manifeſta huius morbi origo in Italia; & hoc factum eſt 1494. ab incarnato Chriſto, & quamuis dixèrim, quòd tunc primum apparuit per Italiam, tamen antea erat in Italia delatus ratione Hiſpanorum, ſed latitabat, & nouus erat, atque aliunde fuerat delatus, nam refert Petrus Martir, qui ſcripſit hiſtoriam Mediolanenſem, quòd Chriſtophorus Columbus, vel Colonus Ianuenſis nobilis, & mercator eximius, qui nauigarat per Oceanum ferè totum, inſtituit nauigationem fauente Fernando, & Heliſabeth Hiſpaniarum regibus vltra colũmnas Herculeas (quę nunc vocantur vulgò il ſtretto de gibilterra) ad ignotas terras, actus optima ventorum ratione; nam hic domitor maris, qui re vera fuit domitor, & veluti alter Neptunus, obſeruabat magnos ventos, & diuturnos flare ex partibus illis vltra columnas Herculeas, & hinc colligebat vltra Oceanum eſſe continentem ſolum, & ſatis amplum, ex quo vapor abiens in ventum eleuaretur hac itaque optima ratione motus anno 1492. calendis Septembris instructis quatuor nauibus iter aggreſſus eſt, & tantum nauigauit, quòd deuenit ad regiones illas, quæ dicuntur regiones del Perù, & primum inuenit inſulas, deinde continentem terram maximam, quæ terræ vocantur inſulæ occiduæ, vel occidentales, & inibi inuenit aurum copioſum, argentum, margaritas, & alios pretioſos lapides, arbores varias, animalia bruta varia, gentes varias, edulia varia, & noua omnia, & inter reliqua nouum genus morbi, & eſt ille, quem gallicum vocamus, qui morbus ſæuiebat in illa regione, & erat contagioſus, vt apud vos eſt ſcabies. Quare cum nautæ illi cæpiſſent cognoſcere fęminas illas nudas ſine religione, morbo ſunt correpti; vnde altero anno reuerſus eſt Chriſtophorus, & cum eo multi milites, & Heroes, referti auri, argentique plurimis talentis, quibus cum etiam hanc nouam labem detulerunt, & inuenerunt iam obortum eſſe bellum inter Gallos, & Hiſpanos; vnde illi cum milites eſſent, iuerunt cum exercitu Neapolim, & actu illo quo dixi infecere exercitũ Gallum; hæc fuit prima origo morbi iſtius. primo eſt delatus ab inſulis occiduis in Italiam & Neapolim, & diſſeminatus eſt inter Gallos, & tandem ſparſus eſt per totam Italiam, Germaniam, Galliam, & per totam Europam, de hoc ergo morbo ſum ego acturus, & primo explicabo nomina varia, quibus donatus eſt, ſecundo videbimus an ſit nouus morbus, vel antiquus, & vtrum notus fuerit antiquis Græcis, Latinis, & Arabibus. Tertio quænam ſit natura ipſius videlicet quid ſit morbus iſte, an ſimplex, & vnus tantum morbus ſit, an coaceruatio ex multis morbis; quarto agam de curatione morbi Gallici, & tradam vobis non ſolum veram curationem; ſed etiam docebo malam curationem quorundam nebulonum; non quidèm vt ipſa vtamini, ſed vt cauti ſitis, & ſciatis modum corrigendi damna, quæ oriuntur ex mala illa curatione, quando quis eſt ipſa vſus. Quinto & vltimo docebo vos curationem omnium ſymptomatum conſequentium hunc morbum, quæ multa ſunt, & grauiſſima, & cum his docebo vos modum, quo poſſitis vos ipſos tueri, & cauere ne corripiamini hoc morbo, ſi quando dormiretis cum aliqua infecta; vnde non vna, nec leuis erit vtilitas huius tractationis; ſed magna & multiplex, quoniam Primo docet modum

Origo morbi Gallici in Italia.

Propoſitio explicandorum.

præca-

Digitized by Google

præcauendi. Secundo quomodo is qui infectus eſt liberetur. Tertio ſi inciderit in aliquem Empiricum, qui mala curatione ſit vſus, quomodo poſſit ſymptomata grauia, & incommoda, ex mala curatione oborta, ſuperare, & diſputabo an morbus gallicus ſit ſanabilis necne, & tenebo ſicut teneo, quòd ſit ſanabilis, longo tamen tempore, & cum difficultate, ſanatur tamen adhibita docti medici diligentia, & ægri obedientia; deueniamus igitur iam ad primum caput, quod in ſe continet appellationes varias morbi Gallici.

De varijs morbi Gallici appellationibus. *Cap.* XXXIII.

MOrbus, de quo agimus, varijs, ac multiplicibus modis vocatus eſt, & primo dictus eſt morbus Gallicus, quia tunc primùm maximè apparuit in exercitu Gallorum, vt in hiſtoria dictum eſt, hac ratione in Italia vocatur morbus Gallicus, malum Gallicum, & in Herruria vocatur etiam vaiuol Franciofo, id eſt variola Gallica, eo quod cutis inficiatur cruſta quadam ſimili cruſtæ, quæ oboritur in cute variolis affecta; in Gallijs vocatur morbus Hiſpanicus, quia ab Hiſpanis ſcortis ipſum contraxere; vocitur & morbus Italicus, quia in Italia ſunt ipſo correpti, vel quia in Italia magis vigeat; in quibuſdam locis Germaniæ vocatur ſcabies Hiſpanica; ſcabies quidèm, quia eſt vna ex ſpeciebus ſcabiei: Hiſpanica autẽ quia ipſi primi detulerant in has regiones. Aliqui Germani ex eis, qui ſcripſerũt appellãt menium fortaſſe, quia deturpat partes obſcænas: aliam neſcio ego afferre rationem, nec ipſi illam explicent, cur ita vocetur; vocant etiam malum franciofum; Hiſpani vocant paturſam, & morbum Neapolitanum, paturſam quidèm, quia ita vocatur in inſulis illis occiduis, quæ vox magnum, atque fœdum morbum ſignificat, & violentum; & hoc modo etiam eſſet vocandus, quia eſt proprium nomen huius morbi, vocatur & morbus indicus. Aliqui noſtrum appellant pudendagram, eo quod primo inuadat pudenda, ſicut hac eadem ſimilitudine lichen eſt dictus mentagra, & affectus ille articulorum podagra, in Italia vocatur etiam morbus Neapolitanus, quia ibi validius erexit criſtas; Fracaſtorius decus Veronæ, & Italiæ, qui tam glorioſè vixit, & factus eſt æternus non tantum verſibus, quantum optima doctrina medica, ſcripſit poema pulcherrimum de morbo Gallico, in quo vocat ipſum ſyphilim per iocum, quia oriatur ex coniunctione illo præter modum amica maris cum fæmina; ad hanc coniunctionem alludens vir ille doctiſſimus vocauit hunc morbum ſyphilim, quaſi quòd ex amoris, atque amicitiæ coniunctione ortum duxerit. Tot ſunt appellationes, & tam variæ, quæ tamen vnum, atque eundem morbum ſignificant. Et hæc ſint ſatis de hoc capite.

An morbus Gallicus nouus ſit, & non aliàs cognitus, anque cum aliquo affectu Antiquitati noto poſſit coniungi. *Cap.* XXXIIII.

QVo modo primum graſſari cæperit morbus Gallicus, & vbi & uarijs in regionibus Europæ appellationes uarias habuerit, in ſuperiori dictum eſt. Iam tractemus caput maioris momenti, an ſcilicet morbus Gallicus nouus ſit, & non aliàs cognitus: an antiquis notus fuerit, & an poſſit cum aliquo affectu antiquioribus noto coniungi: & hoc caput tractandum præcipuè eſt, propter authoritatem eorum, qui ſcripſere, quorum aliqui voluere eſſe idem cum quibuſdam affectibus antiquitati manifeſtis, & inde eſſe petendam curationem, & primò proponunt elephantiaſim Græcorum, quam Arabes lepram vocant, & eam dicunt eſſe morbum gallicum, quoniam dicunt hæc habere eadem ſigna, & notas, & primum eſt, quod morbus gallicus eodem modo acquiritur per contagium, quo & elephantiaſis, nam Antiqui ſi dormiebant cum aliqua muliere infecta lepra, inficiebantur, & ipſi: idem etiam fit de morbo gallico. Secundo in lepra ſunt affectus cutis, vt tubercula, & puſtulæ, & ſquammæ: idem etiam fit in morbo Gallico; nam in capite præcipuè oboriuntur puſtulæ, quæ vulgò dicuntur broze. tertio in lepra eſt defluuium pilorum idem eſt in morbo gallico, immò inter prima ſymptomata morbi gallici eſt hoc, quòd concidit barba, capilli, & cilia: his ſignis colligunt

Num hic morbus ſit elephantiaſis antiquorum.

gunt morbum gallicum, & elephantiaſim eſſe vnum, atque eundem morbum, ſed iſti errant; nam omnes norunt elephantiaſim, & dicitur vulgò morbus Sancti Lazari, in quo omnia apparent ſigna, quæ tradita ſunt ab antiquis: ſecundo multa ſigna ſunt in elephantiaſi, quæ non ſunt in morbo gallico, & primum eſt tumor glandularum omnium, & quidem ſchirroſus tumor, vt tumor glandularum ſub lingua, in faucibus, & ſub axillis, in inguinibus, & in omnibus alijs glandulis, in morbo autèm gallico non eſt ita, nam ſolùm aliquando circa inguina exiſtentes glandulæ intumeſcunt, hocque non eſt perpetuum, ſecundo in elephantiaſi venæ, quæ ſunt ſub lingua turgent valde, & nigræ ſunt, in morbo autèm gallico hoc non eſt: tertio in lepra non oriuntur tantùm puſtulæ; ſed etiam oſtracoſa tubercula, ita vt tota cutis videatur canceroſa, inæqualis, & aſpera, vt eſt ſuperficies extima teſtarum oſtreorum, quod non eſt in gallico, & iam video ex vobis aliquot, qui laborant morbo gallico, & tamen cutis non eſt ita affecta. Addatis, & aliud; ſed primò notate quòd affectus, qui ſatyriaſis à Græcis dicitur, eſt duum generum, & vtrumque dicitur ſatyriaſis per ſimilitudinem, vidiſtis ſatyros, & ſi non vidiſtis viuos, ſaltem

Satyriaſis quid.

vidiſtis depictos, & ſunt genus animalium, quæ colebantur ab antiquis pro Deo, & pinguntur forma quodammodo humana, pedibus caprinis, & facie veluti hircina contracta quodammodo, & ſatis turpi; quando igitur facies alicuius contrahitur, & oſtracoſa redditur, ac turpis, vt eſt facies ſatyrorum dicitur pati ſatyriaſin, & hæc eſt vna ſpecies ſatyriaſis à ſimilitudine horum animalium dicta; & talis ſatyriaſis, vel affectus apparet in laborantibus elephantiaſi: eſt & altera ſpecies ſatyriaſis à ſimilitudine pariter ſatyrorum dicta, ſatyri enim pinguntur etiam cum pene ſemper erecto; hinc eſt quod tentigo, quæ eſt perpetua penis erectio vocata eſt ſatyriaſis. Vtrumque hoc genus ſatyriaſis eſt proprium lepræ Græcorum: nam laborantes elephantiaſi habent faciem contractam, & turpem, vt habent ſatyri: habent quin etiam continuum, & inſatiabilem appetitum coeundi, & penem continuò erectum, ij autèm, qui laborant morbo gallico, tantùm abeſt, vt habeant colem erectum, vt potius concidat penitus, & odio proſequantur mulieres. cum itaque ſigna propria lepræ, & præcipuè multa ipſorum non ſint in morbo gallico, non eſt dicendum, quòd ſint vnus, & idem morbus; & quamuis vterque contagio acquiratur, tamen non ob id ſequitur, quod ſint idem, nam & phtiſis, & multi alij morbi contagioſi ſunt, tamen non ſunt morbus gallicus, præterquam quod non eſt idem genus contagij in lepra, atque in morbo gallico, ut ſuo loco audietis, de puſtulis autèm verum eſt, quod in morbo gallico oriuntur; ſed ſunt rotundæ, & occupant hanc, vel illam partem tantum; puſtulæ autèm in lepra ſunt oſtracoſæ occupantes totum corpus ita, vt cutis videatur totus, & lamina quædam toti corio ſuper impoſita. De profluuio pilorum verum eſt quod accidit in morbo gallico, ſed non omnes pili concidunt; ſed illi tantum quos æger nollet concidiſſe, illi autèm quos vellet cadere non concidunt, nam concidunt ſolùm capilli, cilia, & barba, non autèm pili ſub axillis non in inguinibus, neque in alijs partibus corporis exiſtentes; at in lepra omnes pili concidunt; & cutis, quæ erat ſub pilis, in lepra remanet tota exulcerata, & oſtracoſa; in gallico autèm cutis, vbi erant pili, nihil patitur poſt caſum pilorum, immò remanet pulchrior, & mollior, quare nullá ratione eſt dicendum,

Num hic morbus ſit ſaphatum, vel Albotim Auic.

quòd elèphantiaſis ſit morbus Gallicus. Alij ſunt, qui volunt morbum gallicum eſſe ſaphatum, de quo Auicenna in ſeptima fen. quarti tractatu tertio cap. primo, vel ſaltem volunt eſſe albotin de quo pariter meminit Auicenna in eodem capite, mouentur autèm iſti hac ratione, quia ſaphatum eſt affectus capitis, in quo cadunt pili; albotin pariter eſt affectus, in quo oboriuntur puſtulæ malignæ corrumpentes oſſa, vt etiam in gallico; ſed iſti decipiuntur, quoniam ſi legant optimè locum illum, videbunt quòd ſaphatum nihil aliud eſt quam affectus ille mendicorum proprius, qui vulgo dicitur tinea, vel tigna, & eſt ſpecies lichenis, ideſt impetiginis caput tantum occupans; quiſque autem nouit tineam, & ſcit eſſe diſtinctum morbum à gallico. Albotin etiam eſt ſpecies quædam morbi, quæ à Græcis vocatur termintos, ideſt termintus ob ſimilitudinem, quia in hoc morbo oboriuntur puſtulæ, quæ aſſimilantur granis terebinthi, noſtis enim terebynthum arborem proferre racemos quoſdam fructibus plenos, qui fructus ſunt grana quædam ſimilia baccis lauri rotunda; quibus granis aſſimilantur puſtulæ in morbo dicto: & quia albotin apud arabes ſignificat nobis terebynthum, quod etiam ſonat vox termintos apud Græcos, & fructus illi vocantur terminti; hinc eſt, quòd ille morbus ab Arabibus eſt nuncupatus albotin, à Græcis vero thermintos, de quo morbo habetis apud Paulum libro quarto cap. 24. & apud Aetium lib. 14. cap. 62. morbus etiam iſte thermintos, vel albotin dictus dicitur ab iſtis malum mortuum, & eſt proprius morbus crurium, & ancharum, nam ipſa ſolet afficere, quid autèm ſit malum mortuum, notum eſt, & quantum differat à gallico; ideo iſti decipiuntur; ſicut in errore ſunt illi, qui credunt morbum gallicum eſſe ignem perſum, vel ignem ſacrum, vel prunam, vel anthracem; omnes enim hi morbi notiſſimi

ſunt;

Digitized by Google

ſunt; ideo non oportet dicere, quod ſint morbus gallicus. Alij volunt eſſe morbum articularem moti, & decepti ex dolore, ac tumore artuum, ſed vtinam ita eſſet. nam podagra, & chiragra poſſent aliquando ex toto ſanari, quod non fit; morbus enim Gallicus (vt ſuo loco dicam) licet cum difficultate, tamen ex integro ſanatur; Alij volunt, quod ſit variola: vnde aliqui vocant variolas Gallicas, ſed errant, nam variola, bothor vocata ab Auicenna, eſt proprius morbus infantium, morbus autem Gallicus eſt adoleſcentium, & iuuenum calidiorum: & quid ſit variola, & quantum differat à morbo Gallico non eſt vt ego dicam, quoniam eſt res manifeſtiſſima; Alij, qui videntur accidere magis ad rem, volunt eſſe pſoram, & lepram Græcorum moti propter ſquammas: ſed audiuiſtis ſupra quod pſora, & lepra ſunt ſpecies ſcabiei, ſunt enim ſpecies phlegmatis ſalſi; ideo maximè differunt à morbo Gallico, verum tamen eſt quod aliquando vocamus morbum Gallicum nomine catarrhi, vel phlegmatis ſalſi, vt tegamus remedium aliquod, quo vtimur pro Gallico morbo, vel vt in gratiam ægri tegamus morbum: vnde ſi quis interdum dicat medico, quo affectu laborat? Socrates, vel cur ei exhibes decoctum ligni reſpondet, quia laborat catarrho, vel phlegmate ſalſo, intelligens tamen in animo ſuo de morbo Gallico, ſed non ob id eſt dicendum, quòd morbus Gallicus ſit pſora, vel lepra, nam puſtulæ Gallicæ ſunt rotundæ, cutis ſub puſtulis exiſtens eſt rubra, non adeſt pruritus, ſquammæ non ſunt deciduæ, quæ tamen ſunt in pſora, præterea defluuium capillorum in pſora eſt paruum, & ſubtus ſunt vlcera: quod non in Gallico; addatis in morbo Gallico ſunt dolores articulorum, vlcera pudendorum, tumores atheromatici, vlcera in volis, & plantis pedum, exeſiones oſſium, & ſimilia peſſima omnia, quæ non accidunt in lepra, & pſora. Qui maioris nominis inter medicos ſunt, inter quos eſt Leonicenus Philoſophiæ, & medicinæ reſtaurator, Ipſi enim, ſi cui alij, debemus totam ferè reſurgentem medicinam. Vir ergo iſte doctiſſimus ſcripſit de morbo Gallico, & volebat ipſum eſſe morbum, & nouum, & antiquum, nouum quidèm, quia nuper emerſerit; antiquum vero, quoniam vult ipſum habuiſſe antiquam cauſam, vult enim quòd ſit morbus Epidimicus, & quòd habuerit cauſam illam, quam habent Epidimici morbi, & præcipuè illi qui æſtiuales dicuntur; & ideo vult vt ſit morbus Epidimicus æſtiualis, quoniam & morbi æſtiuales habent coniuncta vlcera pudendorum ob corruptionem humorum, quæ vlcera pudendorum vocantur ſipedones ab Hippocrate lib. tertio aphor. 22. & puſtulæ ob eandem cauſam apparent in facie, & per totum corpus, vt teſtis eſt Hippocrates in tertio aphoriſm. 21. reddit autèm Leonicenus cauſam apparitionis morbi Gallici, & inquit quòd apparuit tempore pontificatus Alexandri ſexti, quo tempore Carolus Gallorum rex in Italiam cum exercitu venit; & tunc inquit Leonicenus præceſſerunt cauſæ Epidemiales, inter quas vna eſt quòd Italia tota paſſa eſt diluuium aquarum maximum, & præcipuè Campania, & Roma, atque regnum Neapolitanum, quoniam Tiberis increuit, ita quod nauibus per vrbem ibatur, & domus videbantur factæ inſulæ: poſt hanc illuuiem aquarum ſuperuenit bellum, & peſtis ingens, & ortus eſt morbus Gallicus ratione diluuii, quod autèm diluuium hoc poſſit facere, probat exemplo, nam Blondus Foroliuienſis narrat quòd tempore Pelagii Pontificis facta eſt maxima inundatio a Tyberi, qua ceſſante, æſtate ſubſequenti ortæ ſunt puſtulæ malignæ, quarum nomen, & curationem medici ignorabant: probat & alio exemplo, nam Platina in vitis Pontificum ſcribit, quòd tempore Bonifacij quarti facta eſt illuuies, ad quam ſucceſſit peſtis, & ſcabiei genus, quod medici nec nominare, nec curare ſciebant; Idem quoque, ait Leonicenus, factum eſt poſt diluuium tempore Alexandri Pontificis, nam poſt diluuium orta eſt peſtis, & ſcabies Gallica; His rationibus mouetur, vt crediderit morbum hunc eſſe nouum, quia carebat nomine; antiquum autèm, quia habebat cauſam, nam ratione illuuiei corruptus eſt aer, qui infecit ſpiritus, & humores; & inde noui morbi orti ſunt. Alij voluere morbum eſſe nouum, & Epidemialem, atque cauſam habuiſſe antiquiſſimam, & illam quidèm cœleſtem, nam dicunt morbum eſſe quidèm nouum, ſed inductum fuiſſe ex malis ſyderum aſpectibus, quoniam inquiunt anno 1483. ab incarnato Chriſto, quo fere tempore apparuit morbus Gallicus, ſydera paſſa ſunt malas coniunctiones, decimaquinta enim die poſt meridiem menſis Octobris anni illius, Mars, Iupiter, Sol, & Mercurius paſſa ſunt coniunctionem in libra, in octaua cœli facie, quæ dicitur octaua domus Zodiaci, quæ domus ægritudinis eſt, vt aſſerunt aſtronomi: addunt quod Iupiter apparuit combuſtus, addunt etiam quod eodem anno prima die Nouembris, in eadem octaua domo eſt facta coniunctio in libra Martis, & Veneris: eodem menſe apparuit coniunctio Iouis, & Veneris. addunt quòd eodem anno Luna paſſa eſt ecclypſim ingeminatam, alteram quidèm in ſcorpione, quid autèm ſcorpio portendat, ſolum nomen indicat; alteram verò in Tauro, quæ aſtrorum paſſiones nobis præſentem morbum, atque eum atrocem præindicant, vt ipſi referunt; cum itaque tot mali aſpe-

ctus

Num ſit morbus articularis.

Num ſit lepra Græcorum, quæ pſora dicitur.

Num ſit morbus Epidimicus æſtiualis.

Diluuia poſſe facere morbos Epidemicos.

Aliorum opinio ab aſtris.

ctus ſyderum fuerint eo anno, non mirum eſt, ſi aerem immutarint, & factus ſit morbus Gallicus; nouus quidèm morbus quo ad apparitionem, antiquus verò quoad malam coniunctionem aſtrorum; ſed vtraque hæc ſententia falſa eſt, & primò de aſtris, ego non ſum ex numero illorum medicorum, qui obſtinatè affirmem, vel negem ex toto vim aſtrorum in arte noſtra: nec ſum ex illis medicis, qui credunt nullam habendam eſſe rationem aſtrorum in medicina; nam video Hippocratem obſeruaſſe motum aſtrorum, & credo cum Ariſtotele, & alijs aſtra habere vim magnam in hæc inferiora, & motu, & lumine vario uariari, & immutari multum corpora, & reliqua hæc inferiora; aſtra enim multa agunt circa generationem rerum lumine, & motu, & ambientem alterando, agunt non quidèm per ſe, ſed per accidens; nec ex alia parte ſum ex illis, qui credam totam artem noſtram referendam eſſe ad aſtra; ſed media quadam via incedens, nec eis penitus credo; nec ipſa ſperno; non ob id tamen credo morbum Gallicum ex aſpectibus aſtrorum malis ortum eſſe, etiam ſi aſtra ſuo lumine, & motu agant in hæc inferiora, & varia eorum mutatio mutet corpora, & vna ratio, quæ me mouet, eſt, quoniam morbus Gallicus cepit graſſari anno 1494. cōiunctiones autem illæ aſtrorū malæ apparuere anno 1483. ita quod intercidit ſpatium vndecim annorum: iam afferant iſti aſtronomi cauſam, quomodo, & cur vires aſtrorum ſopitæ fuerint vndecim annos, & dicant mihi quid tunc agebant illæ coniunctiones, dormiebant an vigilabant? cum itaque ego videam interceſſiſſe tam longum tempus, neſcio videre quomodo morbus Gallicus ſit ortus ex conſtellationibus, vt dicunt ipſi, malis. Secundò poſt apparitionem illorum malorum aſpectuum, apparuere alij aſpectus benigni, qui potuerunt morbum Gallicum lenire, & ex toto etiam ſanare: niſi ipſi dicant quòd ſoli aſpectus illi agunt, quod non eſt dicendum, quia ſequererur, quòd vnus tantum, & ille perpetuus eſſet effectus aſtrorum, quod eſt falſiſſimum, nam ex vario cœli motu, & ſyderum, varij, & multiplices oriuntur effectus; ſi igitur ſucceſſere aſpectus multi benigni potuere contemperare, & benignum aerem reddere, & ita blandum reddere morbum Gallicum, vel ipſum extinguere ex toto: Vltimo ego credo, quòd illi aſpectus fuerint potius in cauſa peſtis, vel febris alicuius Epidemialis, quàm morbi Gallici; probent modo Aſtronomi, quòd potius fuerint in cauſa morbi Gallici. Itaque concludo falſam eſſe opinionem illorum, qui credunt morbum Gallicum ortum duxiſſe ex malis aſtrorum coniunctionibus. Iam deuenio ad Leonicenum noſtrum, qui credidit morbum Gallicum eſſe Epidimiam æſtiuam, & antequam reſpondeam ſuis rationibus, conſtituam quid ſit Epidimia, ſunt enim varia nomina, quæ poſſunt parere difficultatem, maximè ijs, qui non exercitati ſunt; vt igitur cognoſcatis an morbus Gallicus ſit Epidimicus, ſciatis quòd morborum variæ ſunt differentiæ, inter quas eſt communitas, nam alij ſunt morbi communes, alij partiales: hæc poſtea communitas dupliciter intelligitur, vna enim eſt communitas, ſeu communis natura morbi, qua totum corpus corripitur; & ſecundum hanc communem naturam ſcabies dicitur morbus communis, quia inuadit totum corium: ſimiliter, & febris dicitur ſecundum hanc ſignificationem morbus communis, quia licet primo calefaciat cor, tamē poſtea calefacit, & totum corpus, ſed de hac communi natura morborum nos non loquimur. Alia communitas eſt, quæ communicatur vni populo ferè toti ſecundum eandem rationem, vt quando plurimi homines laborant ſimilibus morbis, eadem ratione, in eodem loco, & eodem tempore; & morbi eodem modo incipiunt, augentur, conſiſtunt, & declinant; & hi morbi à Galeno in præfatione libri Epidemiorum, vocantur *κοινοι* chinoi, id eſt communes, & ab Hippocrate in libro de natura humana panchinoi, id eſt ex toto communes, & à Galeno dicuntur etiam pandimi hoc eſt totam plebem occupantes, communis igitur morbus ſecundum hanc ſignificationem eſt, qui ſeruata ea communi natura in eadem regione plurimos, atque totum ferè populum corripit, eodem tempore, & modo. His opponuntur alij morbi, qui propria quadam natura inuadunt quidèm multos, ſed non eodem tempore, nec eodem modo, & hos Hippocrates vocat ſporades id eſt ſparſos, & Galenus ſporadicos à potu ſpirin, quod eſt diſpergere, ſeu diſſeminare, quia vt radij diſſeminantur. Igitur communium, ſeu vniuerſalium morborum alij ſunt communes ſimpliciter, alij diſperſi, exemplis hæc patebunt: ſint plures, qui in hac vrbe laborent febre tertiana exquiſita, quæ ſemper eadem hora incipiat, eodem modo augeatur, conſiſtat, & deſinat; tunc febris iſta vocabitur morbus communis, vniuerſaliſue, quoniam totam gentem affligit in eodem loco, eodem tempore, & eodem modo; ſi autèm æſtate multi laborent tertiana: ſed alij tertiana exquiſita, alij notha, tunc febris iſta non erit morbus communis, ſed ſparſus, quia non eadem eſt natura morbi huius in omnibus, non eodem modo incipit, augetur; conſiſtit, & deſinit: ſparſus quoque dicitur, ſi hac eadem tertiana aliqui laborent, ſed nunc duo, altero menſe quatuor. Iam laborent omnes Patauij eodem tempore febre, ſed alij quotidiana, alij tertiana, alij quartana, et alij continua, alij intercepta;

Aſtrorum vis in hæc inferiora.

Epidemia quid ſit.

Sporades morbi.

Digitized by Google

tereeptæ: iſtæ febres vocantur pariter morbus ſparſus, Iſti morbi omnes adhuc ſunt duum generum, ex ſententia Hippocratis, & Galeni. nam alij ſunt perpetui in aliquo loco, qui plurimos accolas diu ſtimulant correptos: alij non perpetui, ſed aliquo tantum tempore durant, & ſunt aduentitij: perpetui ſunt, qui habent præſentem cauſam perpetuam: non perpetui autèm ſeu temporanei, qui habent, & cauſam temporaneam, & aliquo tempore tantum populum agitant; Cauſæ autèm morborum communium ſecundum Galenum, & alios ſunt, vt plurimum tres, inter quas primum ſunt oblata, ſecundo actiones, tertio extra aduenientia: oblata ſunt varia cibaria malæ naturæ, & generantia prauos ſuccos; actiones ſunt, vt motus corporis: extra aduenientia ſunt, vt aer, aqua, ſolum, & cœlum. Itaque ſi hæ cauſæ fuerint perpetuò malę, morbus quoque communis perpetuus erit; ſupponamus ergo, quod aqua, ſolum, & aer in aliqua regione ſint perpetuò malè affecta, tunc inibi erunt morbi omnes perpetui infeſtantes maiorem partem gentis; & hi morbi vocantur patrij, regionaleſque: vocantur etiam vernaculi, quia veluti vernæ ſint in eo loco alti, & nutriti, & à Galeno vocantur Endimi, vel Endimij, hoc eſt in populo orti, & hærentes. igitur morbus Endimus, vel Endimius eſt ille, quo laborat maior pars gentis perpetuò in regione, locouè aliquo, cuius cauſa perpetua eſt, vt malum ſolum, mala aqua, & malus aer; & hi morbi reperiuntur in multis locis, vt ex Piſano populo maior pars, vt ex centum nonaginta, & ſemis laborant ſcirrho lienis propter cibos malos propter ſolum, aerem, & aquam malam. Ad portum etiam labronis, qui vulgò dicitur il porto de liuorno, omnes ſunt tincti arquato, quod etiam accidit aduenis, ſi illic maneant aliquot dies: vnde vidi ego Hiſpanos qui illuc venerant, erantque coloris, vt plurimum nigri, & paucis diebus ex colore ferreo factus eſt aureus ſimiliter & candidi florentini ſi illic manſerint, fiunt crocei ratione mali aeris, mali ſoli, & malæ aquæ: Alij ſunt, vt dicebam, morbi communes non perpetui, ſed temporanei, & iſti fiunt ex cauſa non perpetua, vt quando aer eſt malus, & durat talis aliquo tempore, deinde fit bonus, & ceſſat morbus: idem dico de ſolo, & de aqua, & videbitis loca multa pati hos morbos omnes temporaneos propter malum, & infectum quaſi ſolum, vt ſolet accidere ex inundatione, tunc enim ſolum redditur malum, & ita generat malas herbas, malos cibos, & mali ex eo vapores eleuantur, qui inficiunt aerem; et ſic fiunt morbi infectis, & putrefactis ſpiritibus; & humoribus: ſed inde ad ſex menſes, vel ad annum, expurgabitur ſolum, & aer, & ſic ceſſabit morbus; & hi morbi, qui paſſim graſſantur vocantur Epidimi, vel Epidimij, vel Epidimici, vel Epidimiales ab Hippocrate, & Galeno: vnde Endimicus morbus differt ab Epidimico, quia Endimicus habet cauſam perpetuam, vnde & ipſe perpetuus eſt: Epidimicus autèm habet cauſam temporaneam ideo, & ipſe ad tempus durat, exemplo rem magis oſtendo, ſi fiat inundatio ſoli: cui ſuccedat putredo aeris, vt hoc anno facta eſt inundatio Romæ; ideo omnes ſuſpicantur futuros eſſe omnes morbos, vel peſtem, qui morbi erunt Epidimici, quia expurgato aere, & ſolo ceſſabunt, ſed morbus hic Epidimicus eſt duum generum, vnus contagioſus, & pernitioſus, qui interficit, exemplo ſit vobis peſtis, quę ſuperioribus annis in hac vrbe graſſabatur, & multos interficiebat; & ideo erat Epidimicus morbus contagioſus, & pernitioſus; alter eſt Epidimicus non contagioſus, nec pernitioſus, qui vocatur ſimpliciter Epidimicus: ille autèm dicitur Epidimicus pernitioſus: exemplum Epidimici ſimpliciter habuiſtis anno ſuperiori iunio menſe, de catarrho illo, quo tota Italia, & exteræ nationes etiam laborarunt, non tamen erat contagioſus, nec pernitioſus. igitur Epidimicorum morborum alij ſunt pernitioſi, alij non; horum autèm cauſæ inquit Hippocrates eſt intemperies calida, & humida: affert & Galenus alias cauſas, & vna eſt mutatio regionis, vt contingit in exercitu, qui deueniens in locum, vbi ſit malus aer, corripitur morbo Epidimico; aliquando cauſa eſt corrupta aqua, vt contingit apud vrbem Neapolitanam, quando hiſpani infecerunt aquas, quibus totus ferè gallorum exercitus affectus eſt, & interfectus; aliquando fit ratione mali habitus corrumpentis aerem, qui halitus ſolet ex terra efferri, vt quando aperiuntur cauernæ quędam, vel adſunt cadauera inhumata; talis eſt natura morbi Epidimici, & communis: ſi autèm vultis ſcire, vbi hæc colligerim, legatis Galenum in primo de ratione victus in morbis acutis commento Textus noni, & in præfatione in primum Epidimiorum. His conſtitutis dico ego contra Leonicenum, gallicum morbum non eſſe morbum vulgarem; quoniam non habet cauſas morborum Epidemicorum, communium enim, & Epidimicorum morborum, cauſæ ſunt, vt dixi, oblata, actiones corporis, extrinſecus aduenientia; has autèm cauſas non habet morbus gallicus, non aerem, non ſolum, ſeu locum, non cibaria, nec alias cauſas ſimiles; ergo non eſt morbus Epidimicus; nam Epidimici morbi ſunt, qui inuadunt maiorem partem populi, eodem tempore, & eadem natura, ſeu ratione, & proueniunt ab eiſdem cauſis; morbus autèm gallicus non eſt ita; ergo non eſt Epidimicus: ſecundò Epidemialis morbus non eſt perpetuus, licet ſit aliquando diuturnus, & penès hoc differt a morbo patrio: at morbus gallicus, ex quo cæpit graſſari in Italia, quòd fuit an-

Cauſa, morborum communium.

Endimi morbi patrij, ſeu vernaculi.

Morbi temporanei.

Differentia inter epidimios, & Endimios morbos.

Exemplū.

Endimius morbus duplex.

Gallicum morbū non eſſe Epidimicum.

no 1494. ſemper graſſatus eſt, graſſatur, & credo quòd graſſabitur: ergo non eſt Epidimialis: & multo minus eſt æſtiuus, neque enim æſtate tantum viget, ſed & alijs anni temporibus: ſed præcipuè hyeme. Ad illam autèm rationem Leoniceni, quòd tempore pontificatus Alexandri tactum eſt diluuium, &c. Dico ad illam illuuiem ſucceſſiſſe quidèm peſtẽ, famem, & quædam alia, non autèm gallicum morbum: & ſi illa illuuies feciſſet gallicum profectò & aliæ illuuies, quæ poſtea factæ ſunt, debuiſſent morbum gallicum in ſua natura conſeruare, vel augere; vt inundatio illa Tyberis, quæ facta eſt Romæ anno 1534. tamen morbus gallicus non eſt factus maior: De illis autèm duobus exemplis, videlicet de inundatione illa priori, & de altera poſteriori tempore Bonifacij Pontificis; dico quòd quamuis generauerint ſcabiem, & morbos varios, tamen non produxere gallicum: & licet ſcabies genita à poſteriori illa illuuie ignota fuerit illis antiquis medicis, & quoad nomen, & quo ad curationem, tamen ſi hucuſque perduraſſet, medici impoſuiſſent ei nomen, & inueniſſent rationem curandi ipſam. quamuis igitur inundationes generauerint, & generare poſſint morbos varios, tamen illi morbi non ſunt perpetui; morbus autèm gallicus perpetuus eſt, quia morbus gallicus non eſt morbus Epidimicus, nec poteſt reduci ad aliquod genus morbi antiquorum; Ad illud autèm, quòd inter morbos æſtiuos ſunt ſipedones Hippocratis, hoc eſt putredines pudendorum: dico quòd ſipedones ſunt quidèm vlcera pudendorum ſerpentia; tamen non ſunt idem, quòd caries gallica, non enim habent nomi coniunctum: nec caries gallica eſt idem cum exulceratione illa pudendorum, quæ æſtate oritur, & dicitur calefactio à Guidone, atque ab alijs, vt patet, quia chirurgi illi, qui fuerunt antè quam morbus gallicus deferreretur in Italiam, & obiere ante oppugnationem Vrbis Neapolitanæ ſciebant curare calefactiones pudendorum; & ego infra tradam vobis ſigna, quibus diſtingueris inter calefactiones, & cariem gallicam; His itaque opinionibus confutatis, dico quòd gallicus eſt morbus nouus delatus ab hiſpanis in Italiam, & communicatus per contagium per ſcorta illa Gallis, & dicitur communis, quia indifferenter inuadit fœminas, & viros, ſenes, iuuenes, pueros, & lactantes, & infantes communis eſt etiam, immo communiſſimus, quia inficit plures eodem tempore, in eadem regione, eodem modo, & natura indiſcretè, & ideo eſt genus morbi communis non quidèm Endimicus: nec Epidimicus, quia non oritur à communi cauſa, ſed eſt tertium quoddam genus morbi communis, & hæc de ſecundo capite principali, Iam venio ad tertium.

Morbus Gallicus eſt nouus.

Morbus gallicus an ſit paſſio, vel affectio corporis vniuerſi an determinatæ alicuius partis. Cap. XXXV.

TErtium caput agendorum dixi continere quid ſit morbus gallicus; quas cauſas habeat; quos mores, quæ ſigna; & vltimo quæ ſymptomata conſequantur ipſum: hæc omnia eſſent nunc inquirenda, & tractanda, in quibus non leuis, nec vna tantum eſt difficultas, & maior etiam longè eſſet, ac multiplicior ſi ignoraretur an morbus gallicus ſit paſſio, vel affectio totius corporis, an alicuius determinatæ partis, dantur enim morbi proprij huius, vel illius partis, vt phtiſis eſt propria paſſio pulmonis, vt igitur tractatio de illis omnibus reddatur facilior, videndum eſt primo an morbus gallicus habeat pro ſubiecto proprio corpus totum, vel partem aliquam: & ſi partem, quæ nam pars illa ſit; & hoc libenter quæro, quoniam variæ extitere opiniones, nam alij putarunt morbum gallicum eſſe proprium affectum pudendorum moti his rationibus, nam inquiunt ex omnibus partibus corporis pudenda ſunt illa, quæ primo ſentiunt morbum gallicum, nam patiuntur cariem, bubones, & ſimilia; ergo morbus gallicus inhæret partibus pudendorum tanquam proprio ſubiecto. ſecundò illi, qui inficiuntur gallico, incidunt in gonorrheam nõ quidèm in illam communem: ſed in contagioſam ortam poſt gallicam labem, quàm gonorrhæam docebo vos infra diſtinguere ab alia communi. Tertio in pudendis oriuntur bubones aliquando frigidiores, aliquando calidi, & inflammati; ergo pudendæ partes ſunt verum ſubiectum morbi gallici, nam ipſæ ſunt, quæ primò hanc labem ſentiunt; Alij volunt, quòd pars gallico ſubiecta ſit caput, & cerebrum, & mouentur rationibus validioribus, quàm illi mouerentur, nam inquiunt primo, quòd cum quis inficitur morbo gallico, tota venuſtas faciei, & color amittitur, licet in ipſa non ſint tubercula, nec cruſtæ elephantiaſis; & oculi etiam amittunt ſuum colorem, & viuacitatem. Secundò caput dolet grauiter, non ſolum circa exteriores partes, ſed etiam dolent membranæ cerebri, & magis dolent aduentante hora illa diei, quæ ſimilis eſt temperaturæ cerebri, & eſt veſpertina frigida, & humida, ergo cerebrum eſt ſubiectum

Aliorum opiniones circa ſubiectum huius morbi. Pudenda.

Caput, & cerebrum.

Digitized by Google

biectum proprium morbi gallici. Tertiò illi qui infecti ſunt morbo gallico laborant catarrhis multis, qui deſcendentes non ſolum exedunt palatum, & fauces; ſed etiam oſſa maxillarum, dentes, & partes alias: tanta eſt violentia catarrhorum.

Quartò is, qui infectus eſt gallico, ſolet pati tumores tofaceos, & ſcirrhoſos, etiam in varijs partibus corporis, ſed vt plurimum in capite.

Quinto in eo, qui infectus eſt morbo gallico, ſi oriantur puſtulæ, illæ vt plurimum oriuntur in capite, & in facie, addunt deinde defluuium pilorum, quod in ſolo capite accidit, nam nulli pili concidunt in partibus infra faciem, non ſub axillis, non in inguinibus, nec in alijs partibus; ſed ſolum concidit barba, cilia, & capilli omnes, quod indicat morbum gallicum eſſe morbum proprium cerebri. Addatis, quòd oſſa in morbo gallico patiuntur corruptionem, & olim corrumpebantur in omnibus partibus; nunc autèm in capite tantum, & in capite corrumpuntur, ita, vt ſit mirum; nam in multis vidi, & extraxi dimidiam partem cranij, aliquando totum os frontis, aliquando hoc, aliquando illud os capitis; ergo morbus gallicus eſt propria affectio capitis, id eſt cerebri, & inde petenda erit curatio. Leonicenus voluit cutim eſſe ſubiectum morbi gallici hac ratione motus, quia primum, quod patitur, eſt cutis, primo quidèm in partibus pudendis, deinde in toto corpore. Alij dicunt ſubiectum morbi gallici eſſe crura, quoniam in ipſis fiunt dolores intenſiſſimi, gumata, & vlcera magna, vel dicunt, quòd ſi non omnes partes crurium, ſaltèm perioſtia illorum oſſium ſunt ſubiectum. Ego autèm cum nullo iſtorum conſentio, quoniam non video illas conditiones in aliqua dictarum partium, quæ requiruntur in morbo proprio partis alicuius, inter quas vna eſt, quod quomodocumque varient paſſiones, & ſymptomata, cauſa morbo coniuncta, & natura etiam morbi, tamen ſemper pars illa, in qua morbus eſt tanquam in proprio ſubiecto patitur, vt pulmo eſt proprium ſubiectum phtiſis, & tunc homo ſemper patitur circa pulmones, ſiue expuet ſanguinem, ſiue non, vel excernat ſaniem, aut non; ſimiliter quotiescumque quis laborat catarrho, ſemper patitur circa caput, quoniam catarrhus eſt propria capitis affectio; hoc autèm non eſt, quando quis laborat morbo gallico: multi enim ſunt, qui etiam ſi laborent gallico, tamen nihil circa caput patiuntur, non defluuium pilorum, non puſtulas, non dolores, nec qnidpiam aliud: ergo caput non eſt proprium ſubiectum morbi gallici: Nec gallicus eſt propria affectio pudendorum, quoniam multi laborantes gallico, non patiuntur circa pudenda, vt illi, qui per ſuauia, ideſt per oſcula contraxere morbum gallicum; ſimiliter infantes, qui acceperunt ipſum ex nutrice infecta, nihil patinntur in pudendis; multi etiam ſunt, qui infecti ſunt gallico, tamen non laborarunt gonorrhæa; De cute etiam, & de cruribus, multi laborarunt, & laborant Gallico, qui nihil, nec circa corium, nec circa crura paſſi ſunt; igitur nulla iſtorum partium eſt ſubiectum morbi Gallici: morbus tamen eſt in corpore, & in aliqua parte, eſtque morbus vnus tantum, non autèm congeries ex multis morbis, licet habeat plura coniuncta: quod autèm ſit vnus patet, quia & curatio vna eſt, ſiue illa bona ſit, ſiue mala; & vel facta per radices, vt per ſalſam parillam, vel per decoctum guaiaci, morbus igitur vnus eſt, & non plures ſimul coniuncti, nec eſt communis toti corpori, at eſt proprius alicuius partis, non autem alicuius partium dictarum, videmus enim hominem pati Gallicum, & diuturno tempore morbum illum perdurare conſpicimus, & non ſemper patitur illum in eiſdem partibus, ſed aliquando circa caput, aliquando circa cutim, aliquando circa partes extremas, & ſæpe circa obſcęnas partes: & ſiue mutentur ſymptomata, & morbi, ſiue non, ſemper tamen homo dicitur pati Gallicum morbum, vel vir, vel fęmina ſit; vel ſenex, vel puer, vel iuuenis, omnes enim patiuntur Gallicum, & eodem modo curatur in omnibus, quæ duo mihi indicant dari partem in corpore, quæ primo, & per ſe inficiatur gallico, qua affecta à principio vſque ad finem æger dicatur infectus gallico morbo. cum præterea omnes curentur eadem ratione, colligo, quòd vnus tantum eſt morbus ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſitus. His ita poſitis videamus an poſſimus reperire ſedem certam, ac determinatam morbi Gallici; hoc autèm non poſſumus facere, niſi vtamur inſtrumentis propoſitis à Galeno in primo de locis affectis, & in libro de conſtitutione artis ad inueſtigandos locos affectos, inſtrumenta autèm ſeu fontes ſunt tres. Primus eſt natura partium, oportet enim ſcire partes ſingulas, quam habeant naturam, & qnam conſtitutionem. Secundus fons eſt, vt cognoſcamus cauſas morboſas, ideſt, quæ poſſunt facere morbum; ſcimus enim, quòd quædam cauſæ faciunt quoſdam certos morbos determinatæ partis alicuius.

Cutim.

Crura.

Confutantur omnes dictæ opiniones.

Aliquam partem corporis eſſe ſubiectum huius morbi.

Inſtrumenta ad inueſtigandos locos affectos ſunt tria.

Tertius ſunt effectus conſequentes partes morboſas, vt ſcilicet cognoſcamus quot, & quæ ſymptomata conſequantur ad hanc, vel illam partem laborantem, cuius rei ha-

betis exemplum à diuino Galeno in primo de locis affectis cap. primò, & ſecundo, de ſuppreſſione lotij;

Primum inueſtigatur ex natura partium.

His fontibus, & locis vtamur, & nos in inueſtigando ſubiectum proprium morbi gallici, & primo ex natura partium videamus, an poſſimus hoc inuenire; partes quæ patiuntur in morbo gallico, plures dubio procul ſunt, vt caput cutis, pudenda, & reliquæ, quas diximus non eſſe ſubiectum gallici, vnde natura partis nihil nobis in re hac inſeruit, nec ex proprietate partium poſſumus hoc inuenire, nam proprietas cutis (verbi gratia) eſt quidèm, vt aliquando laboret per contagium; idem & de partibus pudendis eſt dicendum, tamen non ob id poſſumus dicere, quod hæ partes ſint verum ſubiectum Gallici, nam & pulmo, & cor inficiuntur per contagium, tamen nullus diceret gallicum morbum primo, & per ſe hærere his partibus, nec manifeſta conſtitutio partium poteſt nos deducere in cognitionem ſubiecti Gallici. cum itaque natura partium hoc non indicet, videamus an cauſæ id poſſint facere; profecto non, neque enim cœlum. Si hanc dicamus eſſe cauſam gallici, nec aer, nec cibaria, & huiuſmodi indicant magis affectam eſſe hanc, quam illam partem; ſi autèm dicas, vt multi doctiores dixere, & vt ego etiam teneo, vt dicam ſuo loco, cauſam morbi gallici eſſe contagium, tamen non ex hoc deueniemus in notitiam ſubiecti proprij, quia plures ſunt partes, quæ per contagium inficiuntur; Itaque oportet confugere ad tertium locum, ſeu fontem, quo vtentes inueniemus certam ſedem gallici. Itaque non eſt dubium, quod in morbo gallico aliquando laboret cerebrum, aliquando cutis, aliquando pudenda, aliquando crura; tamen non partes iſtæ omnes laborant; at nos videmus, quod morbus gallicus eſt perpetuus, ergo perpetuo etiam læſa erit actio partis illius, in quo morbus eſt tamquàm in ſubiecto proprio: obſeruemus modo an functiones cerebri ſint perpetuo læſæ. profecto non; non enim ſemper adeſt læſio memoriæ, non ſenſuum, nec alterius facultatis animalis. cum itaque actiones animales non ſint perpetuo læſæ in morbo gallico, non poſſumus dicere, quod gallicus morbus ſit propria affectio cerebri: nec adſunt perpetuo læſæ actiones vitales, non enim adeſt perpetua ſincope, non defectus animi, nec alia ſimilia: ergo nec cor eſt propria ſedes morbi gallici; vnde poſtea cum videam, quod facultas, qua corpus augetur, & nutritur, lædatur à principio ad finem, colligo, quod pars, in qua talis facultas reſidet, eſt proprium ſubiectum morbi gallici; talis autèm pars eſt hepar, ergo ipſum eſt, quod primo, & per ſe afficitur gallico morbo à principio ad finem; quod autem hepar ſit certa, ac determinata ſedes morbi gallici, patet primo ex copia excrementorum, quæ ſunt in corpore affecto gallico.

Secundo ex cauſis.

Tertio ex effectibus vero fonte.

Hepar eſſe proprium ſubiectum huius morbi.

Rationes probantes hepar eſſe ſedem morbi.

Secundo ex colore corporis vitiato, nam cum quis inficitur morbo gallico, videbitis poſt tres, vel quatuor dies mutari bonum colorem, quod fit, quia maſſa ſanguinis eſt vitiata.

Tertio laborantes gallico, præterquam quod nocte ſentiunt magnos dolores; ſunt languidi, & videntur pati laſſitudinem, quæ ſequitur plenitudinem, & videntur non poſſe mouere ſe, etiam ſi voluntas, & vitalis ſpiritus ſit promptus.

Quartò addatis, quòd ſiccantur, extenuantur, & macri fiant, videnturque aliquando contraxiſſe malum habitum, nam turgent genæ, facieſque, & tota facies liuida apparet, vt ſit ſimilis animalibus illis, quæ generant ſericum; quæ omnia ſequuntur affectum hepatis. Ex his igitur colligo hepar primò, & per ſe affici à morbo gallico, vt maior pars Auctorum probatiſſimorum voluit. Et quamuis lædantur etiam aliæ partes, vt cerebrum, pudenda, & ſimiles; tamen ſciatis, quod aliæ partes non afficiuntur primo, nec per ſe, vt hepar; ſed ratione hepatis; nec afficiuntur ſemper, nec à principio ad finem: hepar autem patitur ſemper à principio, vſque ad finem. Et ideo morbus gallicus eſt proprius ipſius affectus. Hæc de ſubiecto morbi. ſequitur modo, vt videamus quid ſit morbus iſte.

Alias partes affici ratione hepatis.

Morbus

Morbus gallicus quid ſit; an ſit communis morbus aut ſingularis: an ſimplex, vel compoſitus: an ſoluta vnitas, vel morbus in compoſitione, vt vel in numero, vel in ſitu, vel in quantitate, & an ſit morbus manifeſtus, & in intemperie, vel occultus, atque in tota ſubſtantia. Cap. XXXVI.

HAbito ſubiecto proprio morbi Gallici, ſequitur, vt inquiramus, an ſit morbus communis, vel ſingularis, anque ſimplex, vel compoſitus, & vtrum ſit ſolutio continui, vel aliquis morbus in compoſitione, vt vel in numero, vel in ſitu, vel in quantitate. quòd ſit communis morbus, non eſt dubium, nam vtrumque ſexum ſolet afficere, & in quacumque ætate conſtitutos, ita vt pauci ſint, qui non laborent hoc noſtro tempore Gallico morbo: Sed videndum eſt, an ſit morbus ſimplex, vel compoſitus; & an vnus, vel coaceruatio ex pluribus affectibus, in qua tamen re omittam opinionem Excellentiſſimi præceptoris mei Antonij Braſaulæ, qui ponit morbum Gallicum eſſe ita varium, & multiplicem, vt dixerit eſſe 234. ſpecies morbi Gallici, ipſe enim conſtituit varia ſymptomata pro ſpeciebus, quod eſt ſuperuacaneum, & opinio non eſt digna, vt coarguatur cum pateat, falſam eſſe; Omittam etiam ſententiam Nicolai Machelli concíuis mei, & viri doctiſſimi, qui in libello, quem ſcripſit de morbo Gallico, voluit ipſum eſſe farraginem, ſeu multiplicitatem morborum, vt voluit etiam quidam Ioannes Sueſſanus, qui in omnibus fuit penitus barbarus. has igitur opiniones omittentes veniamus ad illos, qui dicunt morbum Gallicum eſſe vnum tantum, inter quos primus fuit Manardus Ferrarienſis, qui putauit morbum Gallicum eſſe ſolutionem continui: vnde ſi ſecundum ipſum velimus definire morbum Gallicum, dicemus quòd eſt ſolutio continui in hepate, quam ſententiam videtur habuiſſe Montanus lumen noſtri ſeculi, qui floruit maxime in hoc gymnaſio; ipſe ſcripſit commentarium de morbo Gallico, in quo videtur inclinare in hanc opinionem, non tamen exquiſitè, nam vult morbum Gallicum eſſe intemperiem hepatis, cui ſuccedat materia; & materiei ſuccedat ſolutio vnitatis, nam dicit, quod tandem ſit intemperies hepatis cum materia, cui accedit ſolutio continui.

Braſaulæ opinio.

Num ſit ſolutio continui, vt Manard.

Ego autèm cum his non conſentio, quia nullum ſignum in morbo Gallico laborante video, quod nobis indicet ſolutionem continui in hepate; præter quam quod ego ſecaui multos Gallico laborantes, in quibus nullum tumorem, nullum vlcus; nec vllam aliam ſpeciem ſolutionis continui in hepate vidi. Sed dicet aliquis pro Manardo, aduertas, quod ipſe intelligit non eſſe ſolutionem continui in hepate, ſed in alijs partibus. Dico ad morbum gallicum conſequi quidèm exulcerationem partium variarum; ſed hoc non eſt perpetuum, multi enim inficiuntur, quibus deſluunt capilli tantum, abſque quo vlla adſit continui ſolutio; illud autèm quod non eſt perpetuum, non poteſt eſſe natura rei, quare falſum eſt, quod morbus gallicus ſit ſolutio continui.

Cõfutatio.

Alij volunt eſſe intemperiem hepatis, ſed frigidam, & humidam, quoniam afficitur facultas, aiunt, conſeruans totum habitum, & eſt facultas exiſtens in ſanguine, & ſpiritu calido, & humido: vnde laborantes gallico macres fiunt, & emaciati: præterea in ipſis coaceruatur multa materia pituitoſa frigida, & humida: fiunt etiam gumata plena pituitoſa materia, abundant etiam in Gallico laborantibus catarrhi frigidi, & humidi, ex his omnibus colligunt morbum Gallicum eſſe intemperiem frigidam, & humidam hepatis.

Num intẽperies hepatis frigida, et humida.

Sed hæc opinio confutatur à doctioribus, quoniam non ſemper in laborantibus Gallico coaceruatur pituitoſa materia, immo pro maiori parte abundat materia melancholica, exuſta, & feruens; & in principio ij, qui infecti ſunt gallico, dicunt ſe perſentire magnum feruorem; adſunt etiam coniunctæ vigiliæ, & ſitis, ergo non eſt intemperies frigida, & humida.

Cõfutatio

Alij, vt doctiſſimus Montanus opinatus eſt morbum Gallicum eſſe intemperiem calidam, & ſiccam, actus his rationibus, & primo, quod appareant vlcera, & caries pudendorum, & palati, quæ ſunt veluti initiã, & radices morbi gallici, & fiunt à materia acri reddita calida, & ſicca, ergo natura morbi gallici eſt intemperies calida, & ſicca hepatis.

Num intẽperies ſicca & calida, vt Montanus.

Secundo in ijs, qui laborant Gallico, abundant excrementa, ſiue excernantur per lotium, ſiue per ſudorem, ſiue per ſeceſſum, quæ excrementa biliosâ ſunt, & aduſta; nam ſudor fœtidus eſt, & ſalſus, lotium ſubrubrum, vel flauum; atque habent multas exu-ſtiones in ſe; ita & feces; Tertio quia morbus Gallicus frequenter declinat in defluuium pilorum, quod cum non fiat ex ſiccitate cutis, neceſſe eſt dicere, quòd prouenit propter eroſionem radicum pilorum, quæ eroſio fit vel à fumo quodam, fuligineve facta ex humorum aduſtione; vel ex humore aduſto ſalſo, & acri: ſed humores acres, & vapores fuliginoſi fiunt ex inflammato hepate, quæ inflammatio non poteſt eſſe, niſi intemperies ſicca, & calida. Ex quibus omnibus Excellentiſſimus Montanus, & alij cum ipſo colligunt formam morbi Gallici eſſe intemperiem calidam, & ſiccam; ſed diſtinguit Montanus, quòd in principio intemperies hæc nullam habet coniunctam materiam, ſucceſſu autèm temporis adiungitur ſibi materia proportionata. Opinio hæc mihi non placet, nam non ſemper in morbo Gallico abundant excrementa bilioſa; ſed aliquando pituitoſa tantùm; *Cõfutatur hæc opinio.* nec ſemper incipit cum vlcere, vt patet de pueulis, qui contrahunt gallicum ex nutricis lacte, & ſæpe numero Gallicus incipit cum ſola gonorrhæa, ſæpeque etiam ſine defluuio pilorum; & ideo non valet, quod morbus Gallicus ſit intemperies calida, & ſicca, & eo minus, quoniam videmus morbum Gallicum curari per medicamenta calefacientia, & ſiccantia, guaiacum enim calefacit, & ſiccat, ita & ſalſa parilia, & ſuffitus ex argento ſublimato, & exercitium etiam violentum, quo aliquando ſiccatur morbus Gallicus; vnde cum regula illa perpetua ſit, quòd contrariæ affectiones contrarijs remedijs curentur, *Obiectio.* & morbus Gallicus ſanetur calefacientibus, & ſiccantibus, non poſſumus dicere, quòd natura Gallici morbi ſit intemperies calida, & ſicca. Sed dicunt, quòd quamuis in principio non ſit intemperies calida, & ſicca, tamen citò adiungitur materia proportionata; & ideo medicamenta calefacientia, & ſiccantia ſanant morbum Gallicum continuò, & continuò attenuando, diſcutiendo, & euacuando materiam illam, vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter. *Solutio.* Ego autèm dico, quòd ſi hoc eſſet verum, ſequeretur quòd recens morbus Gallicus non poſſet ſanari decocto guaiaci: valet conſequentia, quia in recenti Gallico per ipſos non adeſt materia: ergo guaiacum non agit in formam morbi, & ſic non ſanabit, nam per materiam agit in formam morbi, & materia non adeſt, ergo non agit contra naturam morbi. Secundò ſequeretur quod ablatio cauſati eſſet in cauſa ablationis cauſæ, nam materia hæc, quæ eſt in hepate calida, & ſicca, quæ digeritur, & euacuatur à guaiaco, & per cuius ablationem aufertur intemperies, non communicata eſt à ſcroto hepati mulieris, vel ex ſinibus muliebribus hepati maris, viæ enim illæ anguſtæ ſunt; ergo in hepate genita eſt ab intemperie calida, & ſicca, & per conſequens materia erit cauſatum, & intemperies cauſa, ſi igitur remoueatur intemperies per remotionem materiæ, ſequitur, quòd remoto affectu remouebitur cauſa, quod non valet, ſed eſt potius oppoſitum, quod remota cauſa remouetur effectus, non tamen hoc eſt perpetuum, quia quando effectus eſt fixus, & in habitu, non remouetur per remotionem cauſæ. Sed contra inſtabunt in inflammatione, & in eryſipelate remota materia remouetur intemperies calida, & ſicca: ergo & in morbo Gallico id fiet. Dico non eſſe parem rationem, nam in inflammatione, & eryſipelate aufertur intemperies ablata materia, verum eſt: ſed fit hoc, quia intemperies dependet à materia: at in morbo Gallico intemperies non pendet ex materia, ſed è contra materia pendet ex intemperie. Sed dicunt rurſus, ablata materia ex hepate, aufertur intemperies à partibus circumiacentibus, vt à meſenterio, à ſepto tranſuerſo, & ab alijs ipſæ enim erunt, quæ mundato hepate ab humoribus illis temperabunt hepar, & ſic ſanabunt morbum Gallicum. Ego non video quo modo partes adiacentes cum ſint diſtemperatæ, ſunt enim frigidæ, & humidæ, poſſint temperare hepar: præterea patiente hepate, neceſſariò patitur meſenterium, & aliæ partes ratione venarum, patiuntur dico eandem affectionem: & hinc eſt, quòd in morbo Gallico patiuntur artus extremi, & caput: nam caput incipit dolere, ita & perioſtia oſſium, & corrumpuntur, vt corrumpitur pericraneum, oſſa, cutis, & partes aliæ, quoniam priuatæ ſunt facultate naturali integra, & non benè poſſunt concoquere. Prætetea ſi eſſet verum, quòd partes adiacentes temperarent hepar, & ſanarent gallicum facta euacuatione materiæ continuò ſequeretur, quod vſus continuus aquarum thermalium, cum continuò euacuent, vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter, ſanaret gallicam luem, quod eſt falſum; ergo natura morbi gallici non eſt intemperies calida, & ſicca: nec guaiacum ſanat ipſum per continuam euacuationem, quia, & vſus aquarum thermalium ſanaret ipſum; nec ſanat ob ſiccitatem, & caliditatem: nam ſi hoc eſſet omnia medicamenta ſiccantia, & calefacientia ſanarent gallicum, quod non eſt: memini enim ego, quòd cum eſſem Venetijs, & quidam ex illis medicis maioris notæ aſſereret

decoctum

Digitized by Google

decoctum aceris vulgo cerro dicti, ſanare Gallicum, vt & alia ſiccantia, qua etiam vi putabat guaiacum facere; expertus ſum medico illo præſente decoctum aceris, & vſque adeo exacerbatus eſt morbus, vt ferè interierit æger: alius etiam medicus dicebat guaiacum facere ſua caliditate, & ſiccitate; & ideo aſſerebat, quòd omnia alia caleſacientia, & ſiccantia medicamenta idem præſtabant: vnde exhibebat decoctum iuniperi, quod & ego volui aliquando experiri, & vidi morbum magis exacerbari. Itaque parcat mihi Montanus, & alij, qui ſunt in eadem ſententia, ego dico eſſe falſum, quòd morbus Gallicus ſit intemperies calida, & ſicca: verum tamen eſt, quòd ſucceſſu temporis contracto aliquo feruore ſuccedit intemperies talis conſequens naturam Gallici ſed talis intemperies non dependet à materia, licèt aliqualiter ab ipſa foueatur; ſed eſt potius in habitu, ita vt difficile remoueatur, vt ſuo loco dicam. Alia fuit opinio cuiuſdam medici Galli, qui vocatur Antonius Gallus in ſuo libello, qui inſcribitur de non permiſcendo decocto guaiaci, in quo multa pertractat, & inter cætera de morbo Gallico, tam venuſtè, & doctè, vt ſuperet omnes: & libellus ille eſt certè aureus: vir ergo iſte opinatus eſt formam morbi Gallici eſſe intemperiem calidam, & humidam, & ratio, qua mouetur eſt, quod morbus Gallicus, eſt veluti putredo quædam, vt patet, quia corrumpit cutim, perioſtia, oſſa, & partes omnes, nulla autèm intemperies eſt aptior ad putredinem, quam calida, & humida, ergo morbus Gallicus eſt intemperies calida, & humida hepatis: quod hepar ſtatìm in morbo Gallico incaleſcat, patet quia ſtatim ſentitur feruor in uolis manuum, & in capite: patet etiam ex excrementis; ergo Gallicus morbus eſt calida, & humida intemperies hepatis, ſine materia, vel cum materia; ſed ego non ſum cum hac opinione, nam ſi eſt intemperies calida, & humida, vel eſt ſine materia, quod rarum eſt; vel cum materia; ſi cum materia, erit inflammatio (non loquor de phlogoſi illa; ſed de vera inflammatione,) ergo in omni morbo Gallico aderunt ſigna inflammationis hepatis, quod eſt falſum: nam in Gallico morbo diuturno apparent quædam ſigna certiſſima intemperiei hepatis calidæ, & ſiccæ: & vix aliquis patitur Gallicum duos, vel tres menſes: quod adſunt hæc ſigna, tamen non adſunt ſigna inflammationis. Præterea ſi forma morbi Gallici ſit intemperies calida, & humida, quæ tamen non ſit in principio; ſed ſubſequatur ſucceſſu temporis, tunc ſequentur, quòd duæ erunt formæ eiuſdem morbi, nam vna erit cum morbus eſt in principio; altera cum inueteratur, quod non eſt dicendum, & nos quærimus vnam formam, quæ adſit à principio vſque ad finem.

Nũ ſit intẽperies hepatis calida, & humida ex Antonio Gallo

Cõfutatio.

Secundò morbus Gallicus ſanantur calefacientibus, & ſiccantibus; morbi autèm calidi non ſanantur calidis; & ſi dicant, vt dicebant alij, quòd talis intemperies dependet à materia, & quòd ad ablationem materiæ remouetur Gallicus, tunc ſequetur, quòd morbus Gallicus erit inflammatio, & conſequenter materia illa erit ſanguinea; ſi ſic; ergo Gallicus ſanabitur per ſectionem venæ; & vera eius curatio erit per ſectam venam; nos tamen videmus hoc eſſe falſum; nam etiam ſi bis, & ter ſecetur vena, tamen non ſanatur. Sequeretur etiam, ſi hoc eſſet verum, quod decoctum guaiaci non ſanaret morbum Gallicum, ſine inedia, quod eſt falſum, nam exhibui ego cum pleniori victu, & optimè fecit: verùm tamen eſt, quòd ſi coniungatur inedia, felicius agit, non tamen inedia ſola ſanat Gallicum morbum; ſed benè guaiacum per ſe ſolum id poteſt facere: Itaque falſa eſt opinio, quòd natura morbi Gallici ſit intemperies calida, & humida: ſicut falſa, & omnium peſſima eſt opinio aliorum, qui dicunt morbum Gallicum eſſe intemperiem frigidam, & ſiccam; & eorum fundamenta ſunt ita debilia, vt non egeant confutatione; ſed minus omnibus probandi ſunt illi, qui diſtinguunt morbum Gallicum penès materiam, dicentes alium eſſe ſanguineum, alium bilioſum, alium melancholicum, alium pituitoſum; Omiſſis igitur opinionibus his, videamus, quæ ſit vera natura morbi Gallici. Itaque reperio, & vos etiam reperiſſe puto, & nouiſſe, non vnum tantum eſſe genus morborum, ſed aliquot ſunt, qui conſiſtunt in ſola temperatura partium, & ſunt, vel caliditates, vel frigiditates, vel ſiccitates, vel humiditates, & hæ temperaturæ, vel ſunt mixtæ, vel non, vel ſimplices, vel compoſitæ, & qualeſcumque fuerint conſtituunt vnum genus morbi pertinens ad qualitatem, id eſt ad temperaturam. Alij ſunt morbi, qui referuntur ad compoſitionem, & ſunt, vel in numero, vel in quantitate, vel in ſitu, vel in figura, & cætera, qui pariter morbi aliquando ſunt ſimplices, aliquando compoſiti: & hi dicuntur morbi inſtrumentales, ſub quo morborum genere continetur & ſolutio continui; an verò ſolutio continui ſit morbus communis, vel inſtrumentalis, non eſt hic locus, vt diſquiram.

Sanari Gallicum cum Guaiaco ſine inedia.

Neque eſſe intemperiẽ frigidam, & ſiccam.

Inueſtigatur vera cauſa

Plura ſunt genera morborum.

Primum.

Secundum genus morborum.

L 3 Tertium

Tertiũ genus ex tota ſubſtãtia

Tertium eſt genus morborum, quòd non poteſt referri, neque ad temperaturam, neque ad compoſitionem, conformationemvè, & ſi referatur ad aliquod dictorum generum nõ quadrat; n c definitio ei competit, nam morbi, qui ſub hoc tertio genere continentur, ſunt tales, vt in ipſis nulla appareat mutatio temperaturę, nec conformationis, quales ſunt morbi, qui oriuntur ex maleficijs, dantur enim & mulieres, & animalia malefica, quales ſunt, & morbi orti ex venenis, & ex malis aſpectibus: hi omnes morbi ad nullum dictorum duorum generum poſſunt referri: nam intemperies ſiue ſint magnæ, ſiue paruæ, ſiue ſimplices, ſiue compoſitæ, habent certiſſima ſigna, quibus cognoſcuntur: ſimiliter in corpore adſunt ſigna certiſſima, quibus cognoſcuntur morbi in compoſitione, vt morbi, qui ſunt ſub tertio genere non habent certa ſigna, quibus cognoſcantur: hoc cum viderint medici doctiores, vocarunt hos morbos contentos ſub tertio genere morbos ex tota, vel in tota ſubſtantia, quaſi quòd morbus huius generis ſit affectio non in intemperie, aut inconſtructione, ſed in proprietate, vel forma conſiſtens; vnde triplex erit morborum genus; alij in qualitate, ſcilicet in intemperie; alij in conformatione; alij in tota ſubſtantia, & hi, qui ſunt ex tota ſubſtantia cognoſcuntur tribus modis: nam eorum natura eſt talis, vt primò non cedat alicui medicamento, vel remedio, hac, vel illa qualitate agenti, & inuenta ratione, & methodo, quod non eſt de illis morbis, qui ſunt in intemperie, & in compoſitione nam ipſi cognoſcuntur per certa ſigna, & ſanantur medicamentis ratione, & methodo inuentis.

Morbi ex maleficijs orti.

Morbi ex tota ſubſtãtia tribus modis cognoſcũtur.

Secundum, quod eſt in natura morborum, qui ſunt in tota ſubſtantia, eſt, quod ſemper afficiunt partem aliquam principem, non autèm marum, vel ſimilem aliam partem tantum, ſed vt plurimum partem aliquam principalem; vt vel cerebrum, vel cor, vel hepar, vel aliam nobilem partem, faſcinationes enim, aut hepar, aut cerebrum inficiunt, ſicut morbi ex veneno afficiunt cor. tertium requiſitum in natura horum morborum eſt, quòd non indiſtinctè afficiunt hanc, vel illam principem partem, ſed determinatam, cum qua habent inimiciriam, & analogiam quandam. vnde videmus ictum venenatorum animalium, qui eſt morbus in tota ſubſtantia, non afficere cerebrum, vel hepar; ſed ſtatim ſpiritus vitales, & tandem cor ipſum; videre analogiam, quam habent morbi hi cum determinata parte principe; ſi quis etiam induat ſe veſtem alicuius, qui paſſus ſit marcorem, id eſt phtiſim, ſtatim inficitur pulmo, & nulla alia pars; nunquam enim videbitis, quòd afficiatur alia pars, ſed pulmo tantum, quoniam cum ipſo habet inimicitiam, & analogiam propriam; talis eſt natura morborum ex tota ſubſtantia, vel in tota ſubſtantia conſiſtentium, vt non cedant remedijs methodo, & ratione inuentis, afficiant partem aliquam principem, & non omnem principem partem, ſed determinatam: & ex his tribus cognoſcuntur morbi, qui ſunt in tota ſubſtantia; videamus modo an hæc inſint noſtro Gallico morbo, & conſulamus antiquos illos medicos, qui fuerunt temporibus illis primis, quibus cæpit regnare talis labes: ſi legatis chirurgos aliquos, qui de Gallico morbo ſcripſere, videbitis quantum ipſi hæſitabant in curatione talis morbi, & aliquos nebulones reperietis qui ineptiſſima ſcripſere; aliquos etiam reperietis, qui ex arte tentarunt curare hunc morbum medicamentis arte, & ratione inuentis, ac ſi eſſet intemperies, & nihil vnquam fecerunt & nullum medicamentum repertum eſt antè vſum guaiaci, vel ſalſæ pariliæ, vel argenti viui, quod potuerit talem morbum ſanare, & inter cæteros medicos vnus fuit Antonius Beniuenius Florentinus, qui ſcripſit libellum aureum de abditis rerum cauſis, in quo teſtatur ſe inſtituiſſe curationem morbi Gallici tamquam intemperiei calidæ, & ſiccæ per ea, quæ ratione, & methodo ſunt inuenta, tamen nunquam potuit ſanari; id ipſum & multi alij contenderunt, & numquam res ſucceſſit: hæc autem eſt vna ex illis conditionibus, quæ ſunt in morbis à tota ſubſtantia, vt non cedant medicamentis arte, & methodo inuentis, ſed caſu, & experientia dumtaxat repertis; quòd hoc ſit verum, patet ex Galeno, in decimotertio methodi, capite ſexto, vbi loquens de mitigatione doloris, atque de remediorum inuentione, inquit, quòd ſi dolor fiat ab ijs, quæ tota ſubſtantia lædunt, non autèm ab ijs, quæ qualitate, vel alio modo dolorem faciunt, non poſſumus ipſum ſedare, niſi applicemur ea, quæ tota ſubſtantia agunt, & experientia ſint inuenta, nõ autèm ratione; cum itaq; morbus gallicus non potuerit alio auxilio ſanari, præterquam ijs, quę tota ſubſtantia agunt, & caſu, vel experientia ſunt inuẽta neceſſe eſt dicere, ꝙ morbus gallicus ſit affectio in tota ſubſtantia, & eò magis, quia competunt ſibi aliæ duæ conditiones requiſitæ ad morbos, qui conſiſtunt in tota ſubſtantia, nam occupat partem principem, & illam quidèm determinatam, quę eſt hepar, vt ſupra probauimus; cur autèm inficiat potius hepar, quàm aliam partem Montanus venuſtiſſimam propoſuit rationem, & inquit quod dum quis cognoſcit mulierem aliquam infectam partes confricatæ incaleſcunt, ſiue ſint labia, ſiue etiam aliæ, & quia ad has partes laxas, & molles declinant capillamenta venarum, & arteriarum; idcirco ſpiritus infectus communicatur venis, & arterijs, & ab ipſis defertur ad hepar; cum autèm venæ ſint laxiores, molliores, & tenuiores, quàm arteriæ, nam arteriæ ſunt duplo, & triplo duriores,

Cur hepar potius afficiatur, quã alia pars.

&

& craſſiores, quàm venæ; hinc eſt quod non arteriæ, ſed venæ imbibunt ſpiritum illum noxium; & ideo non cor; ſed hepar inficitur, quia venæ ſunt non cordis, ſed hepatis inſtrumenta, & ad ipſum deferunt malum illum ſpiritum: Domini ratio hæc videtur venuſta, & conſentit cum principijs poſitus à Montano, qui ſupponebat morbum gallicum eſſe intemperiem calidam, & ſiccam, quo dato, & poſito facilius communicaretur affectio hepati per venas, quàm cordi; ſed hęc ratio non conſentit cum principijs à me poſitis: nam cum ego ſupponam gallicum eſſe morbum in tota ſubſtantia, neceſſariò habet analogiam ad hepar, & non eſt neceſſe, quòd propter mollitiem venarum inficiatur hepar, & non cor: quod hoc ſit verum oſtendo, ſi quis pertundatur à vipera in crure, vel in alia parte, ſtatim communicatur venenum cordi, etiam ſi in crure ſint venæ, & arteriæ, & arteriæ magis lateant, quàm venæ; & ideo deberet venenum potius communicari hepati, quàm cordi; & ideo non eſt dicendum, quòd mollities venarum ſit in cauſa; ſed fit propter inimicitiam, quæ eſt inter venenum, & cor. Præterea oriuntur pueruli ex vtero matris infecti morbo gallico, & vidi ego aliquot, quorum cutis erat ita exuſta, & affecta gallico, vt pueruli viderentur cocti, & in ipſis ſunt certiſſima ſigna morbi gallici, tunc non poſſumus dicere, quod ob mollitiem venarum morbus gallicus in ipſis occuparit hepar, & non cor, nam geniti, & nutriti ſunt ex menſtruo ſanguine, & nouem menſes fuerunt in vtero; quomodo ergo in tanto temporis ſpatio cor & ipſum ſaltem ſecundario non eſt affectum gallico? certè non poteſt reſpondere Montanus huic rationi: quare non eſt neganda analogia. colligo igitur, & dico Morbum gallicum eſſe malignam hepatis affectionem in tota ſubſtantia conſiſtens, qui ad ſpiritus naturales analogiam habet, cui vt plurimum incipienti ob calorem putredinalem intemperies calida coniungitur; ſeneſcenti verò calida, & ſicca ob reſolutionem humidi innati hepatis, niſi habitus totius corporis, vel hepatis reſiſtat, ſed notate vnum, quod accidit etiam in alijs morbis à tota ſubſtantia, & eſt quod cum patitur pars aliqua princeps, ſpiritus illius partis feruent, & faciunt ebullitionem in illa parte, & ipſam calefaciunt; vnde omnis morbus à tota ſubſtantia agitat ſpiritus, & concitat feruorem in parte, cuius eſt affectio propria, vt patet ex eo, quòd ſi quis induat veſtem contagioſam, ſtatim recepto contagio in corde fit feruor, in ipſo, & febris peſtilens; febris autèm illa non erat in veſte; ſed in ipſa erant corpuſcula virulenta, quibus communicatis cordi ſuccedit ſtatim feruor, & febris: ſed febris non eſt primus morbus, at eſt quid conſequens ad labem illam. Idem fit ſi quis induat ſe veſte alicuius phtiſici: ſtatim enim, communicata affectione pulmoni, efferueſcunt, & ebulliunt ſpiritus pulmonis, & exulcerantur, hoc idem fit in hepate, nam ſtatim ſpiritus in ipſo ebulliunt, nam ad ipſos ſpiritus habet analogiam gallicus morbus, ita vt ipſi ſint, qui primò patiantur, hoc cum ita ſit non eſt negandum in morbo gallico eſſe intemperiem aliquam: immo hoc negare, eſſet negare Euangelium, nam ſtatim cum infecti ſunt ſpiritus, & viſcus, fit calefactio, & ebullitio, nam in principio morbi Gallici ferè ſemper eſt coniuncta calida intemperies; ſucceſſu autèm temporis cum caliditate iungitur ſiccitas, quia bulliente ſpiritu ſiccantur, & abſumuntur humiditates inſitæ; vnde vt plurimum in morbo Gallico perdurante, eſt coniuncta ſiccitas, & caliditas; dico vt plurimum, quoniam accidit aliquando, ſed rariſſimè, vt hepar in aliquibus ſit ſua natura ita frigidum, & humidum, vt non appareant ſigna intemperiei calidæ, & ſiccæ eò, quòd obtundatur ab humiditate, & frigiditate viſceris: ſimiliter aliquando accidit, vt in principio non ſit caliditas propter eandem rationem: accidit etiam interdum, ſed rarò, vt morbus gallicus tamdiu perduret, vt intemperies calida, & ſicca permutetur ad frigidam, & ſiccam; dixi autèm non temere morbum gallicum habere analogiam ad ſpiritus naturales, quod colligo ex varijs rationibus, & primò quia video, quòd ſi quis ſemel tantum, cum aliqua infecta coeat ſtatim, & quaſi in inſtanti afficitur gallico; hoc non accidit quidèm in omnibus, ſed in aliquibus, etiam ſi ſint robuſti; vnde colligo, quòd morbus iſte neceſſariò habet pro ſubiecto, vel humorem tenuiſſimum, vel ſpiritus, aliter non tam citò communicaretur affectio; & ideo cogor dicere, quòd medium organum morbi gallici eſt ſpiritus naturalis: ergo datur ſpiritus naturalis, ſecundum me non eſt dubium quod detur, & oſtendam, ſi aliquando dabitur occaſio: eſt & alia ratio; nam reperi ſæpe ingenuos, & fide dignos viros qui libere fatebantur ſe laborare morbo gallico, & ita erat, tamen aſſerebant ſe nihil vnquam paſſos fuiſſe in pudendis; nec in alijs partibus, qua ratione actus medicus quidam eximius Fauentinus, qui Bononiæ ſummo cum honore profitetur, putauit morbum gallicum aliquando prouenire à cœlo, nam videbat moniales quaſdam laborare gallico, quas ſciebat non cognoſcere viros, ſed non ſciebat, quod cognoſcere poterant fœminas. nam & ex mulieribus infectis contrahitur gallica labes, vel per oſcula, vel per contactum, vel alia ratione. Tertio vidi iuuenes, qui vna die coiuerant ſemel tantum cum infecta muliere, altera die oborti ſunt bubones, & nihil aliud præceſſit; omnes autèm dicunt bubones fieri, quia hepar moleſtatum expellit humores, quos in ſe habet, quomodo ergo, & qua via ingreſſa

Impugnatur dicta ratio Montani.

Definitio morbi Gallici.

Notandũ in morbis à tota ſubſtantia.

In morbo Gallico ſeper eſſe intemperiem aliquam.

Morbum gallicũ habere analogiam adſpiritus.

Digitized by Google

Spiritus eſt immediatum inſtrumentū partium corporis in actionibus naturalibus.

greſſa eſt in hepar labes illa, niſi per ſpiritus? Vltimo Actuarius non ille, qui ſcripſit de medicamentis, Empiricus enim fuit: ſed alius vir doctiſſimus, & fortaſſe fuit ille, qui ſcripſit de vrinis. Actuarius igitur, in primo lib. de affectibus ſpiritus animalis. cap. 15. inquit, quòd robur naturale partium conſiſtit in robore ſpiritus illius partis, qui ſpiritus eſt immediatum inſtrumentum partium corporis in actionibus naturalibus, eius verba ſunt hæc: Robur actionum naturalium ab hoc ſpiritu prouenit, & ſpiritus ſunt organa propria omnis facultatis animæ; vnde cum videtis robur alicuius partis in actionibus naturalibus eſſe diſſipatum, dicatis ſtatim diſſipatos eſſe ſpiritus partis illius, & corruptos. cum itaque videamus robur hepatis in actionibus naturalibus eſſe diſſipatum, nam cum quis corripitur gallico, amittit appetitum coeundi, & concidunt omnia, percipitque laſſitudinem, & grauedinem quandam in omnibus partibus: cum itaque hæc adſint, neceſſe eſt dicere ſpiritus „ naturales eſſe diſſipatos, qui ſunt principium roboris facultatis naturalis; ex quibus omni„ bus colligo, & præcipuè ex vltima ratione, quæ potiſſima apud me eſt, colligo inquam gallicum morbum habere analogiam cum ſpiritu naturali; in ſequenti modò agemus de cauſis, & videbimus per quas partes recipiatur gallicus morbus, & quo modo deinde agemus de ſignis, & de reliquis, quæ ſequuntur.

Gallicus morbus quas habeat cauſas quo modo contrahatur, & per quas partes. Cap. XXXVII.

Cōtagium quomodo fiat.

GAllica affectio hepatis propria eſt tota ſubſtantia illud afficiens ſemper coniuncta ob feruorem contractum cum intemperie, vel calida, & ſicca, natura verò affectus eſt talis, vt ſit corruptela, & putrefactio quædam conſiſtens in toto temperamento, vel in tota ſubſtantia viſceris, quæ labes talis habet cauſas, & hoc modo contrahitur. Dicunt omnes, quòd excitatur per contagium, & quòd contagioſa eſt affectio, qui autèm ſint contagioſi morbi, vos nouiſtis, ſunt enim illi omnes, qui excitantur per contactum corporis morboſi: talis eſt morbus gallicus, nam contrahitur ex contactu inter corpus ſanum, & infectum, & omnes fatentur, quòd excitatur per contagium: in morbis autèm omnibus contagioſis requiritur, vt ſubſtantia eiuſdem met morboſi corporis communicetur corpori ſano, alioqui non eſſent morbi contagioſi, verbi gratia, ſcabies eſt morbus contagioſus, quia quoddam corpus ſubſtantificum communicatur ex corpore ſcabioſo corpori ſano, dum ſe contingunt: ita, & peſtis fit per communicationem ſubſtantiæ à corpore, ægro, vel ab aere, & c. ipſi corpori ſano. Iam videamus quomodò, & per quas vias ſubſtantia hæc virulenta communicetur ſano corpori, & inficiatur: ſolent corpora prçcipuè pati, dum feruent incaleſcuntque, nam ex eis diſſoluuntur, & ſeparantur corpuſcula quædam minima fuligineſuè, quæ eandem ferè naturam ſapiunt cum ſubiecto corpore, ex quo diſſoluuntur, & attolluntur, & talia corpuſcula habent ferè eaſdem qualitates, & temperiem cum corpore ipſo, ex quo efferuntur; dixi ferè, quoniam aliqualiter variant: quod hoc ſit verum, patet ex odore, nam odores nihil aliud ſunt, quàm corpuſcula eiuſdem ferè ſubſtantiæ, & qualitatis cum re, ex qua ſeparata ſunt; & niſi hoc eſſet, ſciatis, quod bruta animalia, quæ pollent odoratu, non cognoſcerent odore bonitatem, & malitiam ciborum. Itaque corpuſcula eleuata, & ſeparata à noſtris corporibus ſunt eiuſdem ferè qualitatis, & ſubſtantiæ cum corporibus, ex quibus diſſoluta ſunt; & hæc corpuſcula eleuata ab infecto corpore ſunt illa, quæ generant morbum per contagium; ſed modo ſæuiorem, modo mitiorem, nam corpuſcula cum ſeparata ſunt ex corpore infecto miſcentur aliquando puri, ſeu ſaniei, aliquando hærent veſtibus, aliquando miſcentur cum ambiente aere tantum, & attracti per os ad pulmonem faciunt phtiſim; ſimiliter ſi quis geſtet veſtem alicuius infecti corpuſcula illa incaleſcunt, & penetrant per corpus, inficiuntque, & putredo hærens determinatæ parti eam afficit, & quamuis omnia corpora tam ſana, quàm ægrotantia exhalent, tranſmittantque ex ſe fuligines, & corpuſcula minima, quæ miſcentur, vel cum pure, vel hærent veſtibus, vel miſcentur aeri, tamen non omnis exhalatio oborta eſt apta ad generationem morbi, ſed illa tantum, quæ ex corpore infecto attollitur, infecto inquam mala affectione: ſed in morbis ipſis contagioſis datur gradus, nam aliqui ſunt maximè rebelles, & ſummam in ſe corruptelam habent; & hi fiunt ex mala exhalatione mixta cum ambiente, & attracta per os ſani corporis, vt accidit in peſte; quæ morbus eſt in tota ſubſtantia, & tantam in ſe corruptelam habet, vt ſolus aer prægnans corpuſculis illis malis inficiat ſana corpora; hoc autèm non eſt in morbo gallico, neque enim per aerem aliquis vnquam eſt infectus; & ſi corpuſcula elata

Corpora ſolēt pati dū feruent, & incaleſcūt.

Odores quid ſint.

Gradus quidam in morbis contagioſis.

ex

Digitized by Google

ex corpore patiente gallicum, & mixta cum aere poſſent inficere medio aere ſana corpora, malè ageretur mecum, & cum ſeruis atque aſtantibus laboranti gallico. Alij ſunt contagioſi morbi, qui oriuntur non ratione aeris mixti cum corpuſculis illis infectis, ſed ratione veſtium, quibus corpuſcula hærent, & quamuis veſtes non contangant corpus, tamen poſſunt inficere, quia ſat eſt, vt corpuſcula incaleſcant, & exhalatio penetret per nares, vt fit in phtiſi: vnde ſolius pallij, nedum induſij, ideſt camiſiæ, geſtatione alicuius infecti aliqui contrahunt affectionem: talis non eſt morbus gallicus, multi enim ſunt, qui geſtarunt veſtes hominis laborantis gallico, immò multi dormiuerunt cum eis, attamen non ſunt infecti: dummodo ex corpore infecto, quo cum ſanus homo dormit non effluat ſanies, quæ hæreat corpori ſano; vnde inter contagioſos morbos gallicus eſt mitior, quia habet contagium magis materiale, nam non fit per communicationem corpuſculorum ex aere, nec ex veſtibus, ſed ex pure, ſanievè, & ex hoc, quòd gallicus morbus eſt contagioſus, colligatis certò, quòd eſt morbus in tota ſubſtantia; & ſi non adeſſet alia ratio ad hoc probandum, hæc deberet ſufficere, nam morbi contagioſi fiunt per communicationem ſubſtantiæ; & ideo ſunt morbi ex tota ſubſtantia, talis quoque neceſſariò eſt gallicus, cum fiat per communicationem ſubſtantiæ, nimirum ſaniei, & per ſaniem intelligo, non ſolum purulentum, & cruentum humorem, ſed etiam ſaliuam, ſputum, ſudorem, & omnem humiditatem, quæ prægnans ſit corpuſculis illis prauis elatis ex infecto corpore; vnde contagium erit cauſa externa ipſius morbi gallici, internæ autèm erunt debilis vis ſpirituum naturalium; atque debilitas hepatis: ſed quomodo ſanies hæc contagioſa communicatur corpori ſano? dico per contactum, ſanies autèm, vel humiditas hæc poteſt haberi, & reſudare varijs ex locis, & primò ex ore, plures enim ſunt, qui gallico inficiuntur ſolis oſculis, præcipuè ſi labia vnius iungantur labijs alterius, vt incaleſcant; nam multi ſunt, qui patiuntur vlcuſcula gallica, in palato, vel genis, ex quibus emanans contagioſa ſanies communicatur palato ſani hominis, & ipſum inficit, aliquando homo gallico laborans non habet vlcera, nec in palato, nec in genis, tamen ſemper aliquid ſaliuæ reſudat ex illis partibus, quæ ſaliua tranſmittitur ex ventriculo, vel ex capite, vel ex toto etiam corpore, & cum prægnans ſit malis illis corpuſculis, inficit hominem ſanum; hic ergo eſt primus locus, vnde reſudat talis ſanies: ſecundus eſt circa mammas, puerulı enim ſugentes lac infectę nutricis, quod lac refertum eſt malis corpuſculis, contrahunt ſæpe labem gallicam, & luunt pœnas ante peccatum: Tertius locus ſunt pudenda omnia, tam virilia, quàm muliebria, & tàm anteriora, quàm poſteriora, quæ ſolent aliquando exulcerari, & ſaniem prægnantem malis corpuſculis gignere, quæ ſanies communicata huic, vel illi parti excitat affectum. Vltimò addatis cutim ipſam, quæ quamuis coriacea ſit, foraminibus tamen tota ſcatet, ita vt facile per meatus poſſit communicari ſanies, vel ſudor, ſiquis amplexetur infectum corpus, & caſu ex illo emanet ſudor, vel ex vlceribus, quæ patitur, effluat ſanies. Hi ſunt loci, ex quibus effluere poteſt ſanies prægnans malis corpuſculis. Iam communicetur ſanies hæc cuti, vel pudendis, & eam inficiat; ſed quomodo peruenit ad hepar? omnes dicunt requiri has conditiones ad hoc, vt penetret, & perueniat ad hepar, & prima eſt, quòd partes debent eſſe raræ, laxæ, & molles ſua natura; ſecundò debent ex appetitu fieri magis raræ, quam ſuaptè natura ſint, aliter non inficerentur partes ſolidæ; & non ſemper fieret penetratio; & ego poſſum eſſe teſtis certiſſimus: nam infinita tetigi gallica vlcera, & manuum internam faciem ſanie aliquando imbui, tamen ſum ita certus, quod non laboro gallico morbo, vti ſum certus quòd ſum in hac ſella, quod factum eſt, quia manus ſolidæ ſunt, ita vt ſanies non poſſit penetrare; cum itaque hæ conditiones requirantur non eſt mirum ſi per os, & labia, mammillas, & pudenda contrahatur gallica lues; & vidi ego miſeras nutrices, qui vna die ceperunt exhibere lac infanti gallico infecto, & altera, vel tertia die cõtraxere eandem affectionem; quoniam mammillæ, quas ſugit puer, laxæ, & raræ ſunt; talia ſunt, & pudenda, glandulæ, & præputium, ſedes poſterior, loculi muliebres, & cutis ipſa; verum non ſufficit raritas, & laxitas partium, nam multi ſunt, qui dormiunt cum homine, vel muliere infecta, eam contangunt, amplexantur, oſculantur, habent rem cum ipſa, tamē non contrahunt labem gallicam, & vidi ego coniuges plures nobiles, & ignobiles maximè infectos gallico, qui continuò dormierunt, & dormiunt cum ſuis vxoribus, habueruntque & habent rem cum eis, & tamen hę numquam infectę ſunt gallico, quod mihi videtur eſſe miraculum ſanctiſſimi coniugij, matrimonijvè; nam non poſſumus dicere, quòd in corpore muliebri non ſint partes laxæ. vnde autèm hoc fiat, dicam infra, cum ponam alias conditiones requiſitas. Itaque requiritur, vt partes non ſolum ſua natura ſint raræ, & laxæ, ſed etiam habeant organum delationis, quod deferat virus; vnde opus eſt, vt partes laxentur, rarefiant, & dilatentur aliquantulum vltra naturam propriam, dilatantur autèm, & rarefiunt magis, partim à calore, partim ex paſſione, ſeu affectu animi; ex quo affectu animi dicatis quantum ipſe faciat ad contrahendum gallicum: ego enim allocutus ſum cum iuuenibus,

Inter cõtagioſos morbos gallicus eſt mitior.

Morbi cõtagioſi fiũt per cõmunicationem ſubſtantiæ.

Sanies g.d.

Vnde reſudat humani ſanies.

Ex ore.

Ex mammis.

Ex pudendis.

Ex cuti.

Quomodo ſanies perueniat ad hepar.

Cõditiones vt fiat contagium.

Quæ cauſa aliqui afficiuntur ab eadem muliere, alij minime.

nibus,qui ſex,vel octo,& aliquando decem vna nocte omnes habuerunt rem cum vna eademque muliere gallico infecta,& tamen aliqui contraxere gallicum, aliqui non,licet in omnibus eſſent laxæ partes;nec poſſumus dicere,quod,qui primi coiuere,illi infecti ſunt, quia detulerunt ſecum quicquid boni aderat, non poteſt inquam hoc dici, quoniam vidi aliquando primum eſſe infectum, ſextum, & vltimum non: aliquando non primum, ſed ſecundum,& quartum;ſed hoc fit pro vt vnus eſt calidioris habitus,quàm alius,& in actione magis incaleſcit tum propter motum,tum propter affectum animi, quo calore fit, vt partes,quæ ſua natura raræ,& laxæ ſunt,magis dilatentur, & abſorbeant corpuſcula illa facillimè: aliquando calor contrahitur ob fricationem, ſunt enim aliqui, qui diu laborant antequam deſcendant,& eijciant ſemen;aliqui etiam citò ſe expediunt, & ita non incaleſcunt,ex quo fit,vt alij facilius,alij difficilius labem contrahant, quod etiam prouenit aliquando ex magnitudine,vel paruitate penis,& ex anguſtia, vel amplitudine pudendi muliebris,nam in his 14.vel 15.annis ex quo exerceo hanc artem,obſeruaui multoties, quòd ex decem millibus pudendis,quæ vidi infectorum hominum maiorem partem,& ferè omnes contraxiſſe gallicum, qui habebant penem magnum, & craſſum, neceſſe eſt enim vt magis incaleſcant, cum non ita facile, vt parui,penetrent in ſinum muliebrem; & ex quatuor,vel quinque,qui habuere rem cum eadem infecta muliere; obſeruaui, quod illi tantum contraxere morbum, qui magnum habebant pudendum.

Affectio animi multum valet ad morbum cõtrahendum.

Affectio quoque animi multum facit,ita vt ſi quis coeat cum muliere infecta, & illa ardeat amore illius impoſſibile ferè eſt,quin contrahat gallicum;& obſeruaui ego,quòd ſi plures ſint, qui habeant rẽ cum vna eademquè infecta, lõge facilius inficitur ille,ad quem animus mulieris inclinat, & quèm ipſa amat,quam alij;nam amor,& affectus ille animi eſt in cauſa, vt partes magis dilatentur ob calorem,qui contrahitur,tum ob fricationem,tùm etiam ob animi affectũ, & paſſionem,calor autèm eſt vehiculum malæ illius ſubſtantiæ;vnde beati mihi videntur illi,qui non amant meretrices;& ſi quando cum eis rem habent, coguntur potius neceſſitate naturæ,quam amore,quo illas proſequãtur.obſeruaui etiam, quòd; qui habent glandem penis totam,& ſemper detectam,difficilius contrahunt gallicum,quam, qui habent tectam, quoniam in illis cutis præputii, & glandis eſt ſolidior, & durior,ita vt corpuſcula non ita facile penetrent, & ita in illis difficilius contrahitur gallica labes per pudendum; vnde,qui circumciſi ſunt habent etiam hoc commodum, quod ſunt minus propenſi ad gallicum,vltra quod habebantur ex illis,qui ſunt de grege Dei. Hæ ſunt cauſæ, & talis eſt modus affectionis, vt recepto viru per partes laxas communicetur hepati, & inficiat ſpiritus naturales, & hepar in tota ſubſtantia. in ſequenti ,de morbis coniunctis cum morbo gallico,& de ſignis,quibus coguoſcitur,agemus,

Quæ ſint ſigna gallici morbi, tùm incipientis, tùm confirmati; & quæ ſymptomata, atque affectus ipſum conſequantur. Cap. XXXVIII.

Repetitur natura morbi Gallici breuiter.

GAllicus morbus labes eſt hepatis, tota ſubſtantia ipſum inficiens, per contagium acquiſita: contagium quidem per communicatam ſaniem: communicatur autem vel per contactum partium, vel pannis infectis, quæ cum ſcateãt tali ſanie,poſſunt communicare virus: communicatio autèm fit per partes laxas, ad quas etiam oſcula venarum pertingunt: tales partes ſunt os, mamma,pudenda, & cutis. Sed non ſolum naturalis laxitas,& raritas in his partibus requiritur, verum etiam oportet,vt aliquantulum vltra naturam propriam extendatur,& laxæ fiant,alioqui non reciperent virus: extenduntur autèm cum incaleſcunt: incaleſcunt verò per affluxum ſpiritus ad ipſas, per attritionem, & ob animi affectionem in illum,cum quo infecta mulier rem veneream habet, nam ſtatim calefactis his partibus communicatur ſanies,& virus illico tranſmittitur per venas ad hepar, & diſſipatis ſpiritibus naturalibus inficitur hepar: talis eſt natura morbi gallici,qui vnus, & idem eſt à principio vſque ad finem,& habet ſymptomata varia ſecum coniuncta: vnde ſi affectus, & ſymptomata,quæ ſecum habet coniuncta obſeruemus,poterimus dicere, quod morbus gallicus erit farago. ideſt multiplicitas morborum,ſed ſi obſeruemus naturam ipſius,nec non partem,quam afficit,quæ vna ſemper eſt à principio ad finem, ſicut & vna eſt morbi natura,non poſſumus dicere niſi,quòd morbus vnicus eſt,à principio vſque ad finem,primi autèm morbi,qui cum gallico coniunguntur,ſunt duæ illæ intemperies calida ſcilicet, & calida,& ſicca,ſed ſunt & alij affectus,& ſymptomata,quæ ſecum iunguntur, quæ inſeruient vobis etiam pro ſignis ad cognoſcendum gallicum morbum; & quia morbus iſte aliàs incipit

Morbus hic vnus eſt à principio ad finem.

Symptomata, quæ coniunguntur cum hoc morbo.

cipit,eſtque in fieri;& tunc facilis eſt curatio : aliàs eſt in facto eſſe,& confirmatus,tuncque curatu difficilis admodum eſt;ideo proponam vobis primò ſymptomata, quæ erunt pro ſignis,quando gallicus incipit,& recens eſt. Secundo loco proponam ſymptomata, quibus tanquam ſignis vtemini ad cognoſcendum gallicum morbum confirmatum. *Quæ ſymptomata ſunt pro ſignis morbi incipientis.*

Primum ſignum. Primum igitur ſignum, ſeu ſymptoma eſt laſſitudo quædam omnium membrorum, ſtatìm enim cum quis nouit mulierem infectam, & communicata eſt hepati virulentia, incipit laſſitudo quædam percipi in omnibus membris,leuis tamen laſſitudo eſt, & aggrauans;& cauſa huiuſmodi leuis laſſitudinis eſt diſſipatio ſpirituum,quia ipſi ſunt, qui addūt robur partibus,vt dicebat Actuarius,& ideo ipſis diſſipatis, fit, vt ſentiatur in toto corpore laſſitudo quædam,& grauedo;non autèm hoc fit à materia aliqua.

Secundum ſignum. Alterum ſymptoma eſt dolor quidam paruus,vagus tamen, ita vt breui ſpatio temporis totum vagando occupet corpus,nam aliquando perſentitur in humero,& inibi parum perdurat:ſed tranſibit ad crura,& inde ad alium articulum; ita quod ſpatio duarum horarum vagabitur per totum corpus,& iſte dolor indicat gallicum morbum incipientem; ſit autèm dolor iſte à vapore quodam ſatis acri;nam incipiente morbo gallico ſtatim incipit feruor in hepate,ex quo fit,vt acris vapor efferatur, & per venas tranſmittatur, modò ad hanc modo ad illam partem,& faciendo aliquam ſolutionem continui excitat leuem dolorem.

Tertium ſignum. Tertium ſymptoma eſt faciei color immutatus, color autèm in morbo gallico duobus modis immutatur, vel ad pallidum, vel ad atriorem; ſed immutatio naturalis coloris ad nigricantem non accidit,quando gallicus incipit,& recens eſt; ſed quando cōfirmatus eſt, quia tunc exuritur ſanguis : at illi qui incipiunt pati gallicum ſiūt pallidi : & cauſa eſt, quia ſanguis retrahitur,& cum eo ſpiritus ad hepar,quoniam hepar incipit pati, ad quam retractionem ſequitur faciei pallor,cui pallori ſuccedunt circuli liuidi, vel nigricantes in inferiori ambitu oculorum;quales ſunt circuli in eiſdem locis apparentibus, quando mulieres habent purgationes menſtruorum,quos circulos vocant marcheſios vulgò, fortaſſe à marchia mercatorum,quæ eſt ſigillum quoddam eo,quòd eiuſmodi circuli ſint veluti notæ,& ſigna purgationis menſtruæ· tales quoque circuli apparent in eo, qui patitur gallicum morbum; ſed in morbo quidèm incipienti ſunt pallidi; in confirmato autèm ſunt atriores,quia in confirmato morbo ſanguis eſt exſiccatus,& exuſtus.

Quartum ſignum. Quarto cum iuuenis aliquis incipit pati morbum gallicum inſpiciatis ei uolas manuū, & ſi habitus iuuenis erit ſanguineus calidus,ſcilicet,& humidus,uidebitis, quod ſtatìm cū incipit pati gallicum morbum,uolæ manuum fient ſibi rubicundæ, hoc enim obſeruaui perpetuò accidere in principio uſque ad tres,uel quatuor dies, & uſque ad decem aliquando;ſed in habitu tantum ſanguineo : ratio autèm huius rubedinis non conſuetæ eſt, quia incipiente gallico ſtatim fit feruor in hepate,& facto feruore in hepate quamprimum feruor ille communicatur extremis partibus,vt volis manuum, & plantis pedum;vnde ſignū certum hepatis calidi,& humidi apud medicos ſolet eſſe calor extremarum partium, & præcipuè volæ manuum, vel plantæ pedum, feruor igitur,qui fit in hepate incipiente gallico,eſt in cauſa, vt volæ manuum contrahant ruborem præter conſuetudinem: & hoc(vt dixi) ego obſeruaui accidere in habitu tantùm ſanguineo primis diebus cum incipit morbus gallicus.

Quintum ſignum. Quintum ſignum,& ſymptoma incipientis morbi gallici eſt ſomnolentia magna perdurans noctu,& die,quæ fit,quia ex feruore incitato in hepate attolluntur vapores craſſi ad caput,& ſunt tales vt poſſint obſtruere,& ſomnolentiam gignere, non autem in cerebro intemperiem introducere,quia nondum ſunt exſiccati.

Sextum ſignum. Sextum ſymptoma eſt,corporis quædam pigrities, quæ refertur ad laſſitudinem illam: videbitis iuuenem agilem,qui ſi habeat rem cum infecta,& incipiat pati labem gallicam, ſtatìm reddetur ſegnis,& torpidus, quod fit, quia diſſipati ſunt ſpiritus naturales, hæc eſt vna cauſa: Secunda eſt quoniam vapores ex hepate petunt cerebrum, & neruos, & cum virulenti vapores ſint,diſſipant etiam ſpiritus animales aliqualiter,& inficiunt muſculorū ſpiritus : vnde ſequitur corporis pigrities.

Septimum ſignum. Septimum eſt mœror quidam animi leuis,ſtatim enim cum iuuenis inficitur, videbitis quòd ſit mœſtus,etſi ab ipſo petatis vnde mœror ille ,neſcit cauſam vllam reddere : cauſa autèm huius mœroris,& omnium aliorum ferè ſymptomatum,quæ accidunt in incipiēti gallico morbo,eſt vapor ille malus eleuatus ex hepate ob excitatum feruorem.

Octauum ſignum. Octauum eſt febricula quædam leuis,quam in pluribus, in quibus incipiebat gallica affectio,vidi : & fit ex feruore illo : ſed hoc ſymptoma non eſt frequens.

Nonum ſignum. Nonum eſt gonorrhæa ; ſed oportet vt diſtinguatis inter gonorrhæam, quæ fit ratione morbi gallici incipientis,& aliam, quæ frequentiſſime accidit alia ratione, nā & ex nimio coitu accidit gonorrhæa,eo,quòd laxantur vaſa ſeminalia: vidiſtis in anatome progreſſus

quoſ-

quoſdam, quos vocabam varicoſos, & ſunt geminæ veſiculæ appenſæ ceruici veſicæ vrinariæ, quæ ſemper turgent ſemine, & habent meatum, qui deſinit in canalem penis, in quē excernunt ſemen; quando igitur hæc vaſa, ſeu veſiculæ laxantur, effluit ſemen, & fit gonorrhæa; laxantur autèm dilatanturque, vel propter intemperiem calidam, vel humidam laxantem, vel ob acridinem ſeminis, quibus omnibus de cauſis accidit profluuium ſeminis, quod profluuium non eſt gonorrhæa gallica; nam gallicum profluuium accidit propter contagium, eo quòd ex loculis mulieris eleuetur vapor malus, qui petens veſiculas illas laxet eas quadam ſua mala qualitate, & natura, & ſit in cauſa gonorrheæ: quod hoc ſit verum, ſcilicet, quòd gonorrhea gallica ſit contagioſa, & differens ab alia, indicat ipſa curatio, nam alia gonorrhæa curatur refrigerantibus, ſiccantibus, & aſtringentibus; hæc autèm gallica licet talibus medicamentis aliquantulum leniatur, nunquam tamen ex toto ſanatur; ſed ſanatur eodem modo, quo & morbus gallicus; ſed quomodo cognoſcam ego, diceret aliquis, gonorrhæam gallicam ab alia? hoc opus, hic certè labor eſt, & ego, vt ingenuè fatear non habeo aliquod certum ſignum, quo poſſim in principio vnam ab alia dignoſcere: ſed habeo tantum duas coniecturas, & vna eſt ſi ſciam iuuenem aliquem frequenter, & ſæpius vna nocte coiuiſſe, & tamen nunquam contraxiſſe gonorrhæam, deinde coeat ſemel tantùm cum aliqua, de qua ſit ſuſpicio aliqua, quod laboret gallico, & ſtatim iuuenis incidat in gonorrhæam, tunc ego ſuſpicor, & coniecto gonorrhæam illam eſſe gallicam. Secunda coniectura eſt, quòd ego obſeruaui, quod in illis, qui patiuntur gonorrhæam gallicam, non ita crebro erigitur noctu penis, ſicut in illis, qui patiuntur gonorrhæam alia ratione; quoniam ſemen non eſt ita acre; & ita minus ſtimulat; & ſic non ita crebrò fit tentigo; at in illis, qui laborant gonorrhæa ex laxatione vaſorum illorum, vel ex ſupercalefactione ſeminis, & eiuſdem acredine, ſæpiſſimè in nocte ſolet erigi pudendum, ſoletque abradi exulcerarique canalis, & dum mingunt, percipiunt dolorem, & mordicationem. hoc ego obſeruaui; ſed non eſt perpetuum ſignum, nec vllum habeo certum, quo diſtinguam in principio vnam gonorrhæam ab altera: at ſucceſſu temporis dignoſcuntur, quia ea, quæ gallica eſt, non cedit, tamen ſciatis, quòd gonorrhæa gallica eſt inter ſigna gallici incipientis, & ſi eritis certi, quòd gonorrhæa ſit gallica, & non alia; certi etiam eritis, quòd morbus gallicus eſt in principio; nam fit gonorrhæa gallica, quia contagium petijt vaſa ſeminalia, & diſſipauit partium illarum robur.

Decimum ſignum. Caries duplex.

Decimum ſymptoma eſt caries, caruolo, vel carulo vulgò dicta, qua ſæpe coronantur pudenda; ſed notate, quòd caries eſt duplex, vna gallica, altera non gallica, & cum agam de curatione gallicæ cariei, ponam vobis ante oculos ſigna, quibus ipſam diſtinguatis ab alia; ſi quis igitur coeat cum muliere infecta, & poſt vnum, vel alterum diem incipiat in pudendis pati vlcuſcula, parua, leuia, non calloſa, indicatur morbum gallicum adhuc incipere, nam fiunt vlcuſcula illa ob communicatam ſaniem partibus illis, nam ſi quis poſt quam coiuit, non abluat glandem, & virus retineatur inter præputium, & glandem, fit ita acre virus illud, vt poſſit non ſolùm penetrare, ſed etiam erodere ſubiectam illam partem cui hæret; hæc eſt vna cauſa talis cariei, quæ naſcitur poſt coitum ſtatim, poſt vnam noctem, vel poſt integram diem, quando ſcilicet caries fit ex viru, & contagio; altera cauſa huius cariei eſt talis, quando virus communicatur hepati, fit vt hepar ſtimuletur, & ita facultas illa expultrix inſurgat ad expulſionem, & quia expulſio eſt facilior per eaſdem vias, per quas factus eſt acceſſus contagij, & virus, ideo tranſmittit virus ad pudendi glandem, & eam exulcerat, & hoc accidit quandoque, poſt vnam noctem, uel diem, quandoque poſt tres, uel quinque, uel decem, & quandoque poſt viginti dies. Itaque caries leuis, parua, non calloſa, nec dura, accedens uel ſtatim poſt coitum, uel poſt aliquot dies, eſt ſignum incipientis morbi gallici:

Vndecimū & vltimū ſignum.

Vltimo accidit aliquando, ut expultrix hepatis facultas ſit ita valida; ut non ſolum expellat ſpiritus, & ſaniem malam; ſed etiam humores, qui tunc temporis reperiuntur in hepate ſuperabundare, ſiue ſint bilioſi, & calidi, ſiue frigidi expellat inquam ad deſtinatas partes nimirum ad inguina, & fiunt bubones, aliquando calidi, aliquando frigidi, prout materia uaria eſt, qui bubones in gallico incipiente ſunt parui, non doloroſi admodum, nec ualde duri;

Repetūtur ſigna, & ſymptomata dicta.

Hæc ſunt ſigna, & ſymptomata ſimul ſequentia morbum gallicum incipientem, & qui eſt ad huc recens: & talis morbus facilè ſuperatur, contra autèm, qui confirmatus eſt. primum ergo ſymptoma conſequens morbum gallicum incipientem, & inſeruiens ad cognitionem ipſius, eſt laſſitudo quædam. Secundum eſt dolor quidam uagus. Tertium color faciei mutatus ad pallidum. Quartum rubedo partium internarum ipſarum manuum, & pedum. Sed hoc accidere obſeruaui in ſanguineis tantum. Quintum eſt ſomnolentia. Sextum eſt animi mœror, & angustia quædam. Septimum febricula quædam, quæ aliquando ſuperuenit. Octauum gonorrhæa quædam gallica, quæ quomodo dignoſcatur ab alia gonorrhea quibuſdam leuibus coniecturis docui.

Nonum eſt caries pudendorum, non admodum dura, nec calloſa, leuis, non uehemens,

nec

nec ſerpens. Vltimo ſunt bubones leuiores, quibus turgent inguina; quorum omnium inueſtigaui cauſas vndè fiant, vt audiuiſtis; & cur conſequantur gallicum incipientem, quibus præſentibus, non quidèm omnibus, ſed aliquot, vt duobus, vel tribus ex his, colligetis adeſſe morbum gallicum; & quidèm incipientem, & quanto plura iſtorum ſymptomatum aderunt, tanto certius colligetis morbum gallicum adeſſe; Iam agamus de conſequentibus morbum gallicum factum, & confirmatum, & incipiamus à ſuperioribus. debetis enim ſcire, quòd quamuis morbus gallicus ſit propria hepatis affectio, tamen aliquādo ita viget, vt per conſenſum afficiatur caput, & cor, communicata eis materia mala; & viru ab hepate; vnde, in confirmato gallico morbo, ſuccedunt affectus, & capitis, & cordis, & partium aliarum, & quidèm ſæuiores, incipiamus igitur à capite, ſolent primo in capite illius, qui habet confirmatum gallicum, oboriri puſtulæ quædam duræ, cruſtoſæ maloque colore præditæ, quęque ſunt veluti corona capitis, nam ſunt circa frontem, occiput, & ſinciput, & totum aliquando caput occupant, & creſcunt interdum, ita vt videantur ſupercreſcentia cornua; & his diebus habui præmanibus quendam laborantem gallico, qui habebat ad latera naſi cruſtas ita magnas, vt æquarent longitudinem naſi, erantque veluti ex materia ſquammoſa; hoc igitur eſt primum ſignum confirmati gallici; oriuntur autē puſtulæ ſquammoſę, vel cruſtoſę iſtę duabus ex cauſis, vel duplici origine, aliquando quidèm ex materia tranſmiſſa ab hepare ad caput, nam vt plurimum generatur pituita ſalſa, viſcida, & exuſta, vel melancholicus humor exuſtus: nam pituita collecta in ventriculo deueniens ad hepar exuritur; ſimiliter, & bilis flaua, & vertitur in melancholiam exuſtam; materia igitur hæc acris tranſmiſſa ab hepate ad caput, efficit puſtulas illas, & hic eſt vnus ortus illarum puſtularum, ſeu cruſtarum. alter eſt ex mala nutritione partium capitis: nam in confirmato gallico morbo non ſolùm amittitur robur hepatis naturale: ſed etiam aliarum partium aliquantulum; & hinc eſt, quòd vētriculus ſtatim incipit malè concoquere, quia diſſipatur eius robur ob contagium, & communicationem virus ab hepate, idem de partibus carnoſis, neruoſis, & de omnibus alijs intelligatis, ita vt partes omnes malè attrahant alimentum, male concoquant, & malè ipſum immutent, & aſſimilent; ex quo fit, vt in partibus ipſis coaceruentur copioſa excrementa naturæ partium ipſarum proportionata: nam ſi partes erunt frigidæ, & ſiccæ, excrementa quoque frigida, & ſicca erunt: vnde capitis robore diſſipato, neceſſe eſt, vt eius partes neruoſæ, & oſſeæ frigidæ, & ſiccæ, malè concoquant, & in eis coaceruentur excrementa, quæ poſtea efficiunt cruſtas: duplex igitur eſt cauſa, vel generatio puſtularum, ſeu cruſtarum, quæ aliquando non ſolum circa caput oriuntur, ſed in toto etiam corpore, & vulgò appellantur broze, vel brozole gallicæ. Hoc igitur eſt primum ſymptoma, vel ſignum confirmati gallici.

De ſymptomatib. morbi Gallici cōfirmati.

In capite puſtula, & ſquamma.

Secundum quod ſuccedit in confirmato morbo gallico, ſunt vlcera pudendorum ſerpentia, duraque admodum, & calloſa, qui enim laborant morbo gallico, niſi aliquantulum ſanentur confirmato iam morbo, ſolent hoc pati, quod cum antea multoties coiuerint, & nihil ſunt paſſi, nec patiantur circa pudenda; ſtatim confirmato morbo, cum coeunt, patiuntur excoriationes magnas circa pudendum, quoniam ſtatim, cum hepar incaleſcit, & pudendum, hepar tranſmittit ſeroſitates tenues ad glandem, & præputium, & fiunt exulcerationes: & hoc frequenter accidit in confirmato gallico morbo: ſed grauiora ſunt vlcera illa ſerpentia, & calloſa, quæ pariter confirmatum morbum conſequuntur, & ſunt veluti certiſſimum ſignum, ita vt cum videritis caries duras, calloſas, & procedentes, dicatis, quòd Gallicus eſt confirmatus: duritiem autem, & callum ſentietis appoſito digito ipſi cariei; & ſi ſentieris circumquaque duritiem, habebitis certum ſignum confirmati Gallici, nam in morbo incipiente caries fit, vt heri dicebam, duobus modis, vel duabus ex cauſis, aut quia ſanies communicata per contagium non fuerit à præputio, & pudendo abluta, & remota, at inibi retenta acrior ſit reddita; aut quia eadem ſanies recepta per venas, deuenerit ad hepar, deinde reflexa per expultricem hepatis facultatem denuò redierit ad pudendum: & quia vt plurimum in incipienti morbo ſanies hæc eſt quidam vapor fuliginoſus, acriſque; ideo caries, quæ accidit in morbo incipiente eſt leuis, & non dura; in morbo autèm confirmato fiunt maximæ in hepate exuſtiones; ita vt humores, qui in ipſo reperiantur, fiant melancholici exuſti, & terreſtres, acrioreſque; ideo tranſmiſſi ad pudenda efficiunt vlcera magna, ſerpentia, dura admodum, & calloſa.

Secundum ſignum, & ſymptoma morbi confirmati.

Tertium ſymptoma conſequens Gallicum morbum confirmatum, eſt mollificatio vulæ, id eſt carunculæ illius, quæ pendet à palato, & ab iſtis vocatur columnella, & gurgulio, quæ pars in Gallico confirmato ſolet mollior, & laxior reddi, atque elongatur, quod fit, quoniam caleſacto hepate præter modum attolluntur vapores, & humores ſeroſi ad caput, & ad caput reflexi deſcendunt ad palatum, & imbibuntur in vula.

Tertium ſymptoma.

Digitized by Google

Quartum ſymptoma, & ſignum.

Quarto loco ſunt tumores pariſthmiorũ, apoſtemata, inflammationes ſeu faucium, & palati, & veluti, quædam exuſtio palati; vndè quoties ſciueritis præceſſiſſe aliquod leue ſignum morbi gallici, & videritis hęc adeſſe, & ſequi, poteritis quaſi certò aſſerere gallicum eſſe cõfirmatum, & præcipue ſi adſit exuſtio palati, nam excepto circulo illo atriori in ambitu inferiori oculorum, hoc eſt inter ſigna apud me potiſſima, & ſi vultis cognoſcere, qualis ſit hæc conſpiciatis palatum illi, qui ex iure, vel ex ferculo aliquo exuſtus eſt nam talis quoque eſt exuſtio palati in gallico confirmato; videbitis enim, quòd in vna, vel duab. vel pluribus partibus erit exulceratum, in alijs exuſtum. huic addatis & faucium vlcera, & glãdularũ tumores inflammationesq;: accidunt autẽ hæc duabus ex cauſis, vna quidèm, quoniam ex hepate attolluntur fuligines exuſtæ, acres, & quaſi inflammatæ ad palatum, & fauces, & ita exulcerant: quod hoc ſit verum apparet in febribus ardentibus, nam & in ipſis accidit exuſtio palati, faucium, & linguæ, vt partes illæ videantur aliquando cortex quidam, quod fit ratione fuliginis, ſed vt plurimum hæc fiunt ex humore defluente ex capite, nam fuligo exuſta, & ſalſa, & materia etiam effertur ex hepate ad caput, & ad ipſum reflexa prolabitur ad palatum: Dentium, & palati corruptio quinto loco ſuccedit, quando gallicus morbus benè infecit caput infixitque radices, ita vt dentes labantur, & ſi comprimas gingi-

Quintum ſignum.

uas, emanat vndique ſanies, & in vna parte videbitis exeſas gingiuas, in alia denigratum, & corruptum os, & palatum; quod non fit ob phlegma ſalſum, nec ob catarrhum ſalſum, vt ægri aliquando exiſtimant, ſed ob morbum Gallicum confirmatum, & grauem, ita vt oſſium corruptio non minorem aliquando faciat difficultatem, ac faciat gallicus ipſe: accidunt autem corruptelę iſtę: tùm quia materia venenoſa ex hepate petit partes iſtas, tùm etiam quia partes ipſæ cum non poſſint bene concoquere alimentum, generant multa excrementa acria, & ſalſa, quæ retenta putreſcunt, & partes corrumpunt, ita vt viderim ego aliquot, quibus omnes dentes deciderint, & in aliquibus extraxi dimidiam partem oſſis maxillæ inferioris, in aliquibus magnam partem oſſis palati.

Sextũ ſymptoma, & ſignum.

Sexto ſunt dolores capitis maximi, & ſæuiſſimi, & non ſolum capitis, ſed omnium internodiorum, & oſſium, ita vt dolores ſint circa mediam partem tibiarum, fæmorum, brachiorum, in ſcapulis, & in toto capite, & dolores ſunt intolerabiles, ita vt non cedant fomentis, alijſvè remediis ſimilibus, & ſi cedunt, non ſemper id faciunt; & in primis temporibus, quibus incepit morbus, & medici non habebant remedia, quibus dolores mitigarent, erant ità ſæui, vt aliqui præcipites ſe darent ex feneſtris in foueas, & flumina, & ego curaui vnum qui præ rabie illiſit caput in murum, & fractum os eſt adeo, vt difficilis fuerit eius curatio, & periculoſa: nunc autèm rariſſimè hoc accidit, quoniam nos habemus remedia, quibus tam ſęuo dolori reſiſtamus; dolores autèm ſunt tales, vt incipiant cum incipit adueſperaſcere, & durant totam noctem, fiunt autèm dolores iſti in omnibus illis partibus, vbi ſunt perioſtia, id eſt membranæ veſtientes oſſa, & duplici ex cauſa oriuntur, aliquando à materia humoroſa, aliquando à flatu, & vapore, & hoc vt plurimum, nam cum oſſa malè nutriantur, quia eſt diſſipatum eorum robur naturale, fiunt excrementa vaporoſa, craſſa; acria tamen propter putredinem. vnde cum continuò gignantur vapores iſti ſuperueniente nocte cutis conſtipatur, & vapores illi nequeunt ita facile exhalare; ſed retenti efferueſcunt, vellicant, & aliquando corrumpunt, ita vt ſi dolentes locos aperias, reperias aliquando corrupta perioſtia, & aliquando corrupta oſſa: & cum vapores illi ſint frigidi, & ſicci, noxque ſapiat eandem ferè naturam, hinc eſt, quòd nocte vapores magis exacerbantur, & dolores intenſiores fiunt; aliquando cauſa horum dolorum eſt materia reſidans ex oſſibus collectaque in perioſtiis; & quando cauſa dolorum iſtorum eſt materia, fit vt poſt dolores tan-

Gũmata.

dem ſuccedant tumores ſcirrhoſi, qui gummæ gallicæ, vel gummata vocantur; & ſunt de conſequentibus gallicum confirmatum, qui tumores oriuntur circa oſſa, & ſuccedunt, vt dixi, doloribus ita, vt quis patietur dolores, verbi gratia per decem dies, & manè cum ſurget reperiet tubercula, quæ videntur partes oſſeæ additæ, & veluti in geminati articuli; & hoc ſymptoma crebrum eſt, ſucceditque, vt dixi, ad dolores, quando dolores fiunt ex materia, quæ partim tranſmiſſa eſt ab hepate, & exuſta eſt, partim ab excremento in

Tumores atheromatici.

parte ipſa genito. Aliquando in confirmato morbo Gallico, accidunt tumores atheromatici ſcirrhoſi, vel qui ſapiunt naturam meliceridis, oriuntur inquam circa caput. Sed vnum in his tumoribus pulcherrimum, & magni momenti notate, & eſt, quod quando tumores iſti ſunt atheromatici, & duri ſcirrhoſivè nunquam habent os ſubiectum

Obſeruanda de oſſe corrupto.

corruptum, nec carioſum; quando autèm habent folliculum, in quo continetur ſubſtantia ſimilis melli, vel polentæ, ſemper os ſubiectum eſt carioſum, & corruptum, & hoc ego obſeruaui ſæpiſſimè in praxi ipſa, & vos pariter reperietis eſſe veriſſimum præcipuè in oſſibus capitis.

Vlcera maligna per totum corpus.

Itaque cum deuentum eſt ad corruptionem oſſis, vel palati, vel crurium, vel alterius partis, non dubiteris gallicum eſſe confirmatum: His addatis vlcera maligna per totum

corpus,

Digitized by Google

corpus, quæ difficile ſanantur: nam & ipſa ſunt ſignum confirmati gallici: oriuntur autèm hæc vlcera partim ab excrementis cutis, quæ male nutritur, partim à materia tranſmiſſa ab hepate. Addatis ſymptoma moleſtum, & quod indecorum admodum reddit corpus, & defluuium capillorum, barbæ, & ciliorum, omnes enim iſti pili in confirmato morbo cadere ſolent, illi autèm, qui ſunt in alijs partibus corporis quinque, ſi caderent, venuſtius corpus redderent, non cadunt. cadunt autèm pili faciei, & capitis, quoniam caput eſt in ſummo ſitus; vnde infecto viſcere, & confirmato morbo attolluntur fuligines ad caput, & per meantes diffunduntur per ſubſtantiam cutis miſcenturque cum fuligine illa, ex qua generantur pili, & cum illæ fuligines elatæ ſint acres, exedunt radices pilorum, quam exeſionem ſequitur defluuium; & re vera cauſa defluuij pilorum ſunt vapores, & fuligines, non autèm humores acres, nec ſalſi, nam ſi eſſent humores exulcerarentur cutis capitis; & quòd non ſint humores cauſa defluuij, ſed fumi, oſtendo certiſſimè, quia in laborante morbo gallico oriuntur puſtulę in toto corpore, & in capite, tamen non concidunt pili capitis, ratio autèm cur in morbo gallico concidant tantum pili capitis, & non alij, qui ſunt in corpore, eſt quia fuligines illæ non æquè petunt omnes partes, ſed caput tantum tanquam caminum; quod autèm id, quod facit defluuium pilorum, ſint fuligines, & non humores, ex eo patet quod, qui patiuntur defluuium, ſimul, & ſemel cum defluuio toti lucent, ac ſi eſſent ex vitro, vt lucent vermes illi ſericini quando ſunt maturi, vt poſſint nere ſericum; ita genæ, & aliæ partes in eo, qui patitur defluuium pilorum gallicum lucent: vnde hoc? profectò ex vapore imbibito in illis partibus. Itaque cum concidunt capilli, ſuper cilia, & barba, dicatis morbum gallicum eſſe confirmatum. Addatis cruſtas, & impetigines, ſeu volaticas per volas manuum, & plantas pedum ſerpentes, & per totum aliquando corpus, vt per dorſum, per pectus, &c. & volaticæ hæ ſunt tales, vt non cedant medicamentis: & cum has cruſtas volaticaſve videritis in volis manuum, dicatis certò morbum gallicum eſſe confirmatum; nam ex illo contágio ſtatim volæ manus fiunt calloſæ, & cruſtoſæ; & ſi dubitetis, an cruſtæ, & volaticæ illæ ſint gallicæ nec ne; faciatis vt æger comedat cępas, vel allium, & altera die inſpiciatis cruſtas illas, & videbitis, ſi erunt gallicę, in ipſis volis efflorеſcentem alium, vel cæpam: & iſtæ cruſtæ accidunt præcipuè in ijs, qui ſunt calidi, & humidi: quando autèm morbus eſt in principio, non ad ſunt cruſtæ, ſed rubedo in talibus partibus, vt heri dicebam: in confirmato autem accidunt cruſtæ, & calli, & rimæ in volis manuum, & plantis pedum; & hoc ſymptoma eſt difficillimum ſanatu, ita vt opus ſit aliquando deuenire ad uenenoſiſſima ſi volumus ipſum remouere: & ſicut eſt ſymptoma difficillimum; ita eſt ſignum certiſſimum gallici morbi confirmati. Addatis tinnitum, vel pulſationem, vel ſibilum aurium, nam, & hæc indicant gallicum confirmatum; Vltimo in morbo gallico confirmato, & rebelli ſolet aliquando ſuccedere aſthma aliquod communicata affectione pulmoni, & cordi; & præcipuè ſolet ſymptoma hoc accidere ijs, qui inuncti ſunt, ſed non ex arte, aliquando etiam ad gallicum conſequitur maraſmus aliquis: & cum aliquod horum duorum videbitis adeſſe, relinquatis ægrum presbiteris, fieri enim nequit vt ſanetur. Ex his igitur ſymptomatibus; non quod omnia ſimul adſint, ſed modo vnum, modò duo, modò plura, cognoſcetis facile morbum gallicum eſſe confirmatum, ſed notate, quòd cum dixerim hæc eſſe ſymptomata, & ſigna morbi gallici, non propterea credatis non poſſe ex his reperiri vnum, uel alterum in corpore, ſine gallica labe; nam bubones antiquorum temporibus oriebantur, & nunc etiam ob nimium laborem, ita lichenes, alopetia, ulcera colis, & ſimilia, quæ ſine gallico poſſunt oriri; In ſequenti agam de curatione, primò quidem morbi gallici, deinde omnium horum ſymptomatum.

defluuium pilorum.

Cruſta, & impetigines.

Aſthma.

Maraſmus.

De varia, ac multiplici curatione morbi gallici. Cap. XXXIX.

IN tractando de affectu gallico quartum à nobis propoſitum caput principale fuit de curatione, de qua nunc agendum eſt tàm incipientis quàm confirmati morbi gallici. Curatio autèm multiplex eſt tradita ab ijs, qui de affectu hoc ſcripſerunt; uerùm non omnes curandi rationes probantur, nec omnes aſſequuntur ſuum finem, & inter alias curationes, quæ fuerunt in uſu primis illis temporibus, quando labes hæc cæpit regnare, eſt per exercitationem, agitationem, & motum uehementem corporis, qua curandi ratione uidi ego multos, tum adoleſcentes, tùm iuuenes ſanatos ratione motus, & continuatæ euacuationis per ſudorem, & multa habeo exempla eorum, qui certiſſimè laborabant gallico, qui incipiebat etiam figere radices, & ſolo exercitio, uel ſaltu, uel renatione, uel alio motu uiolento continuato ſanati ſunt excitato, ratione motus, ca-

Curatio per exercitationem, & motum corporis.

lore, & facto validiori in viſceribus, & continuato ſudore, nam concitato calore, & ſpiritu ratione motus violenti factus eſt ſudor, & ſpiritus idem redditus eſt viuacior; & ſanatus eſt gallicus, hæc vna eſt curandi ratio, verùm non eſt perpetua, nec omnibus conueniens, ſed viuacioribus, & iis, qui habent neruos, & muſculos robuſtiores: Alia eſt curatio per ſuffitus, quos faciunt exurendo quædam medicamenta experientia tantum inuenta, quę ſunt in duplici differentia, alia venenata, alia benigna, & hac curandi ratione ſanant infinitos ferè homines. Empirici ipſi, & vnum ego vidi mirum in hac curatione per ſuffitum; in gallico morbo ſolent ſæpe excitari fluxiones, quædam ad oculos, quæ faciunt lippitudinem coniunctam cum vlceribus corneæ, ita ſæuis, vt medici ignorent curationem talium vlcerum, nec cedat decocto ligni, ſed ſolis ſuffitibus ſanantur, & de hac re ego habeo exemplum quoddam hic Patauij de notario quodam, in quo ego tum vſus omni diligentia, & arte in ſanandis huiuſmodi vlceribus oculorum, ita vt iam eſſem defatigatus: tandem acceſſit Empiricus, & ſuffitu ſanauit ipſa, hæc igitur eſt ſecunda ratio curandi, ſcilicet per ſuffitum, quæ ſi non primo, ſaltem ſecundo inuenta fuit: quomodo autem fiant ſuffitus hi, & ex qua materia, & quid ſit dicendum de hac curatione, dicam infra. Tertia curatiua ratio eſt per hydargyrium, macerant enim argentum viuum vario modo, & inungunt artus, quo fit tanta, & tam violenta agitatio viſcerum, vt labes gallica ſanetur: ſed hæc curatio per inunctionem cum hydrargyro non eſt tuta, vt ſuo loco dicam, nam docebo vos, & hanc curationem, vt ſciatis occurrere ſæuiſſimis ſymptomatibus, quæ ſuccedunt ad talem inunctionem. Alij, vt Chimiſtæ accipiunt præcipitatum, abluunt cum aqua ardenti, & miſcent cum hac, vel illa materia, & hoc, vel illo modo, & formatis pillulis exhibent, quibus excitatur vomitus violentus, vel dyſentericus quidam fluxus, & ſolet ſanatio gallici ſuccedere, ſed maxima imminent pericula ex his pillulis, & vidi ego homines mortuos ex vſu ipſorum, multos tamen vidi ſanatos; tot ſunt genera curationis; quibus addatis curationem ab exercitatis medicis probatam, quæ ratione certa procedit, & hanc primo loco vos docebo; deinde alias malas. Vos autèm poteritis certo curare gallicum, per rectam hanc rationem, ſi dicetis hoc modo, morbus Gallicus eſt affectio hepatis à tota ſubſtantia, cui ſemper eſt coniuncta intemperies orta ex feruore contracto in viſcere: intemperies autèm in principio eſt calida, ut plurimum, deinde fit calida, & ſicca cum humore redundante, quando morbus fixerit radices: his addatis, quod ut plurimum ſtante labe gallica fit mala alimenti concoctio, & mala ſanguificatio, & ita generantur excrementa multa: vnde hæc tria ſunt proponenda uobis ante oculos in curatione morbi Gallici, vnum eſt labes Gallica in tota ſubſtantia conſiſtens; intemperies calida in principio, & in confirmato calida, & ſicca, quod eſt ſecundum: tertium vero eſt excrementorum coacervatio: omitto iam cauſas, quia non ſunt præſentes: omitto etiam ſymptomata, de quibus infra ſeparatim agam. Itaque primo morbus cum ſit à tota ſubſtantia, indicat, vt curetur per medicamenta, quæ pariter à tota ſubſtantia agant, quæ poſitio eſt confirmata à Natura, & eſt Galeni in decimotertio methodi capite ſexto, vbi loquens de mitigando dolore facto à tota ſubſtantia, vt à veneno, dicit vtendum eſſe aliquo, quod pariter à tota ſubſtantia dolorem ſedet; igitur prima pars huius rationis curatiuæ eſt, vt vtamini iis quæ à tota ſubſtantia faciunt.

Per ſuffitus.

Per hydrargyrium.

Per præcipitatum

Tria proponenda in curatione huius morbi.

Quod ad primum.

De ſecundo. Secundo indicatur, vt auferamus intemperiem per contraria, in principio quidèm morbi per frigida, quia calida tunc intemperies eſt, in confirmato autèm refrigerandum eſſe, atque humectandum.

De tertio. Tertium, quod indicatur eſt euacuatio excrementorum, quæ coaceruata ſunt, hæc tria ſunt agenda in hac curatione, verum hæc tria non poſſunt vno eodemque tempore perfici, ideo ponendus eſt aliquis certus ordo in his à quo nam primo ſit incipiendum: ordo autèm eſt, quod oportet incipere ab illo, quod habet rationem cauſæ ſine qua non; videamus modo, quæ nam ſit cauſa iſta, ideſt quid ſit, quod ſe habet vt talis cauſa. profectò morbus gallicus eſt efficiens cauſa intemperiei, & intemperies eſt cauſa coaceruationis excrementorum: verum excrementa ſunt vt cauſa, ſine qua non, reſpectu intemperiei, & labis gallicæ; nam omnes conſentiunt, quod excrementa fouent morbum, vel ſaltem ſunt vt cauſa ſine qua non: ergo incipiendum erit ab euacuatione excrementorum.

Incipiendum ab euacuatione excrementorum.

Itaque primum oportet euacuare corpus ab humoribus ſiccantibus.

Secundo incumbendum eſt labi gallicæ, quia eſt vt cauſa efficiens reſpectu intemperiei, nam intemperies à forma morbi immediatè dependet, ac illa fouetur; propterea non poſſet uinci, niſi ſimul, & ſemel, uel prius forma iſtius morbi extingueretur: igitur facta purgatione ſuperabitis labem per medicamentum experientia inuentum, & ſimul, & ſemel, ſi fieri poſſit, remouebitis etiam intemperiem, uel ſi non poteſtis, relinquetis in ultimo loco remotionem intemperiei.

Itaque

Itaque deſcendamus ad curationem corporis, quæ nequit certa, & recta ratione inſtitui, niſi præparetur totum corpus, & faciamus, vt ea omnia, quæ alterant, & immutant corpus bene ſe habeant, immò ſint contraria affectui, & intemperiei, tunc enim recta fiet euacuatio, quando prouiſum fuerit, vt partes corporis nihil, quod aduerſarium illis ſit, habeant præter morbum, atque reliquæ res, quæ noſtrum corpus immutare valeant, tales ſint, vt iuuent; vnde ſi in aliquo affectu, in gallico præcipue maximè habenda eſt ratio ſex rerum non naturalium, quoniam gallicus morbus difficillimè cedit, itavt medicus nunquam poſſit eſſe ita diligens in alterandis ſex rebus non naturalibus, quin maior requiratur diligentia; primò itaque de aere debetis eſſe ſolliciti, vt incipiente morbo gallico, eligatur optimus, qui ſua natura in corpus noſtrum attractus, per arterias, venas, ac poros cutis omnia permeans, poſſit ſeminarijs reſiſtere, & ideo quamuis nos non ſoleamus ipſum immutare, tamen ſi malus ſit, eſt ita vtile ipſum alterare, vt nihil ſit vtilius, ſunt enim ambientia quædam ita Gallico morbo inimica, vt nihil poſſit eſſe inimicius, qualis eſt aer Florentinus frigidus, & ſiccus, qui enim laborant gallico, in ea ciuitate, ita ſæuum patiuntur, vt ſit mirum; contra autem Piſanus aer eſt bonus, licet craſſus ſit, & turbulentus, inibi enim gallicus mirum in modum miteſcit: nec hoc prouenit, quia Piſis ſint meliores medici, qui ſciant curare gallicum, quia vbique ſunt medici præſtantiſſimi, & doctiſſimi, ſed totum eſt aeri referendum. Bononienſis aer eſt etiam ita malus, vt gallicus afficiat ſtatim caput, ſæuiat in palatum, & totum corpus, & ſit in cauſa, vt omnes dentes concidant, tanta eſt inimicitia illius aeris cum contagio gallico; & ideo maxima eſt habenda ratio aeris, qui in gallico debet eſſe mediocris, non autèm tenuis, etiam ſi ſaluber eſſet, quoniam eſt inimicus: nec debet eſſe præter modum turbulentus, & craſſus, non quia ſit inimicus gallico, ſed quia eſt ſuapte natura malus. ſit igitur aer mediocris, non valde calidus, nec valde frigidus. Patauinus aer mihi optimus videtur. Venetus autèm licet deberet eſſe turbulentus, & craſſus ratione aquarum, tamen videmus, quod non eſt talis, quod fortaſſe prouenit ob ſalſedinem illam; & ideo bonus eſt, ſicut etiam in omnibus alijs locis maritimis, dummodo non habeant reflexionem radiorum ſolis propter montes, & aer nõ ſit malus per commixtionem malorum vaporum, ſi hæc non adſint, omnis aer marinus eſt bonus. Cibi ſint boni ſucci, & in principio facilis concoctionis, & qui etiam poſſint attemperare exerementa, & partes corporis, attenuent & putredini reſiſtant; debent quidem eſſe facilis concoctionis, quia ſtatim cum morbus gallicus incipit, ventriculus incipit malè concoquere. omne genus fructuum malum eſt, quia omnes fructus generant alimentum, & ſanguinem, qui facilè efferueſcit, & ſanguinem bulliẽtem gignit; & ideo omnes ſunt fugiendi, etiam ſi fermè omnes ſint frigidi, & poſſent temperare hepar, & humores, & aliqui etiam ſint, qui reſiſtant malignitati, tamen quia omnes generant ſuccum, qui facile contrahit feruorem; ideo ſunt penitus fugiendi. Caro agnina, ſuilla, & ſimiles omnes ſunt malæ: piſces non ſunt valde boni, nõ quia non contemperent, ſed quia adiuuant imbecillitatem ventriculi, & ipſam augent. caro bouina, caprina, & ſalitæ omnes malæ ſunt, quia craſſæ ſunt, & melancholicum ſuccum generant. Contra autèm caro arietina, hedina, pulli, auicularum, & aliæ omnes, quæ citò concoquuntur, & attemperare poſſunt, bonæ ſunt; oua ſunt optima, beta, & ſimiles herbæ bonæ ſunt, ſed cæpæ, & allia, & alcalonides cæpæ fugiendæ ſunt, tamquam diaboli, nam ego obſeruaui in laborantibus Gallico, qui patiuntur lichenes, in volis manuum, ſi comedant parum cæpæ, vel allij, lichen ille exagitatur, ita vt ſit mirum, dolet, prurit, & augetur valde morbus; ideo hæc fugienda, ſicut & omnia alia acria: vnde piper, cinnamommum, ſpecies vulgò dictæ, & ſimilia omnia peſſima ſunt. Panis ſit ex optima ſimilagine factus benè coctus, & fermentatus: ſalitus non placet, quoniam licet ſal attenuet panem: tamen ſi bene ſit fermentatus, non eget ſale, vt attenuetur, quia in fermento ſunt partes acidæ, quæ attenuent; ideo placet quòd panis non ſit ſalitus, nam ſal auget caliditatem hepatis, vt ego experior in me ipſo, nam ſi hodie comedam panem ſalitum, cras ſtatim incipio expuere ſalſa, vt & vos poteritis experiri; ideo fugiatur panis ſalitus, quia facit ad confirmandam hepatis intemperiem, panis autèm vtrum debeat eſſe coctus, vel biſcoctus eſt ſciendum. Hetturia tota exhibet biſcoctum, ita & in Longobardicis Ciuitatibus ſuperioribus annis fiebat; & nunc etiam ſolet apud maiorem partem; ſed aliqui ſunt, qui damnant biſcoctum hunc panem, quia dicunt, quòd non nutrit eum exiccatus ſit, & amiſerit inſitam humiditatem.

Secundò, quia dicunt, quod auget excrementa ſua ſiccitate, quia dicunt, quod talis victus ſiccus ſiccat membra, non autèm humores. Tertio quia auget intemperiem calidã, & ſiccã hepatis, cui ſuccedit quidã malus habitus corporis, hoc eſt intẽperies calida, & ſicca partiũ aliarũ. ſed ego non auderem vnquam accuſare vſum totius fere Italiæ, vel ſaltem vnius integræ prouinciæ, nam maior pars vtitur pane biſcocto, ideo dico quod conuenit, & ſi nõ cõueniret vtique fuiſſet aliquando obſeruatum à medicis illis, qui ipſo vtuntur ad rationem

Aere

Cibi.

Num biſcoctus panis conueniat.

autèm illam, quando dicunt quod non conuenit, quia non nutrit. dico hoc eſſe falſum, immò dico quòd multum nutrit, vt patet de ijs, qui detinentur in triremibus, qui vtuntur ſemper biſcocto, & tamen pingues omnes ſunt; nec id prouenit ex otio, quia continuo manibus, & pedibus laborant in trahendis remibus, præterquam quod & ſæpe laborant flagris, & verberibus; vnde falſum eſt, quod biſcoctus panis non nutriat, dummodo non ſit factus carbo; ſed tunc non eſſet biſcoctus, & præcipuè nutrit ſi factus ſit ex bona ſimilagine, nam habet propriam humiditatem inſitam; & quamuis biſcoctus faciat alimentum aliqualiter ſolidius, tamen non ob id dicendum eſt, quòd ſiccet. cum dicunt, quod ſiccat membra, & non humores, & ſic auget excrementa. reſpondeo, quod hoc eſt falſum, nam biſcoctus, vel peruenit ad membra, vt alimentum, vel vt medicamentum; ſi vt medicamentum, eſt contra ipſos, quia medicamentum prius humores ſiccat, quam membra; ſi vero dicant quod peruenit, vt alimentum ergo reſtituit, non autem artus ſiccat: eſt quidèm verum, quod ſanguinem ſicciorem gignens eſt in cauſa, vt ab ipſo ſiccentur humores mixti cum ſanguine, attamen talem victum non inſtituimus, vt ſiccentur humores, ſed vt gignatur ſanguis, qui non ita facile à labe corripiatur, & vt ſeminaria quodam modo deſtruantur. Cæterum in principio, ſiue detis panem coctum, ſiue biſcoctum parum refert; ſed ſi ventriculus ſit robuſtus concoquatque biſcoctum, laudo potius biſcoctum, ſi autèm ſit debilis, ita vt ipſum nequeat conficere, laudo magis panem coctum; nam debetis ſcire, quod diæta illa, qua volumus, vt æger vtatur, dum aſſumit decoctum guaiaci, non habet eam vim, vt ſanet gallicum, nec ad hunc finem vtimur biſcocto, neque enim ipſe ſanat affectum,

Cur detur panis biſcoctus.

nec inuentus eſt vſus panis biſcocti, vt ſiccet, ſed eſt inuentus ob rationem dictam, ſicut etiam propter famem, ſi enim exhibeatur laboranti gallico vnus ex illis panibus, qui emuntur vno ſolido, deuorabit ſtatim ipſum, & non ſaturabitur; at ſi detur tantundem panis biſcocti, ſaturabitur ſine dubio, neque enim poterit ſtatim ipſum deuorare. Itaque medici cum vellent ægrum vti tenui victu, inueſtigarunt, quo modo id poſſent facere pauco cibo: vnde & alimentum tenuius, & ſiccantius, & ſanatio ipſa fuere in cauſa, vt inueniretur panis biſcoctus.

Vinum.

Fercula.

Vinum ſit optimè dilutum, & oligophoron, fercula ex hordeo, Zea, oriza, & panico optima ſunt, ſicut & omnia alia refrigerantia, conueniunt & fæniculus, & petroſelinum in ferculis, & in acetarijs, quoniam aperiunt obſtructiones viſcerum, conueniunt etiam cappares aqua diluti, cicorium, cicerbita, & huiuſmodi; & quia ex vino diluto ſolent gigni flatus; ideo exhibendus eſt fæniculus conditus ſaccaro, ſemen aniſorũ, & ſimilia. ſed fugiat piper, & alia valde calefacientia, etiam ſi ſint condita ſaccaro.

Motus.

Quies peſſima eſt; motus autem corporis ingens, & varius optimus, dummodo æger poſſit motum perferre, vidi ego bubones gallicos ſolo motu corporis magno fuiſſe maturatos, tantus vigor eſt excitatus in calore, & ſpiritu naturali; conuenit ergo ludus pilæ, ſaltus, curſus, ſora venatio, iaculatioque, vt ſudor multus egrediatur; poſt hunc quies in loco temperatiſſimo, ac à ventis tutiſſimo maximè probatur; & ideo ego ſoleo mandare meis ægris, vt numquam quieſcant, ſed ſpatientur per thalamum, & moueant ſe, vſque ad calefactionẽ corporis, & vſque ad ſudorem, & ſi vultis videre, quanti faciat motus, & calefactio corporis, inde diſcatis, quod morbus gallicus non poteſt hyeme ſanari:

Somnus.

Somnus multus eſt peſſimus, quamuis in ſomno quieſcant ſpiritus, & copus refrigeretur, & fiant concoctiones meliores contracto calore ad interiora, tamen malus eſt ſomnus multus, quia nos non volumus totum calorem eſſe in centro corporis; ſed in omnibus partibus corporis, vt omnes partes roborentur. Vigiliæ ſunt meliores, atque etiam ſi fuerint aliqualiter diuturniores, & membra non torpeſcant:

Animi affectus.

Animi affectus mali ſunt, & præcipue mœror, ſi quod aliud nocet; & ego obſeruaui quod in ijs, qui mærebãt numquam potui vllum aliquod bonum ſignum videre, vnde in hoc præcipuè morbo oportet medicum ſemper eſſe mendacem, & ſpondere longè plura quàm poſſit præſtare, & certum, & citum capillorum ortum, ſi defluxerint, vt ſolet, & eſt inter ſymptomata, quæ maxime ægros affligunt, confabulationes amicorum, & cantus, & ſonus opportuna ſunt, ad leuandum ægrum mærore,

Excrementa corporis.

excrementorum corporis maxima ratio eſt habenda, vnde cum in confirmato gallico ſoleat vt plurimum ſtipari aluus; ideo alternis ſaltem diebus oportet glande, vel cliſtere eam ſubducere, alioqui ex ſuccis illis, excrementis retentis in inteſtinis, eleuantur putridi vapores, qui fouent morbum.

Venus.

Venus autèm vtrum conueniat in morbo gallico, dico primò, quòd venus vt plurimum non ſtimulat laborantes gallica labe, quod fit ob diſſipationem ſpirituum naturalium, non autèm ob timorem, nam & laborantes lepra ſciunt, quod per coitum, & per contactum eam contraxere, tamen non timent contagium, & ferè ſemper patiuntur tentiginem, & vellent coire, numquid autèm interim, dum bibitur decoctum vtile eſſet coire, dico quod ſi ſemen abundaret, & venus ſtimularet, tunc ſi natura non exoneret ſe in ſommo, bonum eſſet coire, moderatè tamen, nam niſi coeat æger perſentiet ex retento ſemine grauedinem in toto corpore, & in capite, &

poſſent

Digitized by Google

poſſent alia ſuccedere, quæ ſunt timenda; ideo venus moderata conuenit, quia animum ſaltem hilariorem reddit: ſi autem ſemen non abundet, cauendum eſt à venere, quæ vt plurimum nocet; nam in actu illo venereo excitatur feruor quidam, qui diſſoluit ſpiritus bonos; venenoſos autèm, & malos non excutiet. Hæc ſunt exteriora, quæ ſunt rectè inſtituenda. Rectè inſtituris rebus non naturalibus, quæ immutant, vel præſeruant humanum corpus, tutò poſſumus deſcendere ad euacuationem corporis à materia illa, quæ vt plurimum abundat, quæque ſolet fouere labem, cum habeat rationem cauſæ, ſine qua non; ſed antequam deueniatis ad purgationem, oportet, vt videatis an materia peccet ſua quantitate, vel qualitate, vel vtroque ſimul, ſi enim turgeant venæ, & repletæ humoribus ſint ita, vt humores peccent in quantitate, vel etiam qualitate ſimul cum quantitate, oportet euacuationem incipere à ſectione venæ, nam venæ ſectio, ſi quod aliud, maximè prodeſt in hoc morbo, & eſt vnum præcipuum præſidium; vnde quoties tractabitis curationem morbi gallici, vel incipientis, vel confirmati, incipiatis à ſectione venæ, dummodo virtus non repugnet, quoniam præter id, quod imminuit materiam, & pauca relinquitur in venis concoquenda, aufert etiam obſtructiones, quæ vt plurimum ſunt in viſceribus, & exonerat refrigeratque hepar, quod in hac labe habet ſemper caliditatem coniunctam. *Venæ ſectio.* Verùm in ſecanda vena aduertatis, quòd ſæpe in principio morbi gallici, vel etiam in confirmato ſolent in inguinibus apparere bubones, & puſtulæ, vel vlcuſcula, quod fit ex materia mala tranſmiſſa ab hepate ad partes illas; quibus præſentibus ſtatim aduocantur Medici; & quia adeſt plenitudo, quæ indicat ſectionem venæ; ideo aliqui ſubito ipſam ſecant; & valde errant, nam ſi ſecetur vena aliqua ex ſuperioribus, vt ſolent ipſi ſecare, retrahitur materia mala ad interiora, & impeditur motus naturæ, quæ euacuat per inguina, quæ ſunt loca conuenientia, nam ſunt propria emunctoria, quibus expurgatur hepar. *Notandum in ſectione venæ.* Hippocrates autèm in primo aphor. 21. inquit, quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere; cum itaque natura inclinet ad inguina, non eſt impedienda, eo magis cum inclinet ad loca conuenientia, dicebamus enim » ſupra bubones fieri, quia facultas expultrix hepatis grauata, vel ſtimulata à materia expel- » lit ipſam ad inguina; & ideo conſulo vobis vt cum bubones incipiunt, vel augentur, nunquam ſecetis venam, niſi tanta adſit fluxio, vt timeatis maximum aliquem morbum; quoniam impedietis motum rectum naturæ, & retrahetis materiam facientem bubones ad viſcera, neque enim in hoc caſu poſſumus facere, vt facimus in pleuritide, in qua per ſectam venam in principio habemus & euacuationem materiæ facientis inflammationem, & deriuationem; at in bubonibus hoc non poſſumus habere, quia non adſunt inſtrumenta eadem, ideſt venæ, per quas id poſſit fieri; nec adeſt idem ſitus, ſed diceris, nos vidimus te, ò Fallopi, in gallico morbo ſecantem ſæpe venam præſentibus bubonibus, & exhibentem etiam pharmacum robuſtum, ergo vel tu erraſti, vel nos quoque idem poterimus facere. *In bubonibus num ſecanda vena, & quando.* dico eſſe quidèm verum, quod præſentibus bubonibus ſecaui ſæpe venam, vt multi veſtrum in praxi potuere obſeruare; ſed non ſecaui quando bubones incipiunt, vel augentur; at quando iam erant confirmati, & non amplius fluebat materia, at tota illa materia, quæ debebat fluere, erat fluxa, & non aderat amplius inflammatio, nec dolor, nec pulſatio; vnde moneo vos, vt nunquam incipientibus, vel augeſcentibus bubonibus ſecetis venam, ſed bene quando ſunt iam firmati; cognoſcetis autèm eſſe firmatos ex ablatione inflammationis: inflammationem verò deſiiſſe cognoſcetis, quia non aderit dolor, nec calor, nec pulſatio, quæ tria cum adſunt, ſignum eſt quòd bubones non ſunt firmati, ſed expectanda eſt valida euacuatio materiæ ex hepate ad inguina, cognoſcitur etiam firmatus bubo, quia non augetur, cum enim videbitis, quod cras erit eiuſdem magnitudinis cuius erat die antecedente, dicatis quod eſt firmatus, nec amplius natura tranſmittit materiam. *Bubonem eſſe firmatum quomodo cognoſcemus.* Tertio cognoſcitur ex duritie quia, cum eſt firmatus adeſt durities, & renitentia; quando autèm eſt mollis, timeatis ſemper nouam fluxionem; cum itaque videritis bubones eſſe firmatos, tunc tutò ſecabitis venam, ita ego ſoleo facere, ſi autem non ſint firmati ego applico ea, quæ attrahunt materiam ad locum, vt firmentur, deinde cum video nihil amplius materiæ eſſe fluxurum, ſeco venam ſeruatis præceptis neceſſarijs ad venam ſecandam, & antea lenio aluum caſſia, vel exhibens prunis, vel iniecto cliſtere, deinde ſeco baſilicam, ideſt iecorariam vocatam dextri brachij propter hepar, vena enim debet ſecari, non ſolum vt materia imminuta, ea quæ remanet facilius concoquatur, & euacuetur; ſed etiam vt refrigeretur hepar, quod magni refert: poſt hæc conſiderandum eſt, qui nam humor abundet, & peccet, ſolent enim varij humores peccare, ita vt aliqui diſtinxerint morbum gallicum penès humores, & dixerint alium eſſe morbum gallicum pituitoſum, alium ſanguineum, alium bilioſum, alium melancholicum, ſed errant, quia vnus eſt morbus tantùm, & vna ipſius natura, cum qua poſſunt coaceruari varij, & diuerſi humores, vt plurimum tamen ſolet eſſe bilis cauſa, aliquando tamen eſt

pituita,

Digitized by Google

Pituita, vel propter refrigerationem totius habitus,vel propter refrigerationem ventriculi,quod ſolet eſſe frequentius.habito igitur,& cognito, qui nam humor abundet, oportet ipſum poſt ſectam venam præparare : ſi itaque abundet pituita,quod cognoſceris ex lotio craſſo,albo,ex fecibus,ex imbecillitate ventriculi,ex colore totius habitus, & ex ſimilibus; ego ſoleo præparare ipſam dupliciter,per ſyrupos quoſdam attenuantes,incidentes,& moderatè calefacientes. Secundo modo exhibendo electuarium quoddam,quod incipiat ſua vi præparare hepar ad ſuam naturalem conſtitutionem, habetque vim tale electuarium ſuperandæ labis:& quotidie exhibeo vtrumque, ſcilicet ſyrupum, & electuarium ſummo mane,ſed antea electuarium quantitate nucis auellanæ, vel grani fabæ maioris, deinde mando vt ſuper bibat ſyrupum calidum, ſyrupum autèm conficio hoc modo, & ex talibus.

Si pituita abundet, quibus paranda, & vacuanda.

Rec.ſyrupi de betonica
oximellis ſimplicis } an. ℥ j.
decoctionis ſonchi
fœniculi
hyſſopi
cicoreæ,vel endiuiæ ℥ iiij.

Miſce pro ſyrupo. Syrupum de betonica, oximel,hyſſopum, & fœniculum admiſceo propter materiam peccantem,vt attenuetur, incidaturque,ſonchum autèm, & cicorium propter feruorem hepatis: ſed ſonchum, ſeu cicirbitam vocatum admiſceo, non ſolum, quia refrigerat aperitque obſtructiones, ſed præcipuè, quia ſua natura reſiſtit omnibus affectibus venenoſis,& ideo maxime conuenit in hoc caſu; ſed ante ſyrupum accipiat electuarium hoc,quantitate,qua dixi.

Rec.ſaccari boraginati
roſacei } an. ℥ j.
puluerís ſcordij
mitridaticæ confec. } an. ʒ j.

Miſce pro electuario: accipio in hoc ellectuario ſaccarum roſ.quia roſæ habent magnā ſatis vim ſuperandi venenum, & optimè reſiſtunt putredini: addo poſtea mitridatum, & ſcordium, quia adiuuant viſcera in omni venenoſo affectu, & habent vim digerendi, attenuandique pituitam. his itaque fiet recta, & cita concoctio materiæ, qua præſente euacuabitis. ſed notate, quod ſemper ferè dum peccat pituita, illa pituita eſt craſſa; & tenax, quæ difficilè educitur ex corpore; ideo repetenda eſt, & vacuatio, & præparatio, quia vna non ſufficit: poſt primam igitur præparationem euacuabitis pituitam aliquo leni medicamento,quale eſt hoc,quo ego ſoleo vti.

Rec.floris caſſiæ
diaphiniconis } an. ʒ s.

Miſce fiat bolus,vel

Rec.agarici trociſcati
reubarbari electi } an. ℈ ij.

Miſce fiat bolus,quem capiat in aurora
Facta deinde noua præparatione per quinque, uel ſex ſyrupos, exhibeo pharmacum ualidius, & omnia illa pharmaca in hoc caſu ſunt opportuniſſima, quæ recipiunt copioſum turbith, uel multam colocyntidem, uel copiam hermodactilorum, uel multum agarici: unde & pillulæ, & electuaria omnia, quæ hæc recipiunt mihi ſummè probantur; ſed præcipuè ſpecies hieræ diacolocyntidos,quas ego curo, ut ſeplaſiarij iſti teneant paratas,& eas miſceo cum caſſia, ut.

Rec.floris caſſiæ ℥.j.
ſpecierum hieræ diacolocyntidos. ʒ. j. uel. j. s.

Miſce,& fiat bolus: optimum eſt medicamentum,& ualidum,optimæ etiam ſunt pillulæ fætidæ, pill. de hermodactilis, confectio illa quæ benedicta dicitur exhibita in bolo, uel diſſoluta

diſſoluta aliquo decocto, vel exhibita alia ratione: ſed ſępius ego vtor pillulis cochijs, & precipuè illis Raſis. nam in cochijs recipitur turbith, & coloquintis inter cætera. alterum, quo vtor frequenter poſt primam euacuationem, & præparationem, eſt ſpecies hieræ diacoloquintidos: hæc duo ſunt præcipua, & mihi familiariſſima. His igitur euacuabitis ſecunda vice, vel etiam tertia, ſi opus fuerit. facta euacuatione deuenio ad alia, quæ opportuna ſunt, & ſuo loco dicam. Sed vt plurimum in hoc morbo peccat humor biliofus ob caliditatem hepatis. bilem autèm abundare cognoſcetis ex lotio flauo, habente aliquas exuſtiones ex fecibus infectis colore bilis, ex colore ſanguinis percepto, quando ſecatur vena, ex habitu corporis, ex morbis, in quos æger conſueuit incidere, vt eſt febris tertiana, & ex ſimilibus; cognito quòd abundet bilis. oportet præparare, & præparatio conſiſtit, vt faciatis vias patẽtes, & alteretis bilem, nè, dum euacuatur, exulceret vias, & inteſtina: debet igitur contemperari. vnde ego ſoleo exhibere electuarium, deinde facere, vt ſuperbibat ſtatim ſyrupum: electuarium autèm non accipio idem, quod ſupra peccante pituita. Sed aliud magis temperatum, quod tamen habeat vim bezoarticam, ideſt diſſipandi malignitatem, & roborandi viſcera, quale eſt hoc.

Si bilis flaua abũdet.

Rec. ſaccari violati }
boraginati } an. ʒ j.
pulueris ſonchi; ſcordij an. ʒ s.
ſpecierum diarodon abbatis. ℈ ij.

Miſce: ſpecies diarodon ſunt temperatæ, & habent facultatem bezoarticam. in hoc electuario non admiſceo teriacam, quia nimis calefaceret. Exhibeo autèm electuarium hoc in eadem doſi, qua alterum ſcilicet ad quantitatem vnius auellanæ, vel grani fabę maioris, deinde ſtatim ſuperbibat ſyrupum hunc calidum.

Rec. ſyrupi de cicorea, vel de endiuia }
de ſoncho } an. ℥ j.
decocti endiuiæ
boraginis
cicorei
hordei ℥ iiij.

Miſce pro ſyrupo: & notate, quod ſyrupus de ſoncho non paratur alibi, quam in hac Vrbe ex inſtituto horum Excellentiſſimorum medicorum; vos tamen cum eritis domi, faciatis, vt paretur, nam optimum eſt medicamentum, & eſt maximi vſus in affectibus his gallicis; facta præparatione, quod fiet ſex, vel ſeptem diebus, ego ſoleo euacuare cum hoc medicamento.

Rec. reubarbari electi ʒ j. s.
ginziberis }
gariofilorum } an. ʒ s.
florum, ac fructuum cordialium parum
liquiritiæ ʒ s.

Tritis, terendis fiat infuſio per decem horas inſufficienti quantitate aquæ ſonchi, vel ſeri caprini, & facta vnica ebullitione, exprimantur & colentur, & adde

ſyrupi roſati ſoluti ℥ ij. vel iij.

Miſce, & exhibeatur in aurora: Sed notate, quòd in medicamentis omnibus pro morbo gallico, tàm pręparantibus, quàm euacuantibus, quoties poſſum, libentiſſime admiſceo roſas, quoniam, ſi quod eſt, quod refrigerando hepar, & contemperando feruorem reſiſtat putredini, & venenis, illud eſt roſa. Aliquando opus eſt validiori medicamento educente bilem, & tunc ego vtor, vel electuario roſato Meſues, vel electuario de ſucco roſarum, quæ duo ſunt potiſſima, & apud me in frequenti vſu ad euacuandam bilem, & non ſunt pericu loſa; vnde ego ſoleo componere medicamentum hoc modo.

Roſarũ uis.

Rec. electuarij de ſucco roſarum, vel roſati Meſues. ℥ s.
Floris caſſiæ. ℥ s.
reubarbari electi. ℈ ij.

Miſce, & fiat bolus. aliquando conficio potum hoc modo.

Rec

Rec. ſyrupi roſati ſolutiui ℥ ij. vel iij.
electuarij de ſucco roſarum, vel roſati Meſues ℥ ſ.
decoctionis pectoralis communis. q. ſ.

Miſce, & fiat potus. Hæc educunt bilem tenuem. Sed ſæpe accidit, ut quamuis in corpore abundet miſcella omnium humorum, tamen maior ſit copia bilis exuſtæ, & melancholicæ, & tunc maxima difficultas ineſt in euacuatione ipſius, quoniam craſſa eſt, & rebellis calori naturali, atque difficillimè ſeparatur. *[Si bilis ſit exuſta, & melancholica. Signa.]* Cognoſcetis autem exuſtum humorem abundare in corpore ex uetuſtate morbi gallici, fieri enim non poteſt, ut perdurante labe gallica non exurantur humores, quia perdurat intemperies hepatis calida, uel calida, & ſicca. Cognoſcitur etiam talis humor in corpore abundans ex colore cutis atriori, & ex colore nigro venarum: ſimiliter ex lotio, & ex fecibus atrioribus, necnon ex colore ſanguinis dum ſecta eſt uena; atque ex alijs multis, quo cognito monet unum doctiſſimus Montanus optimum, & ferè diuinum in præparando humore iſto exuſto, & eſt, quòd in morbo gallico humor iſte melancholicus exuſtus, & feculentus ſolet eſſe ita ſiccus, & torrefactus, etiam ſi ſit humor, ut requirat eliquationem quandam, ſi debeat præparari, & euacuari, nam præparatio huius humoris conſiſtit in attenuatione, deterſione, & apertione uiarum, craſſities enim indicat attenuationem, ſicut uiſciditas deterſionem. & quia humor eſt craſſus; ideo oportet aperire uias: hæc dicitur huius humoris præparatio ad expulſionem, & hoc modo exponendus eſt excellentiſſimus Montanus, quam præparationem ad expulſionem nõ poterimus aſſequi, niſi prius humorem hunc quodam modo elixemus, & liquidũ reddamus, vnde dicit Montanus, tentanda eſt aliqua ipſius concoctio, intelligẽs per concoctionẽ colliquationẽ, & elixationẽ quandã, ſi enim prius tentaremus ipſum præparare cũ attenuantib. detergentib. & aperiẽtib. redderemus ipſum magis ſiccum, quũ hæc calefaciunt, & ſiccant, & veriſſima certè eſt Montani ſententia; & ego expertus ſum, quod ſi incipiamus præparare humorem hunc cum attenuantibus, detergentibus, & aperientibus, non ſuccedit deinde euacuatio, neque enim vacuatur humor, etiam ſi viæ apertæ ſint, quoniam eſt ſiccior redditus, & magis compactus; & ideo oportet ipſum eliquare, & quodammodo elixare, antequam præparetur, & euacuetur. eliquantur autèm corpora dupliciter, ſunt enim quædã, quæ compinguntur, & concreſcunt à frigore, & ſunt dura, & denſa corpora, & hæc eliquantur à calore robuſto, vt reſinæ compactæ, ſed pro vero exemplo accipiatis metalla, quæ ſi debeant emolliri, & eliquari requiritur calor robuſtiſſimus; verum humor iſte peccans in morbo gallico non eſt compactus, & ſiccus propter frigus, ſed quia habet partes ſiccas, & terreas admixtas, & huiuſmodi corpora non eliquantur à calore robuſto, ſed à calore humido; exemplo vobis ſit genus illud metalli, quod vulgo vocamus talco, quod ab igne nequit eliquari, etiam ſi centum annos in eo maneat, & eſt inter ea, quæ reſiſtunt igni, vt etiã aurum: metallum igitur iſtud talco vulgò appellatum, quamuis ab igne nequeat fundi, tamen à calore tepido eliquatur nam in balneo mariæ funditur: videatis modò quomodo corpora ſe habeant; de genere igitur iſtorum, quæ eliquantur à calore tepido, & humido eſt humor melancholicus exuſtus abundans in morbo gallico; & ideo ſi debeat eliquari requirit calorem humidum; hoc autèm fiet ſi augebimus calorem inſitum, & conſeruabimus ſpiritum naturalem: vnde à principio inſtituetis victum moderatè calefacientem, & humectantẽ, & ita ptiſſana, vel eius ſuccus crèmorvè, vel Zea addito pauco pipere ob hordei frigiditatem, optima erunt, quia iuuabunt naturam ad generationem ſpiritus tepidi; carnes quoque teneræ humidæ opportunæ erunt, vt caro pullorum, columbarum, perdicũ, faſianorum, qualearum, & turturum, ita & vſus vini oligophori, maturi, ſubdulciſque ſed non vinoſi: fructus quoque humidiores boni erunt, vt vuæ maturæ, ficus maturi; hęc enim calefaciunt moderatè, & humectanr, & tale quoque generant alimẽtum, quo mixto cum malo humore melancholico eliquat quodammodo ipſum; ad eundem vſum conueniunt frictiones factæ manibus inunctis quibuſdam humidis, ur oleo amygdalarum dulcium, ut incaleſcat corpus inunctum; aliquando etiam ad eundem uſum fouebitis hepar aliquo calefaciente, & humectante, & non ſolum fouebitis hepar; ſed etiam hipochondrium utrũq; unde medicamentum iſtud erit accommodatum.

[Montani opinio in pparatione humoris exuſti.] *[Humor exuſtus liquandus.]* *[Eliquatio corporum duplex.]* *[Victus ratio.]* *[Frictiones.]* *[Fotus hypochõdriorũ.]*

Rec. uini nigri dulciſſimi lib. ij.
florum camomillæ
foliorum maluæ } an. m. j.
boraginis
olei amygdalarum dulcium. ℥ j. ſ.

Miſcentur, & coquuntur ſecundum artem, & in hoc decocto madefit ſpongia, & exprimitur,

mitur,& fouetur hepar,& vtrumque hipochondrium ac venter totus. In cibis autèm, ſi quid iuuat eliquationem huius humoris,illud ſanè eſt uſus boraginis,& uſus ſeri copioſi: calefaciunt enim humectant humorem exuſtum, & feculentum : unde exhibebitis boraginem in ferculis,uel in acetarijs,vel eius ſuccum cum melle,vel ſaccaro mixtum,vel alio quocumque modo,& erit præſtantiſſimum: potionibus etiam ſolemus tentare huiuſmodi eliquationem, qualis eſt potio hæc.

Vſus boraginis.

Potio.

Rec.ſyrupi de duabus ſine aceto,uel de hyſſopo }
ſyrupi regis ſabor } an. ℥ j.
decocti capillorum ueneris }
melliſſæ }
boraginis } ℥ iiij.
petroſelini }

Miſce pro potione,qua utatur aliquot diebus donec poteritis aſſequi humorem eſſe eliquatum;acetum,& omnia, quæ acetum recipiunt in hoc caſu pro eliquatione huius humoris ſunt mala:cum uideritis elixatum quodammodo, & eliquatum eſſe humorem, deuenietis ad præparationem eiuſdem cum ijs,quę attenuant,detergant,& prouocent lotiũ; unde isti ſyrupi erunt opportuni. Syrupus de fumoterræ,de epithimo, & eſt ualidior, de lupulis de bugloſſa,de pomis. nam attenuat,incidit,& non ſiccat,immò humectat; ex his igitur facietis unum ſyrupum hoc modo.

Præparantia humorem.

Rec.ſyrupi de fumoterræ ſimplicis }
ſyrupi ſabor regis,uel de pomis } an. ℥ vj
ſyrupi de epithimo. ʒ iiij.
decocti fumiterræ
ſcordei
boraginis
cicorij
liquiritiæ
capillorum ueneris. ℥ iiij.

Miſce pro ſyrupo : attenuabit,incidet, aperietque venas, & non ſiccabit valde. Verum ſicut in præparatione aliorum humorum ego exhibebam electuarium, quod haberet vim bezoarticam,& retundendi malignitatem:ita & in præparatione iſtius facio. Exhibeo electuarij huius ſummo mane ad quantitatem nucis auellanæ, vel fabæ ægyptiacæ craſſioris, mox mando,vt ſtatim ſuperbibat ſyrupum.electuarium autem,quod exhibeo eſt hoc.

Electuarij uſus.

Rec.ſaccari bugloſſati }
boraginati } an. ℥ j.
pulueris ſcordij. ʒ j.
pulueris ſonchi }
ſpecierum diarodon abbatis } an.℈ ij.
miſcē pro electuario.

Euacuatio materiæ.

Facta hac præparatione, oportet materiam euacuare, & primo ad hoc faciendum proponitur ſena,id eſt folia, & folliculi ipſius,mirabolani indi;ſed helleborus, & epithimũ in hoc caſu ſuperant omnia;vnde & ea,quæ recipiunt hæc duo,præſtantiſſima ſunt, vt confectio hamech,electuarium indum,quod hoc nomen accipit, quia purgat humores atros, indi enim nigri ſunt;pillulæ ex lapide lazuli ſunt etiam bonæ,ſed ſpecies hierę diacolocyntidos,vel hiera ipſa diacolocyntidos ſuperant omnia ad euacuandos humores hos aduſtos in morbo gallico,quales etiam ſunt pillulæ cochiæ præparatæ cum helleboro, quas habemus opera excellentiſſimi Curtij.vnde vel pillulis his,vel ſpeciebus dictis vtamini, vel etiã veratro ipſo nigro,uel epithimo optimè præparatis. Excellentiſſimus Montanus conficiebat quendam ſuum ſyrupum,quem & nos uocamus ſyrupum Montani, quo utebatur ad euacuandum corpus, & præcipuè quando abundat non ſolum ſuccus melancholicus exuſtus;ſed & alij;& utebatur ſyrupo hoc in principio gallici,& multi ex uſu ipſius, & alicuius leuis bezoartici ſimul ſanati ſunt ab incipiente morbo, & certè medicamentum eſt optimum,& ego uſus ſum aliquando, deſcriptionem autem habetis in libello illo edito, ſed corruptam penitus. nam & doſes corruptæ, & falſæ ſunt, & reperiuntur etiam aliqua

ſuper-

gummi arabici }
ligni aloes }
macis } an. ʒ iij.
maſticis }
foliorum fumiterræ }
epithymi } an. ℥ ij.
gingiberis. ʒ v.
corticum hellebori nigri. ℥ j.

Miſcentur,& teruntur,& infunduntur in s.q.vini dulciſſimi albi,& potentis admodum per vigintiquatuor horas,deinde additur.

florum boraginis }
bugloſſæ }
roſarum } an. ℥ s.
violarum }
citri }
paſſularum. lib. j.
coriandrorum præparatorum. ℥ ij.

Iterum bulliunt moderatè,& parum,deinde colatur, & reſeruatur, & facta præparatione exhibentur quinque vnciæ huius potionis ſingula die, vel alternis diebus, deinde poſt exhibitionem huius,vel alterius potionis ſupra dictæ,vt ſuperetur morbus, ſi nondum fixerit radices, oportet exhibere aliquod aliud; nec ego incipiente morbo Gallico deuenio ſtatim ad decoctum guaiaci, quia ſpero ſanationem me fore conſecuturum cùm aliquo alio, qui diſſipet qualitatem illam malam morbi; vnde magis ſpero in aliquo leui bezoartico, quod reſiſtat malignitati, & roboret viſcera: vnde ego facio, vt ſingulo mane per quindecim, aut viginti dies accipiat parum medicamenti, quod iam deſcribam, deinde facio, vt ſtatim ſuperbibat aquam hordei, vel ius aliquod: medicamentum autèm eſt hoc.

Medicamẽtum auctoris antequàm ſumatur decoctum.

Rec.ſpecierum diarodon abbatis. ℥ j.
diatrion ſandalorum. ʒ iij.
mitridaticæ confectionis. ʒ j.
pulueris ſcordij. ʒ ij.
ſaccari boraginati }
violati } an. q. s.
roſati }

Miſce, & fiat electuarium, & multos hac ratione vidi ſanatos ab incipienti morbo; ſed ſi morbus fixerit iam radices, opus eſt validiori auxilio; ideo poſt euacuationem, & tentatis etiam quibuſdam præſidijs, quæ malignis qualitatibus, & affectionibus reſiſtunt, ſolent aliqui pro ſanando Gallico morbo deuenire ad quædam robuſtiora, quæ ſtrenuè ſiccant, cui adiungunt tenuem admodum victus rationem, vt & medicamento, & victu attenuante diſſipetur qualitas mala, ac maligna natura morbi Gallici: vnde aliqui, vt dicebam,exhibent decoctum ligni iuniperi, vel ex tæda arbore, vel ex citro, vel ex acere, vel ex cupreſſo, vel ex alijs huiuſmodi lignis, quæ habent robuſtiſſimam uim ſiccandi, & digerendi. Alij melius agunt, qui non ſcobem dictorum lignorum coctum, ſed contum, uel remum fagineum integrum deuorandum exhibent in triremibus, ut Dorias facit, & Gallicum ſanat, ſed hæc futilia ſunt; morbus enim non ſolum requirit ea, quæ ſiccent, & digerant; ſed etiam illa, quæ oppugnent prauam uenenatamque naturam, quam morbus ipſe habet: hincque factum eſt, ut ex uſu dictorum lignorum curatio illis non ſucceſſerit; & ideo alij doctiores, & præſtantiores medici acti non ratione tantum, ſed etiam certa experientia deuenere ad alia auxilia, quæ non ſolum ſanant morbum eò, quod ſiccent, & digerant, ſed etiam ex tota ſua ſubſtantia malignam naturam oppugnant, & ſuperant, inter quæ eſt lignum indicum, quod uocatum eſt, ita quia defertur ex eiſdem inſulis Indiæ Occidentalis, ex quibus etiam delatus eſt morbus, ita ut idem locus, qui attulit morbum, afferat etiam ſanationem, & medicinam; & omnes, qui de morbo Gallico, ac de inſulis illis ſcripſere aſſerunt, quod Gallica lues eſt frequentiſſima in illis locis, & eſt ueluti ſcabies apud nos, pauci enim ſunt homines, uel mulieres, qui infecti non ſint Gallico; ſed dicunt, quod cito, & facile ab ipſo ſanantur, quoniam habent auxilium præſens,& optimum,& recens: aſſeruntque, quod alij,vt ſanentur aſſumunt fructus ligni indici,qui ſoluunt valde aluum,ita vt ſimul,& ſemel purgetur corpus, & ſuperetur maligna morbi natura, alij accipiunt ſuccum foliorum eiuſdem ligni, ſed vt plurimum vtuntur ligno ipſo,vt etiam fit apud nos.de hoc ergo ligno eſt nobis nũc

Decocta ſiccantia, & digerentia vehemẽter refelluntur.

Lignũ Indicum.

agendum,& videnda eſt ipſius hiſtoria,notæ,facultates,ſpecies,actiones,& præparationes: & primum de hiſtoria debetis ſcire, quod non conſentiunt auctores de hoc ligno, quod vocatur lignum indicum,vel guaiacum,vel lignum ad morbum gallicum,vel lignum ſanctum;dicitur quidèm indicum,quia ex India occidua defertur;dicitur guaiacum forte patrio nomine,aut alia de cauſa illi impoſito; dicitur poſtea lignum ſanctum ob ſanctos & miros effectus, quos edit: de hoc inquam ligno tot modis vocato non conſentiunt auctores, nam Manardus in tertio libro ſuarum epiſtolarum dicit triplex eſſe genus huius ligni delati ex illis Indis, vel inſulis, vnum quidem lignum eſt craſſum, alterum mediocre, tertium tenuius omnibus alijs; & hæc tria genera exiſtimat eſſe inter ſe diuerſa.

Hiſtoria ligni Indici, vel Guaiaci.

Matthiolus tamen doctiſſimus putat omnia hæc ligna eſſe eiuſdem penitus ſpeciei,& naturę,atque eadem arbore,ſed hoc intereſt,quod illud craſſum eſt ex arbore(ait)antiqua, mediocre ex mediocri,tenuius ex tenuiſſima, & recenti, & hęc dicit differre hoc modo, quod lignum illud craſſius habet magnam ſui partem intimam nigram, circumquaque autèm eſt coloris ſublutei.

Secunda autèm ſpecies illius eſt, quod habet medullam quidèm nigram, ſed non multam,maior autèm pars ligni eſt alba:

Tertia verò ſpecies eſt alba tota,& ita dicit Mathiolus, quod ligna hæc differunt ratione vetuſtatis, vel quia ſunt ex trunco, vel ex ramis, & quod color in his differt eo modo, quo dictum eſt, & in hac opinione ſunt ferè omnes, vel maior pars, & credunt, quod lignum indicum, lignum ſanctum, lignum pertinens ad morbum gallicum, vulgò legno dal mal franzioſo,guaiacum, vel guaiacanum lignum, ſit vna atque eadem ſpecies ligni,& arboris effigiem nobis deſcribunt, dicentes,quod creſcit ad magnitudinem fraxini, eiuſque corticem dicunt æmulari corticem fraxini,& quod attollitur ad altitudinem fraxini.folium habet(inquiunt)arnogloſſi,durius tamen,& craſſius,profertque flores ſubluteos,& ego alias vidi flores Piſis ſaccaro conditos, & colorem agnoui eſſe ſub album: figuram autem florum non potui cognoſcere,quia nimis erant ſaccaro macerati:guſtaui flores illos, & ſenſi ſaporem eſſe ſatis malum, & expertus ſum ipſos ſoluere ventrem:fructus eiuſdem arboris dicunt habere figuram nucum iuglandum. ego vidi hos fructus, & habeo domi vnam, quem non potui hoc mane reperire, ſed euoluam omnia ſcrinia,vt tandem inueniam, & vobis oſtendam,& videbitis,quod non habet figuram cum nuce iuglandis,licet hiſpani hiſtorici, qui de re hac ſcripſere,hoc attribuant fructui guaiaci, debetis enim ſcire, quòd lignum ſanctum,& guaiacum,ſeu guaiacanum differunt ſpecie, licet habeant vim ferè eandem,nam ſub hoc nomine ligni ad morbum gallicum tres arbores habemus,& prima deſcribitur à Ioanne Leone,qui ſcripſit hiſtoriam Africæ,in vltimo lib. inter arbores africanas, vbi deſcribit arborem vocatam lignum morbi gallici, quæ ex toto ſimilis eſt iunipero:hæc in Italia non eſt in vſu,licet ſit in Africa ad ſuperandum gallicum; poſtea ſunt duo ligna,quorum vnum dicitur in inſulis illis guaiacum, vel guaiacanum, hoc enim modo appellatur in Inſula Sanctæ Crucis,in Inſula Sancti Dominici,& in Inſula Sancti Ioãnis, & hoc lignum ita vocatum defertur pretioſiſſimum ex inſula illa,quæ vocatur inſula beata,& hæc eſt ſecunda ſpecies ligni deſtinati ad morbum Gallicum, nec deſcribitur ab vllo hiſpano, qui ſcripſere hiſtorias indicas, quibus in hac re eſt credendum,non autem huic, vel illi mercatori ignoranti etiam terminos rerum; cum ergo guaiacum,vel guaiacanum dictum lignum non deſcribatur ab illis, poſſumus dicere, quod nos ignoramus figuram, & naturam arboris, niſi dicamus quod eſt talis arbor, qualis deſcribitur à Mathiolo habens folia arnogloſſi,&c.

Tertia ſpecies ligni deſtinati ad morbum gallicum, eſt quæ propriè in inſulis illis appellatur palus ſanctus;& vocatur etiam lignum ſanctum,& hoc lignum differt à guaiaco, ſeu guaiacano,colore,figura,& facultatibus, licet vtrumque faciat ad morbum gallicum,nam Ioannes Conſaluus de Ouido hiſpanus vir maximè auctoritatis, qui ſcripſit hiſtorias oculatas (vidit enim,quæ ſcripſit) inſularum illarum, & dicauit opus Imperatori Carolo,cui non erant proponẽda mendacia,& ſcripſit duplex opus,vnum quod dicitur ſummarium; alterum de hiſtoria.Ioannes igitur Conſaluus in ſummario indiarum. cap.76. & in 10. lib. de hiſtoria.cap.11.inquit,quod palus ſanctus eſt arbor magna,vt eſt iuglãdis arbor,aut paulò minor,& cortice induitur pullo,ſeu nigro viridi maculatus: folia habet arbuti, minora tamẽ ac viridiora: fructus ſunt coloris lutei,qui oriuntur geminati,ac ſi gemini eſſent lupini,qui ſuis apicibus iungerẽtur ſimul;lignum eſt durum, ponderoſumque,ac in medio nigrum, aut pullum, ita dicit Conſaluus, & ſi videbitis fructum illum, quem ego habeo profectò dicetis eſſe fructum huius arboris, nam eſt vt gemini lupini per apices ſimul iuncti, & ſi vultis cognoſcere ſimilitudinem huius fructus, inſpiciatis fructum fagi,

&

Digitized by Google

& videbitur vobis, quod ſit veluti geminæ caſtaneæ depreſſæ, quæ ſuis apicibus ſint coniunctæ; talis eſt arbor, palus ſanctus, vel lignum ſanctum vocata, quæ differt admodum à guaiaco, nam guaiacum eſt amarum, habet paruam acredinem, & nullum ferè odorem, vel paruum; palus autem ſanctus eſt magis acris, quàm amarus, habetque odorem robuſtiſſimum. præterea ſubſtantia pali ſancti eſt coloris ſubluteì, vel ſubalbi; guaiaci autèm ſubſtantia eſt in medio nigra, & circumquaque ſubalba. & ita differunt colore, ſapore, & figura. differunt & viribus, nam guaiacum valde ſiccat, ſanatque morbum gallicum, in alijs autèm morbis, vel nullam, vel minimam vim habet; vnde vera eſt ſententia doctiſſimorum Virorum huius gymnaſij, quod in alijs morbis gallico excepto guaiacum parum faciat, & errant illi, qui putant ipſum habere magnam vim in alijs etiam morbis, quæ opinio eſt iam in tota ferè Italia diſſeminata, nam & Venetijs, & Mediolani, & Veronæ, & Brixiæ, & Vincentiæ, & in alijs eximijs Ciuitatibus, vbi ſunt etiam medici præſtantiſſimi exhibent guaiacum in alijs morbis, ſed vt dixi decipiuntur, & hæc opinio quod guaiacum proſit valde in alijs etiam morbis, orta eſt ratione pali ſancti, nam primum delatus eſt ad nos palus ſanctus, qui habet vim maximam, non ſolum in morbo gallico, ſed etiam in alijs morbis, & hæc obſeruatio non eſt tantum mea, ſed etiam fuit Hiſpanica, & delata etiam ex Inſulis illis, nam & inibi vtuntur palo ſancto in alijs affectibus feliciſſimè, vt dicit Ioannes Conſaluus de Ouido; cum ergo medici ſuperiores vidiſſent, quod palus ſanctus faciebat non ſolum in Gallico, ſed etiam in alijs morbis, factum eſt, vt alij, qui deinde ſubſecuti ſunt non diſtinguentes inter palum ſanctum, & guaiacum putarint, quòd & guaiacum eandem vim habeat. at Medici huius Gymnaſij, quia optimè nouerunt diſtinctionem; ideo dicunt, quod guaiacum habet vim magnam in morbo Gallico tantum, in alijs autèm paruam admodum; Itaque hæc eſt differentia ratione facultatis inter guaiacum, & palum ſanctum, quod guaiacum facit tantum in gallico, in alijs autem morbis minimam uim habet; at palus ſanctus magnam habet facultatem non modo in morbo Gallico, ſed etiam in omnibus alijs morbis, in quibus opus eſt calefactione, digeſtione, & ſiccatione moderata, & citius, atque melius ſanat Gallicum, quàm faciat guaiacum. Itaque omiſſo ligno illo Africano dico, quod duo ſunt genera ligni, quæ faciunt, & ſunt in vſu in morbo Gallico, vnum, quod dicitur guaiacum, vel guaiacanum; alterum verò palus ſanctus, vel lignum ſanctum. quorum vtrumque habet vim bezoarticam contra morbum Gallicum; ſed illud minorem, hoc verò maiorem, licet inter ſe alia etiam ratione differant, quia palus ſanctus, vel lignum ſanctum eſt tenuius, nihil nigri intus habens, ſed eſt coloris ſubluteì, vel ſubpallidi, ſemper eſt cortice ſuo tectus, & cortex eſt tenuior, eſtque lignum ſaporis valde acris cum quadam amaritudine leui, cui additur odor ſui generis intenſiſſimus. guaiacum autem eſt craſſius habet ſemper medullam nigram amarorem plurimum cum pauca acredine, vt plurimum eſt cortice exutum, vel ſi habeat corticem facilius ſeparatur, quàm à ligno ſancto; cortexque eſt craſſior: & lignum habet quidem odorem ſui generis, ſed non ita intenſum, vt habet palus ſanctus; iam ſi vultis quædam intimiora ſigna; hæc ſunt quod duplo maior quantitas olei extrahitur ex palo ſancto, quàm ex guaiaco, Chimiſtæ enim inuenere modum, quo extrahunt oleum ex his lignis quem modum docebo vos, quando agam de vſu iſtius olei. Præterea decoctum ex palo ſancto eſt craſſius, acrius, & pinguius, quàm decoctum guaiaci. Cortex in vtroque idem ferè eſt nigrore quodam infectus.

Differentia inter Guaiacum, & palum ſanctum.

Duo genera ligni ad morbũ Gallicum curandum.

Sed notate, quòd Venetijs habebatur, non eſt multum tempus elapſum, corticis genus quoddam delatum neſcio an ex Aegypto, vel aliunde, nam mercatores quidam cum reperiſſent arborem ſimilem palo ſancto, vel guaiaco ob prouentum, ſeu lucrum detulerunt corticem illius arboris copioſum Venetias, & vendebant. Sed inuentum eſt, quòd malus erat, & patiebat affectus peſſimos, ita vt ferè interficeret homines. Vnde genus illud corticis relegatum eſt, & cautum eſt publico edicto, ne quiſpiam illud vendere amplius audeat, Corticis autèm illius (vt & vos ſciatis ab ipſo cauere) eſt talis: cortex eſt tenuis, & non expanſus, ſed habet veluti canales, quod indicat ipſum extractum fuiſſe ex tenuibus ramis: in ſuperficie extima, & intima eſt albus, eſtque duriſſimus, vt quaſi videatur cornu; cortex autèm pali ſancti, vel guaiaci in parte extima pulli coloris eſt, habetque rimas quaſdam in quibus ſunt lineæ nigræ: in interna autem facie eſt ſubniger, & ſi frangatur in medio fractarum partium apparet color ſubniger, eſtque longè frangibilior, quàm ſit cortex ille malus.

Cortex adulterinus ligni, & eius ſignum.

Verùm ſciatis, quod cortex iſte bonus guaiaci, vel pali ſancti nunc non habetur Venetijs, ſed adſunt tantum quiſquiliæ quædam hoc eſt ramenta, & fruſtula quædam magnitudinis duorum digitorum relicta in faccis, in quibus aliàs fuit optimus cortex delatus, & cum illis ramentis etiam mercatores commiſcuere fruſta illius mali, & relegati corticis, ideo caueatis ab illis quiſquilijs.

Notate etiam quod palus ſanctus ſolet deferri non ſpoliatus cortice, ſed à ſuo cortice circundato; guaiacum autèm ſpoliatum ſuo cortice, quod faciunt mercatores ob duplicē quæſtum, lucrumve; nam vendunt lignum, vt lignum, & corticem etiam per ſe diſtinctū; ratio autèm cur non auferant corticem ex palo ſancto eſt, quia difficillimè ſeparatur; & non niſi in fruſtula, ita hæret; & adeo tenuis eſt: at cortex in guaiaco facillimè, & integer auellitur, vt ego expertus ſum Piſis ad portum Labronis, vbi aceruos maiores, quàm ſit hæc domus vidi aliquando guaiaci. hoc igitur eſt duplex ligni genus, quod nos habemus ad morbum Gallicum, & talis ſuus cortex eſt: ſed ſciatis quod quando ego poſſum habere palum ſanctum vtor libentius, quàm guaiaco, quoniam & citius, & melius agit. his addo, quod guaiacum habet tres differentias, nam vnum eſt craſſiſſimum, quod habet plus nigri, quam albi in medio: alterum eſt non ita craſſum, nec ex arbore, ita craſſa, quod tantam habet partem albam, quantam nigram.

Palum ſanctum eſt præſtantius guaiaco.

Guaiaci differentia.

Tertium eſt tenue admodum, ita vt ſua craſſities non excedat craſſitiem cruris, vel brachij, & hoc habet maiorem partem albam, quam nigram.

Omnia tamen hæc habent nigredinem in intima ſui ſubſtantia, ſed alia maiorem, alia minorem, quæ nigredo circundatur à parte alba, quæ pariter nunc multa, nunc pauca eſt, & hæc etiam differunt inter ſe ſapore, nam illud quod eſt tenuius habet odorem, & saporem intenſiorem; ſed habet plus acredinis, quam amaritudinis; illud vero quod eſt craſſius habet amaritudinem quidèm maiorem, acredinem verò minorem. mediocre autèm medio modo ſe habet in his. qui de re hac ſcripſere, dicunt quod iſta tria ligna non differunt ſpecie, ſed ætate tantum, nam illud craſſius ex vetuſta arbore, & hoc habet in medio circulum coloris nigri maximum cum pauca portione circumducta coloris lutei albicantis, quæ habet quaſdam lineas, vel venas candidiores à ſumma arbore ad imam per rectum diſcurrentes, & hoc lignum non eſt multum amarum, neque acre multum, nec valde odoratum, ſed aridius; hocque dicunt vocari guaiacum: lignum mediocri ex arbore nō eſt ita nigrum intus, ſed eſt odoratius, acrius, & amarius priori: lignum vero ex tenuiori arbore, aut ex ramis tenuioribus præter tenuitatem ramorum, præter nigredinem, qua caret, etiam valde odoratum, acre, ac amarum eſt, maioremque humiditatem in ſe continet. ac eſt magis pingue. decoctum etiam pinguius, ac craſſius reddit, hocque propriè lignum ſanctum à quibuſdam vocatur, & in hoc ego conſentio cum illis. Quidam reperiuntur qui aſſerunt vetuſtius lignum habere gummoſitatem quandam, atque acriori ſapore eſſe præditum, ſed decipiuntur, nam ratione, non autem experimēto mouentur. ratio eſt, quia antiqua arbor eſt ſiccior, & è contra. Sed ego vidi Piſis in portu Labronis pyras maximas huius ligni, & nunquam hoc reperi cum pluries periculum fecerim, ſemperque inueni tenuioris arboris, aut rami lignum odoratius, atque amarius, & tandem pinguius; diſtinguetis autèm an lignum ſit ex planta, ideſt trunco, vel ex ramis, quoniam illud, quod eſt ex ramis, eſt vel intortum, non ita teres, non ita rotundum, ſed magis nodoſum; ſi autèm ſit rectum, teres, rotundius, vel ſine nodis, indicatur quod eſt ex trunco. Sed ſiue ex planta, ſiue ex ramis ſit, non refert, quia vtrumque eſt bonum; ſciatis tamen, quòd copioſius defertur lignum craſſum, quam tenue, & ratio eſt, quia diutius durat, & magis ſiccat. In ligno ſancto adſunt etiam differentiæ iſtæ, nam aliud lignum ſanctum eſt ex vetuſta arbore, aliud ex recenti, aliud ex mediocri, vel ex ramis; & cognoſcuntur duritie, pondere, odore, ſapore, pinguedine, & alijs; nam illud quod eſt ex vetuſta arbore, eſt minus odoratum, minus pingue, & minus acre, ſed ſit quicquid voluerit, ego ſemper magis probo palum ſanctum, & illum quidèm ex mediocri planta, quàm guaiacum. Hæc ad hiſtoriam, & ſpecies tum ligni ſancti, tum guaiaci pertinebant, quorum vtrumque eſt ſpecies ligni indici; quod lignum aliqui dicunt reperiri non ſolum in Indijs occiduis, ſed & alibi. vt in Orientalibus Indijs, & in Inſula Teprobana: ſed decipiuntur; nullus enim hiſtoricus, qui ſcripſit de Inſulis Occidentalibus, facit mentionem, quod ex partibus Orientalibus deferatur lignum Indicum; nec ego vnquam vidi aliunde delatum, quàm ex Inſulis Occidentalibus: ſum tamen huius opinionibus, quod ſi in Orientalibus locis reperiretur, eſſet ſemper longè melius, quàm illud, quod defertur ex Occidentalibus Indijs. nam video, merces, gemmas, & omnia, quæ ex Oriente deferuntur, eſſe præſtantiora, quàm quæ aduehuntur ex partibus Occidentalibus. Errant etiam illi, qui volunt lignum Indicum fuiſſe notum antiquis, dicunt enim quòd eſt arbor illa, de qua meminit Auicenna in ſecundo can. capit. 384. quam vocat Karon, & lignum Indum, vel Kallem: hanc arborem dicunt eſſe lignum Indum. Sed decipiuntur: quoniam Auic. dicit, quod eſt optima ad fracta, & luxata oſſa, & ad contortos neruos, vel articulos.

Signa diſtinguentia truncum à ramo.

Alij volunt, quòd ſit arbor illa, quam etiam deſcribit Auicenna in ſecundo canon. cap. 335. quam vocat heſte de hen, vel heſtdeen. At decipiuntur: nam dicit Auic. quod talis arbor eſt optima in podagra.

Præterea,

Præterea, cum Auic. non deſcribat, nec tradat notas talium arborum, difficilimum eſt diuinare, cuiuſnam generis ſint, & numquid eædem cum ligno Indico. Excellentiſſimus Montanus ſuſpicatus eſt lignum Indicum eſſe in his regionibus, & præcipuè in montibus Veronenſibus: nam putauit eſſe arborem illam, quę vulgò dicitur Egano, alibi Aorno, vel Orno, à Vitruuio autèm & ab alijs vocatur Laburnus, vel Laburnum, quæ arbor creſcit ad honeſtam magnitudinem, altitudinemve & hoc tempore floret, & flores profert racematim, luteoſque, & non diſſimiles floribus fabarum: quam arborem potuiſtis videre in multis locis huius Ciuitatis; hanc autem arborem credidit Montanus eſſe lignum Sanctum, vel guaiacum Italicum, motus leui coniectura, quòd lignum hoc eſt ſolidum, & intus habet medullam nigram, circumcirca autem eſt album. Sed poſtea non habet ſaporem, non odorem, non folia, non fructus, nec vllum aliud ligni Indici. Aliqui etiam fuere, qui mordicus accepere hanc opinionem, quod lignum Indicum ſit Ebanus. Sed vel intelligunt de Ebano antiquorum, vel de noſtra: ſi de illa, quæ nobis deſcribitur ab antiquis, mentiuntur, quia Ebanus deſcripta ab antiquis erat materia quædam quaſi diuina; ſi autèm intelligant de noſtra, ſequitur quòd malè diſcripſerunt Ebanum antiqui. Præterea nec noſtra quadrat ligno Indico; quia noſtra ebanus eſt tota nigra excepto cortice; lignum autèm Indicum non eſt tale. Secundò ſcobis ebani noſtratis, ſi ponatur in aqua, maceratur ſpatio duarum, vel trium horarum; ſcobs autèm ligni Indici vix maceratur termino vigintiquatuor horarum. Addatis, quòd lignum Indicum difficilè corripitur igne, etiam ſi ſit pingue; ebanus autèm vix tacta ab igne flagrat. Præterea, ſi exuratis ebanum, ſentitur bonus odor; at cum exuritur lignum Indicum, percipitur malus. Vnde non poſſum niſi dicere, quòd lignum Indicum naſcitur in Indijs tantum Occidentalibus, & quòd nullum habet conſortium cum planta aliqua noſtrate. Natura autèm, & vis ligni Indici quæ eſt? hoc docebit nos experientia coniuncta cum quibuſdam, quæ probabilitatem faciunt. Si guſtemus palum ſanctum, vel guaiacum, vel eius ſcobem, percipimus amarorem, & acredinem; ſi etiam decocto iſtorum abluamus vlcera noua, & deterſa, percipitur mordicatio; ſi verò ſordida, deterſoriam vim magnam in eſſe cognoſcimus. Ex quo apparet medicamentum hoc calefacere, quia habet partes quaſdam tenues, & acres, quæ ſapiunt naturam calefacientis, & ſiccantis: vnde probabiliter colligetis, quòd lignum Indicum calefacit, & ſiccat. Sed experientia ipſa demonſtrat hoc, quia ſi vtamur ligno Indico in morbis calidis, videmus, quòd auget caliditatem, in frigidis autèm prodeſt, & ſi vtamur in intemperie humida ventriculi, vel alterius partis, vt neruorum, experimur, quòd exiccat humiditatem illam, & partem affectam: & hoc præcipuè facit palus ſanctus, quia ipſe facit & in alijs morbis præter Gallicum, quod non eſt de guaiaco; vnde dicendum eſt, quòd calefacit, & ſiccat: ſed in quo gradu? Aliqui, cum quibus ego conſentio, dicunt, quod lignum Indicum calefacit in ſecundo gradu: & hoc verum eſt tàm de ligno ſancto, quam de guaiaco. Sed cum videamus, quod vtrumque cito agat, & manifeſtam edat actionem, nec faciat dolorem aliquem, nec moleſtiam, colligimus, quod eſt quidem calidum in ſecundo gradu, ſed non admodum intenſo: ea enim, quæ calefaciunt in ſecundo intenſo, vel in tertio, inferunt moleſtiam, & dolorem quendam, quem refugit pars ipſa. De ſiccitate autèm dico, quod plus ſiccat, quàm calefaciat: vnde credo quod ſit ſiccum in ſecundo intenſo, vel in tertio incipiente. Vtrumque igitur eſt calidum circa medium ſecundi gradus, & ſiccum, vel in principio tertij, vel in fine ſecundi. Sed quia arbor aliquando eſt vetuſtior, aliquando recentior, ideo dicatis, quod in vetuſtiori caliditas eſt remiſſior, ſiccitas autèm intenſior; in recenti vero è contra caliditas eſt intenſior, & ſiccitas remiſſior; in mediocri autèm dicetis reperiri caliditatem circa medium ſecundi, & ſiccitatem circa finem eiuſdem, vel in tertio incipiente. Cortex autèm eſt ſiccior valde, quàm calidus: nam vix calefacit in fine primi, vel in principio ſecundi; ſiccitas autem eſt inſignis: vnde cum volueritis ex decocto ligni maiorem ſiccitatem, admiſceatis multum corticis, vt infrà vos docebo: ergo in omni arbore ligni Indici cortex eſt plus ſiccus, quàm calidus. Habetis iam qualitatem manifeſtam ligni Indici, qua ſuperat morbos frigidos, & humidos, & præcipuè hoc facit palus ſanctus. Sed hoc nihil eſt reſpectu facultatis, quæ tradita eſt ipſi à generante, & confirmante, conſeruataque à cælo, & à loco, in quo naſcitur tale lignum, & eſt facultas bezoartica occulta, qua ſuperat gallicum à tota ſubſtantia; non autèm, quia moueat ſudorem, vel prouocet lotium, vel calefaciat, vel ſiccet (licet uis illa prouocandi lotium, vel ſudorem adiuuet facultatem eam, quæ morbum ſuperat) ſed quia habet talem ſubſtantiam. Sicut enim morbus eſt à tota ſubſtantia, ita requirebat remedium, quod ipſum à tota ſubſtantia expelleret. Vnde errant illi, qui putant in ligno Indico eſſe ſummam temperiem, & æqualitatem, qua dicunt ſuperare, vel facere ad omnes morbos. Niſi enim eſſet maxime temperatum, non faceret ad omnes morbos fugandos: quoniam ſi excederet in caliditate, ſuperaretur à frigidis: ſi excederet in frigiditate, ſuperare-

Mōtan⁹ putauit Guaiacum reperiri in noſtris regionibus.

Natura, et vis ligni Indici manifeſta.

Calefacit, & ſiccat in ſecūdo gradu.

Corticis natura.

Facultas bezoartica occulta.

tur à calidis. Sed decipiuntur, neque enim lignum Indicum eſt temperatum: neque ad omnes morbos facit ea ratione, qua ad Gallicum; ſed ſi quid contra podagram, aut arthritidem, aut alium morbum ſimilè agit, illud agit ſudorem excitando, atque humiditates ſuperfluas exiccando, atque hepar, & ventriculum roborando; quod & multa alia facerent, vt chamædris, vt vos experiri poteritis. Hæc de hiſtoria, de natura, de ſpeciebus, & de qualitatibus ligni Indici. Primus autem qui ligno hoc eſt vſus, in morbo Gallico, in his regionibus, fuit Ioannes Conſaluus Hiſpanus, qui cum eſſet apud Neapolim, & laboraret Gallico, putauit, quòd quemadmodum morbus erat delatus ex inſulis Occidentalibus, ita inibi eſſet vera ratio curandi ipſum: Vnde rediję domum, & cæpit iter ad inſulas illas, & inuenit, quod inibi erat in vſu lignum, & accepto modo, quo vterentur, ſanatus eſt; deinde reuerſus eſt in Hiſpaniam, & factus eſt Medicus morbi Gallici, & tantum prouentum, & lucrum fecit medendo, vt euaſerit maximè diues non ſolum ipſe, & ipſius filij; ſed tota etiam eius familia adhuc ditiſſima. Iam deueniamus ad vſum guaiaci, & ligni Sancti vtriuſque Indici: qui vſus non eſt vnus tantum apud omnes. Sed aliqui vtuntur ligno formato in paſtillos, quos frequenter exhibent cum ſaccaro roſaceo: Alij redigunt lignum in puluerem, & exhibent cum iure, vel alia ratione: Alij parant ex ligno electuarium, admiſtis aromatibus multis, & faciunt electuarium cum melle, vel cum ſaccaro, & ſpatio quadraginta dierum exhibent: Alij vtuntur floribus ligni Indici, & hic vſus eſt creber in Hiſpania, & exhibent quotidie; & qui ipſos aſſumunt, dicunt hoc commodi percipere, quòd lenitur ſibi aluus à vi purgante, leui tamen, quæ ineſt floribus illis: & præterea facultas illa naturalis ligni expellit morbum Gallicum: Aliquando fuere in vſu germina teneriora arboris condita ſaccaro, & hic vſus præcipuè eſt in regionibus illis, in quibus arbor viret: Aliquando delatus eſt etiam in Italiam ſyrupus, quem ego guſtaui Piſis apud mercatorem quendam Hiſpanum: & ſyrupus erat factus ex ſucco teneriorum foliorum arboris, & ex ſaccaro: quem ſyrupum exhibent pluribus diebus in bona ſatis quantitate. Alij ſuperſtitioſi in Indiis illis nolunt vllo modo ligno vti; ſed vtuntur radice, quam macerant, & faciunt decoctum, & illud aſſumunt. Sed non probo, quoniam quamuis, vt referunt illi, optima hæc ſint, & agant; tamen ad nos delata corrumpuntur, neque agunt, vt experientia ipſa indicat. Vnde inualuit vſus iam optimus & communiſſimus: nam eſt iam apud Indos illos, apud Germanos, apud Hiſpanos, apud Italos, & in tota ferè Europa, vbi viget morbus Gallicus: & vſus eſt per decoctum ipſius ligni, quod ad nos præſtantiſſimum defertur, & virtus ipſius durat magis, quàm per decennium: & hic eſt verus vſus, vt ex ligno paretur decoctum, quod æger aſſumat, quo vſu non poteſt inueniri præſtantior. Nam primo fit medicamentum, quod facilè confici poteſt à calore inſito. Secundo ratione ſubſtantiæ habemus medicamentum, quod facile penetrat per vniuerſum corpus vſque ad extremas venas: vnde facile aperiuntur obſtructiones, prouocaturque ſudor, & ratione aquæ, quæ eſt in decocto prouocatur etiam lotium: vnde totum corpus optimè expurgatur. Hac itaque dupli ci ratione ligni in decoctione parati vſus eſt præſtantior cæteris. Sed in hoc vſu eſſet videndum, an accipiendum eſſet lignum viride, vel ſiccatum pro decocto hoc faciendo? Aliqui in illis Indijs capiebant lignum virens. Sed ego credo quod ſit ineptum: quoniam lignum viride abundat ſucco aqueo indigeſto; quo fit, vt non poſſit decoctum ex eo factum ſiccare, nec digerere humores, vt requirimus. Et ideo dico, quod lignum debet eſſe ſiccum; quanto tamen erit recentius tanto erit melius, dummodo non ſit viride: ex ligno igitur ſiccato, recenti tamen, debetis facere decoctum, & exhibere. Sed in hoc decocto parando, & exhibendo ſunt quædam certa capita obſeruanda; & primum eſt, quod lignum, ex quo fit decoctum, debet eſſe præſtantiſſimum. habemus enim lignum duum generum: aliud dicitur guaiacum, aliud lignum ſanctum, & vtriuſque tres ſunt ſpecies, vetuſtum ſcilicet ex arbore antiqua, mediocre, & recens. Primùm igitur oportet videre, quodnam lignum ſit capiendum, an ex palo ſancto, vel ex guaiaco, & an ex arbore annoſa, vel ex noua, & recenti, vel ex mediocri? Secundum caput eſt de modo conficiendi decoctum, & an ſemper vna, & eadem ratio conficiendi ipſum ſit ſeruanda; an verò immutanda pro diuerſis caſibus, & occaſionibus. Tertium, quis ſit modus vtendi decocto. Quartum, quænam ratio victus ſit inſtituenda in aſſumendo hoc decocto, & an ſemper vna, atque eadem victus ratio ſit ſeruanda toto tempore, quo decoctum aſſumitur; an verò aliquando immutanda: & numquid interim, dum aſſumitur decoctum, ſit aliquid mouendum in corpore: & an exhibendum pharmacum? quod caput eſt maximi momenti; Et multi docti viri in hoc diſſentiunt. Quoad primum igitur caput, dico, quod quando vultis facere decoctum, debetis ſemper eligere optimum lignum: & ideo oportet, vt obſeruetis, & ſciatis, quæ conditiones requirantur in optimo ligno: Indicationes autem optimi ligni, hoc eſt, opportuni in caſu propoſito, id eſt, in morbo, quem vultis curare, accipietis ex genere ligni; ex morbo ipſo; ex ætate ægri; & ex anni tempeſtate. Ex genere quidem ligni,

Ioannes Cõſaluus primus vſus eſt hoc ligno.

Vſus huius ligni.

Decoctũ ligni maximè probatur.

Lignũ ſiccatum præſtat viridi in decocto.

Cõditiones optimi ligni pro decocto.

quoniam

quoniam habetur duum generum, & vtrumque habet ſub ſe tres ſpecies, vt dictum eſt. Iſto igitur, quòd habeatis curandum morbum Gallicum antiquatum, vel recentem, & velitis exhibere decoctum, vt ſanetur, quodnam lignum eſt eligendum? profectò illud, quod optimum eſt; optimum autèm ratione generis eſt lignum ſanctum: eſt enim longè præſtantius, quàm guaiacum: nam præter quàm, quòd habet vires robuſtiores contra Gallicum: & habet omnes notas requiſitas, propellit etiam alios morbos. igitur ratione generis optimus eſt palus ſanctus. Sed ipſe habet tres ſpecies, quarum præſtantior eſt ex arbore mediocri. Secundo loco ex arbore recenti, vltimo loco eſt ex arbore antiqua. Itaque ratione generis, ſpecieiq; arboris ligni ve optimum erit ex ligno ſancto, & illud quidèm, quod eſt ex mediocri arbore: ideo ipſum accipietis, vel ſaltem ex arbore recenti. Sed ſi non poſſitis habere lignum ſanctum, accipietis guaiacum, & illud quidèm, quod eſt mediocre. Nam ſicut antiquatum, id eſt ex vetuſta arbore (hoc enim modo accipio vetuſtum, vel antiquatum; non autèm ratione exciſionis: nam omne lignum, ex quacumque arbore fuerit, ſi longo tempore fuerit exciſum ex arbore, peſſimum eſt, & exoletum) habet multum ſiccitatis, & parum pinguedinis inſitæ, ita in ligno ex arbore recenti eſt ſuccus indigeſtus, & aqueus; in mediocri autem, tum ligno ſancto, tum guaiaco, omnia ſunt mediocria. Igitur ratione arboris capietis lignum ſanctum; ſi non adſit, capietis guaiacum, & quidèm ex mediocri arbore; quod ſi non habeatis, capiatis ex recenti; vltimò ex vetuſta. Secundò ratione morbi aliquando vnum eſt melius altero: nam ſi exeſa ſint oſſa capitis ipſius ægri, & panniculi, & dolores intenſiſſimi, quæ indicant morbum antiquatum, & vehementem, tunc accipiendum erit lignum illud, quod habet maiorem facultatem: & ideo ſemper accipietis palum ſanctum, vel loco eius guaiacum, & quidem ex arbore recenti, vel ſaltem ex mediocri. Scio quidèm, quòd illud ex recenti arbore habet humiditatem indigeſtam; tamen habet multò plus humiditatis vnctuoſæ inſitæ, quæ eſt humidum radicale, quod facilius ſuperabit morbum. Et ſciatis, quòd decipiuntur illi, qui dicunt, quòd in ligno vetuſto, id eſt, ex vetuſta arbore, eſt plus vnctuoſitatis: quod eſt falſiſſimum, vt experientia indicat: nam plus oleoſitatis ſemper extrahitur ex ligno arboris recentis, quam vetuſtæ: & in omni genere, tum arborum, tum ſeminum hoc reperietis: & in ſeminibus ſemper eſt plus humidi radicalis, & vnctuoſi, quam in planta ipſa, quia natura voluit, ut in ſemine eſſet facultas generandæ nouæ plantæ: vnde, ſi extrahatis oleum ex iuglande arbore, vt reuera extrahitur, & extrahatis etiam ex quadraginta, vel quinquaginta nucibus, id eſt ex fructibus eiuſdem arboris, longè maior quantitas erit olei extracti ex quinquaginta nucibus, quàm ex tota arbore.

Exemplũ.

Lignũ optimum ratione generis.

Longo tempore exciſum peſſimum eſt.

Rõne morbi.

plus unctuoſitatis eſt in arbore recẽti, quam vetuſta.

In ſemine maiores eſſe vires quã in planta.

Itaque in morbo Gallico effreni utamini ſemper ligno ſancto, uel guaiaco recenti, uel ſaltem mediocri ex arbore: in morbo autèm Gallico non effreni, ubi non requiritur tanta uis, accipietis guaiacum, uel palum ſanctum ex arbore uetuſta. Ab ætate etiam ægri accipitur indicatio de optimo ligno: nam ſemper lignum debet correſpondere ætati: unde in ſenioribus optimum erit lignum ex arbore uetuſta; in pueris ex iuuene, & recenti.

Ab ætate ægrotantis.

In hoc capite de ætate dubium eſt apud aliquos, an lignum conueniat in omni ætate? & dicunt, quòd ſic, ex quo poſtea colligunt maximam eſſe ligni temperiem; alioqui non eſſet accommodatum cuique ætati.

Sed eſt falſum, quòd lignum ſit temperatiſſimum, quoniam idem eſſet dicendum de alijs, quæ proſunt in omni ætate, ut cichorium prodeſt in quacumq; ætate, ſi hepar ſit ſuper calefactum: ergo dicendum erit, quod ſit temperatiſſimum. Quare dico, lignum conuenire quidèm in omni ætate, ſed ea ratione, quia in omni ætate accidit morbus gallicus. Rõe etiã tẽpeſtatis eligitur optimum lignum: ſi enim ſit tẽpeſtas calida, licet tunc non utamur decocto, niſi cogamur ab ægri voluntate, vel à morbi vehementia, ſi inquam ſit tempeſtas calida, eligendum eſt lignum, quod minus calefaciat, vt ex vetuſta arbore; hyeme autèm ex recenti, licet nec hyeme nos exhibeamus decoctum ligni, niſi pariter cogamur. Hæ ſunt conditiones, quæ indicabunt vobis optimum lignum eligendum. Sed quomodo noſcam ego lignum ex arbore vetuſta, vel ex mediocri, vel ex recenti? Dico, quod ex proprijs notis: nam optimum lignum guaiaci ex vetuſta arbore habet has conditiones: eſt valde craſſum, habet multam partem nigram intus, & nigredo eſt intenſa, & quanto eſt nigrior, tanto eſt melius ipſum lignum; pars autèm circum poſita debet eſſe alba, vel ſublutea: & hæc pars alba, vel ſublutea non debet habere lineas nigras intercurrentes: lignum ſi abradatur, debet perſentiri intenſior odor ſui generis; ſi autèm nullus percipiatur odor, ſignum eſt, quod lignum eſt obſoletum, & malum; ſi lignum habeat adiunctum corticem, cortex debet optimè hærere, & inter ipſum, & lignum, non debent eſſe vetuſtas, vel caries, debetque cortex eſſe valde craſſus, & valde niger, & quanto eſt nigrior, tanto eſt melior, & perfectius eſt lignum; lignum debet eſſe ponderoſum, & magis acre, quàm amarum, & penitus nullis rimis obductum. Vnde ego ſoleo reprehendere iſtos ſeplaſiarios, qui tenent conti-

Ratione tẽpeſtatis.

Nota, quibus cognoſcitur ætas arbores.

nuo

nuo fruſta ligni Indici ad feneſtras officinæ: quo fit, vt in capitibus ipſorum, in parte ſcilicet ea, in qua ſunt reſecta, contrahantur rimæ, & ligna ſiccentur penitus: vnde maxima poſtea eſt differentia inter decoctum, quod fit ex partibus illis extremis, & ex parte media, quam differentiam percipiunt ſtatim ipſi ægri. hæ ſunt notæ optimi ligni guaiaci ex arbore antiqua. *De cortice.* Cortex quanto nigrior eſt, tanto melior exiſtit, qui ita ligno hæreat, ut ferro ſit diſiungendus; non ſit rugoſus; non ſciſſus, aut aridus aſpectu; & ſit recens.

Signa autem optimi ligni guaiaci, ex arbore noua, ſunt hæc: *Ex arbore noua.* debet eſſe tenue, ita ut eius craſſities non excedat craſſitiem cruris; debet eſſe amarum, ualde acre, ualde odoratum, ponderoſum, non ſciſſum, non aridum, ſed pinguiſſimum, ita ut præ pinguedine ſcobina gliſcat aliquando, & debet habere paucam partem nigram, & multam albæ circumpoſitæ, & in parte alba circumpoſita non debent eſſe lineæ nigræ; ſed uel ſubluteæ, uel ſubrubræ, & albicantes: debet emittere magnum odorem ſui generis, cum abraditur: & ea pars, quæ abraditur, debet eſſe pinguis; & lignum in ea parte, qua eſt abraſum, debet eſſe politum, lucidumque, ac ſi fuiſſet inunctum: Vnde notate, quod mali ſeplaſiarij ſolent aliquando inungere aliqualiter ſuperficiem illam ligni, ut decipiant alios: ſed deceptio detegitur facile, ſi accipiatur gladius, & abradatur lignum, uel etiam ſi manu fricetis ſuperficiem illam ligni optimè. Si habeat adiunctum corticem, debet cortex eſſe in ſuperficie albus, uel cineritius; & admodum hærere, & inter ipſum, & lignum non debet eſſe rima, nec uermes, nec caries; & quoties uideritis, quod adeſt rima, uel caries, indicatur quod lignum eſt antiquatum, ideſt, iam longo tempore ex arbore abſciſſum, uel quod in naui eſt madefactum aqua marina: hæ ſunt notæ optimi guaiaci ex arbore recenti: *Ex arbore mediocri.* Signa autem guaiaci ex arbore mediocri ſunt, omnia hæc mediocria. Idem dicatis de palo ſancto. Sed in eligendo cortice, ſemper eligatis corticem ex arbore vetuſta, ac mediocri: nam cortex arboris tenerioris eſt malus. Itaque ex his lignis eligetis aliquod, & parabitis decoctum. Sed notate, quod decoctum ſolet varijs modis parari: *Præparatio decocti.* nam aliquando paratur ſimpliciſſimum cum aqua, & ſcobe ligni tantum; vel ex aqua, ligno, & cortice; aliud compoſitum; ſed ſimpliciſſimum eſt maximè in vſu apud Medicos probatiores, & doctiores, & quanto medici magis recedunt à doctrina, tanto videntur vti decocto magis compoſito, & videntur accedere ad Empiriam, verùm quia aliquando curabitis, & melancholicos, qui interdum inclinant magis ad hanc, quam ad illam rem; ideo docebo vos non ſolum rationē conficiendi decocti ſimpliciſſimi, ſed etiam compoſiti, vt & melancholicis poſſitis ſatisfacere: & ob hanc etiam rationem docebo uos modum conficiendi decoctum compoſitum, quia non in quolibet corpore, nec in omni ætate, nec in qualibet tempeſtate conuenit eadem decoctio; nam in morbo recidiuo mixta potius, quàm ſimplex conuenit, ita etiam in corpore duriori, & in morbo mixto; contra autèm in ſimplici morbo, & indelicatioribus conuenit ſimplex decoctio. *Simplicis decocti confectio cum aqua.* Simplex itaque decoctum paratur ex aqua, & ligno tantum; ſed aliqui ſunt, & inter doctiſſimos etiam medicos, quia parent ipſum in uino; aliqui cum aqua tantum: & iſti accuſant maximè illos, qui parant cum uino, ita, ut & probris, & obſcœnis uerbis illos proſequantur. Re uera malum eſt parare decoctum cum uino ſine diſcrimine: nam ſi hepar ſit ualde calidum, uel caput excrementoſum, & deſtillationibus obnoxium, decoctum cum uino erit pernitioſum præſidium. Scio tamen eſſe nationes integras, quæ vtuntur decocto cum vino; vel ſaltem addunt mediam partem vini; vel aliquam portionem, & accipiunt vinum potentiſſimum, vt maluaticum, vel aliud ſimile: ſed tale decoctum eſt mihi ſuſpectum, præcipuè ſi regio ſit calida, vel caput catarrho obnoxium, vel hepar calidum. Alij loco vini potentiſſimi accipiunt vinum impotens, & quaſi immaturum: *Num cum vino ſit aliquando parandum.* nec hoc placet, etiam ſi minus errent, quàm illi: nam ſi caſu ventriculus ſit imbecillus, ex refrigeratione, & humectatione, non poteſt concoquere decoctum: vnde fit, vt decoctum ſtatim aceſcat, & vertatur in pituitam acidam, & hoc vidi ego iam millies. Soleo tamen, & ego aliquando parare decoctum cum vino, vel ſaltem cum parte aliqua vini; ſed raro; vt plurimum autem cum aqua: & quando paro cum vino, ſum coactus, vel ex voluntate ægri, vel ex imbecillitate ventriculi, vel quia ventriculus reſpuat omnia aquoſa; ſimiliter quando caput eſt valde frigidum, & humidum, tunc impono in decocto portionem vini, non tamen potentis; ſed mediocris, & non acerbi: addo ſimiliter portionem vini aliquādo, vt det penetrationē decocto: & hoc ſoleo præſertim facere, quādo cogor exhibere decoctū tēporibus frigidioribus (tunc enim ægrè permeat decoctum) ideo ego ſoleo addere vini portiunculam. Itaque non probo, vt decoctum fiat in ſolo vino, ſed laudo, vt aliquando in caſibus dictis imponatur portio aliqua vini mediocris, & non auſteri; & pauca illa quantitas vini laudo vt imponatur in fine, non autem in principio, vt aliqui ſolent. Igitur, niſi cogamini ex aliqua neceſſitate, conficiatis ſemper decoctionem ſimplicem. Per ſimplicem autem intelligo decoctum illud, quod fit ex pura ſcobe ligni, vel corticis, & ex aqua; compoſitum autem intelligo illud, quod fit ex ſcobe ligni, vel puluere corticis,

aqua,

aqua, & vino, & ex multis alijs, vt dicam. Primo igitur docebo vos quomodo fiat decoctum ſimplex: Habetis lignum optimum electum, vultis facere decoctum, quid eſt agendum, & quomodo? Oportet, vt primo atteratis comminuatiſve lignum, quæ comminutio ſolet multis modis fieri ſecundum diuerſas ciuitates: nam aliqui comminuunt aſcia, vt comminuitur lignum illud, quod vocatur verzino: Alii comminuunt ſerra craſſiori: Piſis, & in tota ferè Hetruria comminuunt torno: Hic Patauij ſolet comminui ſcobina pectinaria, id eſt, organo illo, quo vtuntur fabri pectinarij ad poliendos, tornandoſve pectines. Numquid autèm illi modi atterendi comminuendive lignum ſint opportuni? dico quòd omnis comminutio eſt bona dummodo ſit valida, & non fiat talis, vt lignum abeat in puluillum, tunc enim partes tenuiores ligni euaporarent; debet tamen ſcobs eſſe tenuis, & quanto eſt tenuior, tanto eſt melior; non tamen debet redigi in puluerem tenuiſſimum: ſed inter omnes alias rationes comminuendi lignum Indicum optima eſt illa, quæ eſt in vſu Venetijs, & Ferrariæ, in quibus locis comminuunt lima magna, quæ dicitur vulgò ſcofina, & latinè ſcobina: hoc organo comminuitur lignum tàm rectè, vt nulla alia comminuendi ratio poſſit reperiri præſtantior, vt ego expertus ſum: volui enim aliquando experiri ſcobem ligni hac ratione comminuti. Nam accepi ex eodem ligno ſcobem, & feci decoctum, & reperi ſemper, quod decoctum factum ex ligno comminuto cum ſcobina erat triplo pinguius, craſſius, & acrius, quàm decoctum factum ex eodem ligno in eadem quantitate, ſed alia ratione comminuto: quod fit, quia dum lignum atteritur lima, recipit quendam feruorem leuem, quo feruore ſcobs ipſa quaſi fermentatur, vt poteritis experiri: nam dum atteritur lignum, & ſcobs concidit, redigatis ſcobem ipſam in aceruum, antequam refrigeretur, & amittat leuem illum feruorem, & facto aceruo, comprimatis, & videbitis poſtea, quod ſcobes fermentabitur, & creſcet cumulus, vti ſolet facere maſſa farinæ fermentatæ: fermentatio autèm hæc ſcobis eſt in cauſa, vt ſubſtantia ligni oleoſa, & radicalis qua ſuperatur gallicus, diſſipetur, recipiaturque ab aqua, & fiat decoctum craſſius acrius, & pinguius. Et ideo ego, dum volo vti ligno in hac ciuitate, mando, vt lignum comminuatur in officina Sanctæ Sophiæ: nam inibi habetur ſcobina opportuniſſima. Habeo iam comminutum lignum, quid debeo modo agere? oportet vt ſciatis proportionem ligni, & aquæ: proportio autem communis in tota ferè Europa eſt, vt pro vna vncia ſcobis accipiatur vna libra aquæ: vnde quoties accipietis vnam libram ſcobis, accipietis etiam duodecim libras aquæ puriſſimæ, ſiue ſit fontana, vel ex puteo, vel ex flumine, nihil refert, dummodo ſit puriſſima, & omni mala qualitate, & ſapore expers: hæc eſt communis proportio; quæ tamen aliquando variat; & primò ratione ſubiecti: nam aliquando accidit, vt is, qui vult accipere decoctum, ſit valde imbecillus, propter maximum hepatis feruorem, vel propter magnam caliditatem capitis, & tunc pro ſingula vncia ſcobis accipimus vnam libram cum dimidia aquæ; vnde ſi accipietis vnam libram ſcobis adiungetis decem, & octo libras aquæ & hoc eſt faciendum, quando æger eſt valde calidus, & ſiccus, vel caput eſt inflammatum, vel tempeſtas eſt calida, vt æſtas. Secundo mutatur proportio ratione decocti: nam duplex fit decoctum, vt audietis; vnum dicitur ſyrupus, alterum potio: vnde reperiuntur aliquando ægri, qui ſunt bibaces, & ita potus non perdurat tot diebus, quot perdurat ſyrupus: ideo vt omnia æqualiter fiant accipiemus pro ſingula vncia ſcobis libram vnam, & ſemis, vel duas aquæ pro faciendo decocto: ſecundo hæc proportio eſt etiam ſeruanda, quando ventriculus eſt præter modum exiccatus, vel hepar valde calefactum. Si verò addàtis corticem, eadem ratio eſt ſeruanda, vt pro ſingula vncia corticis accipiatur vna libra aquæ, ſi videlicet cortex erit mixtus cum ligno: nam aliquando fit decoctum ex cortice, & ſcobe ligni ſimul mixtis; aliquando ex ſolo cortice: & cum fit ex cortice ſolo, oportet accipere duplum aquæ, nam cum cortex tundatur, & vertatur in puluerem, non tamen tenuiſſimum, efficit ſyrupum ingratum, & amariſſimum; & ideo pro ſingula vncia pulueris corticis, oportet accipere libram unam, & ſemis aquæ. Sed raro exhibetur decoctum ex ſolo cortice; & ego poſſum fateri, quòd nunquam exhibui; ſed utique decoctum ex cortice, & ligno ſimul: & ſemper tertia pars ſit cortex, duæ autèm partes ligni, & quot erunt unciæ utriuſque ſimul mixti, ſcilicet corticis, & ligni, totidem libras aquę accipietis. Vnde ſi volueritis, ut tota ſumma ſit unius libræ, accipietis octo uncias ſcobis ligni, & quatuor corticis, & addetis duodecim libras aquæ. Hoc cū inſtitueritis, cū opus ſit extrahere unctuoſitatem ex ligno, quia ipſa eſt, quæ expellit morbum gallicum, cumque, & ſcobs, & cortex ſit duriſſimus, ideo, antèquam fiat decoctum, oportet macerare ſcobem, & corticis puluerem, ſi cum ligno ipſum admiſceatis. Debent autèm macerari in eadem aqua; ſed non accipienda eſt frigida, ut faciunt ſeplaſiarii iſti, ſed accipiatis aquam, & ponatis ad ignem, & cum incipit ebullire, affundatis in ipſam ſcobem, & tecto uaſe ipſum ponatis in arcam plenam furfuribus, & ſuper ponatis puluinum duplicatum, uel quadruplicatum, ut ſeruetur caliditas, uel tepor tota die, ut re uera ſeruatur: debet autèm uas hoc

Comminutio ligni quomodo fiat.

Proportio ligni, & aquæ.

Proportio corticis.

Maceratio in aqua

modo

modo immerſum furfuribus manere ſpatio uigintiquatuor horarum: & hoc modo optimè macerabitur ſcobes. Sed quod nam vas eſt opportunum ad faciendum decoctum?

Quodnam vas ſit opportunum.

dico primò, quòd fugiendum quantum fieri poteſt vas æneum: quoniam decoctum acciperet neſcio quid amari; vnde ſolet eſſe in vſu olla teſtacea vitro, vel ſtanno obducta. Sed nullum vas eſt præſtantius, quàm cacabus ille, qui ex agro Bergomenſi deferri ſolet, & fit ex lapide tornatili: vaſe iſto nullum reperiri poteſt præſtantius, nullam enim malam qualitatem accipit ex eo decoctum. Vtimur autèm vaſe ex ære, dummodo ſit optimè ſtanno obductum totum, & ſi in parte aliqua non eſſet bene oblinitum, faciatis omnino, vt obliniatur. Annis ſuperioribus fiebant hic ollæ pro faciendo decocto ligni, & habebant orificium anguſtum, erantque vitro obductæ, & erant valde opportunæ.

Modus decoquendi.

Macerata cum fuerit ſcobs, per integram diem, apponitur vas ad ignem ſatis validum, vt citò bulliat, & cum incipit ebullire, remouetur ignis potens, & fit ignis lentus, vt ſenſim bulliat. Et ſemper, ſi fieri poteſt, olla ſit operta· nam hoc eſt maximi momenti; quoniam aliàs exhalaret pars vnctuoſa ligni: vnde ſolebant anno ſuperiori, vt dixi, fieri ollæ orificio anguſto, & illas ſube te claudebamus, vt optima fieret circulatio, inquiunt chimiſtæ, hoc eſt, vt vapor elatus reflecteretur, & abiret in aquam, deinde iterum verteretur in vaporem: hoc enim per circulationem intelligunt chimiſtæ: ſed nos non vtemur tam exacta diligentia; at ſatis erit, vt vas ſit tectum, ita vt non multum vaporis exhalet: ſi enim multus vapor exhalaret, ſimul cum ipſo amitteretur pars oleaginea ligni. Dum bullit decoctum, fit magna ſpuma, quæ interdum colligitur, interdum non; ſed relinquitur in decocto.

Quando æger habet aliquas puſtulas, uel ulcera in cruribus, ſolemus colligere ſpumam, & ipſa madefacere puſtulas, & ulcus: & optimè illas ſanat; ſi autem non adſint puſtulæ, nec ulcera, relinquitur in decocto à principio ad finem, vt ex omnib. ſimul bullientibus habeatur medicamentum præſtantius. Sed notate, quod aliqui faciunt decoctum in balneo mariæ, id eſt, in duplici vaſe; aliqui ad ignem ſiccum: & iſti dicunt, quòd in balneo mariæ non fit bonum decoctum; quia dicunt, quòd eſt dilutius; Ego autem dicam meam ſententiam: probo quidem, vt fiat ad ignem ſiccum, vel cum carbonibus, vel cum lignis; non ob id tamen vitupero decoctum factum in balneo mariæ; immo dico, quòd eſt præſtantius, & meracius, quoniam fit magis naturalis elixatio: nam calor, qui agit, eſt calor humidus.

In balneo mariæ præſtantius fit decoctum.

Præterea experientia docet, quòd decoctum in balneo mariæ factum eſt præſtantius, & vos poteritis experiri: capiatis vnam libram ſcobis, & duodecim aquæ, & faciatis decoctum in balneo mariæ; deinde capiatis tantundem ſcobis, & aquæ, ex eodem ligno, & faciatis decoctum ad ignem ſiccum, & vtrumque decoctum bulliat ad conſumptionem medietatis, & videbitis, quòd decoctum factum in balneo mariæ erit duplo craſſius, pinguius, & acrius altero facto ad ignem ſiccum, quoniam maior fit elixatio, & eliquatio humidi radicalis ipſius ligni à calore illo tepido: & ideo dico, quòd decoctum factum in balneo mariæ, ideſt in duplici vaſe, eſt longè præſtantius. Fit autem hoc modo: accipimus vas in quo eſt aqua, & ſcobs macerata, & ponimus in cacabum repletum aqua, in qua aqua ſit palea multa, ne vas, in quo eſt ſcobs, moueatur huc, & illuc, & vaſi huic maiori, ideſt cacabo, adigitur ignis: vnde fiet, vt aqua cacabi ebulliens communicet calorem aquæ alterius vaſis, & ipſa quoque bulliat. Sed quamuis decoctum in duplici vaſe factum ſit præſtantius; tamen ſciatis, quod longo admodum tempore fit; ideo nos vtimur potius decocto facto ad ignem ſiccum.

Quanto tẽpore debet bullire.

Sed quouſque debet decoctum ebullire? Dico quòd ſi habitus corporis ſit frigidus, & ſiccus, vt ſenilis; vel frigidus & humidus; & morbus ſit vehemens; vel ſit hyems, debet ebullire vſque ad conſumptionem duarum tertiarum, ita vt remaneat tertia tantum pars. Si autem temperatura ægri fuerit calida, & ſicca; vel ætas calida, & ſicca; vel æſtas; & morbus non vehemens, ſat eſt, vt abſumatur tertia tantum pars. Si autem omnia ſint mediocria, bulliat vſque ad conſumptionem medietatis. Hoc eſt decoctum, quod dicitur ſyrupus, quia exhibetur mane, & veſperi. Facto hoc decocto, ſolent aliqui ſtatim ipſum colare, antequam refrigeretur, & ſeruant; alij ſinunt, vt refrigeretur; tegunt tamen interim vas: ſed quomodocunque faciatis, non refert. Poſt hoc decoctum ſunt, qui faciant duo alia ſupra eandem ſcobem; tamen vſus communis obtinuit,

Potus ſecũdus.

vt faciamus vnum tantum, quod dicitur potus: Accipimus igitur tantundem aquæ, & affundimus ſupra eandem ſcobem, facimuſque, vt bulliat ad conſumptionem ternæ partis: ita ſolet vt plurimum fieri: nec amplius ſcobs ſemel coctus eget maceratione; ſed ſtatim, cum eſt factum primum decoctum, & expreſſa eſt ſcobs, affundimus ſuper ipſam in eodẽ uaſe aquam, & facimus, ut bulliat. Verum ſi æger eſſet bibaculus, oportet accipere plus aquæ, ut ſi in primo decocto accepiſtis 12. libras, pro hoc ſecundo accipietis 18. ſed hoc

Decoctum factum in Aqua ſtillatitia.

rarò accidit. Et cum dixi aquam, intellexi non ſolum aquam communem, ſed aquam carnium, ideſt ius, aquam cichoreæ ſtillatitiam, uel endiuiæ, uel ſonchi, uel etiam lactucæ, quarum aquarum mirus eſt aliquando vſus: & ipſas accipimus, vel vnam ex ipſis tàm

pro

Digitized by Google

pro primo, quàm pro ſecundo decocto: & præcipuè optimus eſt vſus aquarum harum ſtillatitiarum, quando caput eſt præter modum calidum, & ſiccum, quia in tali caſu decoctū ſolet parere vigilias, & capitis dolores: vnde facimus decocta in aqua, vel cichorij, uel endiuiæ, uel ſonchi, uel etiam endiuiæ ſtillatitia. Aliquando conficimus decoctum in iure pulli iuuenis, uel carnis uitulina iuuenis, uel hædina: & hoc facimus quando habitus ægri eſt colliquabilis, ita ut ex uſu decocti colliquetur corpus (& colliquatio apparet ſemper in urina) tunc ne æger ſit deſtitutus ab hac ope ſoleo ego edoctus ab alijs doctiſſimis medicis conficere decoctum in iure, & multos ſanaui hoc modo, in quibus alij medici nolebāt uti decocto ligni timentes colliquationem, at ſi fiat in iure, ut dixi, res feliciſſimè ſuccedit: nec impedit, quo minus utamur tali auxilio, ipſa colliquatio. Iſta ſunt ſimpliciſſima decocta. Iam deuenimus ad compoſita, in quibus conficiendis uariæ ſunt normæ; ego tamen tres tantum normas uobis proponam, quæ magis in uſu ſunt apud iſtos, qui decoctis compoſitis vtūtur: & prima norma unius decocti compoſiti, quod tamen eſt ſimplicius reliquis, talis eſt. *In iure carnium.* *Decocta compoſita.*

Rec. ſcobis guaiaci, uel ligni Sancti. lib. j.
corticis lib. s.
aquæ lib. xviij.

Fiat infuſio per uigintiquatuor horas; deinde ponitur medicamentum ad ignem, & bulliat ad conſumptionem medietatis, vel duarum tertiarum; deinde additur vini maluatici, vel alterius potentiſſimi albi, & dulcis lib. iij. iterum parum bulliat; deinde extrahitur ab igne, refrigeratur, colatur, & ſeruatur ad vſum. hic eſt vnus modus conficiendi decoctum. Alter autem magis compoſitus eſt iſte.

Rec. ſcobis ligni ſancti, vel guaiaci. lib. j.
corticis lib. s.
aquæ lib. xviij.

Infundatur per vigintiquatuor horas; deinde bulliat ad conſumptionem tertiæ partis, poſtea adde hæc.

cardui benedicti, chamędryos, betonicæ, pentaphylli } an. m. j.

Iterum ſimul bulliunt, donec medietas prioris aquæ ſit conſumpta, & relinquantur ſex libræ tantum decocti; poſtea adde tres libras vini Cretici, vel alterius potentiſſimi albi, & dulcis, & odorati; & poſt leuem ebullitionem ſinitur, vt refrigeretur; & refrigeratum colatur, & ſeruatur ad vſum. Tertium decoctum magis compoſitum adhuc ſolet ab iſtis fieri hoc modo.

Rec. ſcobis guaiaci, vel ligni ſancti lib. j.
corticis lib s.
aquæ lib. xviij.

Infunduntur per vigintiquatuor horas; deinde bulliunt ad conſumptionem tertiæ partis, deinde adduntur hæc.

roris marini, ſeminum fœniculi, aniſorum, ſtœchadis, betonicæ } an. ℥. j.

Bulliant iterum, donec relinquantur nouem libræ decocti, deinde adde vini maluatici, vel alterius potentiſſimi albi, & dulcis lib. iij. bulliant parum, refrigeretur decoctum, deinde coletur, & ſeruetur. Hæc ſunt decocta compoſita, quæ poſſunt etiam fieri compoſitiora. Iſti, qui dant decocta compoſita, & ſyrupos, ſolent parare quoddam vinum pro potu in prandio, & cęna, lymphatum priori, ſimplicique decocto, & parant hoc modo.

Rec.

Vinum compoſitũ per prandio, & cæna.

Rec. guaiaci, vel ligni ſancti lib. iiij.
corticis lib. ij.
capillorum Veneris
cetrach
florum omnium cordialium
radicum bugloſſæ
cichoriæ } an. lib. j.
ſaccari Mederienſis lib. iiij.
Vini albi maturi, & ſtomachiei lib. 150.

Ponatur vinum ad ignem, vt ferueat: deinde capiunt omnia medicamenta dicta, & ponunt in cadum ligneum, vel in aliud vas ligneum, & ſuperaffundunt bulliens vinum, & ſtatim optimè claudunt orificium cadi, & inibi conſeruantur hæc omnia per tres dies, deinde colantur, & vinum illud colatum exhibent in prandio; & cæna. Braſauolus præceptor

Decoctum cum purgãtibus medicamentis non probatur.

meus, & Petrus Andreas Mathiolus vir hoc tempore doctiſſimus ſolent habere in vſu medicamentum factum ex vino, & guaiaco, quod recipit medicamenta purgantia, vt rhabarbarum, agaricum, ſenam, polypodium, & ſimilia. Quod medicamentum ſi daretur aliquando pro ſoluenda aluo, placeret; ſed exhibent continuò, quod non placet, quia non ſemper ſoluit, etiam ſi recipiat ſoluentia: & pharmaca, quæ in illo decocto recipiuntur, non ſunt ex illis, quæ, ſi non ſoluant, ſaltem vrinam moueant: vnde pharmaca illa degenerare ſolent in humores, quos debebant euacuare; & ſi etiam ſolueret, non placet: quia nimis exinaniret, & ſiccaret, emaciaretque corpus, per continuam euacuationem: & ratione etiam medicamentorum calefacientium, quæ recipit. Vnde ego inter decocta compoſita laudo magis primum, quod eſt ſimplicius reliquis: aliquando etiã vterer, ſi eſſet opus, ſecundo decocto; ſed ea, quæ recipiant medicamenta ſoluentia, nullo modo probo: nam cum exhibeantur ſpatio 40. dierum, vel plurium, ſi euacuatio fiat tot diebus, maximè emaciabitur corpus; ſi etiam non ſoluant, diſplicent, quia medicamenta illa ſoluentia vertuntur in humores appropriatos: tamen videbitis aliquos hic, & Venetijs, qui exhibeant de-

Decoctum pro puerulis.

cocta, in quibus recipiuntur pharmaca ſoluentia: & peſſimus eſt vſus; Sed ſi aliquando vterentur decocto tali pro ſoluenda aluo aliquot vicibus, vt interdum eſt opus in toto tempore, quo aſſumitur medicamentum, placeret. Notate autem, quòd puerulì aliquando ſunt, qui laborant gallico, & liberi interdum nobiles pueruli ſunt, quorum parentes exoptant, vt ſanetur: vnde nec ipſi ſunt deſtituendi hoc auxilio. Si itaque pueruli lactent, tunc medicamentum eſt exhibendum nutrici, vt, alterato lacte, puer accipiat aliquid commodi ex hoc medicamento: ſed quando exhibetis decoctum nutrici, admiſceatis in decocto vinum, & ita optimum erit illud primum decoctum compoſitum, quod tamen eſt ſimplicius reliquis: debet autem in decocto eſſe vinum, ne decoctum ſit ita ſiccum, vt abſumatur lac nutricis, & ne ex auſteritate potus nutrix extenuetur. Puerulis autem, qui non ſugunt lac, exhibebitis decoctum ligni factum ex arbore tenerrima guaiaci, vel ligni ſancti, & facietis decoctum ſimpliciſſimum; illud tamen facietis in aqua graminis; & poſtquam

Decoctum cum ſaccaro, vt iuleb.

factum erit decoctum, accipiatis quatuor libras ipſius, & duas libras ſaccari Mederienſis, ideſt ex Inſula Mederienſi, & ſimul miſceantur, bulliantque parum, & fiat veluti iuleb, vel ſyrupus quidam: & huius exhibebitis crebrò cum cochleari, eam quantitatem, quam poteritis, nunc vnum, nunc duo, cochlearia, vel per ſe ſolum, vel mixtum cum lacte, uel cum alio liquore. Solemus etiam facere decoctum guaiaci, uel ligni ſancti; deinde ex eo decocto extrahimus aquam in balneo mariæ, quæ aqua nullum ſaporem malum habet, & ex-

Aqua extrahitur ex decocto.

hibemus crebrò illius quantitatem aliquam mixtam cum iuleb, uel alio liquore: & his uidi puerulos multos ſanatos; alios multum commodi ſuſcepiſſe Habetis iam uarias rationes conficiendi decoctum. Iam uideamus, quis ſit uſus harum decoctionum: in quo capite de vſu primò eſt videndum, in quo morbo faciat, & proſit tam multiplex decoctũ. Secundò, quo tempore ſit aſſumendum decoctum. Tertiò quo in loco. Quartò in qua quantitate. Quintò quota hora, & quid interim agendum. Sextò, quæ ſint euitanda interim, dum aſſumitur decoctum. Septimò, ſi qua ſuperueniant ſymptomata; vt ſolent eò

Vſus horũ decoctorũ.

tempore, quò accipitur decoctum, quomodo ſint corrigenda. Octauò dicendum eſt aliquid de excrementis interim dum aſſumitur decoctum. Quoad primum, dico, quòd præcipuus uſus horum decoctorum eſt ad fugandum morbum gallicum; nam eorum natu-

Pro cephaleis inueteratis, et alijs morbis ex cauſa frigida.

ra pugnat per ſe contra morbum gallicum, & in ſimplici morbo gallico melius eſt ſimpliciſſimum decoctum; in adultiore autem melius eſt factum etiam cum cortice, & decocta etiam compoſita; ſed non ſolum decoctum ligni Indici multiplex facit ad morbum gallicum; at etiam ad alios morbos, vt ad cephalæam inueteratam; non factam tamen ex gallico: ad epilepſiam recentem: ad paralyſim: ad ſpaſmum ortum ex repletione: ad

iſchia-

Digitized by Google

iſchiaticum affectum ſine morbo gallico coniuncto: ad incipientem podagram ex cauſa frigida: ad incipientē fluxum lachrymarum oculorum, ad lippitudinem: ad vertiginem or tam ex conſenſu ventriculi: ad intemperiem ventriculi frigidam: & denique ad omnes affectus, qui fiunt à cauſa frigida: ſed in omnibus his affectibus, gallico morbo excepto, præſtantiora ſunt decocta compoſita, quàm illa ſimpliciſſima, ratione multorum medicamētorum ſimplicium, quæ in illis recipiuntur. Sed notate, quod ſi adeſſet ſumma hepatis intemperies calida, vel caput eſſet valde calidum, non debet decoctum exhiberi pro ſanando aliquo dictorum affectuum paratum cum vino, & eo minus in epilepſia. Et ego vſus ſum decocto ligni in epilepſia, in iſchiadico dolore, & in ſcirrho etiam hepatis, & feliciſſimo cū ſucceſſu, & præcipue in ſcirrho vſus ſum decocto illo vltimo inter compoſita, addito Eupatorio: non dico vinum illud, ſed decoctum illud compoſitius. Sunt & alij morbi, contra quos pugnat decoctum ligni, quos omitto.

Quo anni tēpore exhibēdum.

De tempore autem anni, quo exhibendum ſit decoctum, omnes dicunt, quod non eſt exhibendum æſtate, nec hyeme frigidiſſima: nam æſtate calor ille ambiens inflammat: vnde ſi aſſumeretur decoctum, æger emaciaretur, & facilè incideret in febrem; hyeme vero conſtipantur pori: vnde decoctum non poſſet diffundi per totum corpus; & ideo omnes eligunt primò ver, deinde autumnum; & præcipuè cùm, antequam aſſumatur decoctum, neceſſe ſit accipere pharmaca, quæ non tutò accipiuntur æſtate, nec hyeme: & non ſolum accipienda ſunt pharmaca antè potum; ſed oportet etiam ipſa aliquando repetere, quod non poteſt fieri hyeme, & æſtate: oportet quidem pharmaca repetere quando decoctum non cit lotium, nec promouet ſudorem: tunc enim cum natura non moueat, oportet, vt moueat medicus reiterando pharmacum per vices; igitur, niſi vehementia morbi ſæuienſis cogat, numquā exhibeatis decoctum æſtate, vel hyeme; ſed ſemper vere, vel autumno.

De loco in quo ſit accipiendum.

De loco autem, in quo ſit accipiendum decoctum: Ante vigintiquatuor annos, cum morbus eſſet vehemens, in his locis ſolebant medici exhibere decoctum in obſcuro thalamo, clauſis feneſtris per totum temporis ſpatium, quo aſſumebatur decoctum, & ſemper volebant, vt decumberet in lecto, & non videret lumen Solis, nec Lunæ, præterquam lucernæ. Sed eſt iam obſeruatum, quod non eſt opus tam exquiſita cuſtodia: & ideo nos exhibemus in thalamo, apertis feneſtris; ita tamen, vt non ingrediatur ventus; nec pluuia, nec nebula; ſed lumen tantum: & aliquando, quando aer non eſt nebuloſus, nec ventoſus, concedimus, vt æger optimè indutus exeat domo, eat ad Eccleſiam, ad amicos; rarò tamen hoc fit. Thalamus autem ſit calidus, at non præter modum, aerque ipſius ſit luminoſus, & bonus. Vnde ego probo, vt aliquando aperiantur feneſtræ, vt adueniat aer externus: nam internus ſolet ſemper habere aliquid putredinis, & mali odoris. Vnde & aliquando probo, vt fiant in thalamo odoramenta: quæ tamen non repleant caput.

Quantitas decocti exhibenda.

Quartum propoſitum caput erat de quantitate decocti exhibenda, quæ quantitas terminatur ratione ætatis, habitus corporis, tempeſtatis anni, & naturæ morbi; ſed notate, quod quantitas eſt duplex, vna eſt quantitas temporis, id eſt, quot diebus ſit aſſumendum decoctum; altera eſt quantitas quotidiana, quantum ſcilicet decocti ſit aſſumendum ſingula die, & quantum pro ſingula vice: & vtraque hæc quantitas terminatur ratione illorum quatuor. Vnde ratione ætatis in puero, quantitas quotidiana debet eſſe pauca, & paucis etiam diebus eſt exhibendum decoctum: vt quotidie exhibebitis vnum ſyrupum tantum, ponderis trium, vel quatuor vnciarum ad ſummum; & ſpatio viginti dierum ad ſummū: nam ætas puerilis abſumeretur ex inedia multorum dierum. Si autem ſit iuuenis, vel ſenex robuſtus, exhibebitis duos ſyrupos, quotidie, decem vnciarum ad ſummum pro ſingulo: nam pondus ſyrupi in his ſolet eſſe à quatuor vncijs vſque ad decem, & aliqui etiam bibunt vſque ad xij. ſed rarò hoc accidit: Sed ſi ventriculus ſit robuſtus, poteritis exhibere ſyrupum ponderis octo vnciarum, & bis in die. De numero autem dierum in robuſtis ſolemus exhibere vſque ad 40 dies, vel ad 45. in mediocribus, quoad vires, & quoad habitum, vſque ad 30. Ratione autem morbi terminatur etiam quantitas: nam in morbo gallico incipienti exhibemus minorem quantitatem ſyrupi, & paucioribus diebus, & vnum tātum ſyrupum in die, ponderis ſex vnciarum, & exhibeo vſque ad 20. vel 25. dies: nā morbus nouus facilè cedit. Si autem morbus ſit antiquatus, & fixerit radices, exhibeo non ſolum vſque ad 40. dies: ſed vſque ad 60. & quotidie exhibeo geminos ſyrupos ponderis octo, vel decem vnciarum pro ſingulo. Sed ſemper primis diebus exhibeatis vnum tantum, & ſemper incipietis à minori quantitate, tam in pueris, quam in robuſtis, vt ſi ſumma quantitas, quàm vultis exhibere, ſit ſex vnciarum, primus ſyrupus erit quatuor vnciarum; alter erit quinque. & ita ſenſim deuenietis ad quantitatem, quam vultis; ſi ſit puer, & ſumma quantitas, quam vultis exhibere, ſit quatuor vnciarum, primus ſyrupus ſit duarum vnciarum; ſecundus trium; Tertius quatuor; ſed cum vultis exhibere geminos ſyrupos in die, in primis duobus vel tribus, vel quatuor diebus exhibeatis vnum tantum.

Si puer ſit.

Si iuuenis, vel ſenex robuſtus.

Numerus dierum.

Quota hora ſit aſſumendus ſyrupus. Iam ſuccedit vt videamus quota hora ſit aſſumendus ſyrupus: cum enim ſyrupus bis in die vt plurimum accipiatur, matutina ſcilicet, & veſpertina hora, ſtatuendæ ſunt horæ, in quibus oporteat ipſos aſſumere. In hoc autem communis conſuetudo eſt accepta iam ab omnibus medicis, vt numquam exhibeatur ſyrupus, quin prius concoctus fuerit cibus, & è ventriculo deſcenderit. hæc erit vobis certa norma in omnibus; quæ tamen aliquando variabit, pro vt ventriculus erit validior, vel imbecillior: nam in validiori minus temporis erit interponendum inter cibum, & cibum, & inter ſyrupum, & ſyrupum, quam in ventriculo debiliori; norma tamen erit certa in omnibus, & ſi variabit, erit ob cauſam dictam; ſolemus tamen obſeruare, vt inter cibum & ſyrupum, non intercidat minus ſpatium, quam quatuor horarum; ſi tamen ventriculus erit debilis, aſcendetis vſque ad quinque horas. Itaque exhibito ſummo mane ſyrupo, exhibebitis prandium, deinde poſt quatuor horas: ſimiliter poſt ſyrupum veſpertinum non cœnabit, donec tranſactæ fuerint quatuor horæ: inter prandium autem & cœnam intercidere ad minus debent ſeptem horæ, & ita ſi hoc tempore exhibebitis ſummo mane ſyrupum, vt nona hora, exhibebitis prādium decimatertia, & nonum ſyrupum vigeſima, & cœnam vigeſimaquarta hora: tamen habeatis ſemper rationem ventriculi nunc debilioris, nunc robuſtioris. Syrupus autem ſemper *Calidus exhibeatur ſyrupus.* exhibeatur calidus, numquam autem frigidus: & mane exhibeatur ęgro exiſtente in lecto: veſperi etiam, antequam accipiat ſyrupum, exuat ſe; ingrediaturque lectum, & lectus ſit calefactus aliquantulum: & mane debet æger, ſi poſſibile ſit, ſuperdormire ſyrupo; veſperi autem hoc non requiritur, ſed ingrediatur lectum, & ſtet optimè tectus, vt prouocetur ſudor: vnde qui capiunt ſyrupum veſtiti, & non in lecto, errant: & magis etiam errant, qui poſt aſſumptum ſyrupum ambulant, vel domo exeunt: nam impediunt naturæ motum, ſi ipſa velit, & tentet prouocare ſudorem. Ingrediatur igitur cubile, & tegatur optimè; non tamen debet cogere ſe, vt ſudet, nec debet tegi caput, vt aliqui volunt, quia licet tecto capite magis prouocetur ſudor; tamen repletur, & inflammatur caput. hæc de hora accipiendi ſyrupos, quod pertinebat ad quintum caput.

Sextum erat de ijs, quæ euitanda ſunt toto eo tempore, quo aſſumitur decoctum, & *Quæ uitāda ſint toto tēpore quo ſumitur ſyrupus.* inter alia fugienda eſt Venus, ſi quod aliud, etiam ſi æger eſſet ſalax, & proritaretur: quod non ſolet eſſe; potius enim alia omnia cogitant, quàm ad coitum; nam ea victus ratio debilitat corpus admodum; tamen ſi caſu proritaretur, non debet toto tempore, quo aſſumit decoctum, ne ſemel quidem coire: nam vidi ego aliquos, qui bis tantum toto ſpatio *Venus.* quadraginta dierum vſi ſunt Venere, fuiſſe multum conuulſos, & alia admodum grauia *Animi perturbationes.* paſſos fuiſſe. Solent interim dum aſſumunt decoctum agitari varijs animi affectionibus, & cogitationibus, ira, furore, & alijs, à quibus omnino debent, quantū fieri poteſt, cauere. Solent etiam ludere ad chartas, vſque ad defatigationem aliquando, qui luſus eſt ſæpe in cauſa, vt interturbetur ordo; & hora accipiendi ſyrupos, iraſcantur, & multa incommoda ſequantur: & ideo non debent uidere maledictas illas chartas, ne dum ludere: idem dico, & de alijs ludis, nam luſus longus, quiſquis fuerit, malus eſt.

His addatis aliud caput, de correctione ſymptomatum, quæ ſolent accidere, dum aſſu*Correctio ſymptomatum.* mitur decoctum, & unum eſt uomitus, uel nauſea; quæ ſolet affligere, dum æger aſſumit decoctum, ideſt ſyrupum. ſoletque prouenire uarijs ex cauſis, ut aliquando ex debilitate *Nauſea.* uentriculi: quia non poteſt nec admittere, nec retinere ſyrupum in multa quantitate: ideo ſi uultis nauſeam hanc corrigere, oportet & ſyrupum reddere iucundiorem, & minorem ſyrupi quantitatem exhibere: redderis quidem iucundiorem, ſi admiſcebitis cum eo iuleb roſaceum, uel uiolaceum, uel ſyrupum roſatum recentem: Secundo exhibebitis tantam quantitatem ſyrupi, quantā poteſt vno hauſtu trahere, non autem duobus, vel tribus hauſtibus; & hoc modo auferetis occaſionem nauſeæ quando fit ob ventriculi imbecillitatem. Aliquando nauſea prouenit ob intemperiem aliquam præexiſtentem in ventriculo, quæ intemperies ſtimulātur, & proritatur à decocto: & huic nauſeæ occurretis, ſi à principio exhibebitis non ſyrupum pro ſyrupo, ſed potum, ideſt ſecundum decoctum pro ſyrupo, nam hoc minus calefacit; & ideo minus proritat: & vt ſit etiam iucundius, admiſceatis parum ſyrupi roſacei, vel de roſis ſiccis. Tertiò fit aliquando nauſea propter amarorem nimium ſyrupi, quam nauſeam ſedabitis admixto aliquo, quod reddat ipſum minus *Dolores.* amarum, vt iuleb, vel ſyrupum roſaceum. Aliquando accidunt dolores intolerabiles capitis, vel articulorum, quos dolores ſciatis eſſe optimum ſignum: ſi ergo videritis quod præceſſerint dolores, qui expurgatione facta ante exhibitionem decocti ceſſarint, deinde eum aſſumpſerit octo, vel decem, vel quindecim diebus decoctum, repetant tales dolores, habeatis pro optimo ſigno, quia indicatur, quod facultas ligni peruenit vſque ad partes illas extremas, & incipit diſcutere materiam illam, & vertere in vapores, à quibus vaporibus fiunt dolores illi ſæui: vnde quanto citius repetunt dolores, tanto melius eſt ſignum. Et quia dolores iſti ſæui repetentes ſolent perterrefacere ægros, & ducere quaſi ad deſperationem,

Digitized by Google

ſperationem, quia putant decoctum ſibi potius obeſſe, vnde diſpondent animum,& nolunt aliquando amplius aſſumere decoctum; ideo oportet, vt vos antea dicatis eis: poſſent poſt octo, vel decem, vel quindecim dies repetere dolores maximi, qui non debent vos agitare,& eſſe in cauſa,vt omittatis vſum decocti,quia ſunt re vera certum,& bonum ſignum. Attamen hoc non eſt perpetuum, ideſt, non perpetuo in omnibus accidunt iſti dolores; ſed cum accidunt,ſunt bonum ſignum, & nihil circa ipſos debetis facere. Aliud ſymptoma,quod ſolet ſuperuenire eſt,quod aliquando ob arctam, & tenuem admodum victus rationem delinquunt animo,antequam aſſumant cibum;& poſtea cum aſſumpſerint vnum,vel duos bolos ſaturantur; & hi defectus animi ſolent accidere præcipuè illis, qui robuſtum habent ventriculum,ita vt plurimo egeant cibo:& in hoc caſu, ut occurratis huic ſymptomati, debetis exhibere vel vitellum oui; vel aliquod ius; vel electuarium aliquod factum ex amygdalis,pineis,piſtachijs,& ſimilibus,exhibendo vnum,uel duo cochlearia,uel exhibebitis unum,uel alterum cochlear illius electuarij, quod uocatur Sauonea;uel etiam aliquando offam in uino:nam hoc modo ceſſabit ſymptoma;nec ob id iſta exhibita impedient actionem ligni,nec uos cum uidetis tale ſymptoma,debetis deſtituere,& intermittere exhibitionem decocti. *Deliquiũ animi.*

Solet ſæpe ſuperuenire febris, quæ ſi fuerit intenſa, & continua, debetis penitus deſiſtere ab exhibitione decocti;ſi autem ſit febricula lenis,& interpolata,quæ non ualde exagitet,non deſiſtatis,ſed loco ſyrupi exhibeatis potũ, ideſt,ſecundum decoctum,& in prandio,& cæna exhibebitis,uel ſecundum decoctum dilutiſſimum,uel decoctum tertianum,ideſt,tertio factum ſupra eandem ſcobem,& immutabitis etiam uictum,ita ut ſit humectans;non autem exhibebitis decoctum; Mane tamẽ, & ueſperi accipiat pro ſyrupo ſecundum decoctum, quod factum fuerat pro potu. *Febris.*

Vltimo ſolet ſæpe ſupprimi aluus;ita ut ſtent aliquando duos,tres,ſex,octo,& uſque ad duodecim dies abſque beneficio alui,niſi illum ſubducant clyſtere,uel alio auxilio; ad quam ſtipationem ſequitur, ut attollantur uapores mali ad caput,& repleatur, doleatque; & obſtruantur etiam aliquando miſeraicæ uenę,& multa incommoda ſequantur:& ideo oporret alternis ſaltem diebus proritare aluum,uel clyſteribus communioribus,uel glandibus communioribus:quæ ſi æger reſpuat,& admittat libentius aliquid per os,ego ſoleo quotidie admiſcere cum ſyrupo duas uncias mellis roſacei: quo fit etiam, ut ſyrupus reddatur ſuauior, & ui mellis detergentis fit, ut altera quaque die ſaltèm lubrica reddatur aluus. Quod ſi aluus ſit magis ſtipata,& non leniantr his,ego utor melle roſaceo ſolutiuo,quantitate unius unciæ: ſicut enim fit ſyrupus roſaceus ſolutiuus, ita fit mel roſaceum ſolutiuum ex melle, admixta infuſione roſarum, & eſt præſtantius, magiſque detergens quam ſyrupus. Soleo & alio modo lubricare aluum, & eſt, quod alternis diebus per vnam horam antè cænam exhibeo vnam pilulam aloes,vel maſticinam, qua fit, vt æger quotidie, vel ſaltèm altera quaque die egerat: Hæc ſunt ſymptomata, quæ ſolent ſuperuenire dum aſſumitur decoctum. *Suppreſſio alui.*

Vltimum caput reſpiciebat excrementa quæ non vnius tantum generis ſunt,ſed trium vnum eſt ſudor;alterum lotium; tertium feces alui:primum de ſudore dicamus: ſolet ſudor copioſus excitari,dum aſſumitur decoctum; non tamen æquè in omni tempore, ſed primis diebus copioſiſſimus;medijs diebus mediocriter;in vltimo autem tempore propè quadrageſimum diem nullus ferè ſudor ſolet excitari:& hoc vt plurimum ſolet eſſe,vt vſque ad quintam,vel ſextam diem ſudor fiat copioſus;à prima vſque ad vigeſimam mediocriter;à vigeſima autem vſque ad trigeſimam,vel quadrageſimam ceſſat ſudor; in aliquibus tamen poſt vigeſimam ſolet fieri ſudor copioſus; ſed raro hoc accidit. *Excremẽta triũ generũ ſunt.*

Cum ergo primis diebus æger non ſudat,debetis vos prouocare ſudorem adiuuando naturam,hocque eſt faciendum poſt aſſumptum ſyrupum;vnde aliqui ſolent tegere ſummopere ægrum in lecto,& tegunt etiam optimè caput,vt trahat aerem calidum ſub linteis,& ita excitetur ſudor copioſus. Sed quamuis hoc modo prouocetur copioſus ſudor; tamen mihi non placet, vt tegatur caput: quoniam aer ille calidus attractus ſub linteis inflammat viſcera, & caput pariter inflammat, & replet. Alij, vt prouocent ſudorem, poſt exhibitionem ſyrupi, apponunt ad latera ægri panes calidos ex furno nuper extractos;deinde tegunt & panes & ægrum. Sed furnaria hæc mihi videtur ratio prouocandi ſudorẽ,& ridicula, præterquam quod non poſſet fieri ſine magno ægri diſpendio: nam oporteret quotidie conficere furnum panis; & aliqui poſtea eſſent, qui non comederent ex panibus illis, qui admoti fuerunt corpori infecto Gallico. Vnde ego ſoleo excitare ſudorem hoc modo: capio laterem crudum,vel coctum,nihil refert, vel fruſtrum tofi, & calefacio optimè ad ignem: deinde perfundo laterem calidum pauco vino non potentiſſimo, & obuoluo laterem linteo,& ita obuolutum admoueo pedibus,& moderatè prouocat ſudorem,nec inflammat. *Sudor prouocandus.*

Lotium.

De lotio autèm, ſi non prouocetur, & non mingat æger, vt deberet, nihil facio; quia ſi acredo, & vis prouocandi lotium, quæ eſt in tali decocto non prouocat, tanto minus prouocabunt alia: ſed de hoc oportet, vt ſemper ſitis ſolliciti, vt ſi æger non ſudet, nec mingat multum, euacuetis corpus per aliquot interualla ab excrementis, quæ continuò aceruantur. Et etiam ſi ſudet, & mingat, oportet id facere; quoniam quamuis per ſudorem, & lotium euacuentur excrementa tenuia, tamen non euacuantur illa craſſiora: vnde ego ſum cum illis, qui toto tempore, quo exhibetur decoctum, exhibent medicamentum ſoluens bis, vel ter, dummodo ſcilicet non fiat magna euacuatio per ſudorem, vel per lotium; nam tunc abſtinent à pharmaco; at ſi parua fiat euacuatio, per illas vias; vel etiam ſi fiat multa, ego non timeo ob rationem dictam exhibere pharmacum ſoluens, & ita duodecimo die exhibeo pharmacum: idem facio vigeſimoquarto, & trigeſimoſexto: Pharmacum ſit illud, quod euacuet humores, qui peccant, qui in aliquibus, propter imbecillitatem ventriculi, ſolent eſſe pituitoſi, craſſi; ſed vt plurimum ſolet abundare bilis exuſta; ideo exhibemus, quod euacuet & melancholicum humorem exuſtum, & pituitam viſcidam. Nec valet ratio quorundam, quòd non eſt exhibendum pharmacum, quia continuo fit euacuatio inſenſibilis; quoniam melancholia, & pituita viſcida, & craſſa nequit inſenſibiliter euacuari: & ideo neceſſe eſt per vices exhibere aliquod pharmacum. Sed in hac re eſt lis inter medicos, nam aliquot ſunt, qui ſemper exhibent pharmacum, ſiue fiat ſudor, vel non; ſiue vacuatio fiat per lotium, aut non; & ſit vel vehemens vel medioeris, ſemper bis, vel ter in toto tempore dicunt eſſe exhibendum pharmacum, vt verbi gratia duodecima, vigeſimaquarta, & trigeſimaſexta, aliquot è contra dicunt numquam toto hoc tempore exhibendum eſſe pharmacum, ſiue fiat ſudor, vel euacuatio per lotium, ſiue non; aliquot alij media via incedunt: ſi enim fiat euacuatio per lotium, aut ſudorem, nihil exhibent: ſi autèm euacuatio non fiat, ipſi exhibent pharmacum. Et ego ſum ex iis, qui nihil obſtinatè faciunt: & ideo dico, quòd etiam ſi fiat euacuatio per ſudorem, vel per lotium, exhibendum eſt pharmacum, dummodo indicetur; ſi autem indicatio non detur, ego non exhibeo pharmacum, quamuis non fieret euacuatio per lotium, aut per ſudorem; at ſi dum ſit euacuatio per lotium, aut per ſudorem corpus eſſet aggrauatum, vel apparerent exuſtiones in lotio, & alia ſigna indicantia humores abundare in toto, quos humores peccantes timeam naturam non poſſe euacuare, tunc ego exhibeo pharmacum, quia datur ipſius indicatio: raro enim natura euacuat humores tales, quales ſunt, nequit enim ipſa euacuare integram melancholiam, aut bilem flauam, aut pituitam; ſed opus eſt, vt illam attenuet, & concoquat optimè; aliter non poteſt humorem purum euacuare, & non niſi rariſſimè videbitis à natura euacuatam fuiſſe ſynceram bilem, vel pituitam, vel melancholiam, aut per ſudorem, aut per lotium, & quando euacuabitur melancholia per lotium integra, videbitis vrinam nigram. Si ergo hæc arida, & tenacia excrementa debent à natura euacuari per ſudorem, aut per lotium, debent concoqui, & attenuari: hoc autem non poteſt fieri, niſi longo tempore: & ideo interim varia parerent incommoda talia excrementa.

Euacuatio corporis ab excrementis.

Rarò natura euacuat humores tales, quales ſunt.

Addatis ex Galeno in libro de conſtitutione artis, quòd natura, vt plurimum ſolet per ſudorem, & lotium euacuare humores tenues; non autem craſſos, & tenaces. Et ideo ego niſi videam excrementa hæc craſſa, & tenacia euacuari per lotium, quod noſcitur ex lotio; vel per ſudorem, quod cognoſco ex ſorde, quæ eo tempore in cute contrahitur, & hæret, exhibeo pharmacum, etiam ſi fiat ſudor, vel euacuatio per lotium; dummodo euacuatio per has partes non ſit copioſiſſima; ſed ſi ſit mediocris, non deſiſto ab exhibitione pharmaci, & præcipuè vltra vigeſimum diem, quia tunc natura ſolet ceſſare ab euacuatione per ſudorem, & lotium: non ceſſat autem, quia deſint excrementa craſſa, & viſcida; ſed quia iam euacuauit partes tenues illorum, & relictæ ſunt craſſæ.

Natura per ſudorem, & lotium euacuat humores tenues, non craſſos.

Poſſent pro vtraque opinione adducta afferri multæ rationes; tamen ego propoſui vobis, quid ego faciam, & quid experiar quotidie in praxi. Iam veniamus ad quartum, & vltimum caput de victus ratione in exhibendo decocto. Communis vſus omnium medicorum, qui rectè curant morbum Gallicum, eſt, vt vtantur ratione victus attenuante: attenuante quidem non ſua qualitate, ita vt exhibeant acria, & calefacientia; ſed attenuante ſua paucitate: exhibent enim paucum cibum; illum tamen, qui generet alimentum bonum; ſed illum tenacem, & ſolidum, vt in ipſo calor, & ſpiritus diutius perduret. Vnde meritò exhibent panem, & quidem biſcoctum: nam facit alimentum, & tenacius, & ſolidius, quàm ſemel coctus panis.

Victus ratio in exhibendo decocto.

Attenuans paucitate, non qualitate.

Sed Alfonſus Ferrius, qui ſcripſit de exhibitione decocti, inquit panem biſcoctum exhibere,

beri, non alia ratione, quàm vt diutius contineat decoctum in ventriculo, ſed ſi ob hunc vſum exhiberetur melius eſſet alere ægrum ſpongijs. Præterea eſſet etiam exhibenda offa biſcocti panis, quando exhibetur ſyrupus mane, & veſperi, vt ſyrupus diutius contineretur in ventriculo; tamen melius exhibet. Et ideo dico, quod ratio, cur exhibeatur biſcoctus panis, non eſt vt contineat decoctum in ventriculo; ſed eſt, quia volumus, vt æger parum alatur, & alimentum illud ſit ſolidius, ne ex pauco alimento nimis diſſoluatur, & emacietur corpus.

Cur exhibeatur panis biſcoctus.

Secundo exhibetur biſcoctus, quia magis ſaturat, quàm panis communis ſemel coctus: non enim ita oblectatur ventriculus pane biſcocto, quoniam non habet humiditatem in actu, vt habet panis communis; ſed oportet vt cum aliqualiter eliquet, & concoquat, deinde oblectetur; & ideo panis biſcoctus magis ſaturat.

Tertiò addatis, quod cum uelimus in hoc caſu paucum cibum, & vt ipſo ſuſtentetur corpus, non poſſet hoc fieri pane communi: quia ſi daretur paucus panis communis, æger eſſet ſemper famelicus, quia non tam diu perdurat in uentriculo: unde æger extenuaretur admodum: hæc eſt ratio cur hunc panem biſcoctum exhibeamus potius, quàm communem. Non tamen perpetuò eſt hoc faciendum, ſed primis diebus nos exhibemus panem communem purum, & bene coctum:

Secundo oportet habere rationem ventrieuli: nam aliqui ſunt, qui ob ventriculi imbecillitatem non poſſunt biſcoctum concoquere; ſed ſi conſpiciatis feces, reperietis in ipſis fruſtula biſcocti, & præcipuè in ijs, qui deuorant, & non benè mandunt: & ideo in his primis octo, vel decem diebus exhibebitis non biſcoctum, ſed communem panem coctum; tranſactis autem primis diebus, exhibeatis panem biſcoctum, non tamen vſtum. Quantitas autem biſcocti ſit tàm in prandio, quam in cęna trium vnciarum, vel quatuor ad ſummum: eadem etiam ſit quantitas panis communis primis diebus: hęc eſt communis quantitas, ſed in aliquibus variat: nam aliqui ſunt, qui multum panis comedunt, aliqui parum: & ideo habenda eſt ratio roboris ventriculi; & facilitatis, & difficultatis ſubiecti ad diſſolutionē; & conſuetudinis: nam ſi æger ſit robuſto ventriculo, & facile diſſoluatur ex pauco cibo; & aſſuetus ſit multum comedere, oportet huic plus panis exhibere. Nec exhibetur purus panis, ſed cum obſonio aliquo, tùm vt alimentum ſit præſtantius, tùm etiam, vt cibus ſit ſuauior. Vnde primis octo, vel decem diebus exhibemus carnis aliquid vitulinæ, vel pulli gallinacei, vel ex auiculis montanis: quantitas autem carnis non excedat duas, vel tres vncias, dum cocta eſt: & ſit aſſata potius, quàm elixa: vnde poterit comedere vnum turdum, vel duàs, vel tres ficedulas; & aliquando accidit, vt non ſolum prima hebdomada exhibeamus parum carnis, ſed etiam toto tempore, quo aſſumitur decoctum: quod ſit quando homo eſt valde diſſolubilis, vel vorax, vel ventriculus admodum imbecillus: & cum cogimini exhibere carnem toto tempore, non excedatis quantitatem duarum, vel trium vnciarum: in omnibus autèm exhibemus parum carnis primis decem diebus; quibus tranſactis, conuertimus carnem in aliud genus obſonij, vt vel in paſſulas, vel in amygdalas, vel in nucleos pineos, vel in piſtachia; in pauca tamen quantitate. Paſſulæ conueniunt, quoniam optimum generant alimentum, & conſernant aluum lubricam; ſunt tamen aliqui, qui eas vituperent: quia dicunt, quod difficile concoquuntur, & ſignum eſt, inquiunt, quod egeruntur integræ; ſed dico hoc fieri, quando comedimus eas in inſculis, & ferculis, quoniam tunc non manduntur; ſed deuorantur; at laborantes gallico non dubitetis quin minutiſſimè etiam mandant, & comminuant, & ideo non excernuntur integræ, & nutriunt:

Non ſemper eſſe dandum biſcoctum.

Quantitas biſcocti.

Caro quãdo exhibẽda, & qua & quantũ.

Paſſulæ.

Sed quamuis ego probem paſſulas, tamen laudo magis in hoc caſu amygdalas; nucleos pineos; & piſtachia: quoniam bonum generant alimentum: & præterea alimentum illud eſt viſcidum, & tenax, quod màximè facit ad conſeruationem caloris innati.

Verum cum hæc difficilè concoquantur, ego exhibeo ea non integra, ſed contuſa, & formata in electuaria, vt amygdalas in panem marcium, nucleos pineos in pignolatam; & piſtachia in piſtachiam uulgo dictam. Et ex his exhibeo paucam quantitatem, ut duas uncias, ita, ut tota ſumma non excedat ſex uncias, ſcilicet cum pane, & obſonio: unde ſi exhibebitis quatuor uncias panis, ſint duæ panis martij: ſi tres panis, ſint totidem obſonij ad ſummum: Et tali cibatione procedetis à decimo die, uſque ad trigeſimum quintum; & cum illuc perueneritis, immutabitis iterum rationem uictus, & exhibebitis parum carnis, & panem, ut faciebatis primis decem diebus: & hoc modo procedetis uſque ad quadrageſimum.

Amygdala piſtachia

Et cum peruenerit æger ad quadrageſimam diem, non amittat ſtatim ex toto vſum decocti; ſed per tres, aut quatuor dies bibat vnum ſyrupum mane tantum, & cum decocto, quod bibit in prandio, & cœna, admiſceat parum vini, vt ſi ſit ſolitus bibere tres cyathos in

Digitized by Google

prandio,bibet quadrageſimaprima die vnum cyathum vini, & duos alios decocti, altera
die ſcilicet quadrageſimaſecunda duos vini, & vnum decocti, quadrageſimatertia ſolum
vinum; & hoc modo non redibit ſtatim ad extremum ab alio ſine medio, quod multum
refert: nã ego obſeruaui quod, qui ſtatim omittunt vſum decocti,& bibunt vinum,illud
vinum fit acidum in ventriculo Pro potu autem debet,vt dixi,in prandio,& cœna toto illo

Secũdum decoctum.

tempore quadraginta dierum debet bibere ſecundum decoctum, ea quantitate tantum,
vt extinguatur ſitis. Non autem debet coacte illud bibere,vt faciunt aliqui,qui putãt,quod
quanto plus decocti aſſumant, tanto melius ſit: Sed intercidentibus purgationibus, quæ
bis,vel ter toto tempore illo fiunt,bibat vinum:& notate, quod quando aſſumit pharma-

Cum pharmacum aſſumitur ceſſetur a ſyrupo.

cum, non debet ea die aſſumere ſyrupum, nec mane, nec veſperi:& ante prandium exhi-
beatis iuſculum aliquod per mediam horam,quia auferet pharmacoſitatem relictam in
ventriculo,nec impediet actionem decocti. Sed ſi morbus fuerit validior,atque vetuſtior,
loco aquæ dictæ bibat vinum illud, quod quarto loco tradidi inter compoſitas decoctio-
nes:& ſi æger langueat multum,vtatur aqua ſecunda,& infundat parum iuleb, vel vini al-
bi optimi Tranſacta quadrageſima die, æger abluat ſe optimè,vt prouocetur ſudor; vnde
aliqui ſolent parare balneum, in quo ſint coctæ herbæ variæ; ſed ſat erit, vt eat ad ſtufam,
vbi ſudet,& optimè detergatur.

Vltimo,quia ex decocto ligni non expellitur calida intemperies hepatis,ideo tranſacto
toto illo tempore,quo aſſumitur decoctum,exhibemus condita,& electuaria,quæ poſſint
remittere hepatis feruorem: vnde accipimus ſemper ſpecies diarhodon abbatis; ſpecies

Condita,et electuaria ad feruorẽ hepatis.

diatrion ſandalorum,& accepto ſaccaro boraginato,violato,& roſato æquis portionibus,
admiſcemus aliquem ex illis puluеribus,& exhibemus mane,& veſperi, nunc maiorem,
nunc minorem quantitatem,pro ratione intemperiei intenſioris,vel minus intenſę: debet
autem accipere electuarium hoc,cum ſurgit è lecto, & accipere per duodecim, aut quin-
decim dies, & toto hoc ſpatio quindecim dierum comedat bonas carnes, quantum vult,
moderatè tamen; ſed non viuat communiori illa vita,qua ſolebat,dum erat ſanus; ſed ca-
ueat à piſcibus,à ſalſis,ac iuſculentis,à caſeo,& ſimilibus,& à carne porcina: comedat oua

Victus ratio poſt aſſumptos ſyrupos.

& carnes opimas,optimè paratas, tranſactis autem quindecim diebus poterit redire ad
communem victum; hæc eſt norma exhibendi decoctum ligni Indici.

De China.

Sed aliqui ſunt qui ſanant morbum gallicum,non exhibendo decoctum ligni;ſed radi
cem quandam quæ China dicitur,& eſt tantæ auctoritatis apud aliquos recentiores,vt cre
dant eam ſanare non ſolum morbum gallicum;ſed etiam alios multos morbos: vnde ali-
qui exhibent in phthiſi;aliqui in hydrope; aliqui in ſcirrhis hepatis; aliqui ad atrophiam,

China valde impinguat. *Facultates China.*

in hoc affectu certè eſt optima radix: nam ſi quod aliud,radix iſta maximè impinguat cor
pus;ita,vt,excepto lacte,& vſu balnei dulcis aquæ,nullum ſit,quod magis impinguet cor-
pus, quàm hæc radix. quod ſi ſcirent Venetæ mulieres, quarum plurimæ ſtudent impin-
guationi,nihil aliud acciperent,quàm decoctum huius radicis. Alij exhibent in lepra; alij
in elephantiaſi;alij in podagra;ſed vt plurimum exhibent in morbo Gallico.

Radix delata eſt ab Hiſpanis, & præcipuè ab Hiſpanis Luſitanis, & ab aliquibus voca-
tur China,ab alijs Cina,ab alijs Hachina,ab alijs Sina;ſed quomodocumque vocetur, ni-
hil refert. De loco autem, vnde defertur, nihil certi habemus.nam aliqui dicunt quod de-
fertur ex Inſulis Occiduis; alij ex Indijs Orientalibus ex regionibus Hircanis, vel Chinia-
nis vocatis: vnde nomen accepiſſe dicunt, ita, vt vocata ſit China, uel Sina. Ego legi ali-
quando epiſtolam cuiuſdam Florentini ſcriptam ad amicum,in qua explicabatur radicis
huius hiſtoria,quantum ſcilicet ad locum,in quo naſcitur; non autem quantum ad plan-
tam:& dicebat quod reperitur,& naſcitur in littoribus Lybiæ, ſcilicet in littoribus cuiuſ-
dam vaſtiſſimi fluminis Lybiæ, à quo flumine dicebat radicem recipere virtutem ſupe-
randi morbos: nam dicebat,quod flumen illud habet copiam aquarum,ad quas aquas Ly
bici illi confugiunt, & currunt, vt vos ad aquas thermales, eamque bibunt, & abluunt
ea ſe. Sed ſit quomodocumque, nos nihil certi habemus de hac radice,nec de loco,unde
deferatur. Siccata ad nos defertur,& ignota eſt eius planta,& ignota folia,flores,& fructus;

Notæ Chinæ.

ſed ſolam radicem ſiccatam nouimus,cuius notæ ſunt hæ: Radix eſt arida,craſſa, non val-
de longa,nodoſa tamen,ſubrubra,leuis,non grauis, non tamen penitus rara, in ſuperficie
eſt penitus inęqualis, habet enim tubercula, & nodos plurimos; nullum habet odorem,
nec etiam ſui generis;nullumque ſaporem,præter inſipiditatem,niſi in nauem qua delata
eſt,ingreſſum fuerit ſalũ: nam multæ radices ob hanc cauſam reperiũtur,quæ habent ſapo
rẽ ſalſum: radix aſſimilatur arundinum; quando eſt liberata à radiculis illis circumqua-
que poſitis,aſſimilatur etiam radici illius herbæ,quæ dicitur biſtorta; non tamen ipſa eſt,
quia non habet adſtringentiam, quam habet radix, & caulis biſtortæ; eſt etiam
ſimilis

Digitized by Google

ſimilis radici acori noſtratis,illius ſcilicet luteum florem producentis,quæ planta naſcitur in aquis. Facultates præter ſiccitatem ipſius non apparent,quare ſi agit in gallicum, aut à tota ſubſtantia agit,aut quia ciet ſudorem copioſiſſimum; aliud non habemus de hac radice;& authoritatem quam habet accepit à Carolo Quinto Imperatore iam,nunc autem monachus potius factus eſt: nam ipſe quater,vel quinquies accepit huius radicis decoctũ, ob gallicum,atrophiam,atq; articulorum dolores:& quia pinguior eſt redditus,ideo omnes credidere,quod ipſum iuuerit,& in morbo gallico,& in podagra;quod tamen nõ fuit: nam potius valde obfuit,vt dicit doctiſſimus Veſalius in libello; quem conſcripſit de hac radice: quæ qualia ferat folia,fructus,caulesque nulli adhuc,quòd ſciam,conſtitit; neque ſi quis antiquorum Græcorum,aut Latinorum,aut Arabum,quid de ea ſcripſerit. Et quãuis ego non multam ipſam probem in morbo gallico, non quia noceat, ſed quia parum prodeſt; tamen in quibuſdam alijs morbis maximè probo vſum ipſius, vt in cancris non exulceratis mammillarum,vel palati,vel aliarum partium, in quibus ego multa ſum expertus;& nullum reperi medicamẽtum,quod magis temperet feruorem humoris, quàm decoctum Chinæ. Similiter,quando eſt mihi contemperandus feruor hepatis, vtor radicis huius decocto,optimo cum ſucceſſu: vt etiam in elephantiaſi,ſeu lepra,adhibitis deinde electuarijs illis,quæ proponuntur ab antiquis in tali affectu. Tertiò vtor feliciſſimo cũ ſucceſſu quoties aliquis patitur deſtillationes calidas ad oculos,cui obtenebrantur aliquãdo oculi,& impeditur viſio: in quo affectu ſi vtatur æger medicamentis purgantibus, vel balneo,vel collyrio aliquo circa oculos,ſemper exacerbatur,& proritatur magis morbus: & cauſa eſt,quia vnà cum morbo adeſt ſanguis maximè attenuatus,qui ſemper ex vſu medicamentorum magis proritatur,& in tali caſu ego expertus ſum nihil eſſe melius, quàm decoctum Chinæ: Itaque in feruore hepatis,cui ſuccedit cancer,vel elephantiaſis, vel lippitudo calida,præſtantiſſimum eſt decoctum Chinæ. Non credatis tamen, quòd ſanet ex toto cancrum,ſed tantum ipſum mulcet præſtantiſſimè. His addatis, quòd optimum eſt in extenuatis,ad repletionem,impinguationemve corporis: In his quatuor caſibus expertus ſum radicem hanc maximam vim habere. In hydrope autem nihil profuiſſe vidi, ſolum mitigauit ſitim,qua hydropici continuò affliguntur. In podagra etiam ſum vſus tali decocto,ſed nullum vidi iuuamentum, nec etiam nocumentum. Sed in illis quatuor caſibus,vt dixi,optimum eſt medicamentum, quorum cauſa docebo vos, quo modo fiat decoctum: Primò igitur eligitur optima radix: notæ autem bonæ radicis ſunt hæ: non debet eſſe carie obducta,vt ſolet vt plurimum eſſe: nam ex centum radicibus, vix decem reperietis integras,& non carioſas: non ſit igitur carioſa; ſit coloris rufi valde ſaturati, id eſt ſit valde rufa; tertiò debet eſſe ponderoſa: Et notate quòd reperietis duo genera malæ Chinæ: vna quidem eſt illa,quæ exeſa eſt, & carioſa, ponderoſa tamen eſt; altera eſt non carioſa,tamen eſt leuiſſima: & harum melior ſemper eſt ponderoſa, etiam ſi ſit carioſa, quam ea,quæ non eſt carioſa,& non eſt ponderoſa,ſed leuiſſima; nam leuitas illa indicat nihil humiditatis in ipſa eſſe; ideo eſt omnium peſſima. Itaque in primo loco bonitatis eſt non carioſa,ponderoſaque,& coloris ualdè rubicundi: in ſecundo eſt carioſa, & ponderoſa ſimul;in tertio,& ultimo eſt illa,quæ integra eſt ſed eſt leuiſſima,quæ eſt fugienda, quoniam eius decoctum obeſt ualde ſtomacho. Facta electione bonæ radicis paratur decoctum hoc modo: accipimus duas libras radicis (hæc enim eſt tota ſumma, quæ ſatisfacit pro integra exhibitione: non enim exhibetur decoctum plus,quàm per 18. dies) ex hac ergo quantitate radicis,ſcilicet duarum librarum,capietis duas uncias,& ſecabitis in taleolas minutas,& tenues; deinde accipietis 12. libras aquæ,quam calefacietis,& in ipſam ponetis illas taleolas,ut in ipſa macerentur per ſpatium ſex horarum: ponitur deinde aqua cum taleolis ad ignem,& coquitur ad conſumptionem tertiæ partis, ita vt remaneãt octo libræ,& plus,& minus aliquando,pro vt lubet. Debet autem fieri decoctio hæc in vaſe teſtaceo,vel lapideo,non autem in æneo,nec in alio non oblinito ſtanno, quia facilè acquireret malum ſaporem: vnde ego cum volo facere huiuſmodi decoctum, ſoleo accipere ollas illas,quæ ex Apulia deferuntur Venetias: habet enim orificium ſatis anguſtũ, quod etiam eſt claudendum ſubere, vel tabula, vel operculo optimè. Cum autem decoctum ebullierit ad conſumptionem tertiæ partis,colatur,& taleolæ illæ accipiuntur,ponunturq; ſupra tabulam,& ſiccantur in vmbra,ſeruanturque ad vſum,quem dicam. Decoctum autem fit quotidie quia non perdurat plus quàm vna die;ſed fit ſtatim acidum: dum autem eſt recens,nullum habet ſaporem malum,ſed eſt veluti aqua hordei,ita,vt præſeferat temperiem quandam, cum tenuitate partium, qua partium tenuitate ſubducit maximè lotium: & niſi decoctum ſeruetur tota die calidum,vel ſaltem ſub tepore aliquo, non perdurat etiam integra die, ſed fit acidum. Vnde cum eſt colatum ſeruamus ipſum in vaſe vitreo,vel teſtaceo ſupra cineres calidos;vel ſepelimus vas in furfuribus;vel ſeruamus ſub ſole;vel inuoluimus vas pannis,& ita quotidie ex duabus vncijs nouæ radicis ſectæ in taleolas

Agit à facultate occulta.

In morbo Gallico China parũ prodeſt.

In quibus morbis probetur.

In feruore hepatis decoctũ Chinæ.

In podagrã nõ profuit.

Modus faciẽdi decoctũ Chinæ.

Conditiones bonæ Chinæ.

leolas fit decoctum,quod inſeruit & pro ſyrupo,& pro potu,in prandio,& cęna. Et ſempèr
ſeruantur taleolæ ſiccatæ ſupra tabulam ſub vmbra : nam cum perueneritis ad 12. dies,nō
aderit plus radices,& tunc reuertimur ad taleolas,& ex illis, quæ prius fuerant ſiccatæ, ac-
cipimus pondere quatuor vnciarum pro ſingula vice, & ita cum ſint 24. vnciæ, ſufficiunt
pro ſex diebus,& ita peruenietis ad 18.dies. Capietis igitur quotidie quatuor vncias taleo-
larum priorum,& ponetis in 12.libras aquæ calidæ,macerabitiſque per ſex horas; deinde
Quomodo, & quantu aſſumediū decocti. ponetis ad ignem,vt bulliat ad conſumptionem tertiæ partis : hæc eſt præparatio. Aſſum-
ptio autem eſt talis : purgato optime corpore , vt fit in aſſumptione decocti ligni Indici,
exhibetur mane,& veſperi ſyrupus ponderis octo vel decem, vel duodecim vnciarum , &
nihil minus octo vnciarum : quem bibet vno,vel duobus,vel tribus hauſtibus,nihil refert:
& facilè etiam bibet,quia decoctum hoc ſuaue ſatis eſt, habetque colorem vini diluti , il-
lius ſcilicet,quod habet colorem cæſium , vulgò cereſolo . In prandio autem , & cœna bi-
bat idem decoctum. Victus non ſit valdè tenuis,nec valdè ſiccans ; vnde in hoc caſu non
exhibemus panem biſcoctum,ſed communem panem optimum,carnes,oua , & aliquan-
do ob ventriculi imbecillitatem admiſcemus parum vini,cum decocto,in prandio , & cę-
na. Deinde,quia maximè in potu huius decocti ſupprimitur aluus , ideo inijciendus eſt
ſæpe clyſter ex eodem hoc decocto : nam adeſt multa ipſius copia : capieris igitur lib. j. de-
cocti,& quatuor vncias mellis roſacei,& facietis clyſterem de decocto Chinæ . Ego in ip-
ſius vſu obſeruaui , quod pingues efficit eos,qui illud aſſumunt,alios miros effectus , quos
ipſi aſcribunt,ego non vidi ; & fortaſſe in noſtro orbe reſpuit illos edere. Solet hoc deco-
ctum prouocare admodum lotium ; & aliquando etiam ſudorem ; tamen vel prouocet
copioſè;vel moderate,ſolemus in medio temporis,vt puta decima die , exhibere aliquod
pharmacum,lene tamen,& potius repetatur : nam pharmaco vtimur potius ad alteratio-
nem , quam ad euacuationem. Idem eſt vſus decocti huius à principio ad finem , & nihil
variatur. Hic eſt vſus,& decoctio Chinæ,quæ rara radix eſt , & carè venditur , & raram re-
perietis Venetijs;at Florentiæ,Piſis,& Ianuæ reperietis copioſiorem;ſed ad huc magis co-
pioſa eſt in Flandria.

De ſalſa parilia. Vti China præbet bonos vſus,ita & radix altera, quæ ſalſa parilia dicitur,quæ longè etiā
meliores vſus præſtat,in tantum,vt in morbo gallico,cùm tumores illos duros oſſium ha-
bet etiam æger in varijs partibus,ego non habeam , cui magis fidam : Radix delata eſt ex
Hiſpanijs;alij dicunt deferri ex Aethiopia;alij ex alijs locis : ſed hoc nihil refert : Dicitur
radix hæc ab Hiſpanis ſalſa parilia,vel potius ſarza parilla , quaſi quod ſit ſine pari ; noſtri
corrupta voce vocant ſarza pariglia ; ab aliquibus etiam vocatur ſparta pariglia; ſed quo-
Deſcriptio ſarzæ parilia. modocumque appelletur,non refert. Radix ab vno capillamento,vel ſtipite nodoſo mul-
tiplex dependet ; non eſt valdè craſſa , ita vt nunquam excedat craſſitiem minimi digiti ,
rugoſa eſt,& valdè medulloſa : quæ radix cum bona eſt , has habet notas : candida radix
eſt,habetque corticem craſſiorem medulla,longiſſima radix eſt,nullam cariem, & farinā
repræſentat,in exteriori ſuperficie eſt vel rubicunda , vel ſubalbida : tales ſunt notæ bonæ
radicis. Quam alias ego credebam eſſe radicem ebuli,cui aſſimilatur;ſed poſtea animad-
uerti,quod decipiebar : nam mercator Hiſpanus quidam detulit quatuor plantas cum fo-
lijs,fructibus,& radicibus ad Illuſtriſſimum Ducem Florentinum , quarum plantarum
Sarza parilia eſt ſmilax aſpera Dioſcor. ego habui copiam;& reperi eſſe noſtratem plantam,nimirum ſmilacem aſperam , de qua
meminit Dioſcorides.4.lib.cap.proprio : Omnes enim notas habebant,quas Dioſcorides
aſcribit ſmilacri aſperæ ; quaſque reperimus in noſtra aſpera ſmilare:vnde cum eſſem Pi-
ſis reperi eam copioſam in monte ſancti Iuliani, & ex eò tempore , cum duos annos fuiſ-
ſem in eo gymnaſio,curaui,ut effoderetur radix : & toto illo tempore duorum annorum
uſus ipſa ſum tam felici cum ſucceſſu in morbo gallico cum tumoribus atheromaticis, &
ſcirrhoſis,ut mihi aliquando uiſum ſit miraculum ; hoc tamen intereſt inter radicem de-
latam ex Hiſpanijs;& eam,quæ effoditur in monte illo, quod Hiſpanica radix eſt craſſior
illa Piſana;eoſdem tamen utraque effectus præbet. Reperitur etiam radix copioſa in alijs
Italiæ locis,ut in Vmbria,in agro Fanenſi,in collibus illis,qui ſunt inter Fanum,& Piſau-
rum : nam ego rediens Roma vidi copioſam in collibus illis; in agro etiam Fulgineuſi co-
pioſa prouenit,& iam mihi miſſa eſt planta,cum radicibus,& folijs , à quodam meo ami-
ciſſimo : vnde iam poteritis radicem hanc copioſam habere in Italia. Sed notate , quòd,
qui radicem ipſam colligunt,ſolent facere roſoſin , ideſt abijciunt caput illud durum , &
Optima eſt in morbo gallico. nodoſum,à quo oriuntur,& pendent radices multæ,quia putant caput illud durum, & no-
doſum eſſe malum;ſed errant valde,quia capita,& nodi illi efficiant decoctum craſſius , &
validius : & ideo nunquam permittatis,vt capita illa,& nodi abijciantur. Huic radici ego
Facultates huius radicis. tantum fido in morbogallico , quando habet coniunctas gummas ill. s vocatas , vt nulli
magis,edoctus primò experientia,ſecundò qualitate radicis,quia calefacit , & ſiccat in ſe-
cundo gradu incipiente,ſed præcipuè ſiſus auctoritate Dioſcoridis , qui dicit, quod grana

ſmi-

Digitized by Google

ſmilacis aſpera aſſumuntur in antidota, ex quibus verbis colligo antiquos nouiſſe plantã hanc habere vim contra venena: & ita valere in morbis, qui fiunt à tota ſubſtantia: cum autem ego ſupponam gallicum morbũ fieri à tota ſubſtantia; ſequitur, quòd & radix hæc habet vim contra ipſum. Verùm ſciatis, quòd, quando vnà cum morbo gallico, ſunt tumores illi ſcirrhoſi, & calloſi circa oſſa capitis, vel crurium, vel circa alias partes oſſeas, & volo tumores illos, gummas vulgò vocatos, diſcutere, tunc vtor ſalſa parilia, & nullum reperi vnquam medicamentum præſtantius: nam tam citò, & tam benè digerit atque abſumit tumores illos oſſeos, vt ſit quaſi miraculum. Et his diebus exhibui cuidam ſcholaſtico Nouarienſi, qui habebat duos tumores, unum circa carpũ; alterum in crure, qui erat ita magnus, ut æquaret ferè magnitudinem mei genu: & ſexdecim dierum ſpatio ſunt uſque adeo imminuti, ut uiſum ſit miraculum non ſolum mihi; ſed & ueſtrum aliquibus, & alijs, qui adfuerunt, & uiderunt illos, tum ante exhibitionem decocti huius radicis, tùm poſtea: nam, ut dixi, ſexdecim diebus ex toto ferè imminuit eos, quod non feciſſet decoctũ ligni Indici ſpatio ſex menſium.

Experimẽtum radicis huius.

Et cum eſſem Piſis, erat quidam Capitaneus, qui vocabatur il Capitan Capone, qui habebat in fronte geminos tumores, magnitudinis vnius pugni, & ex vſu huius radicis diſcuſſi ſunt octo dierum ſpatio. Neque ſolum in his tumoribus vtor hac radice feliciſſimo cum ſucceſſu; ſed etiam in cancris non exulceratis: & non ſunt multi dies, quod exhibui cuidam meo amiciſſimo, qui patiebatur cancrum non exulceratum in palato: & iam tanquam deſperatus fuerat relictus ab alijs medicis, & vtebantur ſolum cura palegatina; ſed ex decocti huius radicis vſu deſituit penitus cancer, & optimè ſanatus eſt. Habeo etiã tria, vel quatuor exempla in his monialibus Patauinis, quas ſanaui à cancro in mammis ſolo vſu huius radicis. Itaque ego vtor hoc medicamento non ſolum ad diſcutiendos tumores illos duriſſimos; ſed etiam ad diſcutiendos, & ſanandos cancros ſcirrhoſos; non exulceratos tamen, quique ſint ſimplices, & ſine dolore: vtor dico ad ſanandos ex toto; vt re vera facit, quod non poteſt facere China: nam China non ſanat ex toto cancrum, ſed mitigat, & remittit.

Sanat cãcros nõ vlceratos.

Verùm præcipuus vſus ſalſæ pariliæ, eſt ad morbum gallicum cum gummis illis, & eſt iam in tanto vſu, vt plurimi, cum viderint miros effectus, quos edit, exhibeant etiam ad alios morbos profligandos; ſed nihil facit, quoniam non omnes morbi egent diſcuſſione. Et his diebus vnus conſuluit me, an decoctum ſalſæ conferret ad continuum vomitum ſiſtendum? & reſpondi quod nullo modo: nam radix hæc hoc vnum habet in commodum, quod debilitat ventriculum: lignum autem Indicum roborat: vnde quando ventriculus eſt imbecillus, vel refertus pituita, non conuenit vſus huius radicis.

Debilitat vẽtriculũ.

In electione autem radicis aduertatis, ne accipiatis radiculas illas, quæ ſunt veluti paleæ: nam peſſimæ ſunt, ſed eligetis craſſiores, albas, vel ſubrubras, & in interna facie candidiſſimas, & ex hac facietis decoctum. In quo conficiendo tradam vobis rationem, quam ego ſeruo: nam neſcio, quomodo conficiant alij, etiam ſi multi ex his medicis ſeruent meam normam; nam eam à me accepere: quando enim ego veni huc, ne nomen quidem, ne dum radicem, nouerant Excellentiſſimi iſti medici, & aliqui etiam ex ipſis hoc fatebantur in publicis colloquijs, ſed poſtea multi receperunt hanc radicem in vſum, & faciunt decoctum ea norma, qua ego; quæ tamen mea non eſt; ſed ego accepi ab Hiſpanis, & talis eſt. Accipio quatuor vncias radicis, & comminuo in fruſta, non autem contero, nec contundo, ſed ſeco tantum in fruſta, & infundo in duodecim libras aquæ calidæ: & ſi radix ſit ex noſtrate, & recens valdè, macero in illa aqua ſpatio 12. horarum; ſi autem ſit ex Hiſpanijs, & non ita recens, macero per vigintiquatuor horas: & facta maceratione, pono ad ignem clauſo vaſe, & coquo ad conſumptionem medietatis, vel aliquando ad conſumptionem tertiæ partis tantum, pro vt volo decoctum, nunc magis dilutum, nunc minus: & in coquenda hac radice eadem obſeruo, quæ etiam in decocto ligni Indici, vt bulliat ſenſim lento igne, in olla, vel teſtaceã, vel ex lapide: & olla ſit ſemper clauſa: & vt aluus conſeruetur continuò lubrica, ſoleo addere antè quàm auferam decoctum ab igne, duas, vel tres vncias, & plus etiam, ſi requiratur, paſſularum: & has addo vltimò, quando eſt conſumptũ, quod eſt conſumendum ipſius decocti: quibus paſſulis fit, vt decoctum, quod per ſe eſt ſuaue, reddatur ſuauius: ſecundo vt habeat vim ſeruandi aluum lubricam, aliquando non affundo paſſulas in decoctum, dum eſt ſuper ignem, ſed pono ipſas in catino, & ſuper ipſas colo decoctum feruens, & ita decoctum eandem vim ſuſcipit:

Modus cõficiẽdi decocti ex ſarza.

Sed notate, quod quandoque cum hac radice admiſcemus parum corticis, vel ligni Indici, & hoc facio quando opus eſt habere maiorem rationem ventriculi: nam decoctum ſalſę non roborat ventriculum, vt facit decoctum ligni: & ideo cum video uentriculum eſſe præter modum frigidum, & utor ſalſa, admiſceo corticem, uel lignum quantitate duarum unciarum, ut ad quatuor uncias radicis addam duas corticis, uel ligni guaiaci, aut ſancti; ſed pro qualibet uncia corticis, uel ligni addita, oportet etiam addere unam librã aquæ, & ita ſi erunt quatuor unciæ radicis, & duæ corticis, uel ligni, accipietis 14. libras aquæ, & ita facio decoctum. Verum

Pro roborando ventriculo addunt parũ ligni Indici.

raro

rarò accidit,vt addam corticem,vel lignum; ſed vt plurimum facio decoctum ſine ipſo ex ſola radice. Et facto primo decocto, ſeruo ipſum pro ſyrupo; deinde ſupra eandem radicem affundo ſtatim tantundem aquæ, ſcilicet duodecim libras,& abſque alia maceratione appono ſtatim ad ignem, & coquo ad conſumptionem tertiæ partis: deinde extraho ab

Decoctum pro potu. igne,colo,& ſeruo pro potu in prandio,& cæna. Sciatis tamen,quod quando egeo maiore diſcuſſione, vtor primo decocto tantum pro ſyrupo, & pro potu in prandio, & cæna; & quando requiro leuem diſcuſſionem; pro potu vtor ſecundo decocto: cum verò materia eſt rebellis, & requirit diſcuſſionem validam,vtor pro potu etiam decocto primo.

Vſus decocti ſalſæ. Vſus autem decocti ſalſæ idem eſt, qui & decocti ligni Indici: nam exhibetur mane, & veſperi ſyrupus ponderis octo, vel decem unciarum, primis tamen, & ultimis diebus exhibetur unus tantum ſyrupus; bibet autem ſecundum decoctum in prandio, & cæna ad extinctionem ſitis; & non bibat coactè multam quantitatem: Aliquando cum ſecundo decocto miſcemus parum uini, ſed rarò id facimus. Poſt potum ſyrupi intermittat tantum temporis inter prandium, & cænam, & inter ſyrupum, & ſyrupum, ut faciebat in decocto ligni, accipiatque ſyrupum in lecto,& ſuper dormiat matutino ſyrupo, ſi poteſt. Aliquando etiam, ut cieatur ſudor, admouebitis lapidem calidum pedibus; aliquando etiam non, quoniam non requiritur tam ſuperſtitioſa regula in aſſumendo decocto ſalſæ, ut in decocto ligni. Vnde & in cibo nos exhibemus pleniorem uictum: à principio enim ad finem

Victus ratio plenior, quam in ligno. exhibemus bonas carnes;aſſas tamen,& optimum panem, ſiue ſit biſcoctus, ſiue non; nec utimur tenui illo uictu, quo in decocto ligni, neque enim opus eſt in decocto ſalſæ nos eſſe ita rigoroſos,quia medicamentum hoc non requirit;decoctum autem ligni requirit uictum illum, quia cum habeat multum pinguedinis in ſe, & ſit robuſtius medicamentum, non facilè vincitur à natura:ideo ſi exhiberetur plenior victus,natura diſtraheretur à medicamēto, ita & calor,vt non concoqueret cibum; ſalſa autē non habet tantum pinguedinis; immò minimum in ſe:ideo parum laborat natura,& calor in conficiendo ipſam,& hac de cauſa concedimus pleniorem victum; immò ſi ſerenum ſit tempus, non ventoſum, non pluuioſum,nec nebuloſum,facimus,vt æger exeat aliquando domo,de numero autem die

Numerus dierum aſſumēdi decocti. rum aſſumendi decocti, non eſt ſatis certus numerus, nam aliquando pluribus, aliquando paucioribus diebus exhibemus,vt plurimum tamen non excedimus 30.dies,aliquando exhibemus 25.tantum,aliquando 20.aliquando 15.tantum,& rarò excedimus 30.& quando non agit 30. dierum ſpatio, nec agit 40. vnde ſi poſt exhibitionem 30.dierum,non diſcuſſæ ex toto fuerint gummæ, non oportet vlterius exhibere decoctum, ſed potius intermittere tres, vel quatuor menſes; deinde iterum aſſumere decoctum 15. vel 20.diebus, & certò diſcutiet penitus quod remanſit, vt ego multoties expertus ſum:& in principio,& fine decocti omnia ſint leuiora, vt primis diebus accipiet vnum ſyrupum tantum minoris etiam quantitatis,deinde accipiet duos,& in maiori quantitate,& in fine rurſus declinabit, & terminabit ad vnum tantum ſyrupum, & minoris etiam quantitatis. ſolet ſæpe ſtipari aluus, & tunc ſi decoctum, in quo ſint paſſulæ, non ſufficienter tenet aluum lubricam,comedat æger paſſulas in prandio,& cæna;quod ſi nec ipſæ faciant,accipiat pilulas, quas diximus in decocto ligni. Vtrum autem in hoc decocto ſit exhibendum pharmacum in diebus inter-

Num in hoc decocto pharmacū ſit exhibēdum. medijs, vt fiebat in aſſumendo decocto ligni, ego ſoleo exhibere, ſed non ita frequenter: vnde ſi exhibeam decoctum hoc 30. dies, ſemel, vel bis tantum exhibebo pharmacum: ſi autem exhibeam 20 diebus exhibebo pharmacum ſemel tantum in medio temporis, vt 12 die;ſi autem exhibeam ſpatio 15.dierum tantum non exhibeo pharmacum, vel in fine tantum exhibebo medicamentum leniens;& quando volo exhibere pharmacum vtor eiſdem, quibus vtebar in decocto ligni: & notate quod decoctum huius radicis ſolet impin-

Quanto tēpore perduret decoctum. guare: ſed non ita,vt decoctum chinæ: Durat decoctum ſalſæ, ſi non ſit tempeſtas calidiſſima quinque, vel ſex diebus ad ſummum; ſi autem ſit tempus calidum,minus durat; ideo tunc ſat erit,vt mediam partem tantum decocti faciatis capientes duas vncias radicis, & ſex libras aquę; vnde tota ſumma radicis pro toto tempore aſſumendi decocti erit duarum librarum cum dimidia, quam radicem poteritis habere præſtantiorem, & minori pretio Ianuæ,Florentiæ,Piſis,& aliquando Anconæ,quam Venetijs;nam Venetijs rara eſt, & caro venditur, primis enim annis cum ego veni in hanc vrbem, ſoluebant duos mocenicos pro libra,nunc autem oportet ſoluere duos ſcutatos aureos;ſpero tamen,quod propediem minori pretio habebitur, quia iam cæpit deferri copioſa ſatis, & iam incipit haberi pro vno ſcutato cum dimidio libra vna. Hæc eſt ratio parandi decocti ſalſæ pariliæ,hæque ſunt rationes ſuperandi morbū gallicū per decocta,quorū duæ ſunt præſtantiores ſcilicet decoctum ligni,& ſalſæ; tertia autem,quæ eſt per decoctū Chinæ, eſt minus efficax illis duabus.

De ſuffumigiorum vſu. Alia adiungitur ratio ſuperandi morbum gallicum, quæ eſt maximo in vſu apud Empiricos, & eſt vſus ſuffumigiorum, quæ ſuffumigia à me non penitus reprobantur, nec penitus laudantur, quia aliquando ſunt maximè noxia, ita, ut ego uiderim multos ex ſuffiti-

bus

bus incidiſſe in febrem, & tandem fuiſſe mortuos; & non ſolum uidi incidiſſe in febrem, ex qua mortui ſunt; ſed etiam in dyſenteriam, & aliquot etiam vidi factos aſthmaticos. Vnde etiam ſi in vſu ſint ſuffitus, & probẽtur valde ab Empiricis, tamen cum cautela ſemper ſunt adhibendi; non dubito tamen, quin aliquando ſint adhibendi, & ego ſum ipſis vſus aliquando in nobilibus etiam, quia aliquando incidi in quoſdam, qui patiebantur defluuium pilorum, cupiebantque cito ſanari, & nullum decoctum volebant aſſumere: ideo coegerũt me vti ſuffitibus. Purgato enim corpore negotium perficitur quindecim diebus, & non dubitetis, quod ſuffitus ſuperent citius alijs remedijs ſymptomata ipſa gallica, & præcipuè defluuium pilorum: cum enim per ſuffitus fiat maxima euacuatio per ſudorem & per os, ſolet citò & optimè ſiſti pilorum defluuium. Aliquando cum gallico erunt coniunctæ lippitudines gallicæ, & peſſimæ, in quibus ego ſum admodum interdum defatigatus, & omnia feci; tamen prorritabantur magis: ſed acceſſit poſtea muliercula, & facto ſuffitu ſanauit ægrum. Et duo de re hac habeo in hac Vrbe exempla de duobus Notarijs. Quare dico, quòd licet vſus ſuffituum non ſit omnino tutus; tamen coguntur aliquando rationales medici illis vti, coguntur inquam, vel à ſymptomatibus grauioribus, & rebellibus; vel ab ægro ipſo, quia velit ſe citò expedire, & nolit vti alijs remedijs. Semper tamen eſtote cauti, & conſulo vt potius ſinatis, quòd æger amittat oculos, quam vitam: Hoc dico, quia ſuffitus habet ſemper coniunctum periculum vitæ: & ideo moneo, & hortor vos, fratres chariſſimi, vt in habitibus calidis, & humidis; in macilentis; in habentibus cerebrũ calidum, & ſiccum; in illis, qui patiuntur anguſtiam pectoris: in propenſis ad ſputum ſanguinis; in ijs, qui facilè incidunt in peripneumoniam, & in illis, qui facile cadunt in dyſenteriam; in his omnibus fugiatis ſemper ſuffitus, tanquam propoſitam, & vicinam mortẽ: Contrà autem in pinguioribus, & in habitibus robuſtis; & qui non peccent in aliquo dictorum, poteritis, & ſemper etiam, cum cautela, & prognoſtico, poteritis, inquam, vti ſuffitibus. Qui ſuffitus proditi ſunt etiam ab antiquis, vt habetis ab Oribaſio in 8. lib. Collect. ca. 12. ex Antyllo, vbi proponit aliqua ſuffumigia ad purgandum thoracem, & totum etiã corpus per thoracem, & hæc ſuffumigia à Græcis vocantur thymiamata, à noſtris ſuffitus, vel ſuffumigia, vel ſuffimenta; & à recentioribus barbaris ſuffumigationes, vel ſuffumigia. Quæ hoc agunt in corpus humanum (videatis quanta ſit eorum vis) quòd primò attracta per nares, & per palatum petunt cerebrum aperiendo obſtructiones, & ipſum calefaciunt, & ſiccant: Secundò attracta per thoracem deueniunt ad pulmones, & ad cor, & calefaciunt, ſiccant, deterguntque humiditates præter naturam omnium illarum partiũ; Tertiò, dum penetrant per cutim apertam, attrahuntur per arterias, & ſiccant, & cutim magis apertam reddunt, atque detergunt omnia excrementa, quæ in cute ſunt: Quartò ſuffumigia hæc attracta non ſolum per arterias; ſed etiam per venas ad internam cauitatem corporis perueniunt ad viſcera, & ipſa alterant plus, quam quodlibet aliud, calefaciendo, ſiccando, aperiendo, & detergendo; & ſanguinem in venis exiſtentem ab excremẽtis expurgant; & hepar, aliaque viſcera iuuant. Sed dices: alteratio hæc vnde prouenit, an ex materia, ex qua fiunt ſuffitus, an ex ſuffitibus ipſis? Dico, quòd vis iſta pendet tùm à materia, ex qua fiunt ſuffumigia, tùm à modo ſubſtantiæ: ſed vt plurimum à modo ſubſtãtiæ, quoniam materia illa eſt conuerſa in fumum, & præter modum attenuata, & reddita actu calida; & ideo habet vim maximam penetrandi, & agendi ita, vt in cita, & valida actione ſuperet omne aliud medicamentum, quod poſſit applicari.

Cum cautela magna adhibenda ſuffumigia, quia periculoſa.

Facultates ſuffitus.

Suffitus habet ſemper coniunctũ periculum vitæ.

In quibus fugiendi ſuffitus.

Suffumigiorum vires.

Materia autem, ex qua fiunt ſuffumigia, ſolet eſſe aromatica calida, & ſicca, & vt plurimum bono odore prædita: fiunt etiam aliqua ex ijs, quæ malum habent odorem: illa, quæ fiunt ex materia, quæ ſuauiter olet, ſolent roborando ſuperare morbum; at illa ex materia malè olente non roborant viſcera; ſed alia ratione morbum expellunt. Ex duplici ergo hac materia fiunt ſuffumigia; quorum alia dicuntur vniuerſalia, alia partialia. Vniuerſalia, ſeu communia dicuntur illa, quibus ſuffitur totum corpus; partialia autem, quibus ſuffitur vna pars tantum, vt brachium, pes, &c. Et hæc porrò vniuerſalia ſuffumigia in morbo gallico ſuperando ſunt duum generum: nam alia ſunt quorum vſus eſt in morbo gallico incipiente, & ſunt benigniora; alia, quæ ſunt in vſu in gallico iam facto, & confirmato, & ſunt robuſtiora, & maligna: nam materia ſuffumigiorum pro morbo incipiente eſt calida, & ſicca, & optimo odore prædita, quæ roborat viſcera, quo robore ſuperatur incipiens morbus; at materia ſuffumigiorum pro morbo iam confirmato, & rebelli, vt plurimum eſt expers boni odoris, & venenata; ideo talia ſuffumigia non roborant viſcera; ſed ſua mala qualitate, & venenoſitate ſuperant morbum. Primum loquamur de ſuffumigijs benignioribus; deinde ſuo loco loquemur de illis malignis. Primò itaque in parando ſuffitu oportet, vt optimè præparetur corpus per ſectionem venæ, per ſyrupos, & potiones, & per pharmaca: & ſi in alio caſu, hic præcipuè requiritur totius corporis optima euacuatio, & non ſolum totius, ſed etiam capitis: & ideo poſt communem euacuationẽ,

Materia ſuffumigiorum.

Alia ſunt vniuerſalia, alia particularia.

Suffumigia benigniora.

eua-

euacuetur,& caput,quod fiet,ſi æger mandat radicem pyretri, vel quid ſimile: hoc facto vtimur ſuffitu.

Modus viendi ſuffumigij.

Modus autem eſt talis: Aeger ſurgit è lecto mane valde ſummo; & antequam recipiat ſuffitum,debet roborare,& reficere omnes ſpiritus,quod fiet ſi primo ſorbebit duo oua: deinde accipiet panem infuſum in maluatico diluto aqua, vel in alio optimo vino; Tertiò capiet vnam vnciam ſaccari roſacei, vel boraginati, vel violati, vel conditi ex carne pomi citrij,vel conditi ex floribus citrij mali,vel quid ſimile,quod foueat,& reficiat ſpiritus, ne, dum corpus ſuffitur,incidat in defectum animi. Hoc facto, quieſcat æger per mediam horam, & interim paratur tentorium, padiglione vulgo dicitur,quod ſit ex panno; vel, ſi non adſit ex panno,accipiatis duo,vel tria tentoria ex tela, & ponatis vnum ſuper aliud; Deinde diſtendatur tentorium,& in medio collocetur ſedes, ſupra quam ſedeat æger nudus: Sed, antequam ingrediatur tentorium, ponatur teſta carbonibus pluribus accenſis plena in tentorio,vt optimè calefiat tentorium,& aer ipſius; Quo facto,mandatis ægro,vt ſedeat in medio tentorij, & clauſo optimè tentorio ponetis ſupra carbones parum medicamenti exurendi,& cum portio illa fuerit combuſta, ſenſim renouabitis: medicamentū autem exurendum,quod nam ſit dicam paulo infra.

Tēpus ſuffumigij.

Sub eo fumo ſtet æger prima vice per dimidiam horam: ſecunda vice,dum fit ſuffitus, per tres quartas partes horæ: vltimo per horam integram; ſed rarò poſſunt inibi manere per horam integram: Sunt enim aliquando aliqui de genere facchinorum, qui per horā cum dimidia inibi manere poſſint;ſed rari admodum hi ſunt, quia ex calore, & fumo illo attracto per totū corpus excitantur ſudores vehementiſſimi,qui reſoluunt ſpiritus, adeo, vt æger ſæpe concidat in defectum animi: Et ideo oportet,vt dum fiunt ſuffitus, Medicus ipſe ſit præſens,& ſit admodum diligens, interrogetque ſæpe ægrum, an poſſit perferre.

Medicus aſtare debet, dū fumus recipitur.

Alioqui poſſet accidere,quod contigit cuidam medico magni nominis, cuius nomen reticebo: ipſe aderat præſens mulieri,quæ recipiebat ſuffitum ſub tentorio,& ipſa dicebat ſe non poſſe ferre fumum illum; medicus hoc non credebat, quia dicebat mos eſt mulierū ſemper conqueri: vnde acerbè rem tractans,quando aperuit tentorium,reperit mulierem ſuffocatam,quod poſtea fuit in cauſa, vt medicus ille amiſerit auctoritatem in ea Vrbe. Itaque oportet,vt medicus adſtet,& obſeruet ea, quæ poſſunt accidere; & ſit diligens, & non auſterus,& memor ſit, quod non omnes poſſunt æqualiter ferre fumum illum: Vidi enim aliquot,qui nec per octauam partem horę poterant fumum illum tolerare. Tamen, cum eſſet opus,ut fumum reciperet,hoc modo occurrebam: mandabam ut haberet arūdinem longam ſatis,& perforatam à ſummo ad imum,& uno capite teneret intra tentorium, altero foris;& cum non poterat ferre fumum illum mandabam,ut apponeret arundinem ſibi ad os,& per ipſam attraheret aerem frigidum ad pulmones, & hoc modo præſeruabatur à deliquio animi: Nam quod facit defectum animi eſt fumus ille, qui diſſipat ſpiritus. Soleo etiam aliquando relinquere foramen in tentorio, per quod appoſito ore attrahat aliquando tepidum aerem;ſed non eſt ita commodum,ut arundo, quia dum admouet os foramini,non manet in medio tentorij,ut requiritur.

Remedia auctoris in prohibendo deliquium animi.

Abſoluto ſuffitu qđ agendum.

Cum fuerit ſuffitus,& præter modum ſudauerit,educitur,& ſiccatur ſudor, abſtergiturque corpus pannis, & ponitur æger in lecto, ubi maneat per duas, uel tres horas, & dormiat, ſi poteſt: nam ſomnus humectabit ſiccatos ſpiritus: poſtea inde ad tres, vel quatuor horas accipiet prandium. Suffitus in aliquibus ſolet fieri bis in die,ſed rari ſunt illi,qui poſſint perferre bis in die: vnde vt plurimum fit ſemel tantum ſummo mane fiunt autem ſuffitus octo, vel nouem diebus ad ſummum: nam quod non facit continua; & vehemens euacuatio nouem dierum, non faciet etiam, ſi ſuffitus fieret duodecim diebus, præterquam,quod,ſi fieret pluribus diebus,poſſet præter modum exiccari corpus,ita vt incideret in maraſmum;& ideo nunquam excedatis nonum diem. Hi,qui ſuffiuntur,non ſunt alendi biſcocto pane nec tenui illo victu detinendi, ſed comedant bonas carnes, optimum panem,oua,& ſimilia; immò mane, & veſperi exhibemus iuſculum ſaturum ſubſtantia carnea: vt accipiatis pullos, plenos, & pingues ſatis, & coquatis ad conſumptionem ferè carnis,deinde comprimatis etiam carnem,& exhibeatis mane, & veſperi plenam ſcutellam illius iuris,cum expreſſione carnis: nam ſolemus exhibere omnia illa,quæ multum,& citò nutriunt,citòque & facilè concoquantur: & non exhibemus multos cibos, ſed potius qui multum alant,& citò: exhibemus etiam condita ex amygdalis, vel ex nucleis pineis, & ſaccaro.

Victus ratio in ſuffitu.

Si ſoluatur venter qđ agēdum.

Accidit in his ſuffumigijs,vt ſoluatur venter,& fiat diarrhæa vigens: & tunc oportet, vt inſpiciatis excrementa,& ſi excernuntur talia,qualia oportet,ita vt ſint bilioſa,vel pituitoſa, vel melancholica corrupta,vt ſæpe ſolent in vſu ſuffumigiorum,nihil debetis agere; at ſi excernatur ſanguis,vt ſolet accidere ex vſu ſuffitus maligni,debetis occurrere eo modo, quo vos docebo quando agam de ſuffitibus malignis. Solet etiam accidere febricula, cu-

ius

Digitized by Google

tus curationem non opus eſt, vt ego hic vos doceam, quoniam habuiſtis ab Excellentiſſimis his practicis.

Tertio ſolet accidere maxima copia ſputaminum, ita vt videatur habere lacunam in ore, & aliquando vacillant adeo dentes, vt & dentem aliquem expuant, vt ego aliquando vidi: ſed hoc ſolet præcipuè accidere ex vſu ſuffitus maligni, de quo infra agam, & ibi docebo, quomodo debeatis occurrere vacillationi dentium, & copiæ ſputaminum. Docebo autem vos maligna ſuffumigia conficere, non vt eis vtamini, niſi maximè coacti, ſed vt ſciatis corrigere incommoda, quæ ex vſu ipſorum ſequuntur, quando aliquis illis vſus fuerit. Iam propono vobis materiam, ex qua ſit benignus ſuffitus: primum igitur ſuffumigium ſit hoc.

Quomodo occurratur ſymptomatibus, quæ accidunt in ſuffitu.

Forma ſuffumigij benigni.

Rec. thuris maſculi
aloes
myrrhæ } an. ℥ j.
cinnamomi
pulueris cyprij
ſtyracis ſiccæ
ſpicæ nardi Indicæ
nucis moſcatæ } an. ℥ s.
ambræ. ℥ s.
moſci. gr. ij.

Hæc miſcentur, & non teruntur, ſed vix comminuuntur: & hic eſt vnus ſuffitus: & tota hæc doſis, ſeu quantitas ſufficit tantum pro una uice: nam tota ſenſim exuritur illo temporis ſpatio, quo ſemel ſtat ſub tentorio, ſiue ſpatium ſit vnius horæ, ſiue dimidiæ. Aliud genus ſuffumigij eſt tale.

Rec. ſandalorum alborum
rubeorum
citrinorum } an. ℥ j.
nucis moſcatæ
maceris
ſquinanti
cariophyllorum
camphoræ
aſari } an. ℥ s.
corticum mali Apuli, vel alterius pomi odorati. ℥ s.

Hæc miſcentur, & reducuntur in puluerem, & admixta pauca terebinthina, fit paſta, quæ ſufficit pro vnica vice: paſta autem formatur in pilulas, quæ exuruntur ſupra carbones, una poſt alteram. Tertium genus ſuffumigij eſt tale.

Rec. ſtoracis ſiccæ
belzuini
ligni aloes
galliæ moſcatæ } an. ℥ s.
ambræ lutæ.
gummi hederæ } an. ℥ j.
ladani. ℈ ij.
ſquinanti
cinnamomi } an. ℥ s.
albi animæ ℥ s.

Hæc miſcentur, teruntur, & colliguntur ſtorace liquida, & fit paſta, quæ formatur in globulos, qui ſufficiunt pro unico ſuffitu. Vt autem hæc omnia, quæ recipiuntur in hac deſcriptione ſint uobis nota, debetis ſcire, quod album animæ, uel animæ album (utroque enim modo dicitur) eſt genus quoddam gummi, quod reperitur in Canibalibus, quæ eſt regio Africæ, vt dicit Petrus Martyr, & eſt gummi pretioſum, & in vſu Romæ, & in Hiſpaniis pro ſuffitibus non Gallicis tantum, id eſt pro morbo Gallico, ſed & pro alijs affectibus.

Album animæ quid ſit

Gummi autem hoc ſtillat ex arbore quadam, quæ ſimilitudinem maximam habet cum noſtra ficu: nam habet folia, & corticem quaſi eadem, & ſub cortice fa-

rinam copioſiſſimam profert, dulciſſimamque, & profert doctylos palmulas ſve dictas, ex quibus illi Canibales parant ſibi cibum, & vinum, & acetum; & ex farina ſub cortice genita parant ſibi panes, quos dicũt eſſe ſuaues, & bonos, vt ſunt panes ex caſtaneis: noſtis enim, & noſtros ruſticos degentes in montibus ſiccare caſtaneas, & terere, redigereque in farinam, ex qua deinde conficiunt panes: ita incolæ illi, cum cortex illius arboris inueteraſcit, contrahit cariem facilè, & totus vertitur in puluerem, quem colligunt, & ex ipſo parant panes ſuauiſſimos, vt referunt illi, qui eos guſtarunt. Vltimò ex eadem arbore fit gummi pretioſum candidum, & pellucidum, & ſuauiter olens, quo Romæ Cardinales vtuntur in delitiis, & ad faciendos ſuffitus, quando habent caput, vel thoracem repletum: nam ſuffitus ex illo gummi aperit, roborat caput, thoracem, & hepar exiccando ita, vt nihil præſtantius inueniatur: eſt etiam in vſu gummi illud in hiſpanijs. Hæc ſunt tria genera ſuffitus benigniſſimi, quorum primum eſt abſolutè calidum; & ideo opportunum eſt pro habitibus frigidis: Secundum eſt minus calidum, ideo eſt accommodatum pro habitibus mediocribus: Vltimum eſt nobiliſſimum, & pro ditioribus opportunum: Hi ſunt ſuffitus ex materia benigniori; Reſtant alij ex materia maligna, de quibus non agam cras, ſed referuo tractationem ipſorum in aliam occaſionem, quando infra tractabo de ablatione cuiuſdam ſymptomatis, cras igitur de inunctionibus, quibus ſolet etiam ſuperari morbus gallicus.

Cura morbi Gallici p inũctiones. Eſt & alia ratio curandi morbum gallicum, qua Empirici frequentiſſimè vtuntur, & eſt per inunctiones, quæ ſunt variorum generum. Aliquot enim ſunt, qui inungunt inunctionibus, & pinguedinibus quibuſdam, quæ ſunt nullius momenti, & nihil proſunt; alij ſunt, qui inungunt inunctionibus quibuſdam robuſtiſſimis, quæ habent in ſe hydrargyron, hoc eſt argentum viuum, & iſtæ inunctiones ſuperant, & propulſant ex toto morbum gallicum: & ego plurimos iam vidi ſanatos ex huiuſmodi inunctionibus. Cur autem ego non vtar crebrò his inunctionibus, nec alij medici doctiores, qui nituntur methodo, praxi, experientia, & analogia etiam, cauſa eſt, quia ad has inunctiones ſuccedunt incommoda infinita, & maxima: nam ſæpe ſuperueniunt dyſenteriæ, & quidem ſanguineæ, & magnæ, ita, vt cum ſanguine aliquando exoluatur anima: accidunt, & capitis affectus, & memoriæ lapſus, vertigines; aliquando paralyſis, vt ego vidi; ſæpe etiam diſſoluuntur, & corrumpuntur oſſa palati, & capitis; vidi & aliquot factos aſthmaticos ex huiuſmodi inunctionibus. *Incommoda ĩunctionis per hydrargyrũ.* Hæc itaque eſt cauſa cur ego, & alij optimi medici non audeamus vti hac curatione morbi gallici per inunctiones robuſtiſſimas; tamen aliquot ſunt Empirici, qui alia curatione non vtantur: & primis illis temporibus gallici morbi nulla alia curatio erat in vſu: vnde Carpenſis ille chirurgus ex ſola curatione gallici cum his inunctionibus lucratus eſt plus, quàm quinquaginta milia ducatorum aureorum; & plures interfecit, quamuis maiorem partem ſanauerit; & non ſolum in vſu fuere hæ inunctiones tunc temporis, ſed & nunc in aliquibus locis ſunt in vſu frequenti, vt in Galijs: ſtatim enim recurrunt ad inunctiones, & ter, & quater etiam in anno eos inungunt; nec ſolum in Galijs in frequenti vſu ſunt; ſed etiam in quibuſdam Italiæ locis: & ideo oportet, vt ego doceam vos modum conficiendi, & vtendi his inunctionibus, vt ſi quando cogeremini ab ægro, vel à morbi vehementia, ſciatis ipſis vti: & profectò cogemini aliquando, vt ego ſum coactus. Cæpere autem inunctiones hæ eſſe in vſu primis morbi temporibus, quoniam cum in vlceribus gallicis nihil reperirent chirurgi, quod faceret ad rem cumque, legiſſent apud Meſuem, ac alios Arabes varias compoſitiones ad cutis affectus, quæ hydrargyron admixtum habebant, cæperunt & ipſi vti hydrargyro, atque tandem caſu inuentum eſt, hoc genus inunctionum ſanare morbum gallicum. Itaque in vehementiſſimo, diuturno, & rebelliſſimo morbo poteritis vti bis inunctionibus: Qua autem ratione ſuperent morbum gallicum, dico ratione argenti viui. Sed quomodo poſtea argentum viuum ſuperet morbum gallicum, variæ ſunt opiniones: Ego tamen dico, quòd ſuperat à tota ſubſtantia, quia eſt uenenum, & unum uenenum ſuperat aliud venenum, ut habetur in Epigrammate illius Poetæ, qui refert, quod mulier quædam, cùm uellet interficere maritum exhibuit ei uenenum, & quia timebat, quod uenenum illud non ſufficeret, exhibuit eidem argentum uiuum, & tantum abfuit, ut illum necauerit, ut potius liberauerit: nam ſuperauit uenenum illud aſſumptum. *Quomodo argentum viuum ſuperet morbum Gallicum.* dicò igitur quod argentum uiuum ſanat gallicum morbum tota ſubſtantia. *A tota ſubſtantia.* Aliqui tamen ſunt, qui dicunt, quod ſanat gallicum ratione euacuationis magnæ, quam facit per ſeceſſum, uel per ſputum; ſed ego dico, quòd iſtæ euacuationes ſunt alterationes: morbus autem gallicus non eſt intemperies, ſed morbus à tota ſubſtantia: ideo non poteſt ſanari ex remotione intemperiei: & ita quamuis per euacuationes has remoueatur cauſa, quæ fouebat intemperiem, tamen non ob id ſanatur morbus, quia eſt à tota ſubſtantia.

Dico

Dico igitur, quòd argentum viuum expellit morbum gallicum, non quia euacuet, vel ſiccet, vel calefaciat, vel alia manifeſta qualitate; ſed à tota ſubſtantia. Modus autem quo inuentum eſt argentum viuum ſanare morbum gallicum, eſt, ut dixi, talis: Gallicus morbus habitus eſt, & habetur de genere ſcabiei ratione puſtularum, & ulcerum, quæ in cute oriuntur. cum autem ſcabies ſit rebellis aliquando morbus, medici uſi fuerunt non ſolum mitioribus, ſed etiam validiſſimis medicamentis: quod & in morbo gallico fecerunt: & cum vidiſſent alia non facere, deuenerunt ad illa robuſtiſſima medicamenta Arabum pro ſcabie, quæ recipiunt hydrargyrum, exiſtimantes, quod cum profligent ſcabiem contumaciſſimam, propulſatura etiam eſſe Gallicum, & ita caſu inuenere, quod argentum viuum eſt illud, quod in illis medicamentis expellit Gallicum: & ita ceperunt ipſo vti per inunctiones.

Qualitas argenti viui.

An vero qualitate aliqua argentum viuum poſſit profligare morbum Gallicum? Dico, quòd non: nam audiuiſtis anno ſuperiori, dum agerem de foſſilibus, quæ ſit eius qualitas: diximus enim, quod duplicem habeat qualitatem, vnam in ſuperficie; alteram in intimis partibus, eſt enim ſuapte natura calidum, & ſiccum; ſed habet extrinſecus partes aereas admixtas, quæ faciunt ipſum fluidum. Et ideo dico, quod ſuperat morbum à tota ſubſtantia, & tanquam venenum expellit ſubſtantiam, ſeu qualitatem illam venenoſam. Præterea facit hoc, quod euacuat per inteſtina, & per palatum: & mirum eſt, quod euacuet determinatè per has partes; etiam ſi extrinſecus apponatur corpori: illi enim, qui inunguntur, euacuantur aut per ſedem, aut per palatum, & expuunt tot, & tanta, vt ſit mirum. Vidi enim ego aliquot, qui ſpatio octo, vel decem dierum, expuerunt decem, & duodecim libras materiæ aquoſæ. Aliquando etiam non fit tanta expuitio, crebrius tamen fit: & quamuis argentum viuum apponatur partibus extrinſecis, tamen euacuat per palatum, & per ſeceſſum, quia maximè penetrat: & de hoc non dubitetis. Penetrat enim ita vt ſit mirum: & non ſolum penetrando deuenit vſque ad palatum, ſed etiam ego aperui bis gummata in cruribus, & in oſſibus illis medijs corruptis, in quibus reperi micas puri argenti viui. Omitto auctoritatem & Matthioli, & aliorum doctiſſimorum virorum, qui hoc teſtantur præter exemplum illud Florentinum, quod habemus. nam Florentiæ eſt hoſpitale, in quo manent ſolum infecti Gallico, & eos curant ſolis inunctionibus ex hydrargyro: & omnes, qui moriuntur, ponunt in vno ſepulchro, ex quo cum vellent poſt longum tempus extrahere corrupta illa oſſa, referunt, quod in fundo ſepulchri reperiere multam quantitatem argenti viui, quod ex corruptis carnibus, & oſſibus illuc fluxerat, & collectum erat. Itaque non eſt dubitandum, quod maximè penetret, etiam ſi habeat ſubſtantiam terream, & fuliginoſam; tamen eſt ita mixtum cum partibus aeris, vt fluat, & penetret facillimè, & perueniat vſque ad palatum, & aliquando inueniatur in partibus illis intimis, quæ fuere extrinſecus inunctæ. Et cum ſua natura agitet, & penetrando attenuet humores, attrahit illos tota ſua ſubſtantia, & ipſos ſimul euacuat, vel per os, vel per ſedem, pro vt & ipſum partes illas ſuaptè natura petit. Sed notate vnum in argento viuo, quod videtur veluti miraculum, & eſt, quod ſi inungantur extrinſecus partes ipſo argento viuo, ſoluit aluum; ſi autem bibatur, aſſumaturve per os, non ſoluit; & de hoc ego non habeo aliud teſtimonium, quam vnius viri fide digniſſimi, cui equidem credo. Habebat vir quidam mulierem, quam ipſe nolebat parere, ſed volebat, vt abortum pateretur. & cum multa feciſſet, & tamen ipſa numquam fuiſſet abortum paſſa, venit quidam nebulo, & dixit, ego tibi ſatisfaciam penitus, & dixit, ſe hoc facturum eſſe per exhibitum argentum viuum mulieri: Vir ille timuit: nam uolebat quidem, vt mulier propter quaſdam cauſas pateretur aborſum; ſed non priuaretur vita: ille tamen nebulo promittebat nullum incommodum eſſe inſecuturum ex hydrargyro, præter quam quod faceret aborſum: vnde tot dixit, & tanta, vt vir ille permiſerit, mulieri exhiberi argentum viuum, & exhibuit vnciam vnam, vel etiam vnam, cum dimidia: & tantum abeſt, vt fuerit paſſa abortum, vt potius mulier illa pepererit geminum fœtum, vnum maſculum, alterum fœminam, & hydrargyrum egreſſum eſt ex inteſtinis poſt ſpatium vnius horæ, & nulla noxa eſt inſecuta, ac ſi illud non accepiſſet: & aluum nullo modo ſoluit.

Maximè penetrare argentum viuum.

Notandū de argēto viuo

Hiſtoria mulieris q̄ argentum viuum deuorauit.

Cauſam autem ego credo eſſe hanc, quia acceptum per os cum lubricum ſit, non moratur in ventriculo, nec in alijs partibus corporis, ſed cito deſcendit per inteſtina: quo fit vt nequeat alterari, & eliquari à calore corporis, & per conſequens non poteſt agere, nec ſoluere ventrem; at dum argentum viuum inungitur, eſt maceratum, & attenuatum cum medicamentis, quibuſcum miſcetur: & ideo penetrando per corpus recipit aliquam alterationem, & eliquationem à calore; & ita incipit agere, & ventrem ſoluere, vel euacuare per palatum.

Cur inunctum magis agat argentum viuum, quam potum.

Et ſi vultis videre, quod hoc ſit verum, capiatis argentum præcipitatum, quod nihil aliud eſt, quam hydrargyrum priuatum illa viſciditate, & exhibeatis per os, & videbitis quod purgabit, & quidem robuſtiſſimè: nam cum non habeat viſciditatem illam, non ſtatim lubricat, & egreditur; ſed moratur in ventriculo, & attenuatur, eliquaturque à calore, & ita agit purgatque: quod & hydrargyrum faceret, niſi habēret vnctuoſitatem illam, quæ eſt in cauſa, vt lubricet ex ventriculo & inteſtinis. Itaque in morbo Gallico effræni, rebelliſſimoque poteritis vti inunctionibus: ſed caueatis ab inunctionibus in il-

Cautela in vnctionibus adhibēda. lis, qui facile patiuntur dyſenteriam, vel aſthma, vel ſolent pati circa caput. In alijs autem poteritis aliquando vti.

Modus vtendi vnctionibus. Modus autem vtendi quis eſt? Aliqui inungunt corpus poſt prandium, & cœnam: alij ante cœnam, & prandium; & quamuis maior pars empiricorum inungat poſt prandium, & cœnam; tamen ego magis probo, vt inunctio fiat ante prandium, & cœnam, vacuo ventriculo. Inungimus autem ternario numero obſeruato: nam inungimus primo tribus diebus; & ſi illis primis diebus apparebit euacuatio per ſeceſſum, vel per palatum, deſiſtimus ab inunctione; quod ſi primo illo ternario non appareat euacuatio, inungimus vſque ad ſex dies; & ſi pariter non fiat euacuatio, perſiſtimus inungendo vſque ad nouem; & inde vſque ad duodecimum, & vſque ad decimumquintum diem ad ſummum; & cum perue-

Terminus vnctionis. nerimus ad decimumquintum diem, non procedimus vlterius, ſiue fiat euacuatio, ſiue non fiat: ita, quod terminus, quo vſque ſit inungendum, eſt donec appareat euacuatio. Sed non eſt vlterius expectanda euacuatio, quam vſque ad decimumquintum diem: ſi enim inunctum fuerit corpus vſque ad decimumquintum diem; & non fiat euacuatio, ſignum eſt, quod natura ſuperat medicamentum; & ideo fruſtra eſſet vlterius ipſo vti. Itaque cùm apparebit euacuatio, vel per ſputum, vel per ſeceſſum, ceſſandum eſt ab inunctione.

Inungimus autem hoc modo: primò purgatur optimè corpus medicamentis à ratio-

Modus vngendi. nali, & docto medico inſtitutis; ſolent tamen & Empirici iſti purgare exhibendo quaſdam ſuas pilulas, & dummodo æger excernat feces per inteſtina, ſat ipſis eſt; vos autem purgabitis optimè corpus. Quo facto, mane per quatuor horas ante prandium ſtatim leniatur aluus clyſtere communiori, niſi æger per ſe habuerit beneficium ventris, vt dicitur. Hoc facto, inungitur æger, & inungitur dupliciter: nam ſi eſt debilis, inungitur in lecto; ſi autem validus, inungitur prope ignem: & ſi validus ſit, debet æger ipſe ſe ipſum inungere: nam ex eo labore incaleſcet, excitabiturque ſudor in toto corpore, qui admodum iuuabit; ſi autem ſit debilis, inungatur à miniſtro in lecto. Sed ſemper debet habere patinam teſtaceam calidam, vel organum illud, quod vulgo dicitur il teſto, quod ponitur ſupra ſolum, dum coquuntur tortæ, vulgo dictæ. debet ergo organum iſtud calefactum teneri continuo ſupra partem inungendam, dum pars illa inungitur.

Partes autem, quæ inunguntur, ſunt duum generum; nam aliqui inungunt omnes articulos, vt articulos pedum, genuum, coxarum, manuum, cubitorum, & humerorum. Alij inungunt internodia, ideſt partes medias inter articulum, & articulum. Ego expertus ſum vtrumque modum, & reperi, quod nihil refert, an inungatur articulus, vel internodia. Tamen, qui dicunt inungenda eſſe internodia, mouentur hac ratione, quia argentum viuum, ſi inungantur internodia, non colligetur in cauitatibus articulorum, vt fiet, ſi inungantur articuli, in quibus cauitatibus collecto nocebit partibus; Qui pariter dicunt inungendos eſſe articulos, mouentur rationibus. Sed, vt dixi, parui refert, & ego vidi ſanatos, qui & illo, & hoc modo fuere inuncti; & ex vtroque modo etiam inunctionis, vidi ſecuta eſſe incommoda multa. Vnde vtroque modo poteſt fieri inunctio, quia venæ, & arteriæ ſunt, quæ deferunt medicamentum per totum corpus. Ego tamen ſoleo inungere internodia, quia facilius ipſis applicantur ſtupæ, quam articulis, & facilius etiam deligationes. Præterea partes illæ internodiorum ſunt carnoſiores, & calidiores: ideo nerui, & neruoſæ partes minus læduntur, quam ſi inunctio fieret in articulis.

Ordo vnctionis. Inungitur autem hoc ordine, quod incipimus à partibus inferioribus; id eſt, ab internodijs tibiarum, & calefactis manibus inunctiſque medicamento, in quo recipitur hydrargyrum, fricamus optimè internodia pertranſuerſum; deinde apponimus parti inunctæ ſtupam canabinam, vel lini, & ſuperaddita faſcia obuoluimus; deinde aſcendimus ad internodia fæmorum, & pariter pertranſuerſum perfricando inungimus, deligamuſque appoſita ſtupa, & faſcia: idem facimus in internodijs vlnæ, & humeri; vltimo inungunt optimè totum dorſum ſecundum ductum medullæ ſpinalis, & appoſita deinde ſtupa, & faſcia deligant.

Facta inunctione, cooperiatur optimè æger in lecto, ibique maneat per duas, vel tres horas, & tentet prouocare ſudorem, quo fiet, ut apertis magis meatibus cutis, & corpore incaleſcente, hydrargyrum incipiat alterari, penetrare, & abſorberi, ut tandem deueniat ad uiſcera: hoc peracto inde ad quatuor horas æger accipiat prandium. Aliqui ſunt, qui inungunt bis in die, quod oportet fieri in illis, qui habent robuſtum corpus, & calorem, & laborant morbo rebelliſſimo; in alijs autem ſat eſt inungere ſemel tantum in die.

Victus rō.

De victu: Toto hoc tempore, quo fiunt inunctiones, comedat optimas carnes pullorum, auicularum, & huiuſmodi: oua recentia; & id genus: & omnia ad ſaturitatem; ſeruata tamen mediocritate: bibatque vinum odoratum, & optimum, dilutum tamen aqua.

Cum incipit fluere venter, vel apparere ſputum, de ſiſtendum. Ad abſtinendas micas hydrargyri

Cum incipiet venter fluere, vel apparere ſputum copioſum, ſtatim omittat inunctiones: & abluantur illicò internodia, deterganturque optimè ab vnguento illo, & à micis hydrargyri, ſi aderunt. Vnde aliqui ſolent parare decoctum ex camomilla, folijs ſaluiæ, & roriſmarini, & hoc abluunt inuncta internodia, & madefacta ſpongia etiam fouent: Alij, & longè melius, poſt factam ablutionem, vt euocentur micæ hydrargyri, quæ ſunt in primis meatibus interdoniorum, apponunt ſupra locum laminam auream tenuiſſimam: quam quotidie videbitis per quatuor, vel quinque dies tectam hydrargyro, & non dubitetis de hoc, & vos ipſi poteritis experiri: nam micæ illæ, quæ non potuere penetrare ad viſcera, & deueniре, vel ad palatum, vel ad inteſtina, attrahuntur ab auro, & attractæ fluunt ad laminam illam: Alii capiunt dialthæam, & folia auri, & inungunt, hocque modo tentant euacuare argentum viuum. Fluat iam aluus, quid agendum? Dico quod, niſi effluat ſanguis, non debetis eum ſiſtere: ſed quia ſolent excoriari inteſtina, ideo infundaris ſolum aquam hordei quotidie, vel cremorem ptiſſanæ, vel quotidie inijciatur clyſter ex iure pingui, vel ex iure capitis veruecis, vel arietis, aliquando inijcietis multum lactis: nam abluetur cholera illa, putridæque materiæ adhærentis inteſtinis, quæ poſſent ipſa exulcerare: Si autem fluat ſanguis per aluum, ſolet multis modis ſiſti, & aliquando ſecta vena: quod alias non audebam tentare, quia timebam venenatum medicamentum; ſecaui tamen poſtea, & vidi, quod eſt maximum, & tutiſſimum auxilium ad ſiſtendum tale fluxum. Vtimur etiam ad eandem vſum frictionibus, nec non aſtringentibus, & quidem tutò. his ergo modis poteritis ſiſtere fluxum ſanguinis; ſed raro accidit talis fluxus. Sæpiſſimè autem patitur palatum, ita vt ex centum nonaginta in ipſo patiantur, ex purgatione, quæ per ipſum fit; ita, vt palatum, & fauces exulcerentur, exuraturque ita, vt videatur accepiſſe in os aquam feruentem: ligna etiam intumeſcit admodum, ita & gingiuæ, ita vt æger non poſſit loqui: & lingua aliquando rimis diuiditur, vt videatur ſecta in duas, vel tres partes: Aliquando labant adeo dentes, vt dum nititur expuere materiam pituitoſam adhærentem, expuat etiam aliquando dentes, vt ego vidi. Si ergo hæ ad erunt oris affectiones, vt tumor, & exulceratio gingiuarum, dentium vacillatio, & palati, ac faucium exulcerationes, ac ardor, oportet, vt æger abluat continuò ſibi os aqua hordei, in qua contuſa ſint, & expreſſa ſemina citrulli, melonum, cucurbitæ: nam deterget moderatè, temperabit feruorem, & erit in cauſa, quòd ſanies, quæ eſt fixa in partibus illis oris, exhibit, & non ſupprimetur excretio multorum ſputaminum, vel loco huius aquæ vtatur lacte, & quantò lac erit pinguius, tantò erit præſtantius: remittet enim feruorem, deterget modicè, & laxabit partes illas: quo fiet, vt egrediatur facilè ſanies, & hydrargyrum fluens ad ipſum os. Quod etiam ne ori, & dentibus hæreat, debet agere continuo, geſtare ore annulum aureum, vel nummum aureum, & videbitis, quod ſpatio duarum aut trium horarum annulus erit tectus hydrargyro, ac ſi poſitus, & merſus fuiſſet in vaſe repleto argento uiuo: & cum hoc uideritis, ſcilicet, cum uideritis annulum, uel nummum eſſe tectum hydrargyro, ponatis ipſum ſupra carbonem accenſum, donec ruber fiat annulus, uel nummus; deinde detergatur, & iterum accipiat æger ipſum, & ore geſtet: id ipſum faciet, quoties uidebit, quòd eſt tectus hydrargyro: & ſciatis quod niſi geſtaret annulum, uel aureum nummum continuò in ore, hydrargyrum hæreret oſſibus palati, uel dentibus, & eos corrumperet, & vacillantes magis redderet. Aliquando tantus eſt feruor in ore, ut non ſufficiat aqua hordei, uel lac; ſed oportet ipſi admiſcere aliquod, quod refrigeret, & ſiccet: unde ſolemus in lacte illo extinguere lapillos ignitos, uel chalybem ignitum; uel admiſcemus ſyrupum uiolatum, aut myrtinum, aut ſyrupum de roſis ſiccis, aut diamoronem.

Si fluat aluus quid agendum.

ſectio uenæ.

Symptomatis quæ adeſſe ſolent, quomodo mederi debeamus.

In fine autem accidit, ut ſanies ſit craſſa, & tunc opus eſt concoctione: vnde accipimus mel roſatum, vel butyrum ſimul miſcemus, & inungimus palatum, & linguam, & concoquit, detergit, maturatque cruſtas. Aliquando tantus eſt feruor, atque inflammatio in palato & lingua, vt periculum ſit, ne partes illæ inflammatæ gangrænentur; & tunc, vt gangrænam inhibeatis, debetis ſecare venam capitalem, vel applicare cucurbitulas ſcarifica-

tas ſpatulis, vel fricare partes illas; verùm ſciatis, quòd nullo horum opus habetis, ſi corpus fuerit optimè purgatum ante inunctionem.

Dentium vacillatio.

Dentium etiam vacillatio fit ex tali euacuatione copioſa per os, & circa ipſos dentes concreſcit tofus quidam, quem Empirici tiki negligunt, & male faciunt, quia donec tofus inibi fuerit, numquam poterunt firmari, & ſtabiliri dentes: vnde ego ſoleo illum auferre, non quidem ferro, nec ligno (nam toſo illo ablato, poſſent concidere dentes) ſed aufero medicamento quodam præſtantiſſimo;

Tofus quomodo auferatur ex dentibus.

& eſt oleum ſulphuris (quæ & aqua ſulphuris dicitur,) mixtum cum aqua roſacea, ita vt pro vna parte olei ſint quinque, vel ſex aquæ roſaceæ: appono enim parum goſſipii ſupra ſtilum, in ipſa acie; deinde madefacto cotone in oleo ſulphuris mixto cum roſacea tango tofum in externa, & in interna dentium facie, ita vt totus madefiat: & ex duabus vicibus ſolet res ſuccedere, & aliquando ſemel tantum madefactus tofus concidit: poſtquam autem tofus eſt madefactus, tango ipſum dentiſcalpro ligneo, & concidit, atque dentes remanent liberi: ſed remanent nigri, quod ſolet admodum affligere ægros; & ideo oportet ſtudere, ut fiant albi, & poſſint etiam firmari, & conſolidari.

Medicamentum dealbans dentes.

Soleo autem ego dentes dealbare hoc medicamento, quod habeatis carum: nam reuera eſt præſtantiſſimum, ſi quod aliud: accipio pumicem album, & diuido in duas partes, vel accipio duo fruſta pumicis albi, & ſimul frico hæc duo fruſta tamdiu, donec fiat puluillus; facto puluere tenuiſſimo, accipio dentiſcalpium, & in ſummo eius apice appono parum cotonis, deinde madefacio apicem illum cum cotone in aqua roſacea dicta, in qua eſt admixtum oleum ſulphuris, proportione dicta, vt ſcilicet pro vna parte olei ſulphuris, accipiantur quinque, vel ſex aquæ roſaceæ: madefactus cum erit coto in hac mixtura, tangetis puluillum illum, & fricabitis dentes, & videbitis citiſſimè dealbari dentes: nam duabus vicibus tantum ſolent fieri albi; ita vt nullum ego reperiam medicamentum præſtantius ad dealbandos dentes. Cum dentes fuerint facti albi, ſunt duobus, vel tribus diebus abluendi aliquo decocto, quod ſiccet gingiuas, & ſtabiliat dentes, vt:

Rec. aquarum chelidoniæ, roſaceæ } an. lib. j.
foliorum ſaluiæ, radicum iridis ſiccatæ } an. ℥ j.

Bulliant, & facto decocto addatis parum vini albi, & hoc decocto quotidie non ſemel tantum, ſed bis, ter, & quater abluat dentes, & gingiuas, & ſemel etiam in die per tres, vel quatuor dies madefaciat extremas gingiuas aqua illa roſacea, in qua eſt admixtum oleum ſulphuris: Hæc circa inunctiones erant agenda. Iam deuenio ad præparationem inunctionum,

Præparatio inunctionum qualis.

in qua re notate, quod non conſentiunt omnes: nam aliqui apponunt argentum viuum ſine præparatione; aliqui vtuntur argento viuo præparato: Illi, qui vtuntur ſine præparatione non placent: quoniam hydrargyrum poſſet colligi in vna parte tantum, & ſic non ageret contra Gallicum. Præterea colligitur in fundo vaſis, vnde primæ inunctiones non erunt bonæ, ſed vltima tantum, quia ipſa habebit hydrargyrum. Vnde illi, qui parant, benè agunt: ſed iſtorum adhuc alii volunt, vt accipiamus hydrargyrum conuerſum in ſublimatum; alii accipiunt conuerſum in præcipitatum; alij admiſcent vtrumque; ſed non placet, & ratio eſt, quia præcipitatum eſt quidem argentum viuum, ſed mixtum cum his inunctionibus non facilè penetrat: Nam caret ea humiditate aerea, qua peruenit ad viſcera, & ad palatum, & ita non poteſt facere euacuationem, niſi tardiſſimè: Sublimatum & ipſum non placet, quia cauſticum eſt, & facit cruſtas, & dolores intenſiſſimos, ſi coucidat in partem aliquam. Alij, vt Arabes, alio modo præparant, & præparatio ipſorum mihi magis placet, & præparatio non eſt, vt immutetur natura argenti viui; ſed nihil aliud eſt præparatio hæc argenti viui ſecundum Arabes, quam diminutio hydrargyri in minimas particulas, qua diminutione, ſeu diuiſione aufertur etiam aliquid ſuæ venenoſitatis. Vnde, qui in præparando hydrargyro vtuntur ſola pinguedine porcina, vel oleo amygdalarum dulcium, nihil venenoſitatis auferunt; at benè hoc fit cum ſaliua. Itaque ponatis argentum viuum in mortario, & homo vnus ieiuno ſtomacho expuat copioſum ſputum ſupra argentum, at ſi vnus homo non ſufficit expuant duo, tres, & quot opus eſt, & piſtillo reuoluatur hydrargyrum optimè, & diu; poſtea ſuper affundatis ea, quæ dicam: hoc enim modo ratione ſputi maligna natura hydrargyri redditur mitior.

Quidam Ioannes Sueſſanus videns hanc præparationem tradit ipſe quandam ſuperſtitioſam, quæ perficitur quidem ſaliua, ſed ſpatio quindecim dierum, & non vidit quod tam longo temporis ſpatio ſaliua ſiccabitur; & ſi iterum addat ſaliuam, & expectet per quindecim dies, iterum reperiet ſaliuam exiccatam. Poſſem vobis tradere multas præparationes, de-

ſcri-

Digitized by Google

ſcriptionesve conſiciendi inunctionem: ſed una uobis ſufficiet, per ſimilitudinem cuius poteritis uos ipſi uarias conficere: faciatis ergo hoc modo.

Rec. hydrargyri. ℥ vj. hæc quantitas ſufficiet pro toto ſpatio 12. uel 15. dierum, quo fit inunctio: ponatis igitur hydrargyrum hoc in mortario lapideo, & tegatur hydrargyrũ ſputo copioſo: deinde piſtillo diducatur per dimidiam horam; quo facto ſuperaffundatis hæc. *Forma præparationis hydrargyri.*

pinguedinis gallinæ
porcinæ ſalſæ
vrſinæ, aut taſſi } an. ℥ iiij.
olei liliorum alborum
laurini } an. ℥ ij.

Hæ pinguedines à pelliculis primo mundantur, poſtea tunduntur, agitanturque optimè vna cum hydrargyro in mortario per horam: & ſi vnus miniſter defatigetur, accedat alter, & tertius, dummodo optimè miſceantur: quo facto ſuperaffundatis pulueres hos.

Thuris.
maſticis.
myrrhæ.
ammoniaci.
ſtyracis ſiccæ.
ſaluiæ.
menthæ.
ſatureiæ.
coruſæ.
ſtœchadis.
lithargyrij. } an. ℥ s.

Tundantur omnia ſimul mixta in puluerem tenuiſſimum; deinde addantur prædictis pinguedinibus, & hydrargyro; & per mediam horam agitentur omnia ſimul, & ſciatis, quòd nunquam poterunt nimium agitari, & miſceri: Hoc ego medicamento vtor, quod non eſt robuſtiſſimum, nec mitiſſimum: Alia autem vnguenta validiora, & ſuffitus pariter robuſtos docebo infra cum agam de rimis, quæ oboriuntur in volis manuum. At notate, quòd nihil in orbe eſt tam difficile, quod Chymiſtæ non tentauerint: nam tentarunt ex plumbo facere aurum: videatis, an hoc ſit arduum: vnde inter alia diaboli iſti tentarunt etiam ſanare morbum gallicum per hydrargyrum redactum in præcipitatum, illudque exhibitum per os: & vt malæ illæ beſtiæ decipiant nos, tingunt præcipitatum ipſum puluere carbonis, vel alio ingenio, & facta vna pilula ex præcipitato, quod vocant puluerem angelicum, addito melle roſaceo, exhibent per os: & nolunt fateri, quod exhibent præcipitatum: ideo tingunt ipſum puluere carbonis, vel tegunt alia ratione, vt dixi, & fit ſolutio ventris maxima, vel maxima euacuatio per vomitum: & ſine dubio ſanatur morbus gallicus. Et quia talis ratio ſanandi gallicum eſt apud ipſos in vſu, ideo docebo vos modum, quo detegatis aſtum ipſorum: capiatis igitur nummum aureum, vel laminam auream, vel nummum argenteum, & fricetis puluerem, vel pilulam ſupra nummum; & ſi aderit præcipitatum, non dubitetis, quin nummus inficiatur colore ipſius. Poteritis, & vos aliquando exhibere præcipitatum robuſtioribus corporibus; ſed notate, quòd duplex eſt præcipitatum, & vtrumque poteſt exhiberi, ſi ſit optimè præparatum, vnum eſt, quod deſcribitur à Ioanne de Vigo, quod eſt præcipitatum commune omnium Chymiſtarum: alterum eſt præcipitatum aureum, quod optimum eſt, & tenetur pro ſecreto à Chymiſtis.

Deceptio Chymiſtarum.

Exhibitio præcipitati.

Fit autem præcipitatum aureum hoc modo: Accipimus ſex vncias argenti ſublimati, & optimè terimus; deinde accipimus paſtam ex farina optimè fermentatam, & miſcemus eum ſublimato; & quia inter miſcendum opus eſt vti digitis, ideo, ne digiti erodantur à ſublimato, ſubinde, dum miſcemus, madefacimus digitos butyro, & ex maſſa illa facimus pilulas, quas ponimus in botia vitrea, & vi robuſti ignis educimus aquam, quæ aqua optima eſt pro cõficiendo præcipitato aureo quod fit hoc modo: Rec. auri ; j. tundatur in bracteolas, id eſt, in laminas tenuiſſimas, & ponantur in vaſe vitreo, quod ventoſa vitrea vocatur, & ſit vas admodum latum, & obliniatur luto philoſopborum (ita vocatur à Chymiſtis) circa fundum; & cum lutum fuerit ſiccatum, ponantur in ventoſa bracteolæ auri, & ſuperaffundatur aqua illa pondere vnius vnciæ, & vas ponatur ad ignem, ad infundibulum dicunt Chymiſtæ; & ſenſim, dum aqua incaleſcit, abraditur aurum, & aqua in ſuperficie obdu-

Præcipitatum aureũ quo fiat.

Digitized by Google

obducitur pellicula quadam, quæ eſt veluti tela, quæ ſenſim cochleari ligneo, vel ex cornu colligitur, & ponitur in aliud uas vitreum, & mundum, & tandiu ſenſim colligitur pellicula, donec abſumpta fuerit tota aqua: poſtea vas in quo ſunt illæ pelliculæ, ponitur ad lentum ignem, & inibi relinquitur, donec pelliculæ factæ erunt rubræ: quæ pelliculæ rubeę factæ ſunt præcipitatum aureum. Vtrumque autem præcipitatum bonum eſt, & vtroq; vti poteſtis; præparato tamen. *Præcipitati præparatio.* Præparatur autem hoc modo: primo maceratur bis, & ter aqua pura, & ſiccatur, ita vt affundatur aqua; deinde ſiccatur præcipitatum, & denuò affundatur aqua. & ſic bis, tervè fit; vltimò affunditur aqua roſacea, & iterum ſinitur, vt præcipitatum ſiccetur, & ſiccatum ſeruatur ad vſum. Huius autem præcipitati præparati exhibere poteritis granum vnum, vel ad ſummum duo, mixtum cum myrrha, ammoniaco, ſtyrace, & ſimilibus; & facta vna, uel pluribus pilulis, eas exhibebitis, purgato antea optimè corpore; & habita ratione optimi uictus; poſtea occurretis ſolutioni alui, uel trãſmiſſioni materiæ ad palatum, & alijs ſymptomatibus. His uti poteritis; ſed ſi imitabimini me, & alios medicos huius gymnaſij, deuenietis ſemper ad duo illa præſidia optima & tutiſſima, & ſunt decoctum ligni Indici, & ſalſæ pariliæ. Habetis itaque iam quid ſit morbus gallicus, quot errauerint in eius natura explicanda, quæ ſint cauſæ morbi gallici, quæ ſigna, quæ ſymptomata, quæ curatio per euacuationem humorum copioſam, per decoctum ligni Indici, Chinæ, ſalſæ pariliæ: per ſuffumigia; per inunctiones; & tandem per præcipitatum: ſuccedunt iam ſymptomata, quæ tredecim numero ſunt, quorum omniũ trademus curationem, & primùm cariei: de his igitur in ſequenti.

De carie gallica. Cap. XL.

SVperatur gallica lues, ſi vix inceperit, ſola aliquando exercitatione corporis, & motu violento: vel ſuperatur diuturna, & continua euacuatione, ſi videlicet morbus nondum fixerit radices in profundum; ſin autem confirmatus ſit, ſuperatur vel decocto ligni Indici, vel ſalſę pariliæ, vel ſuffumigijs benignioribus, aut malignis, vel inunctionibus ex hydrargyro, vel per aſſumptum hydrargyrum redactũ in præcipitatum commune, vel aureum: quomodo autem per hæc ſanetur, & quis ſit adhibitionis modus dictum eſt in ſuperiori. Iam relinquitur, vt deueniamus ad ſymptomata, quæ ſæuiſſima conſequuntur morbum gallicũ, & ſunt ita maligna aliquando, vt difficilimè ſuperentur; inter quæ ſymptomata primum locum obtinet caries (carolos aut taruolos vocat vulgus) pudendi tàm uirilis, quàm muliebris; & non ſolum pudendorum; ſed & ani, & labiorum, & palati: nam circa has omnes partes oboritur aliquando caries, ſed frequentius circa præputium, & pudendum totum, tum virile, tum muliebre; ſecundo loco circa labia, & palatum, rarius autem circa anũ: hoc igitur, eſt primum ſymptoma: *Symptomata, quæ conſequuntur morbũ Gallicum.* Secundum eſt bubonum ſeu abſceſſuum obortus in inguinibus, quos bubones vocant, vulgares panocchie, vel tinconi. Tertium eſt gonorrhea contagioſa, ſtillicidium ſcilicet ſeminis ex contagio ortum: Quartum eſt capillorũ, ciliorum; barbæque defluuium: Quinto ſunt dolores vehementiſſimi, præcipuè nocturni, circa caput, humeros, circa internodia brachiorum, & crurium, qui dolores ſunt aliquando ita ſæui, vt uideantur exanimare ipſum ægrum: Sexto ſunt gummata, & ſunt tumores quidam ferè oſſei, tofaceiq; variorum, generum, vt ſuo loco dicam, qui oriuntur circa caput, circa oſſa brachiorum, & crurium, & in vniuerſo genere oſſium.

Septimum ſymptoma eſt oſſium omnium partium, & dentium, & perioſtiorum corruptio:

Octauò ſunt puſtulæ cruſtaceæ, duræ, aridæ, quæ oboriuntur aliquando in toto corpore, & præcipuè circa faciem, & barbam, & caput:

Nonò ſunt vlcera quædam maligna, calloſa, magna, & rebellia, quæ in toto aliquando corpore oriuntur:

Decimum eſt ſymptoma acerbiſſimum, & ſæuiſſimum, ita, vt exagitet magis quocunque alio medicos, & affligat ægrum adeo, vt non poſſit aliquando conſiſtere, nec ambulare, nec quicquam manibus arripere, & ſymptoma eſt excoriatio, rimæ, & lichenes quidam ſæuiſſimi, calloſi, oborti in plantis pedum, & in interna facie manum, ſcilicet in volis ipſis:

Vndecimũ eſt cephalea, vel hemicrania gallica cum lachrymarum profluuio: ſolet enim oboriri dolor in media parte capitis, qui vocatur cephalæa, vel hæmicrania:

Duodecimum eſt difficultas quædam reſpirationis magna, quæ accidere ſolet in gallico inueterato:

Vltimum eſt maraſmus, ſiue febricula quædam hectica, quæ fit propter conſumptam

humi-

humiditatem. Iam ad primum deuenio, quod ſolet eſſe veluti paranchiefalos, hoc eſt diferens bonum nuncium gallici morbi aduenientis, & eſt caries, quæ à poſterioribus his chirurgis, vt à Petro ab Argilata, vocatur nomine puſtularum virgæ, vel vocant vlcera virgæ; nos autem à ſimilitudine vermiculi erodentis lignum, & facientis veluti cuniculos appellamus cariem, nam erodit, & afficit pudenda vermiculato quodam opere: vnde, & vulgo tale vlcus vocatur taruolo, vel caruolo, quoniam Hetruſca lingua vermiculus ille erodens lignum vocatur tarlo. Antiqui, vt Paulus, Aetius, & Auicenna locuti ſunt de vlceribus pudendorum depaſcentibus, tamen ego credo omnino, quod illa non ſint eadem cum carie gallica, etiam ſi & gallica caries ſit vlcus depaſcens: nam illa vlcera depaſcentia veterum fiebant ex certis, & manifeſtis cauſis; caries autem fit ex contagio. præterea gallicus morbus fuit tunc ignotus: & ideo caries gallica nouam requirit curationem, & diſtinctam ab vlceribus illis depaſcentibus. Vnde autem fiat caries hæc gallica: quidam ex his recentioribus chirurgis, vt Petrus del Argilata, & reliqui, qui ipſum ſunt ſecuti, dicunt quòd materia, ſeu ſanies quædam alba, & turpis colligitur ex vulua mulieris, inter præputium, & glandem viri, & inibi putreſcens inducit vlcus: ideo monet ad præſeruationem, vt ſtatim poſt coitum abluat cum vrina, ſi hyems fuerit; ſi æſtas cum aqua tepida, & deficiente tali aqua cum farina, & vrina facerem ego, ait ipſe: Ego tamen non poſſum dicere, quod hæc ſit materia, ex qua ſemper fiat caries: nam plures vidi, qui poſt coitum abluere ſibi glandem, & præputium optimè, ita vt nihil illius materiæ relictum ſit; tamen eadem, vel altera die paſſi ſunt vlcera in pudendo; & ideo ego credo, quod vlcera virgæ (puſtulæ virgæ vocatæ ab Argillata, & à Guidone, & à reliquis eiuſdem claſſis) non ſint eadem cum carie gallica. Eſt igitur nouus morbus conſequens tantum ad gallicam labem, & naſcitur duobus modis: aliquando per contagium; aliquando ſine contagio. Per contagium quidèm, vt quando quis coit cum muliere, quæ non habet pudendum, nec alias illas partes exulceratas, tamen infecta eſt gallico: unde in actu illo uenereo fit attritio, & partium rarefactio, & ita ex partibus mulieris reſudat humiditas quædam ichoroſa, quæ facile recipitur in anguſtiſſimis, & occultis meatibus uirilibus: unde poſtea quamuis pudendum abluatur, tamen ſemper remanet aliquod illius materiæ malæ in primis oſculis uenarum pènis, & in meatibus illis apertis per attritionem, & calefactionem: & illud parum materiæ eſt ſatis ad excitandum deinde cariem in glande, uel præputio: hoc modo fit caries per contagium: Et fit hoc modo non ſolum in partibus pudendis, ſed etiam in labijs, & palato ex frequenti, & immoderato ſuauio: & multos ego vidi, qui ex frequenti oſculo cum muliere, quæ habebat vlcus in palato, contraxere & ipſi cariem in labijs, & palato, & correpti ſunt gallico morbo: & fit eodem modo, quia per attritionem partes incaleſcunt, & rarefiunt: & ita materia ichoroſa exudans recipitur in anguſtiſſimis meatibus viri. Idem dico, & de alijs partibus, in quibus per attritionem poſſit communicari affectio: hoc igitur modo fit caries per contagium. Sine contagio autem oritur, quia hepar infectum gallico, cum prægnans ſit excrementis exuſtis, & acribus tranſmittit ipſa ad ſua emunctoria, ideſt ad inguina, & ad glandulas illas, & quia æqualiter tranſmittit, ideo materia illa ſolet etiam aliquando tranſmitti vſque ad glandem, vel ad pudendum muliebre, præcipuè ſi materia ſit tenuis, & facilis ad propulſionem: & ea, quæ tenuior eſt, petit vſque ad glandem, & præputium, & facit cariem; craſſior vero adhæret glandibus in inguinibus, & facit bubones: vnde multi ſunt, qui a principio, vſque ad finem morbi Gallici patiuntur cariem, non quod ſemper adſit caries, ſed ſanatur; poſtea inde ad menſem per ſe redit; & iterum ſanatur; iterum redit, & ſic ſemper procedit, quod non aliunde fit, niſi quia hepar tranſmittit materiam, quæ iam ſuſcepit raptum ad partes illas. Idem dico de ſede, nam & ad illas partes ſolet materia tranſmitti, & præcipuè in puerulis lactantibus, qui ſolent pati cariem circa ſedem, non quidem ex contagio; ſed ex hepate tranſmittente: immo habemus pro certo ſigno puerulos laborare Gallico, quando videmus eos pati cariem, ſeu erodentia vlcera circa ſedem: & non ſolùm in puerulis ſolet caries oriri circa ſedem; ſed etiam in adultis. Itaque caries non ſolum oritur per contagium; ſed etiam ſine contagio, quia hepar affectum tranſmittit materiam erodentem modo ad hanc, modo ad illam partem, vt etiam ad labia, & palatum.

De Carie gallica.

Vnde fiat Caries.

Caries fit per contagiũ, & ſine contagio.

His duobus generibus cariei addatis excoriationes, & calefactiones vocatas à recentioribus chirurgis: Calefactiones autem ſunt vlcuſcula quædam circa pudenda, & dicuntur calefactiones, non quia calefaciant, ſed quia ex materia incaleſcente, & feruente oriantur: Adſunt & alia vlceta, quæ vocantur excoriationes, quæ fiunt, vel quia iuuenis incommodè coit, & ita excoriatur ipſi pudendum; vel hoc fit propter anguſtiam pudendi muliebris, quo etiam fit aliquando, vt diſrumpatur phrenum, quod vocatur filettum. Et iſtæ calefactiones, & excoriationes non ſunt contagioſæ; ſed aliquando ſunt contagioſæ,

Per excoriationes, & calefactiones.

Digitized by Google

gioſæ, quia coniunguntur cum carie gallica, & opus eſt maxima diligentia in dignoſcendo, an hæc ſint Gallica, nec ne.

Calefactio duplex. Qualis igitur eſt calefactio? dico quòd eſt duum generum: nam vna eſt genus minutiſſimorum, & ferè infinitorum vlcuſculorum, quæ vlcuſcula oriuntur ex ſorde, quæ coaceruatur in pudendis: vnde cum quis equitat, vel ludit, vel alio modo ſe exercet, corpuſque incaleſcit, ſordes illa putreſit, & oriuntur infinitæ veſiculæ minutiſſimæ: quibus deraſis, apparent vlcuſcula minima, & albicantia. hoc eſt vnum genus calefactionis, quod oritur, vt dixi ex ſorde, quæ colligitur in pudendis partibus: & ideo optimè ſunt mundandæ, & detergendæ illæ partes.

Secundum genus calefactionis eſt rubedo quædam circa glandem, & præputium, quæ habet effigiem carnis ſemitoſtæ; nam ſi accipiatis carnem ſemitoſtam, & ſecetis, videbitis, quod habebit colorem partim rubeum, partim pallidum: talis quoque eſt color glandis, & præputij in hac calefactione, quæ nihil aliud eſt, quam attenuatio quædam parnum illarum ſuperficialium: & oritur, quando quis coit cum muliere, quæ menſtruatur: & talis *Ex Gonorrhea.* calefactio dolet. Secunda ipſius cauſa eſt gonorrhea, quàm æger non curat: ideo ſemen illud acre fluens diffunditur circa coronam colis, & deradit ſuperficiem; Itaque cauſa huius calefactionis eſt duplex, vna coitus cum muliere, dum menſtruatur; altera eſt gonorrhea. Verùm ſciatis, quòd neque excoriationes, neque calefactiones ſunt caries, niſi impropriè.

Eſt deinde caries genita, vel per contagium, vel per tranſmiſſionem materiæ acris ab hepate, quæ caries verè, ac propriè dicitur, & diſtinguitur à calefactione, & excoriatione: *Signa cariei.* quia caries eſt vlcus aliqualiter profundum, pro ratione magnitudinis: ſecundò in medio habet veluti quoddam punctum, quod eſt vt centrum: tertiò vlcus eſt rubicundum, non autem album, vt eſt calefactio: quartò extremi margines vlceris ſunt corroſi, & inæquales: quintò adeſt aliquis dolor: vltimo non cedit leuibus medicamentis, quod non eſt de calefactione.

Tria genera cariei. Tria autem ſunt genera cariei, ſiue fiat per contagium, ſiue ex tranſmiſſione materiæ ab hepate: vna eſt caries benigniſſima, quæ facilè ſanatur, non dolet, parum ſerpit; vel, ſi dolet, paruus eſt dolor, eſtq; vlcus rotundum, candicans, paruum, in medio habet foramen *Caries benigna.* penetrans, in quo mica illa cariei exedens eſt, & talis caries non inficit ægrum morbo gallico: neque enim, quælibet caries contracta ex muliere infecta labe gallica inficit hominem gallico, quia non omnia corpora ſunt æquè parata ſuſcipere talem labem: ſicut non omnes moriuntur peſte, etiam ſi aer ſit corruptus, & aptus ſit omnes inficere. tamen alij moriuntur, alij non, pro vt corpora ſunt magis, vel minus præparata ad ſuſcipiendam affectionem: ita eſt de carie hac benigna. Quæ cognoſcitur primò à paruitate, & rotunditate: nam eſt vlcus paruum, & licet ſit corroſum, tamen habet aliquam rotunditatem, & non eſt pœnitus inæquale: habet etiam aliquid albedinis cum rubore commiſtæ in extremis labiis, & vna vice impoſito medicamento cedit, & ſanatur aliqualiter. hæc cum videritis dicatis cariem eſſe benignam, & non timendam. Alia eſt caries ſæua, quæ non eſt ro- *Caries ſæua.* tunda, ſed penitus inæqualis: ſecundò habet in profundo colorem carnis ſalitæ, eſt enim color albicans, ſeu palleſcens, & interdum etiam liuidus, aliquando etiam videbitis colorem varium, & mixtum ex albo cum liuore admixto: Tertiò redundat, exitque ex ea ichor quidam tenuis admodum: Quartò habet circumquaque callum, & duritiem: vltimò dolet, non cedit medicamentis; & niſi medicus occurrat citò, inficiet hepar, & abſumet magnam partem pudendi, vt ego ſæpiſſimè vidi: & nunc curo vnum, cuius magna portio pudendi eſt abſumpta. talis eſt caries maligna, quæ citò inficit ægrum gallico, niſi medicus *Caries mediocris.* occurrat. Alia eſt caries mediocris, quæ habet omnia ſigna dicta mediocritate donata: nam ſunt vlcera rotunda quidem, ſed non alba in medio; immò liuida, ac purpurea, & labra ſunt leuiter calloſa.

Iam ad curationem, & ad præſeruationem à carie deueniamus; ſed primò curemus calefactiones illas, ſiue fiant ex menſtruis, ſiue ex ſemine, ſiue ex collecta ſorde. Feruores ita- *Cura calefactionum.* que iſti ſola munditie partium illarum ſolent ſanari, ſi locus abluatur, vel aqua roſacea, vel vino auſtero, vel etiam aqua puriſſima fontana, vel puteali; & poſt ablutionem imponantur linteola munda madida eodem liquore: abluat ergo æger optimè glandem, & præputium aliquo dictorum; deinde madefaciat linteolum mundum; & madefactum vel vino auſtero, vel aqua roſacea aptet ſupra glandem, deinde retrahat præputium ſupra glandem ita, vt linteolum ſtet inter præputium, & glandem, & inibi relinquat per tres, vel quatuor horas; deinde immutet linteolum, & renouet: & ſic faciat tertia, vel quarta quaque hora, & hoc modo ſanabuntur feruores illi, ideſt vlcuſcula illa minutiſſima. Quod ſi calefactio ſit aliqualiter rebellior, & non ita facilè cedat ijs, quæ dicta ſunt, vtamini aliquo

deco-

decocto ſiccante,quod tamen refrigeret,quo decocto abluat præputium,& glandem, deinde apponat linteolum madidum eodem decocto eo modo,quo eſt dictum, & immutet pariter,vt dixi : decoctum autem,quo ego vtor,eſt.

Rec.aquarum roſarum
 plantaginis } an.lib.ß.
 ceruſſæ
 lithargyrij } an.ʒ ij.
 foliorum roſarum
 ſolani hortenſis } an.m.ß.
 aluminis rochæ.ʒ j.

Hæc ſimul bulliunt ad conſumptionem tertiæ partis; deinde coletur: & hoc decocto vtamini, & certò ſanabitur affectio. Poteritis etiam poſt ablutionem applicare vnguentum de thutia magiſtrale. Et vt facilis eſt generatio huius feruoris, ita etiam facilè ſuperatur; ideo non eſt opus,vt ego laborem in tradendis multis medicamentis;ſed ea, quæ dixi ſufficient, quia eis cedet,niſi calefactio ſit coniuncta cum carie gallica, cedet, inquã, ſi non prima,ſaltem ſecunda die.

Cura cariei Gallicæ. Iam adſit caries gallica,tunc,ſi debeat ſanari,opus eſt multis medicamentis;aliquando tamen ſanatur ſolis lotionibus,aliquando pulueribus,aliquando vnguentis. Sed notate, quòd pro pulueribus aliqui vtuntur ſolo cinere,& prodeſt interdum;alij,vt milites, vtuntur puluere ſclopetorum contrito, & ſanant cariem. Sed hæc ſunt nimis robuſta, & admodum doloroſa,nec ſemper ſunt bona. *Vitanda aqua erodens.* Alij vtuntur aqua erodente, quæ dicitur etiam aqua de partire,& maxima cum noxa vtuntur: ideo nunquam ſinatis,vt aliquis ea vtatur, & ſemper clamate,& coarguatis tonſores,& nebulones iſtos, qui continuò ad ipſam confugiunt: nam ego amputaui tria,vel quatuor pudenda integra,quæ fuerant correpta gangræna ex vſu talis aquæ in carie. Nam cum aqua talis ſit medicamentum validiſſimum, & pudendum ſit præditum exquiſitiori ſenſu,quàm quæuis alia pars,& præcipuè glans exquiſitiſſimè ſentit,fit,vt excitetur intenſiſſimus dolor,ex quo fit fluxio magna, & fluxionẽ ſequitur inflammatio,& inflammationem gangræna. Et ideo hortor vos, vt præ omnibus fugiatis talem aquam,quæ inſtituta eſt à chymiſtis ad exedendum ferrum, vel argentum,non autem carnem humanam.

Decoctum optimum auſteris. Primò igitur proponam vobis decoctum, quo ego ſoleo vti feliciſſimo cum ſucceſſu, & eſt: Accipio decoctum ligni guaiaci,& admiſceo portionem vini albi auſteri, vel nigri auſteri,ſi album non adſit,& hoc mando, vt abluatur caries optimè : facta ablutione inſpergat ſupra cariem hunc puluerem.

Rec.ſquammæ æris lotæ,& optimè præparatæ
 ſeminum aniſorum,vel anethi combuſtorum } an.ʒ j.

Miſce,& facto puluere,inſpergatur moderatè ſupra cariem;vel loco huius vtamini hoc alio puluere.

Rec.ſquammæ æris præparatæ
 aloes hepaticæ
 thutiæ præparatæ } an.ʒ j.

Miſcentur,& fit puluis,qui inſpergitur ſupra cariem poſt ablutionem; deinde ſuperadditur vnguentum de thutia;aliquando dimittimus cariem cum puluere vſq; quò vnguentum aliquod ſuper imponamus;aliquando ſuper imponimus aliquod vnguentum,vt dia pompholygos,vel linimentum ſimplex vocatum in officinis, vel vnguentum de thutia magiſtrale: & his aliquando,& ſæpè etiam ſanatur caries;Sed interdum his non cedit, nã aliquando caries eſt profunda,fixitque radices, & habet in medio foramen anguſtum, tamen eſt vlcus;ſed circum circa eroſit, & tunc opus eſt validioribus medicamentis, quod poſſit etiam robuſtè agere, & penetrare vſque ad profundum; ego aliàs timebam Aegyptiacum; ſed poſtea reperi eſſe tutiſſimum medicamentum, nec valdè doloroſum,& vnica gutta iniecta in illud foramen cariei ſanat cariem præſtantiſſimè: nam diffunditur per totam cauitatem: *Medicamenta robuſtiora.* Igitur acumine ſpecilli ponatis guttulam Aegyptiaci in cariem, & vnica impoſitione videbitis ſanari cariem; poſt Aegyptiacum ſuperimponetis vnguentum rſidis,vel de thutia. *Præcipitatum præparatum, ſacra anchora.* Sed in his malignis vlceribus gallicis ego habeo ſacram anchoram, & eſt præcipitatum præparatum,quod ſuperat omnia,& ipſo vti poſſumus varijs modis;

& om-

& omnibus modis optimè facit, ut aliquando utimur ipſo in puluere, inſpergendo ipſum ſuper cariem; & ſi hodie inſpergetis, cras uidebitis dilatatum ulcus: quod cum uideritis ideſt, cum uideritis ulcus ampliatum, habeatis pro ſigno certo, quod ulcus eſt ſatis benignum, & quod triduo, uel quatriduo ſanabitur: & præter hoc, quod præcipitatum optimè facit, non excitat magnum dolorem. Solemus etiam præcipitatum temperare cum aqua, & cum lixiuio tonſoris, nam diſſoluimus præcipitatum, & infundimus. Temperatur etiam cum unguento roſato Meſues, ut ſi caries ſit in principio, faciatis hoc modo.

Rec. unguenti roſ. Meſues ℥ j.
præcipitati ʒ j.

Miſce optimè: hoc conuenit in principio. Vltimò autem ſanaſcente morbo, cum uolumus, ut cicatrice obducatur, & integrè ſanetur temperamus hoc modo.

Rec. unguenti roſati Meſues ℥ j.
præcipitati ʒ ſ.

Miſce: & per præcipitatum intelligatis de eo, quod eſt præparatum: his poteritis uti in nobilibus, & delicatoribus. Pro ſeruis autem, & robuſtioribus conueniet illud.

Rec. axungiæ porcinæ ℥ ij.
thuris, aloes an. ʒ j.
ſanguinis draconis ℈ iij.
argenti uiui ʒ j. ſ. Miſce.

Verum notate, quod ægri non accedunt ad medicum, niſi trahantur neceſſitate, & tenent occultam cariem quantum poſſunt, & potius accedunt ad hunc, uel illum tonſorem, & nebulonem, quàm ad optimum medicum, & quilibet tonſor, & vulgaris dicit ſuam fabellam, ego vidi illum ſanatum hoc medicamento, illum illo: vnde cum veniunt ad medicum caries eſt iam facta cancroſa, & præputium eſt tumidum, adeo vt nequeat detegi glans, nec poteſt inſpergi puluis ſuper vlcus, quia occultum eſt: nec poteſt admoueri aliud medicamentum, ſed vndique ſunt ſinus; tamen vlcus eſt ſanandum: quid igitur *Si caries facta iã ſit cancroſa.* in hoc caſu agendum? Aliqui ſolent ſecare præputium in parte inferiori, ſed malè agunt: ideo vos parate vobis decoctum, & ipſum iniiciatis cum clyſtere, & ſpecillo etiam iniiciatis linamenta madida eodem decocto, & multos ego hac ratione ſanaui: decoctum autem, quo vtor eſt hoc.

Decoctum mirabile ad cariem.

Rec. decocti guaiaci lib. j.
decocti ſcabioſæ, agrimoniæ, betonicæ, roſarum an. ℥ iij.
ſandalorum, alborum, citrinorum, rubeorum an. ʒ ſ.
thutiæ præparatæ, ſquammæ æris, aloes, thuris an. ʒ ij.

Miſcentur hæc ſimul, & bulliant ſecundum artem; deinde colantur, & additur præcipitati optimè emolliti ʒ j. quod ſi caries ſit in canali vrinario, imponatis linimentum gracile oblinitum vnguentis ſupradictis. In curatione hac, videlicet cariérum occultarum, *Duo præcepta non contemnenda.* ratione tumidi præputij, duo præcepta exhibere vobis volo non contemnenda, & ſemper à vobis memoria tenenda: vnum eſt vt aquam illam erodentem, fortem vocant iſti, ſemper fugiatis, quia peſſimum eſt medicamentum; alterum eſt, vt non erretis, vt faciunt iſti, qui in his vlceribus repellunt præputium, & cum non facilè poſſit retrahi, ita tumidum relinquunt, quo fit, vt ſaneſcente poſtea morbo, non poſſit denuò retrahi ſupra glandem, aut ſaltem rationem ignorant retrahendi: & ideo ſemper conemini retrahere etiam cum dolore: nam hoc erit minus malum. Itaque vtor decocto prædicto,

&

Digitized by Google

& tanto cum ſucceſſu, vt infinitas caries latentes hoc ſolo decocto ſanauerim. Cariei ſolet ſuccedere, vt facta cicatrice, & callo, in interna præſertim parte, contrahatur præputium adeo, vt nequeat detegi glans, ad quod ſequitur, quod aliquando nequeant liberè mingere, nec iaculare ſemen recta; quod eſt maximum incommodum ad prolem gignendam: & ſæpe his exulceratur glans, quando colligitur ſordes inter præputium, & glandem, & nullus adhuc ſciuit præputium dilatare tam facilè, tam recte & citò, vt ego ſcio, liceat mihi hoc ſine iactantia dicere: & vidi multos medicos laboraſſe menſes, & annos integros in dilatando cum emollientibus præputium, & tandem nihil eſt factum: alij quia neſciunt dilatare, ſecant præputium in inferiori parte; & mala eſt curatio, quia non ſolum pudendum redditur turpe; ſed etiam adeſt affectio præter naturam: natura enim voluit, vt præputium poſſet recurrere, & glandem operiri. Itaque vos omiſſa ſectione, & omni alia ratione dilatandi, confugiatis ad hunc modum, quo ego vtor tanto cum ſucceſſu, facilitate, & celeritate, vt ſit mirum, & modus eſt.

Modus dilatandi præputij.

Capio laminam plumbeam tenuiſſimam, & formo in fiſtulam tantæ craſſitiei, vt poſſit ingredi præputium, deinde inungo fiſtulam oleo amygdalarum dulcium, & iniicio, & inibi relinquo: altera die remoueo illam fiſtulam, & iniicio alteram paulò craſſiorem eodem oleo inunctam: tertia die iniicio grandiorem, & ſic ſucceſſiuè ſemper augeo fiſtulam, donec deueniam ad craſſiſſimam: & decem, vel duodecim diebus dilato præputium adeo, vt poſſent ingredi duæ glandes, & aliquot veſtrum viderunt hoc his diebus, in Iuuene illo, quem nolo nominare, nec nominare eius patriam: Iuuenis ille habebat præputium anguſtiſſimum, ita vt nec lotium, nec ſemen poſſet liberè eiaculare, & iam fuerat in manibus multorum, & vt diſperatus relictus. Occaſio autem ſui affectus fuit, quia Iuuenis ille habebat præputium ſatis longum, & ob id medici quidam rati, quod longitudo eſſet in cauſa contractionis, ferro candente amputarunt præputium, vſque ad glandem: quo factum eſt, vt deinde contracta cicatrice, & callo circumcirca contractum ſit magis, & coanguſtatum præputium; & paucis poſtea diebus, cum huc acceſſiſſet, ego dilataui ſola fiſtula plumbea, ſeu canali plumbeo; & oleo amygdalarum dulcium: quod oleum ego aliàs occultabam aſtu quodam: nam admiſcebam parum olei alicuius odorati, & cariophyllorum, & cæt. & totam vim dilatandi dicebam eſſe poſitam in oleo; cum tamen re vera tota vis ſit ſita in fiſtula, ita, vt quando non habeo oleum madefaciam fiſtulam ſaliua: nam oleum inſeruit potius ad facilem ingreſſum fiſtulæ, quàm ad aliud. Et ſi quis à me quærat, vtrum hoc eodem præſidio poſſimus dilatare præputia, quæ à natura ſint facta anguſta? reſpondeo quod ſic, & iam agitur annus, quod ego dilataui præputium in duobus filijs cuiuſdam Patritij Veneti, qui erant nati cum præputio admodum anguſto; verum tamen eſt, quod præputium factum anguſtum à natura, non tam cito dilatatur, vt aliud, dilatatur tamen certo, & facile, & ſatis cito. Quod ſi præputium fuerit nimis tumidum, comprimatur continuo lamina plumbea; ſi vero nimis durus callus ille ſit, applicetur diachylon, aut aliud ſimile. Aliud quoque ad cariem Gallicam ſolet ſuccedere: nam cum ſanatur, ſolet ſupercreſcere caruncula quædam, quæ vulgo vocatur porroſigo, carunculæ iſtæ ſunt veluti verrucæ quædam, quas ſolent pati aliquæ mulieres, & ſunt contagioſæ, de quo affectu meminit Aetius libro decimoquarto, capite decimotertio, & vocat ipſum thymion, quia videntur veluti capitula thymi: noſtis enim thymum plantam proferre capitula quædam rotunda, & oblonga; quibus ſimiles ſunt tales carunculæ: harum caruncularum, ſeu verrucarum aliæ ſunt benignæ, aliæ malignæ: & nihil aliud ſunt, quàm carunculæ quædam paruæ prominentes inæquales, cum dolore quæ tactæ proritantur.

Si ſupercreſcat carũcula dicta porroſigo.

Si ergo ſupercreſcat cariei talis verruca, quomodo eſt remouenda? alij arripiunt ipſam filo, & vinciunt, ſtringuntque, & ita ſiccatur, & per ſe poſtea concidit: curatio eſt ſatis bona quando poſſunt vinciri; ſed aliquando verrucæ nequeunt filo apprehendi, nam ſunt veluti corona circa glandem, & ſimul iunctæ ſunt, & tunc debetis carunculas illas forcipe ſecare, vt effluat copioſus ſanguis.

Quõ remouenda caruncula.

Antiqui ſolebant, vt docet Aetius, ſecare tales carunculas, & ferro candenti occurrere, vel medicamento id facere. Verum à me non probantur, quia eſt nimis violenta actio: præterquam quod aliquando carunculæ iecere radices altè admodum, ita vt ſi velletis ipſas ſecare, opus eſſet amputare etiam aliquam portionem glandis: Et ob id tunc aliqui imponunt cauſtica medicamenta, vt capitellum, oleum ſulphuris, & ſimilia; Sed hæc quoque nimis robuſta ſunt, & exagitant nimis ægrum; Ideo ego deuenio ad vſum ammoniaci, quo nihil eſt præſtantius in hoc caſu; ſolum ha-

bet hoc incommodum, quod prima, & ſecunda vice cum imponitur, facit pruritum; ſed ſi æger contineat digitos, & vngues, vt continerè debet, ſanatur, tàm facilè, & tam citò, vt ſit mirum: faciatis igitur hoc modo.

Medicamẽtum ad verrucas.

Rec. ammoniaci præparati aceto. ℥ j.
aſſæ fœtidæ. ℈ j.
calcanti vſti. ℈ j.
aquæ guaiaci, vel aceti. q. s.

Hæc diſſoluuntur, & fit medicamentum molle, quod imponitur ſupra verrucam imbuto ſpleniolo, vel alia ratione. Aliud ſum ego expertus feliciſſimo cum ſucceſſu, & *Aliud opitulum.* eſt caro ſalita ex boue, vel ex ſue (dico caro, & non laridum, nec pinguedo) & impoſita ſuper carunculam. Sed omnia ſuperat vſus portulacæ eſculentæ, tam domeſticæ, quàm ſylueſtris, fricatæ quotidie mane, & veſperi ſuper carunculam; vel fricate eam cum ſucco eiuſdem portulacæ. Vel contundatis folia ſalicis inter duos lapides, & folijs illis; vel earum ſucco fricetis optimè carunculas, & non dubitetis, quin eam abſumant. Hæc præſtantiſſima ſunt, quàndo caruncula non eſt calloſa. *Si caruncula ſit calloſa.* Sed ſi ſit calloſa facta, tunc ſciatis, quod eſt neceſſe deuenire ad cauſtica illa, vt ad capitellum, vel ad oleum ſulphuris, & ſimilia, quibus ego aliquando ſum vſus: ſed ſi caries, & carunculæ bene tractentur in principio, non opus erit deuenire ad iſta validiſſima medicamenta.

Thymi in loculis mulierum. Thymi in loculis mulierum ſolent copioſi oboriri, & eadem ratione curantur cum oleo vittioli, aut ſulphuris, aut ſecantur, vt exeat ſanguis multus, mox additur alumen. Quod ſi cariei ſuccedat tumor glandis, imponatis vnguentum de cerata crudum. Hæc de carie, & de eis, quæ ſolent ipſi ſuccedere.

De præſeruatione à carie. Iam ſupereſt, vt loquamur de præſeruatione à carie ipſa, loquor nunc de præſeruatione à carie illa, quæ fit per contagium ex receptis corpuſculis malignis ex muliere infecta in meatibus glandis, & præputij; non autem loquor de carie, quæ fit ex materia tranſmiſſa ab hepate. Dixi enim ſupra, cariem eſſe duplicem, aliam, quæ per contagium oritur, aliam, quæ ex tranſmiſſa materia ab hepate ad glandem, & præputium: illam, quæ fit per contagium, dixi fieri hac norma, quia atomi illæ, ſeminaria morbi, id eſt ſanioſa, & maligna materia recepta ex muliere infecta ingreditur meatus anguſtiſſimos præputii, & glandis, per attritionem tamen, & calefactionem redditos latiores; quibus corpuſculis malignis receptis tranſgrediuntur ad arterias, & venas, & deferunt labem ad hepar, & portio materiæ, quæ adhæret, ac remanet in illis meatibus, adhæret ita, vt ablui nequeat, & cum acris ſit, & erodens generat cariem: vnde neminem vidi ex ijs, qui detectam glandem ſemper habent, & ob id induratam, gallico, aut carie ex coitu correptum.

De hac ergo carie per contagium genita loquor ego, quo modo videlicet poſſit ſe aliquis ab ipſa præſeruare, & defendere: loquor autem de præſeruatione ab iſta, quoniam caries oriuntur vt plurimum per contagium, & ex centum hominibus, qui Gallico inficiuntur, nonaginta prius cariem patiuntur; nam eſt veluti initium.

Itaque dico, quod indicatio pro præſeruatione patet: nam oportet præputium, & glandem primo abluere optime, vel detergere; ſecundo oportet euocare corpuſcula illa maligna recepta, & impacta in meatibus; & non ſolum oportet euocare, ſed etiam ſiccare, & abſumere illa corpuſcula cum aliquo, quod non ſolum poſſit hæc præſtare, verum etiam poſſit cohibere labem Gallicam, deſtruereque ſeminaria illa, ſi iam aliquid ob longum coitum agere inceperint.

Euocanda corpuſcula illa maligna.

Infinita autem ſunt, quæ poſſent his ſatisfacere, vt vnguenta, pulueres, decoctiones, & ſimilia; ſed non omnia poſſunt commode applicari: dantur enim occaſiones, in quibus non poteſt iuuenis cubiculo egredi, poſtquam rem habuit cum muliere, & abluere pudendum, vel imponere vnguentum, vel pulueres; nec ſecum poteſt hæc commode continuo ferre: vnde ego inueni vnum medicamentum, quod vnuſquiſque poteſt commodiſſimè geſtare in marſupiolo, vel in rima caligarum, vel in cauo illius partis femoralium, quæ braghetta vocatur, vel manu, & ſtatim, vbicumque fuerit, poteſt poſt actum Venereum ipſo vti, & eſt genus quoddam linteoli madefactum, & ſiccatum in quodam decocto, quod habet vim præſtandi omnia dicta, & optimè præſeruandi à carie Gallica: decoctum autem, in quo madeſit linteolum, eſt hoc.

Medicamentũ proprium.

Rec.

Digitized by Google

Rec. radicum gentianæ
ariſtolochiæ longæ
rotundæ
tenuis } an. ℨ j.
pulueris ſandalorum alborum
rubeorum
citrinorum
ligni aloes } an.
pulueris corallorum rubeorum
ebori combuſti
cornu ceruini vſti } an.
foliorum ſcordij
ſonchi
betonicæ
ſcabioſæ } an. m. j.
roſarum. m. j. s.
ligni guaiaci limati. ℥ ij.
ſquammæ æris præparatæ. ℨ ij.
præcipitati præparati. ℨ j. s.

Accipitur ſcobs guaiaci, & infunditur in quatuor libris aquæ ſonchi calidæ, & maceratur per integram diem naturalem, ideſt per ſpatium viginti quatuor horarum; deinde adduntur reliqua omnia dicta, & bulliunt in aqua, vbi maceratum eſt lignum ad conſumptionem medietatis, ita vt remaneant duæ libræ tantum aquæ, poſtea additur vini albi tenuis. lib. j. s. & iterum bulliunt aliqualiter, donec conſumpta fuerit ſemilibra tantum ipſius decocti, & remaneant tantum tres libræ liquoris: Vas, in quo fit tale decoctum, ſit optimè clauſum, & ſi huiuſmodi decoctum fieret in balneo mariæ, eſſet certè præſtantius: Facto decocto colatur, & in ipſo ponuntur linteola candidiſſima, & in ipſo relinquuntur per duas dies, deinde extrahuntur, & exprimuntur, ſiccanturque in vmbra; deinde iterum madefiunt in eodem liquore, & iterum ſiccantur in vmbra loco calido, & vſque ad tres vices idem fit (decoctum enim perdurat diu; & ſi etiam inciperet putreſcere, nihil refert) linteola poſtea illa tribus, vel pluribus, etiam ſi videbitur vicibus madefacta, & ſiccata ſub vmbra ſeruantur in charta, aut linteo compreſſa ad vſum, (& perdurat eius vis in præſeruando à carie per duos, & tres annos; modus autem vtendi eſt talis: cum iuuenis coiuerit, abluat, ſi poteſt, vino vel vrina, vel etiam ſaliua præputium, & glandem; vel, ſi non habet commoditatem abluendi, detergat; mox habeat fruſtulum linteoli, & obuoluat glandem, & præputium: & ſciatis, quod eſt certum remedium, & alias ego non audebam alicui communicare, quia timebam, ne quis fretus ipſo corriperetur Gallico: ſed poſtea vidi millies, quod certo agit, & præſeruat à carie: nam aliqui coiuere ter, & quater in vna nocte cum infecta, & ſtatim poſt coitum impoſuere fruſtulum linteoli, & nihil contraxere: Itaque non dubitetis, quin præſeruet, & tueatur à carie. Sed ſi quis, poſtquam vſus fuerit cum muliere infecta, & obuoluerit glandem linteolo, timeat adhuc de carie, & velit certius præſeruari, eat domum, & ſuffiat ter, & quater glandem hoc modo, & poſtea non dubitet amplius: accipiat ollulam paruam, vel vaſculum aliud teſtaceum, & in ipſo ponat duos, vel tres carbones accenſos, & ſupra ollam ponat folium chartæ compoſitum in formam cornu, deinde comburat hæc quæ dicam ſuper carbones, & recipiat fumum in glandem, & præputium, ter & quater; ſed antequam faciat hunc ſuffitum, abluat optimè glandem, & præputium vino potenti, vel vrina; deinde panno ſiccet præputium, & glandem optimè: hoc facto, faciat ſuffitum comburendo ſupra carbones iſta. *Modus vtendi linteolo.*

Rec. pulueris aloes
maſticis
thuris
myrrhæ
picis, vel reſinę colophonię } an. ℨ s.
carabe
reſinæ iuniperi } an. ℈ j.
pulueris cinnabrij. ℨ ij.

Q 2 Miſcentur,

Miſcentur, & rediguntur in puluerem, qui comburitur ſuper carbones, vel vtamini hoc alio puluere.

Rec. roſarum rubearum }
abſynthij } an. ℈ j. s.
ſandalorum rubeorum }
belzuini }
camphoræ } an. ℈ ij.
thuris }
cenaprij. ℈ iij.

Miſce, & fac puluerem, quo vtere eodem modo. Poſtquam factus fuerit ſuffitus, obuoluat glandem linteolo illo medicato; & non ſuſpicetur amplius; quod corripietur carie. Hoc modo præſeruabitis vos à carie, quando habebitis rem cum infecta. Quomodo autem mulieres præſeruari poſſint, iam non doceo, quoniam dignum eſt, vt in orbe ſit aliquid, quo luant pænas ſuorum delictorum. ſequitur iam vt agamus de bubonibus.

De Bubone Gallico. *Cap.* XLI.

INter partes corporis, quæ ſolent pati tumores præter naturam, vna eſt glanduloſa ſubſtantia, quam intumeſcere nouere antiqui, & cognouere glandulas ipſas pati plura genera tumorum; & aliquot tumores vocarunt chiradas, qui à noſtris vocantur ſcrofulæ; alios tumores glandularum vocarunt bubones, hoc eſt, tumores inflammatos; alios phymata; alios phygethla, quæ nos cum Celſo vocamus panos: qui affectus omnes ſunt tumores præter naturam, quos patiuntur glandulæ ipſæ; ſed bubones Gallicos non nouere antiqui ipſi, quoniam nec nouerunt illud, vnde conſequantur, & oriantur. Et quia Gallici bubones ſunt inter ſymptomata Gallici morbi, ideo & de ipſis æquum eſt, vt agamus.

Quid ſit bubo gallicus. Dico igitur, quod bubo Gallicus eſt tumor glandoſi corporis in inguinibus exiſtentis cum inflammatione aliquando coniunctus difficile ad ſuppurationem inclinans.

Ex qua materia fiat. Bubo iſte varius eſt: nam aliquando eſt frigidus, ideſt ex frigida conſtans materia; aliquando fit ex materia calida: & vt plurimum eſt tumor durus, ita, vt videatur de genere ſcirrhi.

Cuius bubonis cauſa non eſt excrementum in parte ipſa affecta genitum, non febris peſtifera, non vlcus exiſtens in inferiori aliqua parte, ſcilicet in cruribus ipſis, non equitatio longa, aut alius motus inſuetus, nec alia ex cauſis bubonum traditis àb antiquis; ſed certa cauſa Gallici bubonis eſt affectio Gallica, cum materia: hepar enim infectum labe Gallica, cum aggrauetur, vt plurimum pituita cruda, & melancholia etiam exuſta, illam materiam trudit ad propria emunctoria, quæ ſunt glandes in inguinibus, in quibus materia recipitur. *Cauſa bubonis gallici.*

Verùm cum materia alia ſit tenuis, alia craſſa: illa, quæ eſt tenuis repit ad colem, & facit vlcera illa ſupradicta; craſſa vero retinetur in glandibus, & afficit bubones, qui à vulgaribus vocantur panocchie, vel tenconi; & ſi materia ſit frigida, efficit bubones frigidos duros, & veluti ſcirrhoſos; ſi vero habeat adiunctam atram bilem exuſtam, efficit calidos; aliquando etiam admiſcetur materia ſanguinea, & tunc fit bubo inclinans ad inflammationem.

Cognitio bubonis gallici. Bubonem autem Gallicum cognoſcetis, tum ex abſentia eorum, ex quibus fiunt bubones non Gallici, tùm ex iis, ad quæ ſolent conſequi Gallici bubones, vt ſi æger non patiatur vlcus in partibus infra inguina, quod vlcus excitando dolorem ſolet eſſe in cauſa; vt attrahatur materia ad inguina, & fiant bubones, & præcipuè quando vlcus reddit inceſſum difficilem, & laborioſum: ſimiliter ſi non fuerit vectus equo incommode incedente, nec labore, motuue violento ſit vſus, nec defatigatus, ſed paſſus ſit gonorrhæam contagioſam, & diuturnam, vel vlcus in glande, tunc certi eritis, quod bubo eſt Gallicus.

Quo

Quo cognito, tentanda ſunt omnia, vt materia, quæ tranſmittitur ab hepate ad inguina, facilè tranſmittatur ad locum affectum, in quo ſi ſit dolor, ſedandus eſt aliqualiter, ita tamen, vt non impediatur tranſmiſſio, & fluxus materiæ ad glandulas inguinum; & ideo cauendum eſt à repellentibus, quibus iſti ſolent ſedare dolorem, & peſſimè agunt, quoniam repellunt materiam venenoſam, quæ ſi Gallicus morbus non eſſet confirmatus, profectò confirmabit. *In bubone cauendum à repellentibus.*

Ideo vos tentabitis mitigare dolorem cum anodynis, quæ ſint temperatæ caliditatis, & ſiccitatis, & habeant vim relaxandi, cuiuſmodi eſt diachylon, & oleum amygdalarum dulcium; admixta portione olei chamomelini; quo medicamento madefacietis lanam ſuccidam, quæ ratione oeſypi relaxabit; & roborabit aliqualiter glandes; & imponetis; vel vtamini vtroque oleo ſimul mixtis ſine lana; vel accipiatis oleum amygdalarum dulcium, & admixta cera lutea, faciatis medicamentum. Et his vtemini donec bubo increuerit, vſque ad eam magnitudinem, quam vultis. Si his non creſcit, aliquando appono cucurbitulam paruam ſiccam, vt totum virus extrahatur. *Anodyna ſi dolor adſit.*

Aliqui ſunt, qui ſtatim apparente bubone Gallico ſecant venam, quod ego non probo, ſicut nec illos, qui ſtatim in principio exhibent pharmacum: nam quamuis venæ ſectio refrigeret hepar, & reſiſtat putredini, quæ ſit in hepate ob labem Gallicam; tamen ſi ſecetur vena ſuperior, fiet reuulſio, & deductio materiæ, quæ à natura tranſmittitur ad inguina, & ita impedietur naturæ actio. Et ſi qua vena eſſet ſecanda, potius eſſet ſecanda in partibus inferioribus, vt in malleolo, vel in poplite: ſed potius in malleolo, quia in poplite iam non ſecatur, vel raro. Et ſicut non probo illos, qui ſemper in principio bubonum ſecant ſtatim venam; ita non laudo illos, qui numquam volunt ipſam ſecare; antequam bubo maturetur: nam ſæpe tarda admodum eſt maturatio bubonum, nam poſtquam increuerunt vſque ad certam molem, ſolent ita manere duos, vel tres menſes aliquando, antequam maturentur: vnde interim morbus Gallicus poſſet figere radices. Et ideo moneo vos, vt, cùm videritis bubones quieſcere, ſecetis venam, & exhibeatis pharmacum. *In principio nec vena ſectio placet, nec pharmacũ.* *Quando ſecanda vena.*

Modum autem, quo cognoſcetis bubonem conſiſtentem, docebam ſupra: & primum ſignum erat durities bubonis ſatis inſignis, quam cum videbitis, poteritis venam ſecare, quia cum materia ſit in glandibus impacta, non eſt periculum, vt extrahatur, & reuellatur: Secundo, cum bubo conſiſtit, non adeſt dolor inſignis, nec calor, nec pulſatio: tunc igitur appoſito medicamento laxante ipſi buboni, leniatis aluum, & ſecate venam; deinde præparetis humores, vt dixi in curatione morbi Gallici; poſtea euacuabitis, & præſentibus bubonibus ego ſoleo vti validis medicamentis, vt ſyrupis Montani, vel exhibeo decoctum guaiaci, nec tantillum dimitto curationem Gallicæ labis: Et ſæpiſſimè iam ſum expertus, quod cum bubo non amplius creſcit, nec poteſt maturari, ſi hodie ſeco venam, cras incipit concoqui, & cito maturabitur, quoniam euacuato ſanguine natura ſubleuatur, quæ antea grauabatur: & ideo facilius tranſmittit illud materiei, quod relictum eſt in hepate. Idem etiam multoties vidi factum per exhibitum pharmacum. Itaque bubonibus conſiſtentibus exhibeatis pharmacum, & ſecetis venam, & non dubitetis, quod fiat retractio materiæ. *Bubonibus conſiſtentibus exhibẽdũ pharmacum.*

Hoc facto, attendetis tumori, vt tentetis concoctionem, & ſuppuretur, non tantum, vt aperto bubone euacuetur materia, quæ ipſum facit, quantum, vt habeatis emiſſarium naturale, per quod continuo, & longo tempore expurgetur hepar: & ideo debet diu teneri vlcus apertum, & hac de cauſa tentanda omnino eſt ſuppuratio: nam vidi multos, in quibus bubones fuere reſoluti per diſcuſſionem, paſſos eſſe morbum Gallicum poſtea effrenem: idem vidi factum ex uſu repellentium; in illis autem, in quibus bubones ſunt ſuppurati, vidi morbum Gallicum poſtea ſatis mitem eſſe. Et ideo tentanda eſt concoctio cum robuſtiſſimis medicamentis, quia materia vt plurimum eſt frigida, & craſſa: ego itaque ſoleo vti hoc. *Cura tumoris.* *Medicamenta ad concoctionem materia.*

Rec. radicum altheæ coctarum ℥ j. ſ.
pinguedinis gallinæ
ſuillæ } an. ℥ ij.
butyri recentis
croci. ℈ ij.

Miſce, & cum ſufficienti quantitate decocti altheæ fiat emplaſtrum, & imponatur; vel vtamini iſto.

Rec. radicum altheæ elixatarum lib. j.
farinæ communis ℥ ij.
cariciarum coctarum ℥ j. ſ.
farinæ ſeminum lini ℥ j.
pinguedinis gallinæ, vel porcinæ
vel butyri ℥ ij.
croci ℈ ij.

Miſce, & cum ſ. q. decocti altheæ fiat emplaſtrum. ſ. a. Soleo etiam, quando bubo eſt valde durus, vti alio paratu facilimo, & eſt medicamentum mihi admodum familiare, ita vt ex centum bubonibus nonaginta maturem ipſo, & eſt.

Familiare medicamentum concoquens.

Rec. diachylonis cum gummis. ℥ j.
pinguedinis gallinæ ʒ ij.

Miſce, & hoc impono à principio vſque ad finem, & maturat præſtantiſſimè. Aliquando bubo eſt rebellis ad maturationem, & tunc omnibus modis ego tento, vt maturetur, & primo per medicamenta robuſtiſſima: ſecundo per motum corporis violentum: tertio per attractionem materiæ ad locum. Per medicamenta quidem robuſtiſſima, vt eſt hoc.

Robuſtiſſimũ medicamentum coquens.

Rec. diachylonis cum gummis. ℥ j.
gummi elemi ʒ j.
propoleos ʒ ij.
ſtyracis ſiccæ } an. ℈ ij.
ammoniaci }
terebinthinæ } an. ʒ ij. ſ.
reſinæ pini }
olei amygdalarum dulcium } an. ℥ j.
pinguedinis anſeris }

Miſce, & liquentur ad ignem, & bulliant ſimul cum duabus vncijs vini Cretici, ad conſiſtentiam cerati optimi, quod extenſum ſuper linteum imponatur buboni: & hoc maturo rebelliſſimos bubones. Per motum etiam violentum tento maturationem: mando ægro vt equitet, inambulet, exerceatque corpus, etiam ſi bubones doleant: nam fiet attractio materiæ. Per attractionem autem materiæ ad locum tento etiam maturationem: nam ſemel impono cucurbitulam paruam ſupra bubonem. Facta maturatione bubonis, quod cognoſcitur inundatione, atque alijs ſignis, de quibus aliàs à me habuiſtis, aperiatur: & notate, quod tonſores iſti ſolent aperire, quando ſunt immaturi, & acerbi edocti ſimilitudine quadam bubonum peſtilentum, & tuberculorum quorundam, qui oriuntur circa ſedem, & præputium, quos Hippocrates in libro de fiſtulis, vult, vt aperiamus immaturos: quia ſi tubercula illa dimittantur; vt maturentur, potius diſrumpuntur ad intimas partes circa rectum inteſtinum, quam diſrumpant cutim extrinſecam.

Motus violentus.

Apertio bubonis.

Ideo in his tuberculis vult, vt cum primum videmus aliquam concoctionem, aperiamus. Similiter mandant medici, vt ante maturationem aperiamus tumores peſtilentes cauſtico, vel ferro ignito. Et hoc laudo in his tumoribus, ſed non in gallicis: nam ſi gallicus tumor aperiatur acerbus, præterquam quod exagitatur æger, ſemper remanet tumor quidam in ea parte ſcirrhoſus; quoniam ex ſectione glandes refrigerantur, & ita non poteſt vnà cum ſanie egredi materia illa impacta: vnde Hippocrates in ſecundo de officina medici, & Galenus in illis commentarijs dicunt, quod in omni abſceſſu, exceptis tumoribus dictis, expectanda eſt perfecta concoctio, antè quàm aperiatur, & rationem reddit Galenus, quia collecta ſanies, quæ eſt in cauitate abſceſſus, ſenſim attrahit materiam illam crudam, quæ eſt impacta in glandibus. Itaque nunquam aperiatis bubones gallicos, niſi ſint perfectè maturi. Alij ſunt qui præter modum expectant maturationem, ita vt nũquam velint ipſi aperire tumorem, ſed volunt, vt per ſe aperiatur: ſed nec hoc probo in bubonibus gallicis, quia ſæpe laceratur cutis in duobus, tribuſve locis, & oſcula ſunt parua, ita vt difficile ſeruentur aperta: vnde oriuntur duæ vel tres fiſtulæ, & ſic fit morbus alius difficilior. Itaq; vos expectate perfectã concoctionẽ, deinde aperiatis, aut ferro, aut cauſtico; ſed ego laudo magis cauſticum, quia bubones vt plurimũ ſunt tumores frigidi: & ideo oportet roborare glandes, quæ ſua natura ſunt frigidæ: cauſticum autem cum ſit calidum in quarto gradu, roborat ipſas optimè, & non facit maximum dolorem, quando bubo eſt perfecte

Cauſtico vtendũ in aperiendis bubonibus.

fecte maturus. Quod autem ex cauſtico roboretur glans, ex eo apparet, quod ſi ſeceris bubonem perfecte maturum, exibit ſanies concocta, & non valde tenuis, nec valde craſſa: ſi poſtea alteri buboni ſimili priori imponatis cauſticum, & exhibeatis exitum ſaniei, videbitis, quod ſanies, quæ egreditur, erit veluti gluten coctum, quod factum eſt ex caliditate cauſtici. Si ergo cauſticum poteſt calefaciendo craſſefacere ſaniem, poterit etiam agere in glandem, & ipſam calefacere. Hac itaque ratione ego libentius aperio cauſtico, quod impono, deinde caro, vt concidat eſchara, aperioque: ſi autem aperio ferro, facio ſectionem ad figuram folij myrtacei, quæ mihi valde placet, licet ſit doloroſa: nam faciliмè expurgatur ſanies. Facta apertione hoc, vel illo modo, impono ſemper linamentum craſſum, & prima vice imbutum albo oui, & per illam diem ſuperaddo emplaſtrum maturans; alijs poſtea diebus initio tentam ex linamento ſicco, non autem ſarcotica, quia locus non eſt explendus carne, ſed eſt tenendus apertus ſaltem per quadraginta dies, vt poſſit continuo, & longo tempore euacuari hepar; alioqui Gallica labes figeret radices in hepate. Igitur imponatis in vlcus linamentum ſiccum; poſtea, ſi vlcus ſit ſordidum, infundatis parum terebynthinæ, vel mellis roſacei; ſed ſi purum fuerit ac mundum, ſitis contenti linamento ſicco; ſupra autem ipſum ponatis ceratum aliquod, vt ſi remanſerit durities, imponatis diachylon cum gummis diſſolutum cum pinguedine gallinæ; ſi autem non adſit durities, imponetis diapalma, quod ſi egrediatur ſanies inflammata, ſuperimponetis vnguentum magiſtrale ſolum, vel mixtum cum diapalma, vel cum diachylone. Et ſemper violentia quadam tenteris, vt vlcus ſtet apertum: & ſi non poſſit hoc fieri linamento ſicco, imbuo ipſum vnguento Iſidis, quod diſſipat carnem, & impedit agglutinationem: & ſi Iſis non ſufficiat, admiſceo ei portionem vnguenti ægyptiaci, & velit nolit, manebit apertum. Et ſaltem ſpatio quadraginta dierum ſtet apertum, & ſi poteſt etiam ſeruari apertum longiori tempore, eſt melius: multi enim refert, vt hepar ea via valde, ac diu expurgetur, & vlcus per ſe claudatur. Cæterùm notate quòd aliquando al qui negligentes adeo ſunt, vt ſinant bubonem aperiri à ſanie ipſa: vnde cum aperiatur pluribus in locis oboriuntur fiſtulæ, quæ etiam naſci ſolent ex ſectione parua, anguſtaque facta, ſi ergo oboriatur fiſtula, recurratis ad fiſtulæ curationem, de qua aliàs. Secundo notate, quod aliquando ex mala curatione irritata hæc vlcera fiunt ita maligna, vt caro ſupercreſcat, lapidoſæque fiant glandulæ, & gangrænam aliquando patiantur, & ſimilia; & tunc aut igne, aut trochiſcis de minio ita vocatis vtendum eſt, & audacter, nam optimè ſuccedet curatio, aliter nunquam ſanabitur æger. Tertio notate, quod poſt bubonis ſanationem accidit interdum, vt inguina remaneant tumida, & tunc vtamini diapalma, & diachylone magno ſimul mixtis. In ſequenti agemus de gonorrhæa, & de defluuio pilorum, & docebo vos quo modo poſſitis iam defluentes pilos ſiſtere, & facere, ne defluant: & ſi defluxerint, vt renaſcantur.

Apertio ex ferro. Apertio cum bone ... ag...dum.

Vlcus retinendum apertum, & quibus.

Si vlcera fiant maligna, & caro ſupercreſcat.

De Gonorrhea gallica. Cap. XLII.

SAepe accidit, vt cum labe gallica ſuccedat gonorrhea per contagium; qua ratione autem illud fiat, non ſatis certum eſt. Bubonum, vlcerum, puſtularum, & reliquorum, quæ ſuccedunt ad morbum gallicum, poſſumus certam afferre rationem non ita gonorrheæ; quam tamen non poſſumus negare, quod ſequatur ad morbum gallicum, & quod ſit contagioſa: nam multos vidi, qui correpti ſunt morbo gallico, & nullum aliud ſymptoma ſunt paſſi, præterquam gonorrhæam, quæ frequentiſſima eſt, & per contagium, vt dixi, acquiritur: ſed qua ratione, non poſſumus vllam certam cauſam reddere, hoc tamen ſcio, & hæc fortaſſe erit vera cauſa, quod plures halitus putredinoſi non ſolùm materia ſanioſa recipitur in glande, qui halitus poſſunt meare per canalem penis, & peruenire vſque ad vaſa, in quibus continetur ſemen, & glanduloſa illa corpora in canali exiſtentia laxare, & debilitare, & ita eſſe in cauſa, vt ſemen profluat. Niſi hæc ſint cauſa, profecto non poſſumus vllam aliam certiorem reddere. Poſſemus etiam dicere, quod cum ex halitu illo putredinoſo inficiantur primæ venæ pudendi, quæ habent magnum conſenſum cum vaſis teſtium, poteſt halitus putredinoſus communicari vaſis peruenientibus ad teſtes: quibus vaſis infectis, & debilitatis profluit ſemen: has cauſas poſſumus reddere. Nec eſt veriſimile, vt cauſa gonorrhææ huius gallicæ ſit illa communiſſima aliorum profluuiorum ſeminis, ſcilicet tenuitas, & nimia ſeminis acredo. Hoc ſtante, quod non poſſumus reddere certam rationem gonorrhææ gallicæ; ſed ſolum coniecturales, ſequitur etiam, quod non habemus certa ſigna, quibus dignoſcamus gonorrhæam gallicam ab alijs, ſed tantum coniecturas aliquas: quia aliæ gonorrhææ fiunt aliquando ex caliditate renum, ex vſu calefacientium, ex geſtatione armorum,

Qua ratione fiat Gonorrhæa nō ſatis certū.

Cauſa Gonorrhæa q̄ritur

Non habētur certa ſigna Gonorrhæa

Digitized by Google

armorum, ex equitatione, ex coitu etiam: ſed, & gallica fit, & acquiritur ex coitu; tamen ex his coniecturis poſſumus diſtinguere gallicam ab alijs, & primò ex diuturnitate: cùm enim protrahitur valde, poſſumus coniecturari, quod ſit profluuium gallicum: Addatis, ſi ſciatis, quod iuuenis coiuit cum muliere, quæ infecit plures gonorrhæa: requiritur enim vt & mulier ipſa laboret, ſi iuuenis debet ea corripi. Tertiò ſi gonorrhæa ſit uehemens, coniecturabitis, quod gallica eſt.

Diſtinctio Gallicæ gonorrhææ ab alijs.

In principio non curanda hæc gonorrhæa.

Symptomata conſequentia gonorrhæã.

Caſſia pro attemperãdo dolore.

Præſente itaque hac gonorrhæa, & præcipuè, ſi incipiat, ego ſum ex illis, qui non uolo ipſam curare, & præſertim ſi ſit in principio; ſed tantum attendo, ut mitigem ſymptomata, quæ conſequuntur ad talem gonorrhæam contagioſam: & primum eſt excoriatio, & exulceratio quædam magna, & quidem tanta, ut faciat dolorem in mingendo: ſecundum eſt tentigo fere continua, & moleſtiſſima ita, vt tota nocte erectum ſtet pudendum, & dolet, ita ut prædolore excitetur ſæpe æger à ſomno: Tertium eſt debilitas dorſi, calefactioque renum, & dolor. Hæc itaque ego mitigo; omiſſa curatione profluuij ſeminis: unde ſtatim exhibeo caſſiam ratione doloris attemperandi, ſed cum ipſa miſceo ea, quæ ſiccant, & aliqua, quæ moderatè aſtringunt: vnde accipiam florem caſſiæ, & admiſcebo pulpam tamarindorum, & puluerem corallorum, & aliquando maſticis hoc modo.

Rec. floris caſſiæ ℥ vj.
pulpę tamarindorum ℥ ij.
pulueris corallorum rubeorum } an. ℈ j.
pulueris maſticis

Miſce, & fiat bolus: Aliquando etiam addo medium ſcrupulum boli Armeni: & ita fit medicamentum, quod refrigerat, lenit, ſiccat, roborat, & aſtringit vias. Inungo etiam renes oleo roſato completo, vel madefacio dorſum aqua roſacea, vel inungo cerato roſato; deinde venio ad inferiores partes, vt auferam excoriationes, quæ ſunt circa glandem, quod facio hoc medicamento. Accipio ſuccum ſolani hortenſis, & ſuccum plantaginis depuratum æquis portionibus, & miſceo ſimul, calefacioque; mox mando, vt æger antè quam mingat immergat colem detecta glande in hoc ſucco ſpatio dimidiæ horæ; deinde extrahat, & mingat: & hoc faciet bis, & ter in die, quoties opus eſt mingere; ſemper tamen immergat antè quam mingat, cum tamen habet voluntatem mingendi: & biduo, vel triduo ad ſummum ſanantur certò excoriationes. Si autem non adſit ſuccus, vt hyemali tempeſtate, accipio aquam roſaceam, aquam ſolatri, & plantaginis æquis portionibus, & pariter infunditur: & hoc modo ego occurro excoriationi, & exulcerationi: nam per infuſionem partes tenuiores ſuccorum perreptant per canalem, & ſanant excoriationem.

Ad excoriationẽ circa glandẽ.

Ad tentiginem.

Pro tentigine autem nullum habeo præſtantius hoc: Aeger, quando it dormitum, ponat catinum plenum aqua propè lectum cum linteo in ipſo catino, & noctu cum patitur tentiginem, & expergiſcitur, accipiat linteum illud, exprimat aliqualiter, & obuoluat pudendum, & hoc modo per ſe cadet penis. Et non tentet æger vi flectere pudendum: nam ego vidi ex eo factas inflammationes pudendi, & ſecuta eſſe alia incommoda. Sed ſciatis, quod ſanata excoriatione ceſſabit etiam per ſe tentigo, quia fit ex mordicatione illa, quæ oritur ratione vlceris, & excoriationis. Hoc modo occurro ſymptomatibus, quæ inſequuntur ad gonorrhæam; ſed ipſi gonorrhææ nihil facio, at ſino, vt fluat ſemen, nam in gallico morbo incipiente optimum eſt, vt fiat aliqua euacuatio materiæ aduſtæ: & ideo æger debet patienter ferre defluuium ſeminis, ſaltem vſque ad quadraginta dies; poſtea, ſi non ſanetur, ego vtor omnibus ijs, quæ faciunt ad gonorrhæam tollendam, de qua curatione habuiſtis ab Excellentiſſimis Practicis; ideo non oportet, vt ego doceam vos hic talem curationem: ſed ſi non cedat auxilijs propoſitis ab ipſis, & ab auctoribus, ego curo ipſam per decoctum ligni Indici: nam exhibeo ægro decoctum. Hæc ad gonorrhæam: iam ueniamus ad defluuium pilorum.

De

De gallico pilorum defluuio. *Cap. XLIII.*

Defluuia pilorũ ab antiquis.

ANtiqui nouere defluuium pilorum, & uariorum quidem generum: nam egere de ophiaſi, quæ eſt defluxus pilorum capitis intorto, & obliquo ductu procedens: nam fiunt areæ in capite intorto ductu, vt ſunt obliqua veſtigia relicta ab angue, qui progreſſus ſit ſupra puluerem; tales quoque ſolent eſſe areæ in capite in ophiaſi; & hinc eſt, quod tale defluuium pilorum eſt vocatum ophiaſis, præterquam, quod in ophiaſi ſunt etiam ſquammæ quædam, quæ exhibuere etiam huic ſpeciei defluuij occaſionem nominis. Aliud quoque defluuium pilorum nouerunt, quod alopetiam vocarunt eo, quod cadant pili, & remaneant areæ non amplius obliquæ, ſed tales, quales in pelle vulpis viuente, aut mortua conſpiciuntur: nam & vulpes patiuntur hoc genus defluuij, in quo magnæ areæ apparent. Tertia ſpecies defluuij, quam etiam nouere antiqui, vocatur caluities, & eſt, quando in ſumma parte capitis, vel in toto etiam capite, concidunt pili ex toto; has defluuij pilorum ſpecies nouit antiquitas, quæ nobis quoque notæ ſunt; Addimus nos quartum genus defluuij pilorum antiquis ignotum, & eſt defluuium gallicum, vel alopetia gallica vocata, in qua aliquando concidunt omnes pili capitis, aliquando fiunt areæ, vt in alopetia; tamen ad nullam ſpeciem dictorum defluuiorum reduci poteſt; ſed eſt ſpecies per ſe diſtincta, & quarto loco collocanda.

Defluuiũ Gallicum.

Cauſa defluuij pilorum.

Cauſa autem, cur fiat defluuium, redditur à Galeno per ſimilitudinem ſumptam à plantis in primo libro de compoſitione medic. per loca. cap. ſecundo, vbi inquit, quod pili patiuntur illud idem, quod plantæ, quia plantæ, cum areſcunt, concidunt fructus, folia, & ipſæmet; ita, & pili arefacti concidunt: plantæ autem areſcunt, & ſiccantur. inquit, vel quia deficit eis alimentum; vel quia malum ad eſt alimentum corrumpens plantæ ſubſtantiam: ita quoque fit de pilis, quamuis & ipſi, & vngues, & cornua impropriè nutriantur; tamen ſat eſt quod concidunt, vel quia adeſt materia mala corrumpens pilorum ſubſtantiam; vel quia non adeſt materia qua alantur: deficit autem materia, vt in caluitie, in qua concidunt, quia non ad eſt materia, quæ ſubminiſtretur pilis: deficit autem materia, vel ratione cutis, vel ratione totius corporis: cutis quidem eo, quod ſit prætermodum exiccata; & ideo non retineat fuliginem, qua concreta fiunt pili; vel quia non præbet exitum fuligini eo, quod ſit nimis conſtricta: ideo non poſſunt ſuboriri pili: quod hoc ſit verum, patet ex eo, quia arte facere poſſumus per alterationem cutis, vt, vbi non ſunt pili, ibi naſcantur; & vbi ſunt, concidant: nam ſi ſiccemus, & ſtipemus cutim prætermodum, facimus, vt pili concidant; ſi verò admoueamus ea, quæ rarefaciunt, & attrahunt, generantur: vnde per alterationem cutis poſſumus facere, vt pili generentur, vbi non ſunt; & concidant in ea parte, vbi ſunt; pro vt mediante alteratione facimus, vt gignantur, vel auferatur materia pro pilis. Itaque in caluitie concidunt pili, quia cutis eſt nimis ſicca, vel ob vetuſtatem, vel ob aliam cauſam, ob quam ſiccationem fuligo deueniens ad ipſam non poteſt meare, & formari in pilos; ſed reflectitur: concidunt etiam ex defectu alimenti, vt quando in toto corpore non gignitur materia fuligi noſa, vt accidit in habitu corporis frigido, & humido prætermodum: hoc itaque modo pili concidunt ratione defectus alimenti, quia non ad eſt materia, quæ continuò ſubminiſtretur pilis, vt alantur, licet impropriè alantur: propriè enim loquendo dicendum eſt, quod creſcunt per additionem. Secundò concidunt ratione mali alimenti: nam ſicut plantæ irrigatæ aqua ſalſa, vel vrina, vel humido aliquo acri ſiccantur, quia attracto tali ſucco conſumitur humiditas inſita: ita quoque quando alimentum ſalſum, & acre fuliginoſa conſtans ſubſtantia deuenit ad radices pilorum, eas erodit: & hæc eſt cauſa cur in morbo gallico concidant pili, quia eleuatur ad caput fuligo acris, exuſta, ſalſa, & amara, eleuatur, inquam, ex materia exuſta, & amara: quod hoc ſit verum, patet ex ſymptomate, quod conſequitur ad defluuium pilorum gallicum, & eſt luciditas quædam faciei, ita, vt, qui patiuntur tale defluuium, videantur diaphani, quales ſunt vermes illi, qui hoc tempore nere incipiunt ſericinam materiam, & non ſolum ipſis lucet tota facies, ſed & palpebræ, & facies tota tumet ſplendetque: quod fit ex copioſo vapore acri, & exuſto per totam faciem, & caput diffuſo, qui etiam erodit pilos.

pili poſſunt generari, vbi nõ sũt.

In caluitie cur cadant pili.

Defluuiũ patiẽtibus lucet facies

Vbi generetur ea materia fuliginoſa, & ſalſa.

Vbi autem materia hæc generetur, an in capite, an in toto ambitu, an in aliqua parte determinata; ego fui ſemper huius ſententiæ, vt credam, quod tranſmittatur ab hepate: nam cum hepar inficiatur gallico, & ferueat, debilitatur, & cum eo debilitatur etiam ventriculus; & generat humores aduſtos, & acres; ventriculus verò generat pituitam: vnde mixtis ſimul humore aduſto, & pituitoſo crudo eleuatur fuligo ſalſa, & craſſa ſurſum ad caput: &

quia

quia craſſa eſt, ideo non poteſt inſenſibiliter euacuari; ſed retinetur, & erodit, hæc igitur eſt cauſa cur capilli, cilia, & barba concidant.

In Gallico ſolũ capilli, cilia, et barba cõcidũt. in alijs morbis vbique corporis pili concidũt & quare. Signa defluuij gallici.

Alij autem pili nunquam viſum eſt ab aliquo, nec videbitur, quòd in morbo gallico conciderint; ſed hoc vtique viſum, & videtur ſæpe fieri in alijs morbis, vt in lepra Arabum, quæ eſt elephantiaſis Græcorum: nam in omnibus partibus concidunt pili: ita & in febribus malignis, & peſtilentibus viſum eſt aliquando concidiſſe pilos omnium partium. Ratio autem, cur in alijs morbis concidant omnes pili; in gallico verò capitis, ciliorum, & barbæ tantum, eſt, quia in alijs morbis materia ſalſa, & acris tranſmittitur per totum corpus; in gallico autem ſola materia vaporoſa tranſmittitur ſurſum ad caput duntaxat.

Defluuium autem pilorum gallicum dignoſcitur manifeſtiſſimè, & præcipuè ex luciditate illa oculorum, & totius faciei; defluxus hic pilorum, vel incipit, vel iam ex toto conciderunt omnes pili barbæ, ſuperciliorum, & capitis; & ideo primo trademus modum quo præcaueatis, & impediatis nè defluant; deinde veniam ad modum, quo ſi conciderint ex toto, faciatis, vt reſtituantur pili, & citò, & tutò.

Prima Indicatio euacuatio materiæ. Secunda. Tertia.

In his itaque datur indicatio primò euacuationis materiæ, ex qua eleuantur fuligines: ſecundo datur indicatio, vt euacuemus eoſdem vapores, ſeu fuligines: tertiò vt roboremus, & ſiccemus validè cutim, & ſtipatam ipſam reddamus, & radices pilorum hæreant, & non defluant ita facilè: Hæ ſunt indicationes. Pro euacuatione itaque materiæ vniuerſalis ex qua eleuantur fuligines, & eſt pituita ſalſa, & atra bilis exuſta: quæ pituita facta eſt ex debilitate ventriculi; & atra bilis ratione hepatis feruentis: vacuanda igitur eſt: vnde ego ſtatim lenita aluo, ſoleo conſentiente virtute, & ætate ſecare venam, qua ſecta, præparo humores iſtos: præparantia autem accomodata aliàs habuiſtis: facta præparatione euacuo, &

Pharmacum euacuans.

pharmacum mihi familiariſſimum in hoc caſu eſt hiera diacolocyntidos, quæ ſatisfacit omnibus requiſitis. Poſſem vti pillulis cochijs traditis à Galeno in ſecundo de compoſitione medic. per loca, & alijs medicamentis; ſed nullum in hoc caſu reperio præſtantius hiera diacolocyntidos. Facta priori euacuatione; iterum præparo aliqualiter humores attenuantibus, & aperientibus, & denuo euacuo, ita, vt bis euacuem. Quo facto, euacuo & ca-

Apophlegmatiſmata.

put eiuſque partes apophlegmatiſmis, exhibeo enim ægro, maſticem vel radicem pyretri mandendam mane, & veſperi ante cibum, vt eliciatur ſputum, & materia illa halituoſa, & ſalſa, acriſque: poteſt etiam mandere alia; ſed hæc duo mihi ſunt familiaria. Et non ſolùm euacuo caput apophlegmatiſmis, ſed etiam alia ratione, ſcilicet per lotiones, quæ ſiccent & digerant robuſtiſſimè, & poſt vſum relinquant cutim roboratam, & conſpiſſatam: tertio vtor, dum fit ablutio, ſapone quodam, qui detergit euacuat, & ſiccat cutim: & his lotionibus cum ſapone vtor, interea dum æger mandit maſticem, vel pyretri radicem. Ablutio-

Lotiones capitis.

nes autem ſeu decocta, quibus vtor, ſunt duo: vnum eſt leuius, & eſt primum, quod tamen ſiccat, roborat, digeritque fuligines illas; aliud eſt validius, & tota ſubſtantia euacuat digeritque vaporem illum: prima igitur decoctio eſt hæc:

Rec. lixiuij tonſoris. lib. x.
foliorum abſynthij
myrtillorum
foliorum. roſ. rubearum
roris marini } an. m. j.
radicum aſari. m. ſ.
nuces cupreſſi. n. x.

Hæc bulliunt ad conſumptionem tertiæ partis; deinde colatur: & hoc abluitur caput alternis diebus. Sed quia pili tacti cadere ſolent; ideo oportet vt eos, non dico abradatis, ſed tondatis, ita vt ſint breuiſſimi, & ita tondetis capillos, & barbam, niſi barba ſit valde longa; aliter, dum fricatur inter abluendum caput, & dum pili ſiccantur pannis, conciderent; at ſi barba ſit prolixa, vt ſolet vt plurimum eſſe, & conderetur, longum nimis requireretur tempus, antè quam rediret ad eam integritatem; & ideo non tondatur; ſed oportet vt tonſor, qui caput abluit, vtatur patientia, & diligentia, vt leniter, dum abluit, fricet caput, & dum ſiccat, barbam non fricet, ſed moderata, & leni manu apponat pannos. Si autem vultis decoctum, quod magis euocat vaporem, ſeu fuliginem illam, addatis decocto dicto duas drachmas agarici communioris, & ita bulliat, vt dictum eſt, & hæc erit ſecunda decoctio validior. Sapo autem Conſtantini eſt ille, quo debetis vti, & ego vtor, dum abluitur caput, qui ſapo deſcribitur à Paulo in ſeptimo libro cap. decimotertio, vbi agit de pulueribus capitalibus: cur autem ſit dictus Conſtantini ignoro: deſcriptio autem hæc eſt.

Rec

Sapo Constantini.

Rec. roſarum rubearum
aloes hepaticæ
gallarum
corticum granatorum
malabathri
ſarcocollæ } an. ℥ j.
balauſtiorum
myrrhæ
ſandarachæ Græcorum
ſpicæ nardi } an. ʒ v.
coſti. ʒ ij. & ℈ ij.
ſaponis gallici. q. s.

Puluerizantur puluerizanda, & cũ ſapone admixto excipiuntur omnia cũ decocto lupinorum, quoniam lupini ſiccãt, & detergunt, & fiunt orbes, qui ſunt diuinũ medicamentũ.

Sed in hac deſcriptione notate, quod nos caremus malabathro; & ideo eius loco capiatis cubebas officinarum.

Secundo officinæ non habent copiam balauſtiorum, ideo loco ipſorum accipietis flores mali Punici domeſtici.

Tertiò aduertatis, vt accipiatis ſandaracham Græcorum, quæ ſatis copioſa habetur, & non accipiatis ſandaracham Arabum, quæ eſt gummi iuniperi: at ſandaracha Græcorum eſt materia metallica, quia eſt auripigmentum rubeum, & ſemper habebitis ipſam apud eos, qui vendunt colores; & ſi ipſam caſu non haberetis, faciatis eam vos hoc modo: Accipiatis auripigmentum purum, tundatis, & ponatis in ollula, ponatiſque eam ad ignem ſupra carbones vt eliquetur, & coquatis, & videbitis, quod acquiret naturam, & colorem ſandarachæ.

Quartò nos caremus coſto; ſed ſub hoc nomine coſti in officinis habetis Zedoariam rubicundam, & ipſa vti poteritis loco veri coſti; & ſi nec ipſa adſit, habebitis in officinis radicem acrem, quam coſtum vocant, licet falſo, quæ ſiccat, & detergit, & ipſa in hoc caſu vti poteritis.

Quintò notate, quod antiqui habebant in vſu ſaponem Gallicum, nunc autem eſt in vſu Venetus, vel Damaſcenus; ſed in hoc caſu omnis ſapo bonus eſt.

Itaque facta ablutione, deterſione, & euacuatione fuliginum per ea, quæ dicta ſunt, ſuccedit ſecunda indicatio, vt roboretis cutim, & eam aliqualiter ſtipetis, ne radices pilorum abſumantur, quod facietis inungendo cutim ipſam hoc medicamento.

Secũda Indicatio roborandi cutim.

Rec. olei roſati omphacini
myrtini } an. ℥ ij.

Miſceantur, deinde accipiatis duas drachmas ladani puriſſimi, & tundatis eum optimè in puluerem, & puluere poſito in linteolo faciatis faſciculum, quod faſciculum infundatis in oleum illud, & maceretur vna nocte, & die in oleo ipſo: quod etiam eſt faciendum, quoties vultis faſciculo uti: & poſt quam caput fuerit ablutum, accipietis faſciculum, & ipſo fricabitis cutim in ea parte, in qua timetis caſum capillorum, pilorumve, & aliqualiter etiam ſupra cutim exprimetis faſciculum, vt egrediatur oleum cum ladano: hoc autem facietis quotidie, antè quàm æger eat dormitum, ſed quando vult ire: quod etiam facere poteritis, & ſi caput nondum ſit ablutum: Hoc modo occurretis defluuio incipienti, & impedietis ne fiat.

Quod ſi defluuium ſit validum, & præceps, ego non ſum contentus ijs, quæ dicta ſunt, ſed vltra illa (nam & ipſis vtor) deuenio ad validiora, & non curo ſtipationem cutis: inter validiora autem eſt tapſia, ſemina ſinapis, oleum laurinum, & euphorbium: his præcipuè vtor ego, in euocanda materia illa pro ſiſtendo defluuio, & in reſtituendis, & regignendis capillis, & barba, & alijs pilis, ubicunque reciderint, vel nondum ſint nati. Sed antè quam his vtamini, purgandum eſt corpus valde, & frequenter cum hiera diacolocyntidos, vel cum pillulis præparatis cum veratro. Et ſciatis, quod nunc communico vobis ea, quæ nunquam amplius volui cuipiam communicare: & his medicamentis reſtitui capillos in mulieribus pluribus in partibus, quæ ſteterant depiles ſeptem, & octò annos. Vtor autem oleo quodam magiſtrali, quod ego curo, vt paretur in officinis, & ipſo inungo partem depilem poſt ablutiones dictas; ſed animaduertatis, quod leniter eſt pars inungenda, ita, vt pauciſſima quantitas olei accipiatur, quoniam oleum ſolet facere herpetem miliarem, & exulcerat cutim;

Si defluuiũ ſit validum vtẽdum validioribus.

Digitized by Google

cutim; ſed ſi parcè aſſumatur in vſum, hæc non faciet; ſed euacuabit cutim à fuligine illa mala, & ſiſtet caſum pilorum: & ſi iam ceciderint, reſtaurabit ipſos, & quidem citò ita, vt ſit mirum. Nam vidi ego in quodam Florentino, qui erat iam totus depilatus, & cum fuiſſet hoc oleo liberius aliquantulum quàm eſſet opus, inunctus, ſuperuenit ingens herpes, & ipſe erat deſperatus: Ego dicebam nè dubites, quia ceſſante herpete, vt ceſſabit, apparebunt pili: & ita factum eſt: nam ſpatio octo dierum oborti ſunt tot pili, vt fuerit mirum: Oleum autem eſt.

Oleum ad caſum pilorum.

Rec euphorbij pinguioris ʒ j.
radicum tapſiæ ʒ ij.
ſeminis ſinapis ʒ iij.
pulueris cariophyllorum ʒ j. s.
olei amygdalarum dulcium lib. j.

Cariophylli adduntur, tum ob odorem, tum quia habent, & ipſi eadem vim. Tritis terendis, bulliunt in duplici vaſe per ſpatium octo vel decem horarum, deinde quieſcunt; poſtea iterum bulliunt per octo horas; deinde iterum quieſcunt; deinde tertiò bulliunt per octo horas; facta hac ebullitione colatur panno ſpiſſiori ita, vt habeamus oleum tantum: quod oleum ponitur in ampulla vitrea, & inibi relinquitur per tres, vel quatuor horas, donec deſideat tota materia optimè; poſtea accipitur pars olei lympida, relicto ſedimento, & ſeruatur ad vſum: & hoc eſt illud oleum, quod ita aſfectant nobiliſſimæ mulieres, & præcipuè Venetæ, quibus frequenter decidunt capilli ob decoctum illud, quo dealbant capillos, & multam quantitatem huius olei ego abſumpſi pro ipſis: iam ſunt duo anni. Vſus autem olei eſt talis: accipimus parum alicuius olei odorati, vt parum olei cariophyllorum, vel olei de ſeminibus mali citrij (quæ olea habebitis in myropolijs apud vnguentarios) & parum illud olei odorati admiſcetur cum ſupradicto, vt reddat ipſum odoratum, & quando æger it dormitum, inungatur pars depilis. Habeo & aliud oleum æquè præſtans, vt illud dictum ad eundem vſum: ſed eſt pro nobilioribus, & eſt oleum cariophyllorum, (non illud, quod habetur in myropolijs: nam eſt oleum amygdalarum dulcium, cui admixti ſunt cariophylli,) ſed intelligo de oleo ſtillatitio ex cariophyllis. Quoties igitur habebitis aliquem nobilem curandum, qui patiatur defluuium pilorum, ex quacumque fuerit cauſa, vtamini hoc oleo cariophyllorum, extracto ſcilicet per elambicum ex cariophyllis.

Verum accidit, vt pili aliquando citiſſime defluant, vt vna, vel altera die omnes decident, & ita non dabunt inducias, vt poſſimus abluere, & inungere: habes nè igitur aliquod, quo citiſſime ſiſtas hoc defluuium? Habeo certiſſimum, & tutum remedium, & eſt ſuffitus. mando, vt paretur paruum tentorium, & ipſo fiat ſuffitus: ægro tenente totum caput, & faciem intra ipſum; ſed teneat fiſtulam apprehenſam vno extremo ori; altero extra tentoriolum prominente teneatque nares clauſas, & per fiſtulam attrahat frigidum aerem; poſtea ſint carbones intra tentorium, & ſuper ipſos exuratur materia, quam dicam, & recipiat fumum per integram horam, & triplici ſuffumigatione curabitur maximus defluxus pilorum. Materia autem exurenda pro ſuffitu eſt duplex: vna eſt hæc:

Rec. ſandalorum omnium
Thuris
ligni aloes — an. ʒ s.
myrrhæ ʒ s.
cinnabaris
auripigmenti — an. ʒ j.

Miſcentur, & teruntur, & accipitur pro qualibet vice exurenda quantitas vnius vnciæ huius pulueris, vel exuratur tota iſta quantitas vnica ſuffumigatione, & pro alijs accipiatur noua materia. Secunda eſt hæc:

Rec. aloes
belzuini
thuris
camphoræ — an. ʒ iij.
galliæ moſcatæ ʒ j.
ligni aloes ʒ ij.

cinna-

cinnabaris
auripigmenti } an. ℥ j.
marcheſitæ

Hæc miſcentur, tunduntur, & fit puluis, & hoc eſt pro altero ſuffitu, ſcilicet, eſt ſecunda materia, & eſt robuſtior prima. Poſt quam factus fuerit ſuffitus, inungatur oleo prædicto.

Si pili cõciderint quõ reſtituantur.

Si autem pili iam conciderint reſtituetis hoc modo: primo fiant ea omnia, quæ dixi, ſcilicet, euacuetur corpus, & caput, & materia illa per cutim, fiantque lotiones: quibus factis, ego venio ad duo, & vnum eſt aqua quædam, quam vos docebo; alterum eſt oleum prædictum, quod voco oleum magiſtrale ad pilos, quod accipio purum, & vtor; vel admiſceo aliquod oleum odoratum in pauca quantitate, vt dixi, vel admiſceo oleum laurinum: poſt vſum olei vtamini hac aqua ſtillatitia, madefaciendo bis, & ter in die partem depilatam: Aqua autem eſt hæc.

Aqua ad pilos reſtaurandos.

Rec. mellis purioris
vini maluatici
vrinæ pueri } an. lib. ij
lactis vaccini, vel alterius

Miſcentur, & ponuntur ad ignem, & per elambich extrahitur aqua, quæ optimè detergit, ſiccat, euocatque fuligines, & regenerat pilos, facitque eos productiores: ſed validius hac aqua eſt hoc aliud medicamentum.

Medicamẽtum validius.

Rec. hyſſopi hortenſis
montanæ } an. m. ij.
calamenthi montani
florum abrotani
vini maluatici
lotij } an. lib. ij.
mellis
lactis
ſeminis ſinapis lib. s

Tritis optimè terendis, miſcentur, & macerantur per duos, vel tres dies; deinde per elambich extrahitur aqua, quæ optima eſt ad regenerandos pilos, & faciendos eos productiores: & optima etiam eſt pro iuuenibus, & alijs, qui non poſſunt vel tardè emittere barbam. In ſequenti de puſtulis.

De puſtulis cruſtiſve Gallicis. Cap. XLIV.

Deſcriptio puſtularũ.

ADditur & morbo Gallico hoc ſymptoma, vt oboriantur puſtulæ aliquando in toto corpore, aliquando in ſolo capite, & facie, & mihi non videntur eædem cum phlyctenis, & talem præ ſe ferunt naturam & effigiem: creſcunt cruſtoſæ, & duræ eminentiæ, figuræ rotundæ, vt plurimum, & augentur aliquando ad productam, & ſatis magnam molem, ita vt ego viderim aliquando in facie, & capite quorundam puſtulas Gallicas, quæ videbantur erumpentia cornua: oriuntur autem puſtulæ iſtæ præcipue circa barbam, & caput: color earum vt plurimum eſt ſubalbicans, vt habeat effigiem cineris non valde candidi; aliquando inclinant ad pallorem, vel ad liuorem, vel ad luteum colorem: cruſta earum dura eſt, & veluti lapidea, ita vt difficilè poſſit auelli: ſub cruſta continetur vlcus non ita profundum, vt exederit totum corium, nec ita ſuperficiale, vt ſolam cuticulam exederit; ſed mediocrẽ habet profunditatem: ex vlcere ſæpe manat ichor quidam, qui aliquando eſt fætidiſſimus, aliquando nullũ habet fætorem; nec emanat talis ichor, niſi cruſta auellatur, vel dirũpatur: cruſtarum color eſt ſubalbidus, vel ſubluteus: & ichor emanans vt plurimũ eſt craſſę ſubſtãtiæ, & veluti melleæ, aliquando autẽ tenuis: & ichor interdũ nõ emanat, niſi exprimatur: ad has puſtulas ſolet ſuccedere defluuium pilorũ, ita vt ſint veluti prænunciæ defluuij pilorũ, quia indicatur quod materia ſalſa, & exuſta, ex qua puſtulæ fiunt, incipit repere ad caput, &

R fundi

Alterum genus puſtularũ gallicarum.

fundi per corium: & ideo poterit erodere pilorum radices. Eſt & alterum genus puſtularum Gallicarum, quæ puſtulæ oriuntur in ore, quæ non ſunt cruſtoſæ: nam ob humiditatem non poteſt ſanies exiccari, & conuerti in cruſtas; ſed puſtulæ hæ palati, & buccarum ſunt prominentiæ quædam rugoſæ, & inæquales, ita vt videantur calli facti rugoſi rimoſique:habent colorem varium, nam in medio habent colorem rubicundum, non intenſum tamen; circa margines autem ſublimidum. & rimis, & rugis puſtulæ diſtinguuntur: nullus vel minimus in ipſis eſt dolor: talis eſt figura vtriuſque generis puſtularum in Gallico morbo orientium.

Materia puſtularũ gallicarũ.

Materia vtriuſque generis puſtularum eſt inæqualis, & vt plurimum pituitoſa ſalſa,admixto plurimo ſucco melancholico: nam feruet hepar, & exurit humores, fiuntque atrabiliores: ventriculus etiam redditus imbecillis, & propter contagium, & propter hepatis feruorem, generat multas cruditates, tenaces, & viſcidas, quæ mixtæ cum atra bile reddunt pituitam ſalſam, quæ petens caput, & cutim efficit vtrumque genus puſtularum; hoc tamen excepto, quod materia faciens puſtulas palati, & buccarum habet etiam adiunctam portionem ſanguinis tenuis, quia locus ille eſt calidior, habetque venas multas; ſed addatis quod talis materia generans cruſtas, vel puſtulas vtriuſque generis non ſolum tranſmittitur ab hepate,ſed gignitur etiam in parte patiente,eò,quod non nutriantur.

Curatio puſtularũ in ore exiſtentium.

Curatio autem puſtularum, quæ ſunt in ore, omiſſis vniuerſalibus capitibus de purgatione, de præparatione, & de alteratione viſcerum, eſt vt primo obſeruetis, quod cum puſtulis in ore exiſtentibus ſolet ſæpe eſſe coniuncta ingens inflammatio, quæ poſtea adiungit excoriationem: & cum adeſt inflammatio & excoriatio, dolent ſummopere, ita vt æger vix poſſit perferre, nec poteſt ſine dolore maximo bibere, aut mandere: & ideo indicatur, vt valde exiccetis puſtulas, & excoriata vlcera: Secundo vt mitigetis dolorem per lenientia: quæ duo ſi poſſitis præſtare vno, atque eodem medicamento ſimplici, aut compoſito, eſt longè melius.

Indicatio exiccandi, & mitigandi doloris. Aqua plantaginis, & alia.

Itaque in primis, præſente inflammatione, ego vtor aqua plantaginis, vel ſola vel admixta aqua hordeacea: nam ratione hordei ſiccabit moderatè, & mitigabit, & ob plantaginem adhuc magis ſiccabit: vtor etiam lacte extracto ex ſeminibus melonum: addo etiam his aliquando aquam ſolani, & mando, vt æger abluat ſibi ſæpe os, & gargarizet: & quia aliquando eſt opus deterſione aliqua, ideo tunc admiſceo parum ſyrupi roſacei ſimplicis, vel parum ſyrupi de roſis ſiccis: ſed raro addo detergentia. Si ſerpigo procedat, & non cedat his, & non ceſſet dolor, venio ad

Lac calybeatum.

lac chalybeatum: accipio enim lac vaccinum pinguiſſimum, & in ipſo extinguo quater, vel pluries fruſtulum chalybis, aut ferri igniti; deinde lacti addo parum boli Orientalis, & ita fit medicamentum, quod maximè ſiccat, mitigat dolorem, & impedit augumentum, & certè optimum eſt: lacte igitur hoc abluat ſæpe os,& gargarizet.

Aliquando etiam coquo in aqua radices pentaphylli, tormentillæ, & conſolidæ maioris: & hoc decoctum miſceo cum lacte dicto, & hoc medicamento compoſito abluat os ſæpe.

Verùm accidit aliquando, vt ſuperata aliqualiter inflammatione, & ſerpigine.tamen ob id non ſanantur puſtulæ, & tunc deuenio ad vſum decocti guaiaci, vel potius ad vſum

Aqua aluminis auctori familiaris.

cuiuſdam aquæ, quam voco aquam aluminis, & ita etiam vocatur in quibuſdam officinis meo nomine: nam mea eſt compoſitio, & mihi familiariſſima eſt in oſſibus corruptis ex morbo Gallico, & in his puſtulis: nam valde ſiccat, & optima certè eſt; & quamuis in ipſa recipiatur argentum ſublimatum, tamen tutiſſimum eſt medicamentum aqua iſta:ideo vtamini ea audacter,& eſt.

Rec. aquæ plantaginis }
rosaceæ } an. lib. j.
aluminis rochæ }
argenti ſublimati } an. ʒ ij.

Accipitur argentum ſublimatum, & ſupra marmor, vel ſupra lapidem porphyritidem teritur, cumque eſt tritum, additur parum ſucci limonum, & optimè emollitur ſupra eundem lapidem; cum eſt emollitum, additur alumen, & aquæ dictæ, & in vitreo uaſe bulliunt ad conſumptionem medietatis aquæ, uel tertiæ partis; deinde colatur linteo è lino nouo, & admodum ſpiſſo, & ter triplicato: hoc facto ſinitur, vt aqua colata quieſcat in uitreo uaſe per quinque, uel ſex dies, & uidebitis, quod inſundo concreſcet, & colligetur ſedimentum quoddam, quod eſt ſubſtantia argenti ſublimati: quod ſedimentum ineptum eſt ad uſum, ideo accipiatis tantum partem aquæ lympidam, & relinquatis totum illud, quod eſt turbulentum, & hæc pars aquæ lympidiſſi-

ma

ma ſeruatur ad vſum, & in his officinis vocatur meo nomine aqua aluminis magiſtralis: qua aqua ego vtor variè temperata, nam non omnes ſunt æquè ſenſibiles,& nunc tempero lacte, nunc aqua ſolatri, nunc roſacea pura, pro ut occaſio ſeſe offert. Hac itaque aqua madefacio puſtulas, & tantum ei fido, vt ad nullum aliud deueniam, & certe optimum eſt medicamentum: hoc modo ſanamus puſtulas oris. Puſtulas autem alias cruſtoſas capitis, & faciei, vel totius corporis curamus varijs modis: abluimus caput lixinio ſupradicto ad defluuium pilorum, & inter abluendum vtimur ſapone Conſtantini; poſtea madefacimus puſtulas ſpuma illa, quam dicebam colligi, dum fit decoctum ligni, & ſeruari pro puſtulis, & infinitas puſtulas hac ſpuma ſanaui: nam ſpuma illa nihil aliud eſt, quam decoctum ligni mixtum cum eiuſdem ligni ſcobe, in quo medicamento maxima eſt vis ſiccandi. Vel vtor ſapone nigro admixto cum butyro, vel pinguedine anſeris, & hoc medicamento præcipuè vtor, quando puſtulæ ſunt nimis duræ, & compactæ cum pilis ita vt cruſtæ nequeant auelli ſine auulſione pilorum: tunc inungo puſtulas quotidie, & cadentibus cruſtis, madefacio vlcera ſpuma illa, vel poſt caſum cruſtarum impono vlceri præcipitatum optimè mixtum cum vnguento roſaceo Meſues, vel cum cerato roſato Galeni, vel alio ſimili, & optimè ſanatur vlcus; vel ſi non ſanatur ex vſu præcipitati, vtor aqua illa aluminis, qua vtebar in puſtulis palati & buccæ, & madefacio vlcera ipſa: tempero tamen aquam cum aliqua dictarum ſupra. Vel vtor aqua erodente, quæ da partir vocatur communi, vel facta cum chalcantho ſimplici, aut mixta cum roſacea, & tacta puſtula cum iſta, inungimus poſtea ipſam cum vnguento, cui mixtum ſit copioſum præcipitatum. Vel tandem, ſi non cedant his, venio ad trochiſcos Andronis, quos curo, vt parentur, & eos diſſoluo vino auſtero, vel vino granatorum, ita vt fiat veluti ſtrigmentum, vel ad mellis conſiſtentiam, & hoc medicamento inungo puſtulas ipſas poſt caſum cruſtarum, & certò ſanantur. Hæc eſt curatio puſtularum, quam curationem debetis diligenter obſeruare, quoniam puſtulæ iſtæ ſunt difficilimè ſanatu, & moleſtiſſimæ: ſanata puſtula ſi remanet veſtigium rubrum omphacio, & vua immatura, & lithargyrio extinguitur. In ſequenti de dolore articulorum.

Aliarũ puſtularũ curatio.

Trochiſci androns.

De doloribus Gallicis. *Cap.* *XLV.*

COntingunt etiam in morbo gallico dolores articulorum vehementiſſimi, qui dolores habent periodos, ita vt nullus ſit, qui continuato dolore doleat; nec dolores cum adſunt, ſunt ſemper æquò intenſi, ſed aliquando ſunt ſæuiſſimi, ita vt æger nequeat perferre; aliquando ſunt admodum leues, vt non rumpant ſomnum, nec quietem. Loca autem quæ ſolent doloribus his gallicis affligi, ſunt articuli, & internodia humerorum, dorſi, crurium, cubitorum, & reliquarum partium; ſed præcipuè dolere ſolent partes illæ, quæ continent tibias, quæ pars dicitur à Latinis crea, à Græcis autem antichnimion, & eſt pars tibiæ anterior, & excarnis, vbi ſolent fieri dolores vehementiſſimi ita, vt ego viderim duplicem caſum miſerandum, & vnus eſt cuiuſdam Monachi, qui præ dolore iſto præcipitem ſe dedit in puteum, & ſuffocatus eſt; alter præcipitem ſe egit ex feneſtra, & mortuus eſt, ratione horum dolorum gallicorum.

Magna vis doloris Gallici, & miſerãda.

Dolores autem ſunt profundi, ita vt æger dicat ſe pati dolorem in medullis capitis, vel alterius partis, vbi eſt dolor; tamen ſciatis quod dolor non eſt in medullis, nec in oſſibus; ſed pars, quæ dolet, eſt perioſtium, id eſt membrana veſtiens oſſa, quam Arabes vocant halmocatin, quæ membrana cuiuſcunque oſſis fuerit, habet ſenſum exquiſitiorem omnibus alijs partibus, exceptis neruis voluntarijs.

Dolor. eſt in mẽbranis.

Dolores autem, cum ſint periodici, neceſſario fiunt à materia, quæ ſtimulat, aut diſſoluit continuum ſua quantitate, vel qualitate; materiam autem credo eſſe duum generum, puto enim, quod vna ſit ſubſtantiæ halitioſæ; altera verò ſit humor: primùm de halitu dicamus: eſt vapor quidam craſſus, & feruens, qui cum quærat exitum, & illum non habeat, ſtimulat, vel diſſoluit continuum: humor autem qui facit etiam hunc dolorem eſt materia craſſa, & tenax, quæ partim generatur in membro dolente, partim aliunde tranſmittitur.

Cauſa dolorum.
Subſtantia halituoſa.
Humor.

Partes autem, quæ dolent, ſunt neruoſæ, quæ & ipſæ paſſæ ſunt aliquam debilitatem, ita vt rectè concoquere non poſſint proprium alimentum, nec probè diſcutere excrementa, quæ generant.

Omnia viſcera patiũtur excepto corde.

Quod autem partes neruoſæ patiantur aliquid ex hoc contagio, inde apparet, quod omnia etiam viſcera patiuntur in ſuo munere obeundo; nam hepar generat malum ſanguinem; ventriculus male concoquit cibum; cerebrum malè concoquit proprium alimentum; & vt vnico verbo dicam, omnia viſcera, & partes corporis, vno excepto corde, patiuntur aliquid in ſuo munere obeundo, ratione contagij Gallici: vnde oſſa, & neruoſæ partes omnes male concoquunt, nec poſſunt excrementa diſcutere. Cum itaque perioſtia non poſſint & ipſa rectè concoquere, nec excrementa diſcutere fit, vt excrementis illis retentis, & frigidis exiſtentibus flatuoſentur, & fiant dolores. Præterea hepar tranſmittit excrementa exuſta, & melancholica per vniuerſum corpus, quorum excrementorum portiones, quę deueniunt ad partes carnoſas, diſſipantur ob caliditatem; at portio illa, quæ deuenit ad partes laxas, & neruoſas, non poteſt concoqui, nec reſolui: ideo ob debilem calorem vertitur in vapores craſſos. Dixi quod dolores ſunt periodici: periodus autem iſta eſt duplex, vna quotidiana, altera longior: nam inuadent dolores iſti autumno, verbi gratia, vel vere, & perdurabunt duodecim, vel quindecim diebus; poſtea tota æſtate quieſcunt; adueniente poſtea iterum autumno, vel vere, redibunt, & durabunt pariter pluribus diebus: redeunt autem præcipuè in mutationibus temporum; hæc igitur eſt vna periodus; altera vero eſt, quod quando dolores iſti infeſtant illis duodecim, vel quindecim diebus, non tota die infeſtant; ſed ſolum cum incipit adueſperaſcere, & tota nocte intenſiſſimi perdurant, vſque ad crepuſculum: tunc enim incipiente apparere die, ceſſant; altera poſtea die æger ſtat ſine doloribus, ſed verſus veſperam redeunt & tota pariter nocte vſque ad crepuſculum perdurant: hæc eſt altera periodus.

Quomodo tempore inuadunt iſti dolores.

In nocte.

Cauſa periodorũ in doloribus.

Cauſa autem prioris periodi longioris eſt mutatio ambientis; in mutationibus enim temporum mutatur aer, qui immutat corpus, & humores: vere enim humores magis turgent; autumno etiam ſunt magis rebelles.

Cauſa ſecundi periodi breuioris eſt duplex: vna quidem eſt frigiditas ambientis, quæ ſtipat aliqualiter poros, & non ſinit malos illos vapores exire: & ideo extendunt tunicas illas, & ſoluunt continuum: hæc eſt vna cauſa cur dolores fiant potius noctu; altera eſt, quia humores mouentur ſecundum partes diei: nam poſt meridiem agitantur humores melancholici, hora autem pituitæ eſt nox: ideo verſus veſperam, & noctu agitatur humor melancholicus, & pituitoſus, ideoque fit dolor.

Cognoſcuntur dolores iſti præcipuè per has periodos: non credatis tamen, quod omnes dolores, qui noctu ſunt acerbi, ſint Gallici: nam & podagrici ex materia melancholica, & pituitoſa ſolent periodicare, & intenſiores fieri nocturna hora; ſed hoc intereſt, quod Gallici dolores intenduntur noctu, & in crepuſculis ceſſant, ita vt tota ferè die nullus percipiatur dolor; at in alijs doloribus fit, vt exacerbentur quidem noctu: ſed poſtea, & tota die etiam perdurant dolores, minus tamen intenſi.

Quomodo occurrendum iſti doloribus.

Decoctum ligni, vel ſalſæ periliæ.

Cognitis his doloribus Gallicis oportet ipſis occurrere, quod fiet tum per localia, tum per ea, quæ per os aſſumuntur, & remouent cauſam: inter alia, quæ cauſam reſecant, præcipuum habeo decoctum ligni, vel ſalſæ pariliæ, vel robuſtiſſima illa medicamenta ex hydrargyro; ſed potio guaiaci plurium dierum ſuperat certo hos dolores, & hæc eſt vera ratio curandi dolores iſtos; alia eſt ratio medicamentorum, vt exhibeamus ea, quæ robuſtiſſimè educant peccantes humores ex perioſtijs, atque ex toto corpore.

Hera diacolocynthidos.

Facta itaque præparatione corporis, ego familiariſſimè vtor hyera diacolocyntidos, & feliciſſimo ſemper cum ſucceſſu: Vtor etiam aliquando pilulis cochijs: nam veſperi quotidie ante cœnam per vnam horam exhibeo pilulam vnam ponderis vnius ſcrupuli, idque facio ſeptem, vel octo diebus continuatis, & vidi maximum iuuamentum.

Puluis ad dolores Gallicos.

Aliqui exhibent cum iure puluerem quendam robuſtiſſimum, quem puluerem iſti vocant puluerem ad dolores Gallicos, & educit robuſtiſſimè materias illas. Puluis autem eſt hic.

Rec. hermodactylorum.
turbith } an. ʒ iij.
diagridij ʒ ij. s.
gingiberis ʒ j.
maſtiches ʒ s.
zuccari ʒ vj.

Hæc miſcentur, tunduntur, & fit puluis: cuius doſis eſt à drachma vna vſque ad vnam cum

cum dimidia,& exhibetur cum iure pingui matutina hora, & experientia comprobatum
eſt,quod lenit dolores Gallicos. Sed ego fido magis hieræ diacolocyntidos, & decoctioni
guaiaci: his ſedabitis dolorem per remotionem cauſæ. Secundo mitigatur per localia: ſi *Localia.*
quidem,ſi in aliquo affectu,in his prçcipuè doloribus oportet,vt abundetis,& prç manibus
habeatis infinita medicamenta;quoniam vna vice imponetis vnum,& ſedabit optime do
lorem,ita quod tota nocte quieſcet æger;altera nocte idem imponetis,& nihil faciet;idem
dico & de alijs,ita vt dolores iſti exagitent non ſolum ægros, ſed etiam mirum in modum
medicos. Primum igitur experiamini,an poſſitis dolorem lenire per anodyna, de quibus
quando loquebar de ſedando dolore abunde dixi, nunc autem dicam ſolum quod fami- *Anodynũ.*
liariter,& cum optimo ſucceſſu vtor & eſt emplaſtrum factum ex pulnere chamomæli.fa-
rina fabacea,oleo chamomælino,& ſapa, quæ omnia miſceo in ſartagine ad ignem, & fa-
cio emplaſtrum molle, quod calidum ſuper impono. Aliquando etiam vtor ſacculo re-
pleto pluribus furfuribus,& ſale,& expertus ſum,quod valde confert. Soleo etiam accipere *Sacculus.*
folia roris marini puluerem,ſeu ſcobem guaiaci,folia lauri,ſaluiæ,& calamenthi, & om-
nia hæc coquo in lixiuio acri,& in hoc decocto infundo ſacculum plenum furfuribus, &
exprimo, & calidum impono. Aliquando capio ſpongiam, vel filtram, & madefacio in
decocto eodem & impono. Aliquando illa coquo non in lixiuio, ſed in aceto. Vtor etiam *Alia medi*
& alio medicamento:accipio folia ſambuci,contero,& miſceo cum larido admodum ſa- *camenta.*
lito.& addo multum ſulphuris,& facio emplaſtrum quo vti ſoleo maximo cum ſucceſſu:
ſed ſatisfaciet vna,vel duabus impoſitionibus;alia autem fortaſſe nihil faciet: ideo opòrtet
deuenire ad alia: Aliquando vtor aqua ardente: quæ tamen non ſit trium, vel quatuor co-
ctarum,ſed vnius,vel duarum tantum:his alternatim impoſitis, tentabitis ſedare dolores
hos difficilimos.

De Gummis Gallicis. Cap. XLVI.

DOlores Gallici ſolent declinare in gummata: nam poſt dolores ſo-
lent ſuperuenire tumores quidam duri, qui gummæ vulgo dicun-
tur:quibus tumoribus apertis, reperitur ſubſtantia, quæ habet cum
gummi ſimilitudinem; ideò tumores gummata ſunt appellata: &
quamuis tumores iſti gallici, qui circa perioſtia in locis vbi ante fuit
dolor, dicantur communi nomine gummata; tamen ſunt plurium
generum. Nam aliqui ſunt tofacei,& veluti oſſei.& hi erunt prima
ſpecies tumorum Gallicorum. Secunda ſpecies eſt eorum,qui in ſe *Varia gũ-*
continent materiam quandam larido ſimilem; vnde tumores hi poſſunt ſteatomata dici, *marũ ſpe-*
& hos tumores ſecundæ ſpeciei crebros admodum reperietis circa caput, & brachia; alios *cies.*
autem tofaceos circa crura. Tertio aliqui ſunt,qui pariter habent folliculum, in quo con-
tinetur materia ſimilis polentæ, vel melli, & hos poterimus vocare atheromata, vel me-
licerides.

Tumores autem hi, contineant quicquid velint, oriuntur omnes ex mala nutritione *Cauſa ho-*
partium, & ex tranſmiſſione humoris peccantis. Tofacei quidem fiunt ex feruore oſ- *rum tumo*
ſium, ex quo feruore gignitur excrementum; & quia oſſa generant porum oſſeum, vt *rum.*
patet in fracturis eorum, ideo & ex illo excremento, & ex materia ab hepate tranſmiſ-
ſa, & indurata ex feruore fiunt duri tumores. Si autem materia ſit humida, & veluti la-
ridum, fiunt tumores, qui ſunt veluti ſteatomata. Si adhuc ſit humidior fiunt alij, qui
ſunt veluti melicerides. Omnes tamen gignuntur ex tranſmiſſis excrementis ab hepate,
& alijs viſceribus, & ex illis excrementis, quæ generantur in parte affecta ob malam nu-
tritionem.

Sed quomodo cognoſcitur, quod tumores iſti ſint Gallici? dico quod tumor ille tofa- *Signũ, qđ*
ceus cognoſcitur, quia non præceſſit fractura oſſis, & ſcimus, quod in eo loco non fuit *ſint tumo-*
aliud incommodum, quo poterit gigni callus oſſeus. Cum ergo videtis adeſſe tumorem *res gallici.*
calloſum, & ſcitis, quod non præceſſit in ea parte fractura, nec aliud incommodum;
ſed præceſſere dolores Gallici, certi eritis, quod ille tumor eſt gumma Gallicum. Tu-
mores autem atheromaticos Gallicos à non Gallicis dignoſcetis,quia Gallicis præceſſere
ſigna morbi Gallici,vel etiam adeſt præſens infectio Gallica:hoc etiam modo cognoſcetis
melicerides,& ſteatomata.

Si igitur tofi adſint, non deſperetis de curatione, quia certo cedent: & vera, & certa *Curatio to*
eorum curatio eſt per decoctum ſalſæ pariliæ,quo ego breuiſſimo tempore diſcuſſi, & ab- *forum.*
ſumpſi tofos maximos,& duriſſimos,ita vt fuerit mirum,tanta eſt vis huius diuini medica
menti: ideo exhibeatis eius decoctum, & nihil aliud agatis:& ſi vnica exhibitione per tot

Digitized by Google

dies,quot dictum eſt ſupra,non ſanentur ex toto toſi,repetatur,& aſſumatur iterum decoctum alio tempore opportuno. Alij autem tumores ſanantur per medicamenta,quæ partim laxent,& emolliant, partim diſcutiant: vnde ego ſoleo ipſos tumores aliquando madefacere aqua vitæ, quia diſcutit: deinde accipio medullam leoninam, & gallinaceam, & ſimul miſceo, inungoque tumorem, & his emollio, & diſcutio tumorem, vtendo ipſis alternatim. Aliquando inungo oleo extracto vi ignis ex ſcobe guaiaci, vel ligni ſancti: ſed parum inungatis, & optimum eſt medicamentum. Soleo etiam imponere ceratum,quod emollit,concoquit & reſoluit,& eſt hoc.

Inunctiones.

Ceratum molliẽs, coquẽs, & reſoluens.

Rec. olei laurini }
maſticini } an. ℥ j.
chamomælini }
olei de euphorbio ʒ ij.
ammoniaci }
aſſæ fœtidæ } an ʒ j. ſ.
myrrhæ. ʒ j.
terebinthinæ. ℥ ij.
ceræ. q. ſ.

Miſce, & fiat ceratum, quod extenſum ſuper linteum imponatur ipſi tumori. Aliqui madefaciunt tumorem oleo ſulphuris temperato, ſed ſit benè temperatum. Sed ſi hi tumores non cedant his localibus,aperiatis ipſos cauſtico medicamento: nam ablata cruſta apparebit folliculus, quem auferetis cum materia contenta; non tamen tentetis ablationem, niſi per concoctionem, & non aperiatis hos ferro. Igitur cadente cruſta,imponatis medicamentum factum ex terebinthina, & maſtice ſimul mixtis,addita etiam myrrha,& ſyrupo roſaceo recenti,vel melle roſato:nam concoquet,& deterget: loco etiam terebinthinæ poteritis capere reſinam laricinam. Deterſo loco,& ablato folliculo,& materia,quę intus continebatur,explebitis vlcus carne,& obducetis cicatrice;ſi autem ſubtus ſit os corruptum,quid ſit agendum dicam in ſequenti.

Apertio ꝑ cauſtica medicamẽta.

De oſſium corruptione. Cap. XLVII.

SAnies,quæ gignitur in tumoribus Gallicis, aliquando eſt ita mala, vt erodat,& corrumpat oſſa,vel capitis,vel crurium,vel palati, vel aliarum partium: & aliquando magna pars, aliquando parua oſſis corrumpitur. Quæ autem ſit cauſa huius corruptelæ, iam dixi, quod eſt mala ſanies in tumoribus collecta. De ſignis etiam non oportet vt dicam,quoniam ad ſenſum, & ratione fœtoris, & aſperitatis in oſſe perceptę,apparet talis oſſium corruptela:ideo venio ad curationem. Si ergo oſſa crurium ſint corrupta, oportet os detegere, & quicquid ipſius corruptum eſt, ſcalpris auferre; quod vero ſcalpris nequit demi, ne corruptela procedat, exurendum eſt, vel ferro ignito, vel medicamento cauſtico, quod magis placet. Si autem os corruptum ſit in capite, & vlcus ſit amplum, ita vt poſſint aptari ſcalpri, illud abradetis, & hoc ſemper faciatis ſcalpris: nam citius curabitur locus, & vlcus explebitur optimè carne, & omnia melius ſuccedent; ſed ſi non detur locus ſcalpro, non ob id vtendum eſt ferro ignito, quia non tuta, immo periculoſa eſſet actio: quia ſi debeat recte exuri os, oportet vt ferueat, & ita communicari poſſet feruor intimis partibus, & poſſet fieri feruor membranarum cerebri,& fieri phreneſis,vel alia affectio mala. Et ideo vtamini medicamento poteſtate exurente: vnde ego ſoleo cotone madefacto in oleo ſulphuris, vel chalcanthi tangere os corruptum, vel madefacto aqua aluminis magiſtrali ſupra dicta; quamuis aqua minus aliquando ſiccet, quàm olea dicta: mox ſuperimponatis ceratum factum ex Euporbio: hoc modo per ſiccationem ſeparabitur os,quo concidente explebitis poſtea vlcus carne, & cicatrice obducetis cum vnguento de plumbo aut albo ex pipere Galeni. Sed notate quod aliquãdo tanta eſt malignitas morbi, quod corripit totum ſinciput, & aliquando etiam partem occipitis; & tota interdum caluaria corrumpitur,& aufertur: & hoc ego vidi primo in mea matertera,quæ à marito acceperat morbum gallicum; & ego ei abſtuli totam caluariam, & membrana tecta eſt quadam pellicula, & ſemper percipiebatur motus pulſantis menyngis. Habeo & plurima alia exempla, & hic, & alibi, & nobilium etiam hominum, quos nolo honoris gratia nominare; hoc tantum, volui dixiſſe,ut,ſi quando incideritis in aliquem,qui haberet totam caluariam corruptam

Cauſa corruptionis oſſium.

Curatio oſſiũ cruris.

Capitis.

Cauẽdũ à ferro ignito.

Oleum ſulphuris.

Mulieri ablata eſt tota caluaria.

ex

Digitized by Google

ex morbo gallico,detereamini; immò debetis eſſe audaces: nam & iſti ſanantur; ſed non requirunt violētiam vllam. Vidi,& habeo adhuc etiam vnum, cui corrupta eſt media pars maxillæ: ſi itaq; & maxillæ os ſit corruptum,exurati eo modo,quo dictū eſt vel abradatis. *Os maxillæ.* Aliquando corrumpitur os palati; quod pariter eſt detegendum, exurendumque aqua aluminis magiſtrali ſupra deſcripta,nunc magis,nunc minus temperata,vel cum oleo ſulphuphuris, aut chalcanthi; & ſemper in oſſibus capitis vtamini vſtione facta per medicamentum, non autem per ferrum candens. *Os palati.* In capite autem,ablato oſſe corrupto,imponetis vnguentum de plumbo ſupra membranam, vel vnguentum album ex pipere Galeni, quod ſiccat, & calefacit moderatè; ſed ego crebrius impono vnguentum diapompholigos. *In capite ſi ablatū ſit os, quid agendum.* Sed in corrupto oſſe palati notate vnum pulcherrimum, & multi momenti, & eſt, quod poſt caſum oſſis corrupti, & exuſti remanet fouea, quæ difficillimè expletur, & paucos reperi, qui ſciant eam explere; niſi autem expleatur, hæc ſequuntur incommoda: primò, quod æger non poteſt bibere, quin ſemper potus regurgitet in nares: ſecundò malè loquitur, nam loquitur voce ſonora, & videtur, quod loquatur naribus: ideo replenda eſt cauitas, quod certè eſt difficillimum: *Notādum in corrupto oſſe palati.* Ego tamen expleo optimè hoc modo: Vlcus eſt cauum, & rotundum,& obductum cicatrice,& ſubtus non eſt os,ſuper quod poſſit concreſcere caro: ideo oportet, vt primum paretis decoctum, quo continuo æger abluat ſibi os, & illud etiam in ore aliquantulum detineat, quod decoctum habeat vim regenerandæ carnis. *Modus replendi cauitatem in palato.*

Secundò in eo foramine debet continuò tenere aliquid,quod carnem gignat.

Tertiò oportet renouare vlcus, vt continuò poſſit gigni noua caro, & tandem expleri cauitas. Igitur, ſi foramen occalluerit, oportet callum auferre, & renouare vlcus, quod fiet ſi accipietis oleum ſulphuris purum, quod nihil habeat admixtum, & tangetis ipſo oſcula foraminis: *Renouatio vlceris.* quo fiet,vt in illis partibus primò gignatur cruſtula quędam,qua cadente renouatum erit vlcus: quo facto, parabitis ceratum, quod continuo poſſit manere in foramine illo,& ex eo cerato facietis veluti clauum,qui in vno apice ſit acutus,in altero habeat capitulum dilatatum, & in foramen inijcietis, & digito premetis ad ſuperiora, & inibi relinquetis; quo fiet primò, quod æger poterit bene loqui, & potus non regurgitabit in nares: ſecundò gignet carnem,quia continuò extrahet ſanguinem ex parte exulcerata, quæ concreſcet in carnem. Ceratum autem parabitis hoc modo:

Rec.gummi helemi } an. ℥ s.
ſuccini electi }
reſinæ pini colatæ ℥ j.
ceræ albæ ℥ s.
maſticis }
thuris } an. ʒ j. s.
myrrhæ }
olei roſati. q. s.

Hæc miſcentur, & fit medicamentum cerati ſubſtantia conſtans, & hoc ego ſemper vtor feliciſſimo cum ſucceſſu. Decoctum autem, quo ſæpe debet abluere os, eſt hoc.

Rec.radicum conſolidæ maioris }
pimpinellæ }
foliorum betonicæ } an. m. j.
radicum tormentillæ }
ſcobis guaiaci. ℥ ij.
thuris }
maſticis } an. ʒ ij.
myrrhę }

Miſce,& bulliant in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumptionem medietatis,deinde colantur & adduntur.

mellis roſacei. ℥ iij.

Hoc medicamento abluat ſæpe os, teneatque ipſum aliquando in ore: & hoc modo ſpatio triginta, vel quadraginta dierum, ego expleo foramen amplum ſatis, & difficillimum.

De Vlceribus gallicis: Cap. XLVIII.

SOlent & morbum gallicum conſequi vlcera quædam maligna per totum corpus ſerpentia, quæ dicuntur vlcera gallica, quæ aliquando habent adiunctos callos, aliquando corrupta oſſa, aliquando fiſtulas. Si habeant coniunctos callos, curatur eo modo, quo dixi eſſe curanda vlcera calloſa, de quibus ſupra habuiſtis; ſi fiſtulas, curantur, vt vlcera fiſtuloſa, de quibus etiam locuti ſumus; ſi os corruptum, iam habuiſtis curationem. Si verò vlcera nullum habeant dictorum adiunctum, ſed ſint ſimpliciſſima, nolintque ſanari oportet vt ego vobis tradam rationem curandi. Sed prius ſciatis, quod vlcera hæc oboriuntur in toto aliquando corpore, & ſunt rebellia; nunc tamen rarò accidunt, ſed primis illis temporibus, quibus cæpit vigere gallicus morbus, erant frequentiſſima, erantque ſæua, & magna in toto corpore ſerpentia. In his autem vlceribus malignis, & doloroſis curandis infinita poſſem vobis medicamenta proponere; ſed tradam tantum ea, quæ mihi ſunt familiaria in ipſis curandis; ſoleo igitur vlcera inungere hoc Vnguento.

Vnguentũ pro vlceribus.

Rec. axungiæ porcinæ, terebynthinæ } an. ℥ ij.
butyri recentis, olei liliorum alborum } an. ℥ j.
Mercurij, ideſt, hydrargyri ℥ s.
ſucci arantiorum, qua extinguitur hydrargyron ℥ vj. vel vij.

Extincto hydrargyro cum ſucco arantiorum, miſceto omnia in mortario, & fac vnguentum, quo inungantur vlcera: hoc ſæpe non facit, & ideo opus eſt venire ad validiora. Vnde ego accipio præcipitati multam quantitatem, & miſceo cum vnguento roſato Meſues, & expleo vlcera; deinde ſuperimpono hoc Ceratum.

Validius.

Rec. terebintinæ, reſinæ pini, olei roſacei } an. ℥ vj.
ceræ ℥ v.
pulueris betonicæ, matris ſyluæ } an. ℥ vij.

Infundantur omnia in quinque, vel ſex libras vini nigri, & dulcis per tres dies; deinde bulliant ad conſumptionem medietatis vini; poſtea coletur decoctum, & relinque vt refrigeſcat, & concreſcat materia in ſuperficie ſeparata à vino: quam materiam concretam accipe, & adde;

gummi elemi, ſarcocollæ, thuris, lithargyrij, ceruſæ } an. ℥ s.
argenti viui extincti ſucco arantiorum ℥ ij.

Hæc miſcentur, & fit ceratum, quod formatur in magdaleones, ſeu in trochiſcos, & ſeruatur; & tempore vſus extenditur ſupra linteum, & apponitur vlceri, vbicumque fuerit, & optimum eſt medicamentum. Optimum eſt etiam vnguentum Iſidis, & ſupra ponatur vnguentum diapompholygos, vel de tutia magiſtrale. Poſſem vobis tradere multa alia, quæ communia ſunt, vt decoctum ligni, & ſimilia, quæ cum communia ſint in gallico, neceſſe eſt ipſis vti antea, vt reſecetur radix; alioqui non ſanabuntur vlcera. Iam ſequeretur, vt agerem de impetigine, ſed omittam, quia egi ſuperius in curatione de ſcabie.

Vnguentũ Iſis.

De cephalæa etiam, quæ ſequitur gallicum, moleſtiſſima aliquando non agam, quoniam ſanato gallico, ceſſat & talis dolor capitis. Nec dicam aliquid de maraſmo, & febricula, quæ conſequitur interdum gallicum, quoniam horum curationem habebitis iam ab Excellentiſſimis his Practicis. Supereſt igitur vt agamus tantum de rimis illis moleſtiſſi-

mis,

mis,& contumacibus, quæ oriuntur in volis manuum, & in veſtigijs pedum, de quibus in ſequenti,& poſtea erit finis tractationis morbi gallici.

De Rimis,& Callis pedum ac manuum. Cap. XLIX.

CAllorum, & rimarum in morbo gallico contingentium in volis manuum, & veſtigijs pedum curatio ſuper eſt tradenda, & poſtea erit finis huius tractationis. De cephalæa autem gallica non loquar, quoniam curatur curato morbo, ad quem conſequitur per decoctum guaiaci. Maranus verò non poteſt curari. Dicamus igitur de rimis, ſeu callis, quod ſymptoma frequentiſſimè videbitis, præcipuè in ijs, qui ſunt habitus calidi, & humidi, habentque hepar calidius, & latas venas. Vlcus autem hoc incipit hoc modo: Oboritur vna, vel plures pustulæ in palma manuum, vel veſtigio pedum, quæ puſtulæ ſi tangantur, duræ ſunt, & coloris ſubrubri, ita, vt videantur potius calli quidam ſubrubri, quàm puſtulæ; cum, perdurauerint hæ puſtulæ octo, vel decem dies, incipiunt diſcindi, & rimoſæ fieri, quæ rimæ tenſim augentur, & ſerpunt, donec tota vola ſit obducta calloſiſsimis rimis. Symptoma hoc eſt moleſtum, diuturnum, graue, & curatu difficile, ſi quod aliud. Vnde non videatur vobis mirum, ſi tradam triplicem, vel quatruplicem ipſius curationem, vt ſi vna non cedat, alia poſſitis vti, & ſuperare hoc graue ſymptoma, quod vocabimus lichen calloſum, vel vlcus calloſum, vel rimas calloſas, quod non refert. Oriuntur autem rimoſa hæc vlcera ex iiſdem cauſis, quibus & alia vlcera: nam cùm in hepate fit exuſtio pituitæ genitæ in ventriculo, & attractæ, vel tranſmiſſæ ad hepar, & exuritur etiam bilis, miſcentur iſti humores, & fit pituita craſſa ſalſa, & tranſmiſſa ad volas manuum, & plantas pedum; inibi putreſcit, & excitat has rimas: & quamuis in principio ſoleant vlcera hæc fieri ex hac ſolum cauſa; tamen progreſſu temporis debilitatur adeo cutis illarum partium, & corrumpitur ipſius habitus, vt malè concoquat proprium alimentum: ideo gignitur excrementum ſimile, quod etiam eſt in cauſa talium rimarum; & ideo, qui laborant huiuſmodi rimis, ſi bibant vinum tenue, & potens, vel commedant aliquid, in quo ſint aromata, vel parum cæparum, vel alij ſtatim inflammato hepate, cum turgeat materia dicta, tranſmittit ipſam ad volas, & plantas, & auget rimas, adeo, vt ſit mirum, vel ſi ſanatæ iam ſint, reuiuiſcunt citiſſimè.

Quomodo rimæ oriantur.

Symptoma hoc graue eſt, & difficile.

Cauſa rimarum.

Curatio.

Curatio huius ſymptomatis difficillima eſt, vt dixi: ideo oportet incipere à communibus capitibus: lenienda enim eſt aluus, ſecanda vena, præparandus vterque humor peccans, reiteranda euacuatio, & alterandum eſt hepar. Pro alteratione autem hepatis exhibendum eſt decoctum ligni, ſed dilutiſſimum, quando adſunt iſtæ rimæ; non autem exhibeatis prægnans facultate illa ligni: nam multum obeſſet, ſed in hoc caſu præſtantiſſimum eſt decoctum Chinæ: quam cum non habeamus, mihi placet ſummopere, (& magis quàm decoctum ligni) ſalſæ pariliæ decoctum; quod tamen & ipſum ſit dilutum, ex cuius vſu plures vidi ſanatos ab his rimis; ſanatos dico ex toto, ita, vt non amplius redierint; non autem per aliquot dies: nam hoc facile fit, vt ſcilicet ſanentur per aliquot dies, ſed poſtea reuiuiſcant; ſed labor eſt ſanare ex toto, vt non amplius redeant tales rimæ: ad hoc oportet vt ſitis intenti, & hoc eſt difficile. Poſt vſum decocti ligni, vel ſalſæ deuenietis ad locum affectum, & ſi parua, recens, & mitis fuerit exulceratio, facilè ſuperabitur hoc modo: primò mandate, vt æger maceret manus, & pedes exulceratos in decocto, quod dicam; deinde ſiccentur panno, & inungantur medicamento, quod deſcribam: Decoctum autem eſt hoc.

Alteratio hepatis per decoctū ligni, & ſalſæ.

Si parua ſit vlceratio rimarū.

Rec. radicum altheæ
foliorum maluarum
uiolariæ
lapatij } an. m. ij.
Vervecis caput vnum
aquæ q. s.

Miſcentur omnia, & coquuntur ad capitis concoctionem integram; deinde colatur, & in hoc decocto bis in die, manè ſcilicet, & veſperi maceret æger manus, & pedes per horam, uel unam cum dimidia, uel per duas horas. Poſt macerationem ſiccentur panno, & inungantur rimoſa ulcera hoc medicamento.

Rec.

Rec. olei amygdalarum dulcium
rosati omphacini completi } an. ℥ j.
axungiæ porcinæ non ſalitæ
ceruſſæ lotæ, ℥ s:
ceræ albæ. q. s.

Alterum medicamentum validius.

Si rimæ ſint rebelliſſimæ.

Miſce pro vnguento, quo illiniantur rimæ, & hoc modo repetendo alternatim hæc duo ſæpe ſanantur talia vlcera calloſa, ſi recentia ſint, & mitia. Quod ſi leuis hæc medicatio non facit, veniaris ad hanc: macerentur manus, & pedes in eodem decocto, vt dictum eſt, & ſiccentur panno; deinde alio panno aſpero fricentur rimoſa vlcera tàm diu, donec exierit multum ſanguinis; poſtea capiatis aquam aluminis magiſtralem ſupra deſcriptam, & madefaciatis vlcera, & hoc faciatis mane ſingulo', & veſperi poſt macerationem, & ſiccationem; vel etiam ſufficiet ſemel tantum in die, & hoc modo ſæpe ſuperabitis callos duros, vetuſtaſque rimas; ſed non rebelliſſimas. Ideo ſi ſint rebelliſſimæ, faciatis hoc modo, maceretis primo pedes, ac manus in lixiuio communi; deinde accipiatis ſaponem nigrũ, quo purgantur panni lanei; & ſi non ſit mollis, emolliatis vos ſucco aranciorum, vel limonum, & veſperi, antèquam æger eat dormitum, inungatis optime per vnam, vel duas horas vlcera tali ſapone; deinde appoſitis caligulis quibuſdam lineis eat dormitum, & ſtet ſic tota nocte, mane adueniente, maceret optimè iterum manus & pedes per dimidiam vel integram horam in lixiuio communi, quo abluti ſunt panni, vt totus ille ſapo detergatur; poſt macerationem ſiccentur artus medicamento, quod dicam nunc, & hoc modo procedatis à principio vſque ad finem macerando artus lixiuio, mox obliniendo ſapone, & ſiccando; deinde inungendo vlcera medicamento, quod auferat malignitatem Gallicam, roboret, & ſanet vlcera, quod medicamentum eſt hoc.

Vnguentũ ad rimas.

Rec. olei roſati completi
butyri recentis } an. ℥ j.
ceruſſæ lotæ. ʒ ij.
terebinthinæ lotæ. ℥ s.
ſæui hircini. ʒ iij.
ſublimati optimè molliti, & cum ſucco limonum optimè præparati. ʒ s. vel aliquando ʒ j. ſi vultis medicamentum robuſtius.

Miſcentur omnia in mortario, liquefactis liquefaciendis, & fit vnguentum, quo inunguntur rimæ. Quod ſi nec huic cedunt, vtamini poſt vſum ſaponis, & macerationem in lixiuio, vt dictum eſt, vtamini, inquam, hoc alio vnguento validiori.

Vnguentũ validius.

Rec. ammoniaci præparati
galbani } an. ʒ j. s.
thuris
maſticis
ſtoracis ſiccæ
ceruſſæ } an. ʒ ij.
pinguedinis vrſi
taxi
ſuis
equi } an. ℥ j.
terebinthinę
reſinæ pini } an. ℥ j. s.
olei roſati completi
chamomælini } an. ℥ j.
auripigmenti ʒ j. s.
argenti viui, cum ſucco limonum extincti ℥ j.

Suffitus.

Liquantur eliquabilia, & tunduntur, quæ tundi poſſunt, & ſimul miſcentur in mortario; deinde additur hydrargyron, & piſtillo diducuntur omnia optimè ſimul, & fiunt paſtilli, quibus inunguntur vlcera, & optimum eſt medicamentum; vel addatis ceræ quantum ſat eſt, & ſimul mixtis, coquatis, & vltimo addatis hydrargyron ſucco limonum extinctum, & faciatis ceratum, & applicetis. Aliquando nec huic cedunt, ſed ſanabuntur per aliquot dies, deinde reuiuiſcent; & ideo ego coactus ſum ſæpe deuenire ad ſuffitus, quibus vſus ſum feliciſſimo cum ſucceſſu, ita vt ſolis ipſis ſanauerim multos à rebelliſſimis his

vlceribus

Digitized by Google

vlceribus. Suffitus autem ſunt illi, de quibus memini, cum agerem de curatione morbi gallici per ſuffitus, vbi dicebam, quod ſuffitus erat duum generum: vnum quidem benignum, quod propoſui multiplex; aliud venenatum, quo non audebam, nec audeo vti, per interiora ſcilicet vt attrahatur per nares, & palatum; ſed benè vtor in hoc caſu ad ſuperanda hæc vlcera. Et hic ſuffitus venenatus, quo vtor, eſt duum generum: vnus ſub forma pulueris, alter in paſtillos, vſus autem vtriuſque eſt poſt oblinitionem vlcerum cum ſapone nigro, & poſt macerationem in lixiuio dicto: nam poſtquam hæc acta ſunt, ego pono puluerem mediocri in quantitate vel trochiſcos ſupra carbones accenſos exiſtentes in ollula, & mando, vt æger teneat ſupra fumum manus, & pedis, & manus & pedes ſint tecti triplicato, vel quadruplicato linteo duro, vt artus ſudent, & ſiccabuntur vlcera, & cruſtæ & per ſe tandem concident. Primus autem ſuffitus eſt.

ſuffitorum forma pro manibus, et pedibus.

Rec. cinnabaris, ſeu cinnabrij dicti.
auripigmenti
ſandarachæ Græcorũ, quæ vocatur ab iſtis
arſenicum rubrum an. ℥ j.
præcipitati ℥ s.
ligni aloes, ſtyracis ſiccæ, belzuini, myrrhæ, gummi iuniperi, thuris. an. ʒ ij.

Hæc teruntur non in puluerem tenuem, ſed craſſiori forma, & miſcentur: cuius pulueris craſſioris ponitur modica portio ſupra carbones. Altera compoſitio ſuffitus in trochiſcos eſt talis.

Altera cõpoſitio ſuffitus.

Rec. cinnabrij
auripigmenti
ſandarachæ Græcorum } an. ℥ j.
præcipitati
argenti ſublimati ʒ ij.
ladani
thuris
maſticis
myrrhæ } an. ʒ iij
belzuini
ſtyracis ſiccæ
ſuccini

Hæc miſcentur, & teruntur, & cum ſufficienti quantitate ſtoracis liquidæ formatur maſſa; ex qua deinde fiunt trochiſci, qui ſiccantur & ſeruantur ad uſum. Aliquando ego uſus ſum trociſchis Andronis optimo cum ſucceſſu: accipio enim trochiſcos Andronis, & diſſoluo cum vino granatorum, vel defruto, ideſt ſapa, vel ſyrupo myrtino, vel melle roſaceo, vel ſucco ſolani, vel plantaginis; ſed libentius cum uino granatorum, diſſoluo inquam ad mellis conſiſtentiam; & hoc medicamento illino vlcera poſt uſum ſaponis nigri, & macerationem artuum in lexiuio: habetis iam curationem morbi gallici, & ſymptomatum, in qua curatione nihil habeo, quod uobis non communicarim. In ſequenti incipiam de ulceribus capitis, non quidem de omnibus, at de difficilioribus, & primo de Tinea.

Trochiſci Andronis

De Tinea vulgò dicta. Cap. L.

NIhil eſt communius tinea, ita uocato morbo capitis quodam, & nihil etiam eſt magis ignotum, quàm tinea ipſa, ita, ut pauciſſimi ſint ex ijs, qui ſcripſere, & ex his recentioribus chirurgis, qui tineæ eſſentiam cognouerint; ipſius tamen curationem docent omnes. Dixi nihil eſſe communius, quoniam tinea eſt proprius morbus plebis, & nobilium etiam; ſed præcipuè puerorum, & pauperum; tamen chirurgi noſtri omnes, quibuſdam exceptis, & qui ſcripſere, & alij, ignorant quid tinea ſit, & primò omnes ferè conſpirant in hanc opinionem, quod uariæ ſunt ſpecies tineæ, ut dicit Guido, confirmat Ioannes de Vigo, Haliabbas in octauo Theorices, cap. decimooctauo, & alij, & omnes deſcribunt has ſex ſpecies, & morbum hunc capitis, quem poſtea diſtinguunt in ſex ſpecies. Dicunt uocatum eſſe tineam

neam, eò, quod multum teneat:nam eſt morbus, qui cum arripuerit caput, difficilè pellitur,& diu perdurat; ſed ridicula hæc ſunt. Alij dicunt ideo morbum hunc uocatum eſſe tineam,eò quod corrodat,& perforet corium,ut tinea uermis ſolet perforare, & corrodere ligna.

Prima ſpecies, Tinea fauina.

Sed(ut cumque ſit,) prima ſpecies tineæ ſecundum iſtos barbaros Arabes, & recentiores eſt illa,quæ uocatur ab ipſis tinea fauina,à fauo mellis, cum quo dicunt habere ſimilitudinem : nam eſt genus quoddam tuberculi prominentis, & caui in ſummo, ita, ut uideatur fauum. Hunc morbum nouere antiqui Greci,nam Galenus ipſum deſcribit in primo de compoſitione medic. localium cap. octauo, & Paulus lib. tertio, cap. tertio, & uocant chirſon,ideſt cerium,& eſt fauoſum genus tumoris, quod habet in ſummo foramen, ex quo emanat materia uiſcida, & ueluti mel : unde tinea fauina , & chirſon Græcorum idem penitus morbus ſunt,& eſt genus exulcerati tumoris in capite oboriens,nec eſt tinea uulgarium , de qua nos loquimur.

Secunda ſpecies, Tinea ficoſa.

Alia ſpecies uocatur ab iſtis barbaris tinea ficoſa, quia habeat quædam ueluti grana contenta in ſe ſimilia granis,quę ſunt in ficubus,& eſt genus tuberculi: hunc morbum nouit Paulus loco citato,& ipſum uocat ſicon,ideſt ficoſam excreſcentiam; nec hæc eſt ſpecies noſtra communis,& uulgata tinea: nam hic morbus non eſt purum ulcus, ſed habet etiam adiunctum tumorem ; & tumor eſt rotundus durus, habetque ruborem in ſummitate cutis,quæ non ſunt in tinea.

Tertia ſpecies, Tinea humida, acores Græcorum.

Tertia ſpecies uocatur ab iſtis tinea humida, uel aquoſa, eò, quod effluat ex ipſa ichor quidam ſanguineus, & ſimilis loturæ carnis,& hæc tinea eſt genus tumoris,tuberculiuè, quod habet foramina minima, & adhuc minora,quàm habeat tinea fauina, ex quibus foraminibus exit ichor ille cruentus: de hoc morbo meminit Galenus in primo de compoſitione medic. per loca, cap. octauo, & Paulus lib.tertio,cap.tertio,& ab ipſis uocatur achor,quos achores iſti uocant etiam ulcera manantia, & uulgò lactumen, & mirum eſt , quomodo appellent vlcera manantia, cum ſit genus tumoris: Itaque tinea humida, vel aquoſa Barbarorum, & achores Græcorum idem penitus ſunt genus morbi.

Quarta ſpecies, Tinea vberoſa.

Quarta ſpecies vocatur à Barbaris tinea vberoſa à papilla, ſeu vberibus, eò, quod in tali tinea ſit tuberculum quoddam durum, rubeum in ſummo, ac prominens, in capite obortum, quod refert ſimilitudinem papillæ, ex quo tuberculo exit humor ſanguini ſimilis, de hoc morbo locutus eſt Paulus lib. tertio, cap. tertio,& uocat elchidria.

Quinta ſpecies Tinea lupinoſa.

Quinta ſpecies vocatur tinea lupinoſa,quia eſt genus tuberculi prominens,& rotundum,ac ſimile lupino: nam habet etiam ſuperficiem albam, veluti eſt extimus cortex lupinorum,& cruſta illa ſuperficialis concidit, vt cortex lupini. Species hæc tineæ Barbarorum vocatur à Galeno pſidrachion, & eſt genus tuberculi : ideo nec hæc eſt noſtra tinea.

Sexta ſpecies Tinea furfuroſa.

Sexta & vltima ſpecies vocatur ab Haliabbate, & ab alijs, qui ipſum ſunt ſecuti,tinea ſurfuroſa, & à Galeno pitiriaſis, hoc eſt, furfuratio & tali affectus uocantur furfures ex huiuſmodi enim affectu cadunt ſquammæ, ac furſures.

Nulla harum eſt Tinea noſtra cõmunis.

Tot ſunt ſpecies tineæ apud Barbaros Arabes,& Recentiores,ad nullam quarum reduci poteſt tinea hæc noſtra, etiam ſi ſit communiſſima,ita,vt nihil ſit communius: nam plurimi ſunt in qualibet ciuitate,& loco,qui laborant tinea hac,de qua agimus,& præcipuè mendici; tamen,vno excepto Gulielmo Placentino,nullus cognouit hanc tineam,ſed bene Gulielmus, qui & ipſam deſcripſit lib.primo cap.tertio,

Eſſentia vulgata Tinea.

& hæc noſtra vulgata tinea eſt huius naturæ, quod eſt vlcus non profundum,ſed ſuperficiale,ſemper cruſtoſum,niſi enim abluta, vel ablata ſit cruſta , ſemper adeſt vlceri ſuperpoſita: hæc eſt vna proprietas huius tineæ. Altera eſt, quod eſt vlcus , & non tumor. Tertia eſt , quod corrumpit pilorum radices, ita vt ſemper ſit in cauſa caſus pilorum. Quarta aliqua huius tineæ eſt ſemper ſicca,ita vt non habeat niſi corticem; alia eſt etiam humida,cortex poſtea eſt varius:nam in aliqua tinea eſt friabilis,& non compacta,nec ſolida; in aliqua eſt compacta,& robuſta,veluti cortex arboris:& ſeparata cruſta, vlcus apparet rubicundum.

Deſinitio.

Vnde dicamus, quod tinea communis, & vulgata, de qua nos loquimur, eſt vlcus in ſuperficie conſiſtens rubicundum, quando ſcilicet ablata eſt cruſta , habens ſuapte natura ſemper cruſtam ſuperpoſitam , vel friabilem , & furfuraceam , vel compactam,corrumpens vt plurimum pilorum radices,& eorum caſum inducens,ex quo vlcere aliquando emanat ſanies multa,aliquando nulla, vt penitus ſit tinea ſicca. Talis eſt natura tineæ communis,de qua agimus,& docebo vos curationem,quę difficilis eſt:

Cõtumax in morbus.

Nam morbus iſte eſt contumax,& moleſtiſſimus:nam præter alia relinquit homines depilatos, ita,vt non ſuboriantur poſtea pili. Hæc autem noſtra tinea vulgata non coincidit cum vlla illarum ſex ſpecierum . Sed dices hæc communis tinea eſtne deſcripta ab antiquis? Dico, quod ſic,nam Paulus eam nouit lib.tertio,cap.tertio,vbi vocat ipſam exanthemata & Galenus de hoc morbo facit mentionem,in primo de compoſitione medic. per loca, cap.nono,ſed clarius ipſum deſcribit Paulus, in quarto lib ſub nomine pſoræ, & lepræ. Nam debetis ſcire,quod hæc vulgata tinea oritur aliquando non ſolum in capite,ſed & in alijs partibus; vt plurimum tamen in capite propter ſordem in ipſo collectam. Si itaque videatis deſcriptionem pſoræ, & lepræ apud Græcos, & ſaphati apud Auicen. ſeptima fen. quarti.

Tra-

Tractatu tertio, capite primo videbitis, quod pſora, & lepra Pauli, ſaphatum Auicen. & tinea vulgaris vnus, & idem morbus ſunt. Sed notate, quod dico tineam vulgarem eſſe idem cum ſaphato, & lepra; ſed additus cum ſaphato, & lepra, & pſora orta non vbicumque; ſed in capite dumtaxat: & qui vocant hanc tineam lichenem cruſtoſam bene dicunt; male autem illi, qui volunt eſſe vnam ex illis ſex ſpeciebus tineæ. Eſt igitur tinea, de qua loquimur, vlcus in cute capitis præcipuè ortum, ſuperficiale, rubicundum, cruſtoſum ſemper; & cruſta, vel eſt furfuracea, vel corticoſa, quod vlcus vt plurimum generat defluuium pilorum, corrodens eorum radices, & eſt vel humidum, vel ſiccum: hæc eſt definitio.

Tinea vulgar. s. quæ apud Græcos, & Arabes.

Cauſæ autem huius vulgatæ tineæ variæ ſunt: nam aliquando oritur per contagium; aliquando negligentia miniſtrorum. Tertio propter cauſas aliquas internas.

Cauſa huius tineæ.

Per contagium quidem, vt quando communicatur indumentum capitis ab eo, qui infectus eſt, alteri; vel alia ratione, communicata mala illa ſanie, vt fit etiam ex decubitu in eodem lecto: morbus enim contagioſus eſt: & hinc eſt, quod in collegijs iſtis, vbi pueri multi manent, & in Xenodochijs plures videbitis pueros laborantes tinea: quia cum vnà ſemper ſint, alter inficit alterum; & ob id ſequeſtrandi eſſent. Altera cauſa, & potiſſima eſt ſordes in capite collecta, vt ſolet colligi ex negligentia matrum, quæ non abluunt caput ſuis pueris: nam cauſa materialis pediculorum, & efficiens tineæ, eſt fere eadem: ſcitis autem, quod niſi expurgetur, & mundum teneatur caput, generantur pediculi: ita etiam fit tinea ratione multi excrementi aggregati: vnde omnes, qui aliqualiter hoc notarunt, dicunt, quod tinea ſolet declinare ad morbum pedicularem; & aliquando pedicularis morbus declinat ad tineam, quia eadem eſt materia.

Contagiū.

Sordes in capite.

Alia eſt cauſa interna, & vera, & eſt excrementum genitum, vel in cute capitis, vel tranſmiſſum ab alijs partibus, & à toto: gignitur quidem in cute excrementum, vt fit per contagium, quia cutis infecta à ſanioſo illo corpore debilitatur, & malè concoquit, malèque nutritur, & ſic generat copioſum excrementum, quod retentum putreſcit, & tineam generat.

Excrementum genitum in capite, vel tranſmiſſū.

Sed qualis nam eſt iſta materia excrementoſa? Duplex, dicunt, quod eſt: vna tenuis, ita dicit Galenus, & eſt illa, quæ facit pruritum, & eſt materia bilioſa, amara, vel ſalſa, facit inquam pruritum talem, vt æger cogatur caput fricare: altera materia eſt craſſa, quæ generat cruſtam, & hæc vel eſt pituita craſſa, & ſalſa, vel eſt bilis aduſta, & in melancholiam verſa; vnde triplex eſt materia, vna bilioſa tenuis, quæ facit pruritum, & non cruſtas; altera eſt pituita craſſa, & ſalſa; tertia eſt melancholia aduſta.

Materia tineæ triplex.

Et ideo, ſi adſit copia pituitæ mixtæ cum bile tenui, cruſtæ apparent coloris ſubluteí, vel albi; ſi autem ſit mixta melancholia, ſunt nigræ.

Signa.

Cognita tinea per ſua ſigna, quæ ſunt cruſtæ, uel ſquamnæ, pruritus ingens, & capillorum caſus in locis dictis, cognita, inquam, per hæc ſigna, & per alia, quæ diximus, eſt curanda. In ipſa autem curanda, ſicut & in curandis alijs capitis affectibus ſimilibus, hæc capita vobis proponit Galenus.

Curatio.

Primum eſt, vt euacuetur materia, quæ eſt in cute, & facit tineam:

Indicationes.

Secundo oportet roborare cutim:

Tertio, ſi materia fluat ad caput ex toto corpore, vel ex viſcere aliquo, oportet auferre fluxionem talem:

Vltimo oportet vacuare etiam materiam, quæ eſt in capite, ſcilicet in cauitate ipſius. Prius tamen inchoandum eſt à purgatione. Sed antequam exhibeatis pharmaca purgantia oportet diſtinguere, & videre, an purgatio ſit neceſſaria, & tuto fieri poſſit, necne? Vt plurimum enim illi, qui laborant tinea ſunt pueri, antequam perueniant ad decimumquartum annum: pueri autem non facilè ferunt purgationem: Præterea multos ego ſanaui à tinea abſque purgatione.

Num purgatio conueniat.

Igitur videatis an materia fluat ex viſcere ad caput: ſi videbitis quod non, tunc non purgabitis, nam negotium habetur cum pueris; ſi verò fluat, vel à viſcere aliquo, vel à toto, monet Galenus, vt exhibeamus pharmacum; ſi uerò non fluat, ueniendum eſt ſtatim, dicit Galenus, ad localia, etiam ſi ſint ualidiſſima.

Et quia dixi materiam eſſe triplicem; ideo oportet unamquamque euacuare: unde Galenus exhibebat ſuas cochias; ſi æger poſſet eas ferre, ego exhiberem, lenita tamen prius aluo, & præparata materia; quod ſi non poſſit perferre cochias Galeni, ego exhibeo turbith cum gingibere condito, uel cum ſaccaro, uel cum diacitonite, uel eodem modo exhibeo parum ſcammonij: nam hoc modo optimè accipiunt medicamenta ipſi pueri, & euacuantur;

Euacuatio totius.

S Si

Si vero adſit humor melancholicus, exhibeatis parum ſenæ, vel epithymi pulverizati cum diacitonite, vel alio ſimili: Et ſi puer ſit adultior poteritis exhibere cochias Galeni, vel cochias Raſis: At ſi peccet humor melancholicus, poteritis etiam exhibere cochias cum veratro.

Euacuatio capitis. Facta euacuatione totius, euacuetur caput maſticatorijs, faciendo, vt puer bis in die, mane, & veſperi, per vnam horam, ventriculo vacuo, mandat maſticem, vel aliud ſimile. Facta purgatione totius, & capitis, vel ea omiſſa, quando videbitur non eſſe neceſſaria, veniendum eſt ad locum affectum, in quo primo remouenda ſunt impedimenta.

Secundo auferenda, & euocanda eſt materia imbibita in corio:

Impedimēta ſunt auferenda. Tertio ſanandus eſt locus; Impedimenta autem ſunt capilli ipſi, ideo neceſſe eſt eos primum auferre; alioqui non poſſemus applicare vnguenta, nec inunctiones, nec auferre cruſtas.

Sed ante euulſionem capillorum remouenda eſt cruſta, inungendo ipſam aliquo emolliente: nam ipſa per ſe poſtea cadet. Quo facto auferendi ſunt capilli, quod fecere antiqui, & faciunt etiam recentiores. Sed qua arte, & modo auferendi ſunt capilli? Antiqui auferebant abradendo tantum eos; alij auferunt medicamento pſilothro dicto quod habetur in ſtufis, & fit ex auripigmento, & lixiuio, diciturque vulgo Scorano, & *Quomodo auferendi capilli.* imponitur ſupra capillos, vel alios pilos; & ſpatio mediæ, vel integræ horæ facit cadere pilos. Sed nullus iſtorum modorum placet: nam ſi capilli abradantur: cito renaſcuntur: vnde oportebit continuò habere nouaculam in manu: pariter ſi pſilothro auferantur, cum capilli ſint duriſſimi omnium partium, quæ ſunt in humano corpore, cum ſuborientur, corrodent corium: præterea non eſt tutus penitus vſus pſilothri.

Vnde recentiores auferunt capillos volſella, vel pileo, quem vocant capelletto vulgò illinito in interna facie p ce: volſella autem eſt organum illud, quo mulieres vtuntur ad depilandam frontem, & ſupercilia: hoc itaque organo auferunt, & euellunt pilos.

Et ratio, cur euellendi ſint, dicunt aliqui ineptiores, eſt quia capilli in parte affecta exiſtentes mali ſunt, & habent radices turgentes mala illa materia; ſed mentiuntur, nam ratio cur ſint euellendi, nulla alia eſt, quàm ne ſint impedimento: nam ſummoperè ſolent impedire.

Verùm notate, quòd ſi multi capilli eſſent volſella auferendi, vt quando totum caput eſt tinea infectum, tunc longo tempore poſſent omnes euelli: ideo recentiores faciunt pileum hoc modo:

Pileus euulſorius. Nouiſtis telam illam, quæ vulgò dicitur fuſtagno, & eſt partim facta ex filo lineo, partim ex filo cotonis, & in vna facie talis tela eſt aliqualiter piloſa in altera caret pilis: huius telæ accipiatis quantitatem opportunam, & ſufficientem; deinde capiatis picem nigram, liquefaciatis & ipſam, deinde extendatis ſupra telam dictam in facie illa piloſa; deinde ſecabitis telam in fruſta illius figuræ, quam habet folium illius herbæ, quæ vocatur lingua canina, & eſt figura eadem, quam habet radium textorium; & hæc fruſta facietis ita longa, vt ab vna parte capitis deueniant ad alteram oppoſitam, vt verbi gratia, à margine vnius temporis, vſque ad marginem, & terminum alterius, ita vt tegat partem, in qua eſt tinea; & fruſta hæc erunt oblonga tendentia in acutiem aliquam in ſummitatibus, & in medio lata; deinde calefacietis aliqualiter fruſta hæc telæ in facie illa, vbi eſt pix, & imponetis ſupra affectam partem, donec totum caput tinea correptum, & depilandum tegatur: & has telas relinquetis in loco vnam, vel duas, vel tres dies; donec capilli optimè hæſerint; poſtea ſenſim quadam violentia auferetis ſplenia hæc, & ſimul cum ipſis ſequentur capilli: & ſi pauci relinquentur, non renouabitis ſplenia cum pice illinita, ſed volſella illos euelletis; ſi vero remanſerint multi, renouabitis telas.

Euacuatio cutis. Extractis capillis, euacuanda eſt materia illa ex cute, & partim eſt ſiccanda, partim digerenda, partim repellenda: & ideo vtemini digerentibus, attenuantibus, & incidentibus (quia materia eſt craſſa) ſiccantibus, & aliqualiter repellentibus, ne tanta fiat fluxio ad cutim.

In his autem medicamentis eligendis recentiores diſtinguunt de tinea humida, & ſicca: ſi enim ſit ſicca, oportet, inquiunt, vti aliquot humectantibus, emollientibus, & relaxantibus; in reliquis poſtea eadem eſt curatio, quæ & in ſicca & in humida conuenit.

Medicamentū ad cruſtas mollendas, & attenuandas. Primo igitur inungatis tribus, vel quatuor diebus cruſtas medicamento quod emolliat, laxet, attenuet aliqualiter, & digerat, quale eſt hoc.

Rec.

Digitized by Google

Rec. pinguedinis gallinæ
anſeris
vrſinæ
ſeui hircini
pinguedinis ex tenibus vetuecis, ideſt caſtrati vulgò dicti.
butyri vetuſti. an ℥ s.
croci ℈ ij
olei liliorum alborum } an. ʒ ij.
laurini

Miſce, & hoc inungatur tinea ſicca bis in die, mane, & veſperi per tres, vel quatuor dies: quo fit, vt cruſtæ molliantur, & concidant, & laxior fiet cutis, & ideo facilius materia euocati poterit, materia, inquam, fixa & imbuta in cute. Poſt hanc inunctionem trium, vel quatuor dierum incumbendum euocationi materiæ imbutæ in corio, quæ facit tineam, quod fict abluendo caput. *Euocatio materiæ q̄ eſt cauſa tineæ.*

Secundo per ſcarificationem, & eductionem ſanguinis.

Tertio per inunctum medicamentum. Itaque abluatur caput aliquo, quod habeat vim euocandi materiam illam, & moderatè digerat, & attenuet, cuiuſmodi eſt decoctum hoc:

Medicamentū euocans, degerens, & attenuans.

Rec. florum meliloti
camomillæ
fumiterræ
foliorū maluarū.
radicum altheæ
lapatij
cucumeris aſinini
cyclaminis
foliorum, & radicum chelidoniæ maioris. an. m. j.
ſeminum lini } an. ℥ j.
fenu græci
lixiuij dulcioris. q. s.

Hæc miſcentur, & fit decoctio, qua calidiore per integram horam abluitur optimè caput, deinde fricetur cutis optimè, ita vt rubra reddatur, poſtea eam ſcarificetis, ideſt, phlebotomo cutim affectam multis in locis pungatis ſatis profundè; aliqui ſolent etiam apponere hirudines; quod non placet, quia numquam poſtea ceſſat fluxio aliqua ſanguinis: Cum ergo fuerit egreſſus ſanguis, abluatur iterum caput eodem decocto, ſed abluatur breuiori tempore, quam per vnam horam. *Scarificatio cutis.*

Tertiò fricate optimè corium affectum medicamento aliquo, quod habeat maximam vim attenuandi, ſiccandi, & digerendi: medicamenta autem hæc, quibus fricamus caput, ſunt varia: nam aliquando fricamus ſale nitro mixto cum oxymelite. *Medicamēta fricātia caput.*

vt Rec ſalis nitri. ℥ j.
oxymellis. ʒ j. s.

Miſce in mortario, & hoc optimè fricetur caput. Aliquando fricamus cum alumine fecis, vel fece vini exuſta, atque aceto diſſoluta, in quo aceto madefacimus linteum, & ipſo fricamus cutim. Vel capiatis ſquillam, tundatis in mortario optimè, deinde addatis parum ſalis candidi, & parum aceti, & miſceatis optimè; deinde hoc medicamento fricetis cutim. Vel capiatis ſalem candidum purum, & ei addatis acetum, & hoc fricetis cutim. Vel ſi ruſticus æger ſit, fricetis allio contuſo inter duos lapides, vel aſcalonitibus cæpis, vel cæpis communioribus, vel ſemine ſinapis, vel alijs acerrimis medicamentis: & per hanc frictionem, euocabitur tota materia.

Et hæc, ſcilicet, ablutio, ſcarificatio, & fricatio ſunt facienda vnico mane, ordinatìm, vnum poſt aliud; & non ſolum hæc tria tantum; ſed etiam poſt fricationem abluendum eſt iterum caput eodem modo, eodemque decocto; deinde ſiccandum eſt caput panno, & inungenda cutis medicamento illo dicto nuper, quod fit ex pinguedinibus, & inungetis ter in die ſpatio trium, vel quatuor dierum.

S 2 Peractis

Peractis quatuor diebus, videbitis quomodo ſtet cutis, quam ſi videbitis eſſe mundam & non ſuperueniſſe furfures, nec cruſtam aliquam, indicium eſt, quod ſuperatus eſt morbus; ſi verò cutis fœtida ſit, & ad huc ſuperereuerint aliquot cruſtæ, vel furfures, ſignum eſt, quod non ceſſauit morbus ex toto: ideo iterum eſt abluenda cutis eodem decocto, fricanda eodem medicamento, & inungenda, vt dictum eſt:

Poſt ſanatione quid agendum. Et poſt tres, vel quatuor dies iterum inſpicienda eſt, an ſit munda, nec ne, & tamdiu hoc modo eſt perſeuerandum, donec cutis apparuerit optimè munda: nam tunc ſanatus, & ſuperatus erit morbus. Poſt ſanationem oportet per aliquot dies inungere cutim aliquo medicamento, quod confirmet ſanationem, & faciat ad capillos regignendos, quale eſt hoc.

Rec. pinguedinis ſuillæ ſalilæ, ideſt laridi porcini
olei ſeminum lini
laurini } an. ℥ s
mellis deſpumati. ℥ j. s.
myrrhæ. ʒ j. s.
cineris chelidoniæ, & ſabinæ. q. s.

Capiatis folia chelidoniæ & ſabinæ ſiccata, exuratis, & colligatis cinerem, & illo vtamini. Teritur laridum, deinde adduntur alia, & ea cineris dicti quantitas, quæ ſufficit: & ſimul mixtis omnibus fit medicamentum, quo inungitur cutis per aliquot dies, & ex toto ſanatur tinea, & regenerabuntur pili. Vel vtamini hoc alio longè præſtantiore, quod melius corriget cutim, & reducet eam in priſtinum, & eſt.

Optimum medicamentum. Rec. oculorum ſeu gemmarum populi
foliorum ſabinæ } an. m. j.
laridi veteris ſaliti lib. j s
olei laurini. ℥ j. s.
ſalis. ʒ j

Hæc teruntur optimè, & macerantur ſimul mixta per tres dies, deinde adde
aceti acerrimi, & tam acris, quàm fieri poteſt. lib. j.
ceræ ℥ j. s.

Hæc miſcentur ſimul omnia, & bulliunt ad conſumptionem aceti, deinde colantur, & ſeruatur vnguentum ad vſum hunc: & vidi ego veluti miracula ex hoc medicamento poſt ſcarificationem, & fricationem, euocationemque materiæ ex cute.

Oleum de Viperis, an floris, ad reſtaurandã cutim. Et ſi opus ſit validiori medicamento, recurro ad meum oleum de viperis: reperi enim quod nullum medicamentum melius eo confirmat ſanationem, & reſtituit cutim ad integrum in ipſa tinea:

Cauendum ab hydrargyro in partibus ſuperioribus. Capio ergo oleum viperinum, & cum eo miſceo ſæuum hircinum, & inungo cutim tribus, aut quatuor diebus optimo cum ſucceſſu. Sed notate, quod in medicamentis ad tineam iſti ſolent, & præcipuè nebulones, imponere hydrargyron; vos autem caueatis ab hydrargyro in partibus ſuperioribus, & caueatis ex præcepto non ſolum meo; ſed & antiquorum Arabum, & multorum etiam Recentiorum. nam ſolet hydrargyron facere tumorem capitis totius, poſt quem tumorem vidi ego ægros relictos fuiſſe ore in torto.

Trochiſci ex charta combuſta. Notate tamen, quod licet tinea ſanetur ea ratione curandi, qua dixi; tamen aliquando eſt adeo antiquata, & rebellis, quod non cedit curationi traditæ: ideo antiqui tunc imponebant trochiſcos diacharta, id eſt charta combuſta, quos habetis deſcriptos à Galeno in libro de compoſitione medicamentorum, per genera, & ab omnibus alijs Græcis, & ſunt medicamentum robuſtiſſimum. Si ergo medicamentis dictis non cedat morbus, accipiatis hos trochiſcos, diſſoluatis aceto, & illinatis cutim. Sed iſti recentiores cum ignorent vſum horum trochiſcorum, deueniunt ad veſicatorium validum, quod & mihi valde

Veſicatorium validum. placet in rebelli tinea, & certè vſus eſt cum optimo ſucceſſu: nam veſicatorium euacuat totam materiam impactam cuti; nec peruenit multum ad profundum: & quamuis multa proponantur veſicatoria, tamen ego proponam vobis vnum, quo vtor, & eſt mediocre: deſcriptio eſt hæc.

Rec. cantharidum ʒ ij.
ſulphuris ʒ j.
corticum nucum viridium ℥ ij.

ſinapis

ſinapis
myrrhæ } an. ʒ j.
mellis
aceti } an. q. s

Sed notate, quod in hoc caſu ego accipio cantharides integras, cum alis, capite, & omnibus, actus authoritate Galeni, licet omnes alij velint, quod accipiantur ſine alis, & capite.

Cantharides integræ ſumendæ.

Secundo notate, quod ſi non haberetis putamina illa iuglandium, accipiatis eorum loco folia, & radices chelidonij maioris: Hæc miſcentur, & tunduntur optimè; deinde imponitur medicamentum extenſum ſupra folia caulium, & applicatur capiti, & inibi relinquitur per ſex, vel duodecim horas, vel etiam per integram diem, ſi æger non perſentiat calorem, & non fiat prius cutis rubicunda: Cum videbitis quod corium eſt rubicundum redditum, auferatis, quia ſuperueniunt puſtulæ, & verrucæ, quas perforabitis, & educetis totam illam aquam, & ſuperponetis folia betæ, vel braſſicæ duplicata, vel triplicata, vel quadruplicata, & ſic educetur copioſa aqua. Quo facto vtamini medicamento illo ſupra dicto, in quo recipiebantur oculi populi, vel altero ex cineribus inungendo cutim: & hoc modo ſanabitis tineam ſiccam.

Si autem ſit tinea humida eadem eſt curatio, & variat ſolum in hoc, quod non requiritur hic pingue illud medicamentum ad emolliendas cruſtas; ideo ipſum omittetis, & antèquam veniatis ad ſcarificationes, & ad alia remedia valida, tentate, an leuioribus poſſitis tineam ſanare. Ego enim aliquando ſanaui ſolis trochiſcis Andronis, vel Paſionis aceto diſſolutis; & poſt ablutionem capitis, cum decocto ſuperius dicto, oblinitis: aliquando ſanaui terra figulina, cum qua admiſcebam acetum, & ſquammam ferri, & hac terra obliniebam cutim. Quod ſi non cedat his leuioribus, deueniatis ad ſcarificationes, & ad alia dicta remedia. Iam omitto tineam ſauinam, & alias deſcriptas ab iſtis; quoniam ſunt potius pertractandæ inter tumores, de quibus anno ſequenti: Omitto etiam alia ulcera capitis, quoniam nullum eſt, quod faciat difficultatem præter tineam: ideo in ſequenti agam de vlceribus aurium cum vermibus, & ſine vermibus; deinde ueniam ad ulcera oculorum, & ad reliqua.

Si ſit tinea humida.

De aurium humiditate. Cap. L I.

EX Auribus emanat aliquando ſanies ſeroſa, & tenuis, quæ nullum puris veſtigium in ſe continet, & ſine ulcere aliquo in aure exiſtente, cum tamen ex ſanie emanante uideatur quod ulcus adſit: talis ſaniei manatio, cui facilè ſuccedit exulceratio, uocatur ab iſtis Aurium humiditas, quæ requirit curationem, & eſt propria affectio puerulorum: raro enim reperietis puerulos qui (niſi laborent lactumine) non patiantur aliquod defluuium ſimile ad aures: cerebrum enim expurgatur per illas partes: nam & aures ſunt inter cerebri emiſſaria; ſed accidit etiam hoc aliquando in adultis ob copiam catarrhi à capite.

Aures ſũt cerebri emiſſaria.

Cognoſcitur autem, quod in tali manatione non adeſt ulcus in aure, primo, quia materia, quæ egreditur nullum habet fœtorem.

Secundo, ſi imponatur coto ſupra ſpecillum, & inijciatur in aurem nihil cruenti egreditur, nec remanet in goſſipio.

Tertio nullus adeſt dolor per contactum, quæ omnino indicant puram humiditatem aurium ſine ulcere. Accidunt autem manationes iſtæ aurium in pueris; dum expurgatur caput eorum ab excremento lactis, uel ſanguinis menſtrui cerebro ipſo tranſmittente ad aures ſuum excrementum ſeroſum, & frigidum; uel fiunt in adultis, quando cerebrum eſt prętermodum frigidum redditum.

Num in aure ſit vlcus quomodo cognoſcitur.

Cum ergo accidit, ut aliquis laboret hac aurium humiditate quid agendum? Aetius in 6. lib. c. 81. ſolebat hos affectus curare inſtillando, atque inſpergendo in aures, ea, quæ robuſtè ſiccant, & aſtringunt: nam inſpergebat gallas, miſy, alumen, & ſimilia, uſta tamen: quæ curatio non placet, non quia medicamenta, quibus utitur, non ſint ſatis bona; ſed quia indeterminatè, & ſine diſtinctione proponuntur ab Aetio, nulla addita exceptione ætatum, nec eorum, qui non ſunt curandi ab hac Aurium humiditate, quales ſunt infantes. Ego enim ſemper fui huius opinionis, quod infantes cum laborant his humiditatibus nullo modo ſint curandi, nec quicquam ſit agendum

Curatio.

Aetij curatio non placet.

Infantes nõ ſunt curandi.

dum,& tentandum,quod poſſit cohibere tale defluuium: nam ego vidi pueruloſ,quĩ ex ſanatione harum humiditatum inciderunt poſt ſanationem in affectus oculorum peſſimos atque in deſtillationem,& tuſſim grauem admodum. Non placet etiam hæc curatio,quæ non ſolum eſt Aetij; verum etiam Pauli in primo libro,capite duodecimo, quoniam nullam habet rationem communium capitum. Præterea non placet, quia nihil dicit de adultis eadem hac humiditate laborantibus. Eſto igitur, quod ſit aliquis adultus laborans hac affectione ex intemperie cerebri prætermodum frigida, & humida, quid agendum? profecto aggredienda eſt curatio, quia in adultis periculum eſt, ne excretioni talis ſaniei ſuccedat vlcus. Et ideo primo leniatur vlcus communibus illis lenientibus; & ſecetur vena, ſi videbitur opus; deinde præparetur humor, tum pituitoſus,tum ſalſus.

Cura adultorum.

Tertio purgentur tales humores medicamentis, quæ habent agaricum, & colocynthida, ſi æger ferat: Poſtea inſtituatur recta victus ratio; immo à principio eſt inſtituenda. His peractis, purgetur optimè caput apophlegmatiſmis, vt mandendo maſtichem, pyretri radicem, & conſimilia: atque gargariſmatibus, vt gargarizando decoctum paſſularum, caricarum, hyſſopi, calamenthi, & pulegij: quæ omnia coquantur in aqua; & facto decocto, ipſo vtatur. Attrahat etiam per nares ſuccum ſampluci, ideſt maioranæ vulgò dictæ, vel radicis cyclaminis, vel ſuccum betæ, &c: Purgato optimè capite, deuenietis ad locum affectum, & tunc laudo (peractis prius ijs, quæ dicta ſunt) laudo, inquam, medicamenta propoſita ab Aetio, & ſunt gallæ miſy, mali corium, alumen: addatis vos aloem, & myrrham: quæ omnia ſi erunt combuſta, erunt adhuc præſtantiora: conueniunt etiam flores balauſtij. Capiatis igitur iſta, & colloceris in linteolo; & facto faſciculo,comburatur linteolum vna cum contentis, poſtea capiatis linteolum, & reliqua combuſta, & faciatis puluerem, & per fiſtulam inſpergatur in aurem, & erit tutum, & commodum medicamentum. Poteritis etiam ex his, & ſimilibus parare liquorem, & inſtillare; Antiqui tamen inſpergebant, ſeu inſufflabant tantum pulueres,quod mihi magis placet: nam cum tota membrana auris ſit humida reddita, & ab ea reſudet ſanies, fit vt puluis adhæreat, & ſic vis medicamenti diutius permanet in loco, & magis agit, quod non ſit ſi liquor aliquis inſtilletur, quia prærerlabitur. Verum non ſat eſt inſpergere puluerem per arundinem, vel inſtillare liquorem aliquem; ſed oportet etiam, vt meatus auditorius teneatur expurgatus, & mundus, quod fiet, ſi infundatur decoctum aliquod, quod habeat vim detergendi, & ſiccandi: vnde cum bis in die fuerit iniectus, ſeu inſufflatus puluis per duas dies, tertia die inijcietis decoctum per clyſterem paruum. Puluis autem inſufflandus eſt hic.

Purgatio capitis. Apophlegmatiſmi, & gargariſmi. Naſalia. Ad locum affectum. Puluis inſufflandus in aurem.

Rec. gallarum
mali corij
aloes
myrrhæ } an. ʒ j
aluminis. ℈ ij.

Hæc colligantur in linteo,& fiat faſciculus,qui comburatur vnà cum contentis, & facto deinde puluere ex omnibus, inſuffletur. Decoctum autem inijciendum,eſt hoc.

Decoctum expurgans.

Rec. foliorum abſynthij
roſarum
ſcabioſæ
agrimoniæ
betonicæ } an. m. ſ
gallarum
radicum tormentillæ } an. ℥ ſ
vini albi. q. s.

Miſce, & fiat decoctio. Hoc modo ſoleo ſanare humiditates ſtillantes ex auribus in adultis.

In infantibus autem nunquam tentetis ſanationem,inſtent, quantum velint mulieres, vt ſolent, quoniam volunt puerulos decoros, & eo magis inſtant, & moleſtant medicos, quia ſanies emanans ſolet habere aliquem fœtorem, tamen dicant, quicquid velint, nunquam tentetis cohibere talem fluxionem, ſed ſat erit quotidie aures detergere cotone in acie ſpecilli poſito, & madefacto aliquo liquore, quod habeat uim detergendi, & ſiccandi moderatam, vt eſt vinum mulſum, addito pauco croco, & eſt medicamentum Pauli, vel capiatis lotium pueri purum,& in eo madefacietis cotonem,& detergetis optime aurem

Pro puerulis.

uel

Digitized by Google

vel caplatis mel, aut mel roſaceum cui admiſceatis decoctum betonicæ, & erit optimum: aliquando, vt mulieres habeant medicamentum præ manibus ſemper paratum, conficio liquorem hoc modo.

Rec. mellis crudi } an. lib. j.
vrinæ pueri }
myrrhæ puluerizatę ℥ ij.

Extrahatur liquor per elambich, quo madefaciat cotonem, & detergatur meatus auditorius, ſed non tentetis quæſo vt dixi colubere fluxionem talis ſaniei, alioqui ſequerentur incommoda multa, & grauiſſima.

De Aurium vlceribus. Cap. LII.

HVmiditatibus manantibus ex meatu auditorio ſolent ſæpe ſuccedere vlcera, quæ aliquando ſunt ſimpliciſſima, ita vt nihil habeant adiunctum, aliquando ſunt cum vermibus ſupercreſcentibus, qui faciunt dolores ſatis intenſos; aliquando fiunt vlcera cum carne ſuper creſcente; aliquando etiam cum corruptione oſſis. Igitur vlcera oborientia in meatu auditorio videntur eſſe quatuor generum. Quorum vlcerum cauſæ, aliquando ſolent eſſe deſtillationes ſanierum dictarum, vel catarrhi, vel expurgamenti cerebri, vt in puerulis, quia excrementa illa cerebri ſunt acria, vel ſalſa ita, vt erodant. Aliquando cauſa talium vlcerum eſt inflatio, ſeu tuberculum obortum vel ex contuſione, vel criſi facta à natura, quod tuberculum cùm ſuppuratur, & diſrumpitur relinquit inibi vlcus, & frequenter aurium vlcera fiunt ab huiuſmodi tuberculis diſruptis. Tertio fiunt ab extrinſecis, vt quando concidit aliquid durum in meatum auditorium, vt cùm aliquis nebulo, vel tonſor ineptus vult illud corpus extrahere, fit, vt, cùm violenter rem agat, exulceret partes illas. Tria ergo ſunt genera cauſarum vlcerum aurium.

Cauſæ vlceris in auribus.

Signa autem horum vlcerum, quę ſunt? Primum eſt ſanies, vel craſſa, & alba, vel tenuis quæ egreditur. Secundum eſt dolor, qui percipitur ad tactum dum iniicitur ſtilus cum goſſipio. Tertium, preſente vlcere, non poſſumus corpore, quantumuis molli, tangere, quin aliquid cruenti emanet, vel imbuatur in goſſipio. Addatis poſtea ſi præceſſit abſceſſus diſruptus, vel tentatus eſt meatus ab aliquo duro corpore, vel præceſſit humiditas aurium.

Signa.

Cognito vlcere, deueniendum eſt ad curationem: & primo vlceris ſimplicis, de quo in ſequenti; poſtea veniam ad reliqua.

De Aurium vlcere ſimpliciſſimo. Cap. LIII.

CVremus iam auris vlcus, quod factum ſit à cauſa extrinſeca, vt à corpore aliquo, quod ingreſſum ſit meatum auditorium, vel ab inſtrumento aliquo iniecto, vel aliquo alio ſimili, in hoc ſimplici vlcere ab extrinſeca cauſa facto, ſtatim poſſumus deuenire ad localia, cum non præceſſerit fluxio aliqua interna, quæ fecerit, vel foueat vlcus. Sed ſi cauſæ ſint internæ, vt ſi præceſſit tuberculum, vel inflammatio, vel alia cauſa interna, vnde vlcus habuerit occaſionem, tunc, antequam deueniatis ad localia, oportet lenire aluum, præparare humores, & corpus euacuare, deinde euacuabitis caput diligentiſſimè cum iis, quæ attrahuntur per nares, per maſticatoria, & per gargariſmata; his peractis, deueniens ad localia: quæ qualia eſſe debeant patet. Nam vlcus indicat ſiccantia, &, ſi ſanies aliqua emanet, indicat etiam detergentia: ergo indicantur ſiccantia, & detergentia. Nam addatis indicationem ſumptam à parte affecta, quæ eſt meatus auditorius, qui circa principium ſui eſt membranoſus; in toto reliquo eſt oſſeus: ſubſtantia autem oſſea, & membranoſa eſt ſicciſſima: & quoties talis ſubſtantia patitur ſolutionem continui indicat medicamenta, quæ robuſtiſſimè ſiccent: ergo indicantur medicamenta admodum ſiccantia, & detergentia; Vnum tamen videtur obſtare; quoniam ea, quę robuſtiſſimè ſiccant, habent aliquam acredinem: ideo videntur non conuenire in aure, quæ eſt pars tam acuto ſenſu prædita: hoc eſt illud, de quo mirabatur Galenus in tertio de compoſ. medic. per loca. cap. tertio, & primò, & in ſexto meth, vltimo, admirabatur, inquam, quomodo meatus auditorius, cùm ſit tam acris ſen-

Indicatio ſiccans, & detergens.

Auris per ſe robuſtiſſimam ... [illegible]

Digitized by Google

Experientia contraria rationi. ſenſus, perferat robuſtiſſima medicamenta. Ratio certè non perſuadet hoc; tamen experientia eſt in contrarium: videmus enim quotidie, quod auris perfert robuſtiſſima quęque medicamenta; & ideo oportet, relicta ratione, experientiæ adhærere. Deſcendendum eſt, itaque ad robuſtiſſimè ſiccantia, dummodo non exedant, & abſumant. Inter omnia autem antiqui vtebantur ſucco glaucij, tanquam medicamento omnium præſtantiſſimo, quia ſiccat validè, aſtringit aliqualiter, & repellit quoquo modo, quæ omnia indicantur in

Collyria Galeni. hoc caſu, nec non detergit ſua amaritudine. Sed nos caremus glaucio: Galenus vtebatur collyrijs quibuſdam, vt collyrio ex croco ita vocato, collyrio de roſis Nili; collyrio ex myrrha Democratis, quæ collyria deſcribuntur à Galeno: in quarto de compoſit. medic. per loca, cap. ſexto, & ſeptimo. Iſta autem collyria recipiunt glaucium, apium, acetum, ſpodium, myrrham, ſarcocollam, & malicorium: hæc erit materia, ex qua poteritis vos conficere collyria, vel alia medicamenta, excepto glaucio, quo caremus. Sed inter omnia prin-

Metallica cipatum obtinent metallica, quibus ego libentiſſimè & frequentiſſimè vtor, vt ſunt ſquāma æris pluties, & diligentiſſimè lota, & præparata: ſtibium, ideſt antimonium ablutum ſæpe & præparatum; hæmathitis lapis ablutus, & præparatus; diphryges lapis lotus, & præparatus; pyritis lapis exuſtus lotus, & diligentiſſimè præparatus.

Cum his autem metallis miſceatis myrrham, mali corium; aliquando etiam ego addo mirobalanos citrinos, & hypociſtidis ſuccum. Sed notate, quòd in his omnibus, medicamentis ſemper addendum eſt aliquid concoctorij. igitur cum his robuſtiſſimè ſiccantibus miſceatis ſemper aliquid quod concoquat, vt crocum, vel ſtyracem, vel thus, vel maſticem, & erunt medicamenta pretioſa. Recentiores parant vnum medicamentum pretio-

Medicamentū pretioſum per vlceribus. ſum pro his vlceribus, quo ego vtor libentiſſimè, & eſt. Accipiunt malum Punicum dulce, & integrum cum cortice, & omnibus coquunt in vino albo; coctum cùm fuerit, extrahunt & tundunt in mortario optimè; deinde ponunt in ſacco, & per torcular exprimunt ſuccum; poſtea capiunt ſuccum & tantundem mellis roſacei, & addunt mediam partem terebinthinæ, & fit medicamentum pretioſiſſimum, ſi præſertim addatur, vt ego ſoleo, aloes, & myrrha, ſecundum hanc formam.

Rec. ſucci dicti } an. ℥ j.
mellis roſati }
terebinthinæ claræ, vel olei abietini ℥ s.
aloes } an. ℈ ij.
myrrhæ }

Miſce, & coque, & fiat medicamentum, quod inſtilletur in meatum auditorium: Siccat robuſtiſſimè, detergit, roborat, & aliqualiter repellit, & obducit cicatricem, ita quod medicamentum eſt præſtantiſſimum.

De Aurium vlcere cum fætore, & depaſcentia.
Cap. LIV.

VLceribus aurium aliquando ſuperuenit fętor, qui indicat putredinem eſſe in vlcere, quæ exedit; & ideo oportet deuenire ad ea, quæ robuſtiſſimè ſiccant, vt ſunt trochiſci Andronis, vel Muſæ, quibus vtebantur antiqui: hos trochiſcos diſſoluatis melle roſaceo, vel vino granatorum, & infundatis in meatum auditorium: ſiccabit validiſſimè, & cohibebit corruptelam. Quod ſi hoc non ſufficiat, vtamini medicamento illo, quo vtitur Galenus in vndecimo de ſimpl. medic. facult. & in tertio de compoſitione medic. per loca. & eſt recrementum, ſeu

Trochiſci Andronis.

Scoria ferri. ſcoria ferri, quo nihil eſt præſtantius in his depaſcentibus vlceribus, & fętentibus: ſed ſcoria hæc eſt maceranda aceto diebus canicularibus; ſed ſi non habeatis ita maceratam; nec ſint dies caniculares, quando egetis ipſa, vt poſſetis macerare, faciendum eſt, vt dicit Aetius in ſexto lib. cap. 83. qui monet, vt coquamus bis, & ter ſcoriam in aceto, donec ſiccetur, & hac deinde vtamini: & hoc modo poteritis, quoties volueritis, parare medicamentum, ſiue ſint dies caniculares, ſiue non. Scoriam autem ita paratam poteritis per fiſtulam in ſufflare in aurem; vel diſſoluatis ipſam aceto acri, & infundatis, & cohibebit optimè corruptelam; quod ſi non vultis diſſoluere aceto, vtamini eius loco oxymelite. Recentiores non

Aegyptiacum. vtuntur recremento ferri, nec trochiſcis Andronis, nec Paſionis; ſed Aegyptiaco: quod & ego laudo, ſi non habeatis illa dicta. Sed laudo magis præcipitatum optimè præparatum,

Præcipitatum. & diſſolutum oxymelite, habebitis medicamentum pretioſum. Superata depaſcentia, &

fęto-

Digitized by Google

fętore, vlcus erit mundum, & tunc ipſum ſanabitis cum ijs, quæ dicta ſunt ſupra in ſimplicis vlceris aurium curatione.

De Aurium vlcere cum vermibus. *Cap. LV.*

RArum eſt, quod fiat abſceſſus, vel vlcus in aure quin gignantur in ipſo vermes, qui magni ſunt, pro ratione loci, longi, albi, habentque pedes plures aduncos, & reflexos ita, vt arripiant, arctiſſimè membranas illas, & faciunt dolores ſæuiſſimos, non comparandos cum vllo alio dolore, reſpectu cauſæ, à qua fiunt illi dolores, quæ cauſa videtur minima: nam pedes vermium ſunt, qui faciunt dolores iſtos ſęuiſſimos, ita, vt ego viderim deficiente animo, ex hoc dolore. Fiunt autem vermes ex retenta ſanie putrida, quæ adhuc magis putreſcens fer uet, & contento ſpiritu generante fiunt vermes, qui cognoſcuntur primò ad viſum aliquando ſub ſole poſito ægro: ſæpe etiam cognoſcuntur ab ipſo ægro: nam refert ſe ſentire ipſos mouentes. Tertiò cognoſcuntur hoc modo: ſi quis accipiat cotonem, apponatque ſpecillo, deinde madefaciat parum ſputo, & mitiſſimè imponat ſtylum in aurem, tunc ſtatim tacti vermes contrahuntur, adhærentque arctiſſimè, & ſubito, violentiſſimum, & quaſi momentaneum excitant dolorem: quod cum videritis, dicatis quod adſunt vermes.

Saniſſimo rum dolorum auctores vermes

Vnde fiant vermes in aure.

Cognitio vermium.

Cognito hoc vlcere cum vermibus, curandum eſt, & primò auferendi ſunt vermes, nam cum ipſis adeſt putredo magna. Vermes autem quomodo ſint extrahendi, dicunt Recentiores, quod exponenda eſt auris ſoli, & inſtrumento aliquo, ſpeculum vocato, dilatanda eſt auris, mox volſella arripiendi ſunt vermes. Sed dum hoc præcipiunt, duo inculcant, vel quod nunquam extraxere vermes ex aure alicuius nobilis; ſed aſinorum tantum, vel, quod nunquam extraxere vermes: nunquam enim ſunt hac ratione, vel alio organo extrahendi tales vermes, niſi fuerint in ſumma aure: nam cum tanguntur ſubitò arripiunt arctiſſimè membranas illas intimas, faciuntque dolorem ſæuiſſimum, & potius ſecabis eos in medio, & extrahes dimidiam partem vermis, quàm deſerant tunicam, qnam atripuere. Antiqui extrahunt duobus modis, vno quidem infundendo in aurem quędam, ſupra quæ innatent vermes, & ita innatantes exeant vnà cum liquore, vel poſſint tutò arripi: ſecundo modo infundendo quædam, quibus interficiantur vermes: Illa, quæ ſupra innatent, ſunt oleoſa omnia, vt oleum copioſum, quod cum iniectam eſt, debet æger decumbere ſupra partem ſanam, & iniecto oleo calido, claudenda eſt auris: cum videritis vermes ſupernatantes extrahetis ipſos volſella. Sed quamuis ratione extrahendorum vermium oleum commune, & quodlibet aliud ſit bonum; tamen, cum adſit vlcus infundendum eſt aliquod oleum, quod vlcus etiam reſpiciat; & ideo laudant oleum amygdalarum amararum, quod enecat etiam vermes: ea enim quæ debent interficere vermes debent eſſe, vel amara, vel ſalſa; ideo tale oleum conuenit, ſicut & oleum petroleum, quod naphta appellatur à Dioſcoride: Conuenit etiam oleum, in quo maceratum ſit abſynthium, vel vtamini oleo amygdalarum amararum cum aloe, & ſucco foliorum perſicæ mali. Quod ſi his non interficiantur, nec poſſint auferri, deueniatis ad validiora, quæ vermes necant, inter quæ eſt ſuccus polij montani, quem ſuccum miſcebitis cum melle, & cum vrina hominis vetuſta, & inijciatis; & ſi non adſit vrina vetuſta, capiatis recentem, & coquatis in vaſe æneo ad conſumptionem dimidiæ partis; deinde miſceatis cum ſucco dicto, & infundatis; Vel capiatis ſuccum abſynthij, mel, & vrinam dictum, & ſimul mixtis infundatis; Vel capiatis ſuccum calamenti montani, & addito melle, & lotio, infundatur in aurem; Vel accipiatis puluerem ariſtolochiæ rotundæ, aut longæ, vel puluerem ſcordij, vel puluerem radicum dictamni albi, & miſceatis cum melle, & lotio dicto, & infundatur medicamentum in aurem.

Curatio.

Quomodo extrahēdi ſint vermes.

Antiquorum modus extrahendi vermes.

Validiora.

Quod ſi vermes non ſuperentur, vel renaſcantur, recurratis ad ſacram anchoram, & eſt: Capiatis parum pulueris radicum ellebori albi, & admixto melle, atque dicto lotio, infundatis, & non dubiteris, quin ſuperet omnes vermes. Vermibus interfectis extrahantur; deinde ſanetur vlcus eo modo, quo dictum eſt in curatione vlceris ſimplicis aurium.

Sacra anchora.

De

Digitized by Google

De Vlcere Aurium cum carne ſuperaddita. Cap. LVI.

Cauſa.

SI in aurium vlcere ſupercreuerit caro, vt ſolet, oportet penitus carnem illam auferre, aliter impediet conſolidationem vlceris, & faciet ſurditatem. Cauſa autem ſupercreſcentiæ carnis in his vlceribus, eſt nimia humiditas vlceris, vt quando chirurgus non vſus eſt medicamentis ita ſiccantibus, vt requiritur. Caro autem hęc ſuperaddita per ſe cognoſcitur, vel ad viſum, vel quia facit ſurditatem, vel ſpecillo iniecto.

Cura.

Pro curatione oportet, vt primo caro illa exedatur, & auferatur, ad quod agendum Paulus proponit medicamentum: nam mandat vt accipiamus vnam partem nitri, & vnam ſquamminæ æris non præparatæ, & vnam ſandarachæ Græcorum, & tundamus omnia ſimul; deinde admiſceamus mel roſaceum, & hoc medicamentum imponamus ſuper carnem additam: & hoc medicamento ſum ego aliquando vſus cum ſucceſſu. Poteritis etiam ex ſquamina, ærugine, alumine, & chalcantho varia conficere medicamenta; Vel imponatis ſupra carnem Aegyptiacum mixtum cum alumine, & chalcantho; Vel imponatis præcipitatum ſiccum, vel mixtum cum alumine vſto, vt ego facio. Infinita ſunt medicamenta ad auferendam carnem, quorum multa ego vobis propoſui cum agerem de vlcere cum carne ſuper addita: ideo recurratis ad illum locum; ſed hæc ſatis erunt. Ablata carne, curetur vlcus, vt curatur ſimplex vlcus aurium, de quo ſupra.

De Aurium vlcere cum oſſe corrupto. Cap. LVII.

Cognitio oſſis corrupti.

EX diuturno vlcere, cum nimia fluxione, corrumpitur aliquando os in meatu auditorio: quod os corruptum cognoſcitur aliquando, vel ad viſum, vel fętore virulento, qui fætor ſolet adeſſe, vbi oſſa ſunt corrupta. Cognoſcitur etiam ex impoſitis linamentis, quæ extracta ſunt denigrata: Addatis quod emanat ſanies quædam tenuis, & ichoroſa, nigra tamen & fętens: Vltimò cognoſcitur impoſito ſtylo: nam ſentitur os detectum, & aſperum.

Curatio.

Cognito, quod os ſit corruptum, faciatis, vt monet Archigenes, referente Galeno in tertio de compoſitione medic. per loca, & eſt, quod non debetis tentare ſanationem oſſis per meatum, nec, ſi cadat ſquamma aliqua, eſt extrahenda per meatum auditorium; ſed oportet ſecare ſuper os in parte poſteriori auriculæ, inclinata auricula ad anteriora; & detecto oſſe, eſt abradendum illud, quod corruptum eſt; deinde ferro ignito eſt aliqualiter inurendum, quod fiet ſine vllo dolore. Facta exuſtione, imponatis ea, quæ faciunt ad caſum ſquammæ, de quibus habuiſtis in curatione vlceris cum oſſe corrupto. Hæc de vlceribus aurium volui vobis proponere. In ſequenti agam de vlceribus oculorum.

De oculorum vlceribus. Cap. LVIII.

OCulus nobiliſſima corporis pars aliquando exulceratur, & per oculum intelligo non ſolum bolbon dictum à Gręcis, id eſt bulbum ocularem, ſed etiam totum aggregatum ex bolbo, quod eſt pars, quę proprie oculus dicitur, & ex connatis partibus, nam palpebræ, cilia dictæ, etiam exulcerantur, ita anguli, tùm externi, tum interni; bulbus etiam exulceratur ita, vt totus oculus patiatur exulcerationes. Exulceratur autem varijs in partibus, vel in anterioribus, uel in lateralibus: Anteriores ſunt, quæ continent corneam tunicam, quæ partes duæ ſunt, una, quæ facit pupillam, altera nigrum oculi occupat; totum poſtea ſpatium, quod cornea continetur nigram oculi appellatur, & omnes partes, quas occupat cornea, uocantur anteriores; cornea uerò occupat totum nigrum oculi. Circa corneam autem eſt uobis obſeruandum, quod recentiores, & Arabes cognouere ipſam craſſitie ſatis inſigni præditam, quam craſſitiem diſtinxere in laminas ſquammalve: vnde totam craſſitiem diſtinguunt in quatuor cortices, ſeu laminas, & primam partem corneæ vocant primam laminam:

De cornea diſtincta in quatuor laminas.

Digitized by Google

nam: ſecundam appellant ſecundam laminam: tertiam partem appellant tertiam laminam:& quartam vocant quartam laminam.

Natura autem rectè fecit corneam craſſam, vt ſi caſu exulceraretur, & abſumeretur vna portio, remaneret reliquum corpus craſſum, quod poſſet continere humores, & tunicas: Cornea hæc eſt vna pars oculi, quæ patitur vlcera: Exulcerantur etiam, & partes circumpoſitæ, quæ vocantur album oculi, in quo albo oculi primum eſt membrana pluribus venis prædita, quæ adnata, vel coniunctiua vocatur ab iſtis, & eſt membrana tenuis, quæ exquiſitiſſimum habet ſenſum, oriturq; à perioſtio exiſtente in concauo oculi: nam à cauitate declinans inſeritur in oculum, & veſtit ipſum vſque ad nigrum oculi. Exulceratur quoque membrana, quæ huic adnatæ ſeu coniunctiuæ dictę ſubiacet, & vocatur dura membrana, & eſt illa, quæ ſub coniunctiua exiſtens format corpus oculi, quod propriè oculus dicitur, & à Græcis bolbos: De vlceribus igitur harum partium eſt nobis dicendum, nimirum corneæ, duræ, & adnatæ membranæ: Non poteſt autem exulcerari dura membrana, quin prius exulceretur coniunctiua ſuperpoſita.

Adnata. *Dura mẽbrana.*

Omnia autem vlcera oculorum, in quacumque parte fuerint, difficilima ſunt curatu, & ſi vlcus ſit, quantum vis leuiſſimum. Rationes autem, quibus difficillima ſunt omnia oculorum vlcera hæ ſunt: primum; quia oculus abundat lachrymis, ideſt humiditatibus: humiditas autem eſt inimica vlceribus: nam vlcera præcipuè neruoſarum partium, quales ſunt vlcera corneæ, coniunctiuæ, & duræ membranæ, requirunt ſiccationem:& ideo humiditas impedit ſanationem: Secunda cauſa eſt continuus oculi motus: ita enim pretioſa eſt viſio, vt ſine ipſa animal non poſſit rectè viuere: vnde doleant, quantum velint, ſemper tamen animal tentat videre: motus autem facit difficultatem magnam ad ſanationem vlcerum: Tertia ratio eſt ſenſus acerrimus ipſius oculi: quamuis enim indicentur robuſtiſſimè ſiccantia; tamen oculus ob acutiſſimum ſenſum, non poteſt ferre ea, quæ aliqualiter craſſa, & aſpera ſunt, ne dum robuſtiſſimè ſiccantia, quæ acria ſunt: difficile autem eſt inuenire leniſſima æqualiſſimaque medicamenta: addatis nobilitatem organi: oculus enim eſt inſtrumentum ita nobile, vt non reperiatur nobilius; nobilitas autem partium reddit morbos difficiles curatu. Sed præter id, quod omnia vlcera oculorum difficillima ſunt curatu; tamen diſtinguuntur in benigna, & ſæuiſſima, ita, vt alia benigna ſint, alia ſæuiſſima; omnia tamen difficillima ſunt.

Cur difficilis ſit cura vlceris oculorum.

Omitto iam ſæuiſſima (de his enim loquar infra) quæ ſunt ulcera oculorum depaſcẽtia, canceroſa, carbunculoſa, de quibus in ſequenti; nunc autem venio ad benigna, licet & ipſa difficillima ſint. Iſta benigna oculorum vlcera ſunt duum generum: aliqua enim ſunt in ſuperficie ſumma, ita, quòd exulcerata eſt ſola prima lamina corneæ, vel ſumma, & ſuperficialis cuticula adnatæ; aliqua ſunt profunda, quæ deſcendunt vſque ad profundum, & aliquando perforant ac penetrant ab vna ſuperficie aliam, & ſunt in cauſa, vt egrediantur humores, vel membranæ internæ, quibus egredientibus formantur varia corpora, & affectus.

De vlceribus oculorum benignis.

Sed primò dicamus de his vlceribus profundis, & quæſo, obſeruate diligentiſſimè, quomodo hæc vlcera ſe habeant, quot ſint earum ſpecies, & quomodo ſpecies, ſeu genera ulcerum Græcorum coniungantur cum ulceribus traditis ab Arabibus, & Recentioribus; alioqui in magna obſcuritate laborabitis, & neſcietis oculorum ulcera curare. Sunt igitur tres ſpecies ulcerum profundorum, quæ ulcera ſolet pati cornea, & prima eſt, quæ à Græcis uocatur bothrion, hoc eſt foſſula, & dicitur botrion, eò, quòd perforet corneam, & exulceret uſque ad quartam laminam, non tamen perforat aliam ſuperficiem corneę, id eſt quartam laminam. Natura huius ulceris eſt, quòd eſt ulcus anguſtum admodum, ita ut uideatur punctura quædam, & ueluti exiguum foramen acu factum in cera: videbitis in inflammationibus, & lippitudinibus oculorum, uel ex defluxu lachrymarum in media cornea quandam ueluti puncturam, uel quaſi punctum quoddam, & nihil aliud eſt, quàm ulcus hoc foſſula à noſtris uocatum, & à Græcis bothrion, quod ulcus anguſtiſſimum eſt, & profundũ, ita ut perueniat uſque ad quartam laminam, & eſt ulcus purum (nullam enim emittit ſaniem, nec pus) & conſiſtit in cornea tunica, atque in ea propriè parte corneæ, quę nigrum oculi uocatur, uel iris. Solet autem oriri per phlyctænam, ideſt per puſtulam: nam incipit inflammatio quædam, & fit rubedo in oculo, & incipit apparere ueluti punctum prominens in cornea, & eſt puſtula minima, ita, ut ſit ſimilis grano alicuius minutiſſimi ſeminis: Nam puſtula hæc eſt ita parua, ut uideatur quidam atomus: hęc puſtula dirumpitur, & relinquitur ulcus profundum, quod eſt ueluti foramen factum à tinea: ulcus album eſt; nec quid ſaniei, uel puris exit, & pura eſt ſubſtantia corneę: hęc eſt prima ſpecies caui ulceris oculorum, quæ a gręcis uocatur bothrion, à noſtris foſſula, ab Auicenna annulus, uel anaſalium, ideſt granum, eò, quod ſit ulcus rotundum, & ueluti quidam annulus, ac ueluti granum; à Serapione uocatur bucion, quaſi dixeris bothrion: Arabes enim iſti corrumpant voces.

De vlceribus profundis. *Tres ſpecies vlcerũ.* *Prima bothrion.* *Quõ fiat.* *Dignotio.*

Secunda

Secunda ſpecies coiloma.

Secunda ſpecies ulceris caui eſt, quæ à Græcis vocatur coiloma, vel cæloma, & eſt vlcus rotundum in cornea conſiſtens & anguſtum; latius tamen eſt quàm vlcus bothrion iam dictum: non perforat corneam, nec emittit ſaniem, ſed peruenit tantum, dicunt iſti, vſque ad tertiam laminam, & relinquit tertiam illæſam. Vlcus hoc vocatur à Latinis cauitas, ab Auicenna, lilime vel luluma, vel alume, ideſt virgula. Notate optimè has voces, quia faciunt maximam difficultatem, & eo magis, quia non habebitis diſtinctas apud alios: dicitur ergo ab Auicenna alume, ideſt virgula, eo, quod ſit veluti humana virga, dicunt iſti: nam pudendum virile vocatur etiam virga: quia autem in virga humana eſt glans, quæ habet circulum ſemilunarē, ideo à pene vocatum eſt hoc vlcus virgula, quia eſt vlcus quaſi ſemilunare; vocatur etiam ab Auicenna cucumer:

Tertia ſpecies eccauma.

Tertium genus, ſeu ſpecies caui vlceris in cornea eſt, quod dicitur ab Aetio lib. ſeptimo, cap. 25. eccauma, & à Paulo in tertio lib. epicauma. Et notate, quod aliud eſt epicauma apud Paulum, & aliud apud Aetium; Epicauma enim Pauli eſt idem cum eccauma Aetij, & eſt vlcus, quod occupat corneam in confinio albi, & eſt veluti vlcus combuſtum, habet enim eſcharam: Videbitis aliquando corneam in aliqua parte opacam, & ſiccam, ita, vt videatur exuſta, eſtque vlcus rotundum, doloroſum cum eſchara, erodens cum cruſta, qua cadente labuntur humores: hæc cum videbitis, dicatis, quod eſt ibi vlcus hoc, de quo loquor, quod habet cruſtam, qua cadente perforatur cornea, & egrediuntur humores. Hoc vlcus à ſerapione vocatur alchume, vel alchumen; ab Auicenna dicitur vlcus aduſtum, & aſſecu; vel aſſecumen, ideſt diſruptio, ita vertit Interpres. Iſta ſunt tria vlcera profunda corneæ.

Alia vlcera ſuperficialia. Primum vlcus.

Alia ſunt ſuperficialia, quæ facilius, quàm caua ſanantur, inter quę primum eſt, quod vocatur ab Aetio aclis, quia non videtur vlcus, licet ſit; ſed videtur turbidus vapor, & fumus exiſtens in ſuperficie corneæ, & multa talia vlcera videbitis; quæ tamen ſæpe non cognoſcetis, ſicut non cognoſcuntur à maiori parte medicorum, ſed ſolum à doctioribus, magis exercitatis, & diligentioribus: Nam, exceptis quibuſdam vlceribus, vt cancro oculi, ſuffuſione, & ſimilibus, alia à paucis cognoſcuntur. Nam inſpiciunt tantùm oculum ex directo; cum tamen neceſſe ſit, inſpicere non ſolum per directum, ſed ad latera, a ſuperiori ad inferiora, & ab inferioribus ad ſuperiora: & ideo eſtote diligentes, & cum videbitis in cornea apparere vaporem coloris glauci, ideſt cærulei, & eſſe veluti fumum, non putetis, vt putant iſti, quod ſit nebula; ſed dicatis, quod eſt vlcus hoc, de quo loquor, quod videtur ſumus adhærens corneæ tunicæ, & expanſus per ipſam. Vlcus tamen eſt ſuperficiale, ita vt ſolus primus cotex ſit exulceratus, eſt enim vlcus latum in nigro oculi, non profundum, aeri impuro, aut fumo ſimile, & in pupilla viſum aufert. De hoc vlcere meminere Arabes: nam Serapio vocat ipſum vlcus aduſtum, & atomi; Auicenna verò vocat alhaſve, & catanus.

Secundum vlcus ſuperficiale.

Secundum vlcus in nigro oculi ſuperficiale eſt, quod à Græcis, vt ab Aetio, vocatur nephelion, ideſt nubecula. Vlcus eſt profundius, quam aliud modo dictum, & vocatum aclis; ſed eſt minus latum, quàm aclis. Vocatur à ſerapione diaphylon corrupta voce à nephelio, ab Auicenna vocatur nubes, & à noſtris nubecula: Vlcus eſt, quod occupat totum primum corticem corneæ, & eſt magis album, quàm aclis.

Tertium genus.

Tertia ſpecies vlceris eſt quod vocatur argemon à Græcis, vt ab Aetio, & à Paulo, & oritur ut plurimum in linea, quæ diſtinguit nigrum oculi ad albo oculi, ideſt, oritur in corona Iridis, eſtque ualde profundum, & occupat aliquam partem albi oculi, aliquam partem nigri: & prout occupat diuerſas partes, ſcilicet nigram, & albam, unicum tamen ulcus eſt: ita diuerſi eſt coloris: nam pars ulceris, quæ eſt in coniūctiua membrana, eſt coloris rubei; pars uero ulceris, quæ occupat corneam, eſt alba, ita, quod uidetur unum corpus compoſitum ex duobus pannis ſimul conſutis, uno quidem albo, altero nigro, & hoc erit pro certiſſimo ſigno argemi ulceris. Vlcus hoc nouerunt, & Arabes: nam Auicenna uocat ipſum ulcus coronale, & uenuſtè admodum, quia eſt ueluti corona, qua coronatur nigrum, & album oculi; Serapio uocat alghimen.

Quartum genus vlceris ſuperficialis.

Quartum, & ultimum ulcus ſuperficiem occupans, eſt, quod epicauma uocatur ab Aetio, & differt ab epicauma Pauli: & de hoc, quod epicauma uocatur ab Aetio, non meminit Paulus. Vlcus eſt in nigro oculi, quod habet ſuperficiem exaſperatam, & eſt vlcus ſatis latum, & ſubſtantia corneæ eſt exaſperata, inæqualis, ac rugoſa, & veluti exuſta in vlcere hoc reddita, ac ſi charta membranea eſſet, quæ admota eſt candelæ: nam contrahit rugas quaſdam, & contrahitur: talis quoque eſt cornea tunica in hoc vlcere: & hac de cauſa vocatur epicauma, i. quaſi exuſtum: nā adeſt veluti exuſtio quædam in cornea, non tamen eſchara, ſed cruſticula admodum parua. Exulceratio hæc, quia eſt alba, vt videatur conſtare floccis lanæ, ideo ab Auicenna vocatur exulceratio lanoſa, & exulceratio aduſtiua, quia æmulatur naturam eccaumatis: ab ipſo Serapione vocatur alkafe, & inquit, quod eſt vlcus ſimile lanoſitati; a Recentiore quodam vocatur vlcus ramoſum, vel ramoſa exulceratio, quia non eſt vlcus rotundum; ſed habet exulcerationes collocatas, ac ſi eſſent rami arboris

alicuius;

Digitized by Google

alicuius; Ieſus Haly vocat romaſam exulcerationem. Iam igitur habetis quatuor a ſpecies vlceris in ſuperficie, & tres eorum, quæ profundiora ſunt, quæ omnia vlcera diſtinctam requirunt curationem, vt ſuo loco audietis.

Tertium genus vlcerũ oculorũ.

Perforatio.

Tertium genus vlceris oculorum eſt, quod abſumit totam ſubſtantiam corneæ, ita, vt perforet, & diſrumpat totam corneam tunicam, & exeant ea, quæ intra ipſam continentur, & vnum vlcus ſub hoc genere collocatum eſt, quod oritur in anteriori parte pupillæ, & vocatur perforatio pupillæ: & ſi vlcus ſit in anteriori parte pupillæ, vt eſt aliquando, egreditur humor albugineus, & aliquando reliqui, & inſequitur omnino cæcitas. Vnde quoties vlcus fuerit in parte anteriori pupillæ, & exit humor albugineus, prænunciate cæcitatem. Aliquando hoc vlcus, quod abſumit, & diſrumpit ex toto corneam, vel duram tunicam, non eſt in anteriori parte pupillæ, ſed circa Iridem, vbi ſubiecta eſt vuea tunica, vel circa album oculi; & ſi ſit in parte, vbi eſt vuea, tunc adiungitur vlceri proptoſis vocatus affectus, ideſt, prolapſio, vel proruptio, vel procidentia rhagoidis ideſt vueæ: nam ſub cornea, & dura tunica eſt tunica vocata rhagois, ideſt, acinalis, vel vuea, quę nigra eſt, & eſt immediatè ſub cornea, & dura; & ideo perforata cornea vel dura membrana, ſi foramen eſt in parte, vbi eſt vuea, tunc vuea egreditur, & ita vlcus habet coniunctam procidentiam vueæ, quæ procidentia vocatur à Græcis proptoſis. Sed notate, quod oculus patitur duas procidentias, vna eſt quando totus oculus egreditur, & prominet extra propriam cauitatem, ita, vt quaſi labatur ex ſua ſede: hanc procidentiam credo uos uidiſſe hic in quodam milite: habet enim unum oculum, qui prominet foras extra cauitatem, ita ut quaſi labatur ad anteriores partes: hæc procidentia uocatur proptoſis à Græcis, & eſt morbus in ſitu, quia oculus mutat ſitum, & de hac procidentia non loquimur nos, ſed legatis Aetium lib. ſeptimo cap. 24. Alia eſt proptoſis propriè dicta à Paulo, lib. tertio cap. 22. & alijs, de qua loquimur nos, & eſt, quando ſola tunica uuea egreditur ratione abſumptæ corneæ, uel duræ uocatæ tunicæ. Procidentia hæc propriè dicta, eſt quatuor generum: nam aliquando ulcus eſt paruum, & ueluti punctura; & tunc minima quantitas uueæ egreditur, ita ut uideatur caput muſcæ, nec eſt maioris quantitatis, quàm caput muſcæ, & habet eandem ferè formam cum capite muſcæ: ideo talis procidentia uocatur à Græcis myocephalon, ideſt, caput muſcæ: nam ex foramine aliquid prominet, quod colore eſt nigrum, vel ceruleum: Labia vero vlceris, ex quo procidit vuea, candida ſunt, & tandem calloſa fieri videntur, pupillaque tunc contrahitur, ita vt viſio nulla, aut immutata poſitione ſit. Notate tamen, quod aliquando ego, & alij ſumus decepti in hac prominentia: nam in cornea, & in albo oculi oriuntur veſicæ, ſeu puſtulæ quædam, quæ videntur myocephala; tamen non ſunt, & huiuſmodi puſtulam Græci vocant phlyctænium: Ideo diligenter eſt diſtinguendum inter has puſtulas, & myocephalon:

Secũdum Prolapſio rhagoidis. ſeu procidentia.

Procidẽtia quadruplex eſt.

Myocephalon.

Primo igitur diſtinguetis colore, nam licet puſtulæ ſint nigræ; tamen, vt notat Auicenna, non ſunt ita nigræ, vt tunica vuea, quæ procidit, nec vnquam puſtulæ erunt coloris cæſij, vel cærulei:

Tertio in myocephalo circa radicem prominentiæ, ſeu tuberculi eſt color cæruleus albus; deinde reliquum, quod prominet, eſt coloris cærulei, vel cæſij, vel nigri; puſtulæ autem in toto ſunt nigræ: hoc modo diſtinguetis puſtulas à myocephalo.

Cuius myocephali meminere & Arabes, & diligentius ipſum diſtinxere, quam Græci. diſtinxere autem ratione magnitudinis, & paruitatis: nam ſi parua admodum quantitas vueæ prominear, tunc talis procidentia vocatur ab Auicenna procidentia formicalis, eò quod videatur caput formicæ:

Procidẽtia formicatas

Si vero maior quantitas vuæ promineat, dicitur procidentia muſcalis, & ab Azarauio auctore Arabico vocatur procidentia veſpalis.

Veſpalis.

Granalis.

Si maior adhuc quantitas vuæ promineat, vocatur procidentia granalis, eo quod accedat ad magnitudinem grani hordei, vel tritici, & ita hanc paruam procidentiam diſtinguunt tria genera, vt audiuiſtis.

Staphyloma.

Vuationis duplex genus.

Aliquando vlcus eſt latius, ita vt exeat vuea in maiori quantitate, quantitas vuæ æquet magnitudinem vnius acini vuæ tranſmarinæ, ideſt, paſſæ, & hæc eſt procidentia, quia vt plurimum aſſimilatur grano vuæ: ideo dicitur ſtaphyloma, quaſi tu dixeris acinationem, vel granationem: nam ſtaphyli granum ſignificat; ab Arabibus autem hæc procidentia vocatur vua, vel vuea, ita vocat Auicennas. Sed notate, quod huius vuationis duplex eſt genus, apud Aetium libro ſeptimo, capite trigeſimoquinto, vnum eſt, quando tunica rhagois exulceratur, exitque ex vlcere, & fit procidentia, quæ eſt veluti acinus vuæ:

Alterũ eſt, quando non diſrũpitur, nec exulceratur cornea, ſed eſt integra, dilatatur tamẽ cornea, & extenditur: quo fit, vt vuea contenta, cũ reperiat cedentẽ corneã, faciat tuberculũ ſimile acino vuæ; ſed in hoc tuberculo nõ eſt vlcus: iõ nos nõ loquimur de ipſo; ſed de prio-

T ti

ri tantũ procidẽtia,de qua locuti ſunt Græci,& Arabes;de hac verò,in qua cornea eſt tantũ dilatata,ſolus Aetius fecit mentionem,& differt à priori procidẽtia,quia in hac,in qua cornea eſt integra, color eſt albidior, & lucidior in ſuperficie; in reliquis autem partibus utraque procidentia nigra eſt.

Tertium genus.

Tertia ſpecies vlceris in qua aſſumitur tota ſubſtantia corneæ, vel duræ, eſt vlcus amplum,ex quo egreditur tota ferè vuea,ita vt fiat tuberculum ſatis magnum,adeo,quod impedit clauſionem oculi:tanta enim eſt ſubſtantia vueæ,quæ egreditur,vt palpebræ, & genæ nequeant operire oculum: & hoc vlcus à ſimilitudine pomi vocatur à Paulo tantum mẽlon: Vlceris color niger eſt,vel cæruleus.De hoc vlcere meminit Auicenna,& vocat ipſum procidentiam veſicalem, vel rupturam, & ab eodem Auicenna, & ab iſtis vocatur cinanalis:cur ita vocent ignoro.

Ilon.

Vltimò accidit,vt quando vlcus fuit magnum,& vuea prominuit ſic,vt vuea obducatur callo, & circum circa cicatrix calloſa, ita vt tota ſubſtantia vueæ, quæ foras prominebat facta ſit calloſa, quæ calloſa ſubſtantia aſſimilatur capiti vnius claui, qui eſſet infixus in oculum:ideo à ſimilitudine claui Græci vocant hanc procidentiam ilon,ideſt, clauum; Auicenna autem vocat procidentiam clauualem,& orbicularem. Habetis iam vlcera,quæ cadunt in tunicas,& ſubſtantiam oculi.

Ex quibus cauſis fiãt ulcera oculorum.

Prima cauſa corrupta extrinſeca.

Hæc autem vlcera oriuntur tribus de cauſis manifeſtiſſimis: primum genus cauſarum ſunt omnia corpora extrinſeca, quæ varia ſunt, vt aliquando ſunt animalia illabentia in oculum: & ego bis ſum paſſus vlcera oculorum ex illapſu quarundam muſcarum minimarum; nam in mea patria, cum æſtate parietes illinuntur calce, ſolent oboriri muſcæ quædam minimæ, & duræ, quæ ſi cadant, vel illabantur in oculum, ſtatim ipſum exulcerant, & noctu maximè mordent: igitur cauſa vlcerum aliquando ſunt animalia illabentia in oculum:

Aliquando feſtucæ, aliquando ingreſſus micarum ferri, vel vitri, & præcipuè calcis: ideo caueatis inter eundum per hanc Vrbem à fumo illo calcis, non ſolum ratione anhelitus, ſed etiam oculorum: Et denique omnia acria poſſunt etiam cauſare vlcus: & his diebus curaui peſſima ſatis vlcera oculorum in muliere quadam, quæ cum concidiſſet in defectum animi,aſtantes proiecere ipſi in faciem acetum acerrimum, quo aceto factum eſt vlcus magni momenti in vtroque oculo.

Secunda cauſa,tubercula.

Altera cauſa, vt inquit Auicenna ſunt puſtulæ, ſeu tubercula, cum oriuntur in ſuperficie oculorum,& diſrumpuntur,& ita ijs diſruptis,remanent vlcera.

Tertia cauſa,fluxiones.

Tertia cauſa ſunt fluxiones ad oculos: fluxiones inquam humorum acrium,vel per ſe, vel ratione putredinis. Hæ ſunt cauſæ.

Signa.

Signa autem patent ad ſenſum,& partim etiam ſunt dicta.

Prognoſticum.

Prognoſticum autem quodnam eſt? Si perforata ſit cornea, & egreſſus ſit albugineus humor, prænunciate cæcitatem: & quamuis Galenus dicat, quod talis humor eſt aliquando egreſſus, & regenitus, & non inſecuta eſt cæcitas; ſciatis tamen quod ipſe dicit hoc accidiſſe in puero, in quibus tantum eſt robur virtutis, & naturæ, quod poteſt fortaſſe regenerare talem humorem: & hoc credam Galeno poſſe aliquando fieri in puerili ætate; tamen non credo, quod in alijs poſſit talis humor regenerari; quia eſt humor innatus ex ſemine genitus: tales autem humiditates non regenerantur; ſed in pueris hoc fortaſſe fit: nam in ipſis regenerantur etiam venæ, & arteriæ. Quare quoties in adultis videbitis egreſſum humorem albugineum, prænunciate cæcitatem. In alijs autem vlceribus, quando exit tantum vuea tunica, ſi parua ſit procidentia, & nondum mutata, nec diſtorta ſit pupilla, prænunciate periculum cæcitatis; non tamen certum, ſi non ex toto ſit mutata pupilla, & ſit diſtorta, vel ſit calloſa procidentia, vel acinalis, vel milon,dicatis, quod reſtituetur uiſio: in alijs prænunciate periculum impeditæ viſionis, & diuturnitatem curationis.

Curatio.

Si cauſa extrinſeca ſit præſens.

Succedit iam curatio,in qua hoc animaduertendum eſt,videlicet, an cauſa vlceris ſit adhuc præſens: Inter cauſas autem ulceris oculorum ponebam corpora extrinſecus aduenientia,ut ſunt paleæ,calx,animalcula,& id genus. Si igitur cauſa extrinſeca ſit adhuc præſens, primum tentanda eſt ipſius extractio, quodcumque illud corpus extrinſecum fuerit: Vnde Aetius,ſi corpus faciens ulcus,& præſens exiſtens ſit palea, uel animal aliquod, monet, ut extrahamus hoc modo: Claudendus eſt oculus ſanus,& diu eſt clauſus ſeruandus: nam hoc modo natura expellit extraneum corpus ex altero oculo, ſiue illud ſit palea, ſiue animal;uel extrahatis per contractum palpebram ſuperiorem illius oculi: Arripiatis palpebram ſuperiorem ſani oculi,& ipſam deorſum trahatis,atque diu ita tractam ſeruetis,& hoc modo extrahetur palea,uel pilus,uel animal ex oculo:hoc notiſſimum eſt,& in his corporibus extrahendis nulla eſt difficultas.

Sed

Sed quod facit difficultatem, eſt quod corpora aliquando arctè hærent tunicæ, & palpebris, ita vt non poſſit, nec per clauſionem oculi iam, nec per attractionem palpebræ extrahi: & ideo tum oportet in oculum iniiciere aliquid, quod habeat vim detergendi, & inquinet: nam ratione deterſionis ſeparabitur corpus illud adhærens; ratione poſtea inquinationis, ſeu viſciditatis hærebit medicamento inceſto, quod elabens trahet etiam ſecum corpus illud extraneum: Inter hæc autem medicamenta eſt mel coctum vna cum mucilagine pſyllij:

Accipiatis vnam partem mellis, & vnam mucilaginis, & ſimul coquatis, donec medicamentum fiat craſſiuſculum, & hoc medicamentum infundatis in oculum, & videbitis, quod corpus hærens ſeparabitur,& rapietur a medicamento.

Medicamentū extrahēs impalla.

Aliqui accipiunt argenteum clyſterem paruum, & attracto per ipſum lacte, iniiciunt lac illud in oculum, & violentia quadam ſeparatur, & educitur vnà cum lacte corpus illud. Verum cum nec per lac, nec per mel, & mucilaginem, nec per clauſionem oculi, nec per attractionem palpebræ poteſt extrahi corpus extraneum ex oculo, oportet deuenire ad alia, quæ detergant,& viſcida ſint.

Si autem illud, quod facit, & fouet vlcus,ſint ramenta minima calcis, quæ adhæreant, illa auferetis per lotiones, & iniiciendo per clyſterem in oculum lac copioſum, vel etiam faciendo,vt lac guttatim concidat in oculum ex alto loco.

Antiqui affundebant in oculum album oui copioſum, dilutum tamen: quod & mihi placet, nam detergit, mitigat dolorem, & ſua viſciditate poterit corpora illa ſecum rapere. Aetius, & omnes laudant vſum olei roſacei; ſed dubitatur, quia oleum roſaceum facit magnam mordicationem in oculo; quamuis enim in alijs partibus non faciat mordicationem, ſed leniat potius aſpredines, tamen oculos valde mordicat: nam oleum roſaceum eſt corpus diuerſarum partium: habet enim partes acres, quæ quia non ſunt valde acres, ideo non ſit mordicatio ab eis in alijs partibus; ſed ſolum in tunica exteriori oculi, quoniam coniunctiua membrana eſt acutioris ſenſus, quàm ſit vlla alia pars corporis. hæc eſt ratio cur oleum roſaceum mordicet oculos, & non alias partes. Ergo, dices tu; oleum roſaceum non conuenit in affectibus oculorum.

Albū oui.

Oleū roſaceū mordicat oculos, ſed nō completum.

Dico, quod olei roſacei conuenit; ſed non iſtius olei roſacei communioris, at roſacei completi tantum: quoniam oleum roſatum completum ſit ex oleo pluries abluto aqua, ita vt remaneat dimidia pars olei, vel etiam minus: nam ex centum libris olei per ablutionem remanebant tantum quinquaginta, vel quadraginta: qua ablatione amittit omnem mordicationem: quoties igitur in oculo erunt ramenta calcis, iniiciatis oleum roſaceum completum.

Et ſciatis, quod tale oleum non paratur vbique,ſed hic,& in alijs nobilioribus vrbibus: ideo mandate, vt in veſtris ciuitatibus ſeplaſiarii parent illud oleum, vel ſaltem oleum roſatum omphacinum: nam idem ferè ſunt: hoc modo abluetis calcem. Infundatis etiam aliquid quod auferat calcem, & extinguat caliditatem illam, & ideo poſt ablutionem oculi, & alia dicta infundatis album oui, vel mucilaginem ſeminum cotoniorum, vel mucilaginem pſyllij: nam hæc refrigerabunt, attemperabunt feruorem, & auferent calcem. Quo facto claudatur oculus, & imponatur ſeſquipla cotonis madidi aqua roſacea,vel aqua etiam pura.

Si autem vlcus ſit factum ex aceto,infundatis aquam roſaceam, vel lac, vel album oui, vel aquam puram tepidam: nam ſtatim auferetur acetum, uel aliud corpus acre, ſi aderit:deinde infundatis mucilaginem,uel alia,quæ dicta ſunt; poſtea claudatur oculus; & impoſito cotone,ut dictum eſt,deligetur.

Si ex aceto ſit factū vlcus.

Si autem fluxio humoris acris ex capite, & toto corpore ſit illa, quæ fecit ulcus, & ipſum fouet, quid agendum? Seuerus, ut refert Aetius, in ſeptimo libro capit. decimoquinto dicit quòd primò debemus temperare & immutare humores corporis, ſecundò auferre plenitudinem; poſtea veniendum eſt ad localia. Cum ergo fiat fluxio à toto corpore ad caput, & à capite ad oculos, oportet primò humores immutare; ſed ſi debeant immutari, ſunt prius cognoſcendi. Si itaque humores ſint tenues, reddendi, inquit Seuerus, ſunt inepti ad fluxionem, & ad erroſionem; ſi craſſi, & ſalſi, ſunt attenuandi & attemperandi; ſi viſcidi, detergendi, & incidendi,ſi corrupti, & acres ſunt contemperandi, & reducendi ad bonam naturam: Hæc autem fient per potiones, per cibaria quæ pauca ſint, attenuent, & refrigerent, & per reliqua requiſita in affectibus oculorum. Et inter reliqua in hoc caſu, & in omni alio affectu oculorum, quantumuis minimo, & leni caueat æger ſemper à vino, ſiue ſit dilutum, ſiue potens: nam vinum omne, qualecumque ſit, ſemper habet ſpiritus, & vapores, qui petunt caput. Acris quoque maxima eſt habenda ratio,& plus quàm in alijs affectibus, qui aer in affectibus oculorum de-

Si fuerit fluxio humoris acris.

Præparatio humorum.

Cauēdum à vino.

A vēto, & lumine.

bet eſſe optimus, & præcipuè non ſit ventoſus, ventus enim maximè lædit oculos: Lumen quoque multum mirum in modum obeſt oculis, quia defatigat ipſos: ideo æger ſtet in obſcuro aere. Motus totius corporis, & præcipue ſuperiorum partium uiolentus, & capitis eſt maximè fugiendus; at motus partium inferiorum multum conuenit: ideo fiant frictiones in cruribus, lauentur crura aqua calida: nam hæc, & ſimilia ſunt opportuna: Recentiores addunt, quod inter peſſimas res, & maximè noxias affectibus oculorum ſunt ſternutatio, clamores, inclinatio capitis deorſum, & nixus: igitur non inclinato ſtet capite, non attollat pondera: nam nixus replent uenas ſuperiores, & caput, & faciunt ad diſruptionem corneæ, ait Raſis: non uociferetur, nec loquatur alta uoce, quia hæc quoque replent uenas capitis: ſternutatio quoque eſt maxime noxia, nam uidi ego ex ingeminata ſternutatione renouatum eſſe ulcus, quod iam erat ſanatum. Somnus longus optimus eſt in affectibus oculorum: nam ſomnus eſt uera oculorum quies: unde uigilia eſt peſſima. Sed in decubitu inter dormiendum eſt lis inter medicos: nam Raſis in ſecundo continentis vult, vt æger dormiat ſupra oculum affectum; Auicenna autem è contra ſupra latus ſanum; Meſues vero vult & cum eo Raſis in nono ad Almanſorem, vt dormiat ſupinus, ideſt ſupra dorſum, & in occipitium: De hac controuerſia ego non dicam; quia puto vos de hac re habuiſſe ab iſtis Excellentiſſimis Practicis, & litem ab ipſis eſſe ablatam; laudo tamen ego, vt ſemper decumbat facie reſupinata, vt voluit Meſues: nam ſi decumbat ſupra locum affectum, facile eſſet, ſi vlcus eſſet magnum, & perforata cornea, vt fieret procidentia vueæ; ſi verò non ſit perforata, periculum eſſet ſemper de aliqua fluxione ad oculum. Fæcum ratio habeatur, vt quotidie inijciatur clyſter, ne cum nixu æger cogatur fæces egerere, & comprimere. Venus eſt mala, ita & affectus animi.

A ſternutatione clamore, inclinatione capitis.

De decubitu.

Si plenitudo adſit, in omni affectu oculorum ſecanda eſt vena, lenita tamen prius aluo: igitur ſiue vlcus leue, ſiue graue ſit, ſemper ſecate venam: & quamuis venæ ſectio obſit viſioni, vt vulgo etiam dicitur; tamen ſciatis, quod nocumentum fit in principio; & dum copioſus extrahitur ſanguis, quoniam euacuantur multi ſpiritus; ſed cito poſtea ſpiritus reficiuntur, & nulla noxa remanet in viſione.

Sectio venæ.

Itaque non timeatis noxam, quæ ſequitur in principio; ſed lenita aluo caſſia, aut clyſtere ſecetis venam cephalicam, vel communem eiuſdem lateris; deinde opus eſt euacuare totum corpus; prius tamen præparatis humoribus, & pharmaca ſint illa, quæ reſpiciunt humores fluentes. Sed notate, quod in affectibus oculorum ſolemus extrahere ſanguinem à capite, & quando vlcus eſt magnum, & ſerpit, timentes, ne penetret corneam, vel duram membranam, & fiat procidentia, non ſolum ſecamus venam capitalem eiuſdem lateris; ſed etiam extrahimus ſanguinem à capite, ſcilicet, vel ex venis, quæ ſunt poſt aures, uel ex ijs, quæ ſunt in temporibus, uel ex naribus, vt plurimum tamen extrahimus per partes poſteriores: nam in fouea illa, quæ eſt in occipitio, apponimus cucurbitulam paruam; & cum ibi aliqualiter fuerit, ſcarificamus locum; & iterum ſuperaddimus cucurbitulam; quam poſtea extrahimus, & admouemus duas, vel tres hirudines, & inibi relinquimus, donec turgeant ſanguine; deinde eas auferimus, & ſinimus, vt ex loco effluat multum ſanguinis; & ex hoc auxilio vidi ego mira in affectibus oculorum cum dolore ſummo, quem non potui nunquam ſedare alio auxilio, quam iſto: vnde plus fido huic auxilio, in omnibus oculorum affectibus, & in dolore eorundem magno, quam alijs. Aliquando admoueo hirudines poſt aures, & optimè etiam facit: aliquando admoueo venis, quæ ſunt in interna parte narium, ſi tales venæ appareant.

Extractio ſanguinis ex capite.

Sed notate, quod materia, quæ fluit ad oculos, & ſolet exulcerare, vt plurimum originem ducit à venis exterioribus, quæ diſſeminantur per caput, vt à venis, quæ ſunt circa tempora, & maxillam ſuperiorem; & ideo, ſi nos refrigeremus, & conſtringamus has venas, maxime prodeſt.

Cōſtrictio venarū q̄ ſunt circa tempora.

Solemus autem tentare conſtrictionem talium vaſorum per defenſiua, & per ſcutula impoſita ipſis vaſis:

Scutulum autem nihil aliud eſt, quàm paruum ſplenium ad magnitudinem, & figuram ſcutati nummi: fit enim ex panno laneo, vel ex panno cotoneo orbiculus veluti ſcutatum, & in vna facie illinitur medicamento aliquo aſtringente, & applicatur venis: & quamuis hoc ſit vulgare auxilium; tamen ſciatis, quod eſt optimum, & ego frequenter ipſo vtor, & impono cauitati temporum, maximo cum ſucceſſu:

Scutulum.

Medicamentum autem, quo illiniendum eſt ſcutum, conſtet ex maſtice, reſina pini, & pulueribus frigidis, vt eſt puluis ſandalorum, boli Armeni, & cæt. Exemplum ſit hoc.

Rec.

Rec. reſinę pini } an. ʒ ſ
maſticis }

pulueris ſandalorum }
pulueris bolis Orientalis } an. gr. v
pulueris roſarum }

Medicamentū pro ſcutulo.

Miſce ad ignem,& calidum extendatur ſupra ſcutulum,quod imponatur cauitati temporum: Et in applicatione optimè aduertatis; nam aliqui applicant,& ſtatim ſuccedit inflammatio oculorum, & augetur dolor, alij applicant & ſtatim ſedatur dolor, minuiturque inflammatio:unde diuerſitas hæc? profectò ex applicatione:nam ſi applicetur propè oculum in ſupercilio,ut quidam ſolent,contrahit ſupercilium, & excitat dolorem, inflammationemque;& ideo ſemper applicetur in remotiore parte temporum remota ab oculo affecto. Vtor etiam defenſiuis iſtorum plus in hoc caſu,quam in omnibus alijs; defenſiuis, *Defenſiua.* inquam,factis ex bolo Armeno,roſis, terra ſigillata, & cerato roſato: facto medicamento ex his illino ſcutulum, uel ſplenium, & applico circa tempora; uel imbuo ſplenium decocto iſtorum,& admoueo temporibus ambobus,ſi ambo oculi ſint affecti. Aliqui imponūt temporibus ſtupam madidam albo oui; ſed non placet,quia ibi ſiccatur,& ſiccata attrahit, facitque dolorem,& ſic plus nocet,quàm proſit:ideo,ſi uultis,ut proſit,oportet,ut ſubinde madefaciatis ſtupam,& nullo modo ſinatis,ut in loco ſiccetur.

His communioribus peractis,deueniendum eſt ad localia;prius tamen inſtituenda eſt recta uictus ratio in ſex rebus non naturalibus: quo facto, deſcendatis ad medicamenta ſiue ulcus ſit ſuperficiale,ſiue profundum,dummodo non adſit procidentia.hoc primo indicat *Localia.* ulceris natura. Sed cum ulcus ſit in parte neruoſa,dura,& ſicca ualde,ideo indicantur medicamenta,quæ maxime ſiccent;ſed ante quam deueniatis ad uſum horum medicamentorum,uidendum uobis eſt,an in ulcere adſit ſordes nec ne: Si ſordes adſit, non ſolum medicamenta debent ſiccare,ſed etiam ſimul detergere. Tertio oportet,ut uideatis,an cum ulcere ſit coniunctus dolor,& ſi adſit,oportet cum medicamentis ſiccantibus,& detergentibus miſcere ea,quæ ualde mitigent,quorum alia mitigant ſua leni ſubſtantia; alia inducto aliquo ſtupore,& ſuperata aliqualiter facultate. Reperiamus primo medicamenta, quæ *Siccantia* ſtrenuè ſiccant ſine deterſione: primum itaque locum tenent metallica; non illa quidem *ſine deterſione.* acerba & ſiccantiſſima;ſed illa mitiora, ut Cadmia, tutia uulgo dicta, quater, & pluries lota:ſtibium lotum;pompholix,quæ nil uocatur apud Germanos:unde dicunt,nil iuuat oculos:pompholyx ergo pluries lota,& præparata;ceruſa lota;plumbum uſtum,& lotum;ſandix, quæ minium eſt officinarum: hæc primo exurenda ſunt optimè, deinde pluries ſunt abluenda aceto, deinde vino. Tertio aqua roſacea, vel etiam communi, & ablutio eſt facienda canicularibus diebus, vt lota medicamenta poſſint exiccari:hæc omnia ſunt pretioſa: Quibus admiſceatis ea, quæ leniunt, & mitigant,vt metallica poſſint diutius in loco manere,& melius agere. Inter hæc autem mitigatoria primum eſt lac,quod maxime miti- *Mitigatoria.* gat,& detergit aliqualiter: ſed inter genera lactis habemus quædam, quæ magis nutriunt ſordem,quàm detergant,& hæc talia mitigant magis,alia magis detergunt,ſed minus nutriunt ſordem in vlcere,& minus mitigant dolorem: & ideo,ſi opus ſit magna deterſione, *Lac.* vtamini lacte canino,quod ſtrenuè detergit:in ſecundo loco eſt aſininum: in tertio caprinum, ſed ſi vultis maiorem mitigationem, vtamini bouino, vel humano, quod maximè mitigat,& præcipuè humanum,ratione ſimilis temperaturæ.

Secundum medicamentum mitigatorium eſt album oui, quod ſuo corpore æquali, & *Album oui.* lubrico ſedat dolorem,& facit,vt metalla non lædant.

Tertium eſt gummi,vel ceraſorum,vel prunorum dilutum aqua:ponatis ipſum in aqua *Gummi.* & mucus ille,qui fit in ſuperficie eſt id,quo vos debetis vti. Galenus in quarto de compoſitione medicamentorum per loca,in principio addit gummi tragacanthe,quod in officinis dicitur draganto:maceretis aqua, & miſceatur cum metallicis. His addatis mucilaginem *Mucilago* pſyllij,quæ lenit primo ſua lubrica ſubſtantia;ſecundo,quia valde refrigerat,& facit ne me- *pſyllij.* talla noceant. Sed in vſu metallorum notate, quod numquam debetis fidere ſeplaſiarijs: quia cum ad paranda medicamenta,pro oculis,ex metallicis,& alijs, & in præparandis, abluendiſque metallicis,requiratur longum tempus, & patientia magna, ipſi nolunt perpeti diuturnum laborem;& patientiam:ideo oportet vt vos ipſi metallica præparetis:alioqui,ſi vtemini præparatis à ſeplaſiario,res vobis non ſuccedet,immo ſuccedet aliter, quam velletis: Et quia ſeplaſiarij malè parant medicamenta ocularia, vt collyria, & reliqua, hinc eſt, quod iam ferè deſijt vſus oculariorum medicamentorum. nam medici,cum hoc viderint, *Metallica* utuntur potius decoctis,& quibuſdā alijs. Itaque cōſulo,& quæſo, utamini non medicamē- *quō apponenda.* tis præparatis in officinis;ſed præparetis ea uos ipſi,& pręcipuè metallica,quorū pollinē tā

tenuiſſimum, & ferè impalpabilem oportet accipere, alioqui excitabitis inflammationem: Et ſi caſu vultis vti medicamentis paratis in officinis, non admiſceatis cum mitigatorijs; nec vtamini ipſis talibus, qualia accipitis ex officinis; ſed ponatis ipſa in linteolo facto ex goſſipio, quod ſit ſpiſſum, & factò faſciculo madefaciatis ipſum ſæpe, & leniter exprimatis, & illo, quod ſubſidebit, deinde vtemini, illo, inquam, quod ſubſidebit in aqua, & erit puluillus impalpabilis ferè, & toties exprimetis faſciculum, quoties madefactus fuerit, alternatim enim debet madefieri, & exprimi, donec egrediatur tota illa pars tenuiſſima, quæ poſtea ſubſidebit in fundo, & etiam admiſcebitis cum mitigatorijs. Poteritis etiam admiſcere aliquid opij, vel vtamini aliquo medicamento compoſito antiquorum, quod habeat opium, quæ varia ſunt. Ego tamen vtor quibuſdam determinatis, & ſunt, collyrium libianum vocatum; collyrium aſter; collyrium vocatum tephron, ideſt quaſi cinerulētum; ſed præcipuè vtor illo collyrio, quod vocatur cygnus; vel vtor collirio albo ex deſcriptione Meſues, vtor, inquam, vbi non eſt opus deterſione, & vbi eſt dolor in oculo, & tale collyrium habetur paratum in officinis, eſtque duplex: vnum cum opio; alterum ſine opio, & vocatur vtrumque, vt etiam omne collyrium, ſief ab Arabibus; ſed collyrium album ſine opio vocatur ſief albū ſine opio; alterum ſief album cum opio: nam ſief apud Arabes idem eſt, quod collyrium apud Græcos: Quando itaque adeſt dolor, vtor collyrio albo cum opio; cum verò non adeſt dolor, vtor altero ſine opio. Hæc ergo collyria atterimus ad cotem, addito lacte, aut albo oui, & in oculum infundimus.

Collyria.

Non oportet in curatione oculorum eſſe tam timidos.

Aduerſus Nurſinos.

Et notate, quod noſtri Practici ſunt timidi prætermodum in curatione oculorum, quæ nimia timiditas eſt illaudabilis, & eorum timiditate factum eſt, vt curatio affectuum oculorum iam relicta ſit diabolicis quibuſdam hominibus, ſcilicet Nurſinis, qui pro vno ſolido interficerent hominem: nam ſi ſibi occurrat aliquis, cui extrahendus ſit lapis è veſica, Nurſini aggrederentur actionem, etiam ſi viderent virtutem iam debilem, & ſcirent illum paulo poſt moriturum: dummodo enim lucrentur quatuor ſolidos, non curant amplius de vita hominis: hoc peperit timiditas noſtrorum Medicorum in affectibus oculorum, vt eorum curatio relicta iam ferè ſit diabolis iſtis: & inter alia quæ timent in oculis, eſt quod abhorrent ab Opio: nam dicunt, quod refrigerat valde, & facit cæcitatem. Sed dicant mihi quæſo quot cæcos viderint ex vſu opij, vel collyrij cum opio? profectò non poſſunt reſpondere. Præterea non vident, quod dum damnant opium, & quæ ipſum recipiunt, accuſant Galenum, qui in lib. de compoſitio. medic. per loca, vbi agit de collyrijs, & Paulum in ſeptimo lib. & Aetium in ſeptimo lib. in quibus locis habetis multorum collyriorum deſcriptiones, & ex quinquaginta vix duo reperietis, quæ non recipiant opium. Cum itaque antiqui tam frequenter vſi ſint opiatis in affectibus oculorum, non eſt, ut nos adeo timeamus: & ideo audacter utamini opiatis in affectibus oculorum, ubi præcipuè eſt dolor; alioqui res mali ſuccedet: & nullum ego uidi obcæcatum ex uſu collyrij cum opio. Vtamini ergo ipſis præcipuè cum adeſt aliquis dolor, & quando dolor eſt ingens, vtamini etiam puro Opio.

Falſum eſt ex vſu opij fieri cæcos.

Si autem in ulcere adſit ſordes, tunc mitigantia illa dicta non conueniunt, quia nutriunt ſordem, excepto tamen lacte aſinino, & canino: & ideo metallicis admiſceatis uel decoctum fænu græci, quod moderate detergit, & habet ſubſtantiam mucoſam, & lenem: ideo poterit conſeruare, & detinere metallica in oculo; ſed decoctum non habeat admixtum puluerem, nec acredinem, quæ acredo eſt in ipſo ratione amaritudinis: nam ſemen fenugræci circa corticem amarum eſt: unde Antiqui utebantur multa diligentia in conficiendo tali decocto, ut docet Aetius lib. ſeptimo cap. 15. & Galenus in quarto de compo. medic. per genera cap. primo: accipiebant enim ſemen expurgabant, & abluebant ter, & quater; deinde per diem macerabant in aqua tertio abijciebant aquam illam, & coquebant in aqua pura in uaſe teſtaceo, non autem æneo, quia redderetur medicamentum acre: cum ſemen erat aliqualiter coctum, abijciebant aquam, ſeu decoctum illud, ut omnis amaritudo recederet; & addebant nouam aquam, & coquebant ad mellis conſiſtentiam: & hac mucilagine utebantur, quæ bona erat per tres dies; deinde fiebat acida.

Decoctum fenugræci.

Nos etiam diligenter paramus hoc decoctum, ſeu mucilaginem, quomodocumque appelles, nihil refert: nam nouies abluimus ſemen aqua feruenti (ex hac enim ablutione detergitur omnis puluis, abitque acredo) deinde coquimus, paramus mucilaginem: cui addatis parum mellis; uel parum mellis roſacei, uel ſyrupi roſ. recentis; addatis inquam, aliquid ex his, ſi uultis ut magis detergat.

Deterſo vlcere, redeatis ad prima illa collyria, cum quibus admiſcebitis, vel album oui, vel aliud medicamentum ex dictis, & vtemini aliquo ex illis collyrijs donec vlcus expleatur carne: & ſi videritis, quòd non bene expleatur, vtamini ijs, quæ magis ſarcotica ſunt, vt admiſceatis ipſis collyrijs, vel metallicis, myrrham, vel ſarcocollam; vel parate medicamen

tum,

Medicamentũ pretioſum ex ouis duris.

rum, vt ego ſoleo, pretioſiſſimum ex ouis duris, hoc modo: Coquatis oua cum teſta, donec dura fiant; deinde diuidatis oua, abiecto putamine, pertranſuerſum in medio, & extrahatis vitellum, & partes illas albas, quæ erunt veluti cotyle, expleatis ſief albo ſine opio & cũ ſief miſceatis dimidiam partem myrrhæ, vel ſarcocollæ, & aliquando parum ſaccari albi; deinde apponatis his partibus albi oui triplex filum; triplex dico vnicuique vt fiat veluti trutina illa, qua penditur caro, & fructus, & bilancia dicitur vulgo: hoc facto capiatis phialam vitream magnam, & oris latioris, & in ipſam ponatis de filo triplici ſuſpentas omnes illas oui partes, & imponatis tot, quot poſſunt ingredi, & quot opus eſt, & omnes ſtent ſuſpenſę circa medium phialæ; deinde claudatis optime phialam ſtuppa, vel panno aliquo triplicato, vel alia materia; & ponatis phialam in vas, vbi ſit aqua, quæ bulliat, quo fiet, vt eliquetur materia, quæ eſt in ouis illis, & breui tempore reperietis oua illa plena liquore, in quo etiã admixtus erit liquor eliquatus, & extractus ex ſubſtantia illa ouorum: Hunc liquorem ſeruabitis ad vſum horum vlcerum, & cum vultis ipſo vti, miſceatis cum eo album oui vel mucilaginem, vel quid ſimile, & videbitis, quòd optimè explebit vlcus carne.

Sief de thure obducit cicatricem. Iſis, & collyrium cleonis.

Expleto vlcere carne, deuenietis ad ea quę magis ſiccant, vt vlcus obducatur cicatrice, ad quem vſum optimum eſt ſief de thure, quod tenetur paratum in officinis: habetis, & alia multa apud Aetium, quibus poteſtis vti; tamen, ſi bene non ſuccedat generatio cicatricis, vtamini pręcipuè iſide, vel collyrio cleonis, quod deſcribitur a Galeno & ab omnibus, & optimum eſt; quod ſi nõ bene faciat, addatis ipſi parum ſquammę chalybis vſti optimè emolliti, & loti, vt impalpabilis ferè ſit; & neceſſariò vlcus obducetur cicatrice: Hæc de vlceribus oculorum tam ſuperficialibus, quam profundis; in quibus tamen non adeſt integra perforatio, vt vlcus deueniat vſque ad aliam ſuperficiem, & fiat procidentia vueę; In ſequenti agemus de vlcere cum procidentia; deinde de fiſtula lacrymali.

De vlcere oculorum cum procidentia vuea. *Cap. LVIII.*

IAm proponatur nobis vlcus oculi cum diſruptione corneæ, vel durę membranæ, ita vt vuea prolabatur, & fiat procidentia, quæ vel ſit parua, vt caput muſcæ; vel ſit ſtaphylomatis voce donata, quia eſt maior; vel ſit ea, quæ pomi nomine vocatur, quia adhuc eſt maior; uel ſit clauus dicta, quia dura ſit, & uideatur caput claui infixi. Si itaque procidentia ſit dura, & magna, dicatis quòd ulcus eſt incurabile, & nihil circa ipſum agatis, quia omnia erunt fruſtra. Sed notate, quòd antiqui in affectibus oculorum nõ ſolum obſeruabant functionem partis, ideſt uiſionem, ſed etiam uenuſtatem & decorum: unde cum procidentia magna faciat non tantum cęcitatem; ſed etiam turpem reddat hominem ut uos potuiſtis obſeruare: nam hæc affectio, ſcilicet magna procidentia claualis, & dura, uocatur uulgo perla, cò quod ſit ueluti unio albus hærens in oculo. Videntes igitur antiqui, quod non poterant ſanare hoc ulcus, & auferre cęcitatem, tentabant ablationem procidentiæ ob decorum: & ideo deueniebant non ad medicamenta; ſed ad actionem chirurgicam, de qua actione agit Paulus, Aetius, & omnes, & docent per filum auferre talem unionem perlam dictam uulgo: Sed eſtote cauti, ut optime monet Auicenna, quia talis operatio non eſt tuta: ſuccedit enim ingens dolor oculi, quo dolore fit, ut materia cõtenta in cauitatibus capitis agitetur, & tranſcoletur non ſolum ad oculum affectum, ſed etiã ad ſanam, & ideo poſſet ſuccedere magnum aliquod incommodum: hoc eſt unum incommodum. Alterum eſt quod foramen poſtea illud relictum numquam poſſet cicatrice obduci; & ideo per ipſum egrederentur humores. Tertium incommodum eſt, quod antequam tunica fieret calloſa, & clauderetur foramen, natura incipiet nutrire partem illam: malum autem eſt auferre partem, quam natura nutrit: incommodum ergo eſt, quod non eſt auferenda pars illa calloſa, quia natura cępit ipſam nutrire.

Procedẽtia clauialis, perla dicta.

Quo eã auferebãt antiqui.

Incõmoda illum modum ſequẽtia.

Si autẽ ſint reliquæ procidentiæ, ut illa, quæ aſſimilatur capiti muſcę, uel illa, quæ eſt ſimilis paruo acino vuæ, vel illa, quæ eſt ſimilis malo, tunc inquit Galenus in 4. de compo. medi. per loca, quòd actis communioribus curatio conſiſtit in optima ſiccatione ulceris, & in magna ſtipatione aſtrictioneue: & ita oportet uti medicamentis ijs, quę aſtringunt, & ſiccant robuſtè, ut per ſiccantia exiccetur ulcus, & per aſtringentia repellatur uuea tunica ad ſuam ſedem: Inter hæc autèm medicamenta primas tenet lapis hæmatites; ſtibium lotum, & non combuſtum; lapis ſpecularis lotus tantum; cuperoſa uocata à recentioribus, & eſt ſpecies chalcanti albi; non tamen eſt chalcantum illud album, de quo meminit Auicenna: nam iſtud recentiorum eſt mite medicamentum,

Reliquarũ procidentiarum curatio.

Siccantia, & aſtringentia.

mētum,& eſt lapidoſum,& albū,& ipſo utimur loco chalcitidis, qua caremus: nā chalcitis maximè laudatur in his affectibus: poſſumus etiam eius loco vti vitriolo, ſeu chalcantho Romano, quod mite eſt: alia autem genera chalcanthi nimis exurunt, & cauſtica ſunt; at Romanum eſt mite, & maximè aſtringit: addatis his ſuccum roſarum, ſuccum, vel decoctum myrtillorum, aloem, omphacij ſuccum, hypocyſtidis ſuccum acaciam, corticem

Succus ex myrobalanis citrinis quō fiat.

thuris, ſuccum foliorum oleæ; ſuccum poligoni: vltimo addatis ſuccum ex myrobalanis citrinis factum ad cotem: accipiatis gladiarium cotem, illum ſcilicet, quo acuuntur gladij, abluatis, deinde infundatis ſupra parum aquæ roſaceæ, & ſenſim, ac ſenſim fricate myrobalanum, & fiet ſuccus dictus: hæc eſt materia ex qua varia poteritis componere medicamenta, niſi velitis ſimplicibus vti. Et ſi vultis compoſita, vtamini collyrio illo antiquorum, quod dicitur theodotion, vel collyrio nardino, vel collyrio Olympiaco, vel collyrio,

Collyria.

quod dicitur diaijtheas, i. ex germinibus oleæ, quæ collyria deſcribuntur ab Aetio, in 7. lib. & à Paulo in 7. lib. c. de collyrijs, licet aliqualiter varient. Sed in horum medicamentorum uſu notate, quod ſi cum ulcere, & procidentia nō ſit coniuncta inflammatio, vtamini collyrijs puris, & optimè leuigatis: ſi autem adſit inflammatio nō vtamini puris collyrijs, ſed mix-

Oculus tenendus ſēp clauſus. a Operatio antiquorū.

tis cū lacte, vel cum mucilagine, vel cum albo oui. Notate etiam, quod in vſu horum medicamentorum, pro curanda procidentia, Antiqui faciebant, vt oculus maneret ſemper clauſus, primò ne læderetur à lumine; ſecundò ne continuo eſſet in motu, quod eſt valde noxium; Tertiò, vt à palpebra comprimeretur vuea, & truderetur in propriam ſedem: vnde impoſito medicamento ſuperaddebant vittam, vel faſciolam; & antequam ſuperadderent vittam, imponebant ſpongiam madidam medicamento aliquo, quod ſiccaret, & arceret inflammationem, & medicamentum eorum erat poſca, ideſt aqua cum pauco aceto admixto; aliquando vtebantur vino aſtringente, vt auſtero, vel acerbo: aliquando decocto roſarum: Nos autem vtimur aqua roſacea, qua nihil eſt præſtantius, & eo magis, ſi cum ea miſceatur portiuncula aceti roſati: in hoc ergo liquore madefaciatis & vos ſpongiolam, vel cotonem, & imponatis; deinde, ſuperaddita faſcia, vinciatis, vt oculus ſtet clauſus, & vt à ſpongia, & deligatione fiat maior compreſſio vueæ tunicæ ad ſuam ſedem:

Medulla panis.

& in omnibus obſeruate inflammationem oculorum, & quando imponitis collyria, ſeruetur ſemper oculus clauſus: Aliquando ego accipio medullam panis craſſam, & macero poſca, vel alio dictorum liquorum, & impono ſupra procidentiam; deinde, addita faſcia, vincio: & panis iſte eſt certè optimus: nam præter alia conſeruat partem madidam medicamento: gitur poteritis vti tali offa panis loco cotonis, & ſpongiæ: & ſubinde mutabitis, & renouabitis medicamenta, vt videbitur opportunum, & hoc modo curabitis oculorum vlcera profunda. Iam agamus de fiſtula lachrymali.

De fiſtula lacrymali. *Cap. LX.*

Fiſtula lachrymalis eſt vlcus magni momenti; vocatur autem fiſtula lachrymalis, quia afficit lachrymale oculorum, vt plurimum, nam in angulo interno oculorum eſt cauitas anguſta, quæ habet propriam tunicam, qua fiat, & obducta eſt caruncula, quæ eſt inſerta partim in foramine ingrediente nares, partim extra apparet in interno angulo oculorum, & eſt caruncula illa rubea, quæ à Græcis dicitur rhias, ideſt fluxio; & quāuis uideatur caro, tamē eſt ſubſtātia glandoſa rubea, ſub qua eſt cauitas à me dicta, quæ cauitas anguſta eſt, ita vt non excedat magnitudinem vnius grani tritici, & iſta cauitas vocatur lachrymale, eò quod ibi primò

Lachryma vnde fluāt ad oculum.

colligantur lachrimæ, & inde poſtea fluant ad oculos. Sed quo modo? dices tu: Antiqui putarunt, quod per carunculam dictam fluerēt à lachrymali ad oculos: vnde dicebant, quod quoties caro illa eſſet diminuta, & conſumpta, fieret magna lachrymarum fluxio ad oculos; quando autem caro illa eſt copioſa, dicunt quòd paucæ fiunt lachrimæ: Sed ego dico quòd non fluunt lachrymæ à lachrymali ad oculos per carunculam illam; ſed per duos cæcos meatus omiſſos ab antiquis: & meatus ſunt in palpebra, vnus quidèm in ſuperiori, alter in inferiori: & parui admodum ſunt; tamen, ſi trahatis palpebram inferiorem deorſum, videbitis in ipſa prominentiam quandam, & ibi eſt meatus: idem etiam videbitis in palpebra ſuperiori; per quos meatus in mortuis, iniecta ſeta, deuenimus in oſſis cauitatem, quæ lachrymale dicitur: vnde omnes lachrymæ, quæ ad oculum deueniunt, primò veniūt ad lachrymale, & inde poſtea ad oculum per geminos hos meatus naturales, qui ambo

Cur factū fuerit lachrymale.

coincidunt in lachrymale. Qua ratione autèm natura fecerit illam cauitatem, nimirum lachrymale, patet, ad humectandam ſcilicet ſuperficiem exteriorem oculi: ex foraminibus enim illis duobus naturalibus ſemper emanat aliquid, quod lubricam reddit internam

Digitized by Google

ſuperficiem palpebrarum, & externam ſuperficiem oculi: quod fuit neceſſarium; nam
oculus durus eſt, palpebrarum quoque interna facies dura, & neruoſa eſt: ideo ex motu pal
pebrarum ſuper oculum vtrumque fuiſſet exſiccatum: & ideo opus fuit aliquo hume-
ctante, & hac de cauſa factum eſt a Natura lachrymale.

Quoniam verò in paſſionibus animi fiunt expreſſiones partium internarum, & muſcu- *Quommo*
lorum, & partium illarum, quæ ſunt circa cerebrum (per quam expreſſionem humidæ ma *do fiunt la*
teriç truduntur ad lachrymale) hinc eſt, quòd in perturbationibus animi, vel lætis, vel do- *chrymæ in*
loroſis fiunt multæ lachrymæ: & quanto animus eſt magis alterabilis à paſſionibus animi, *perturba-*
tanto abundantiores, & crebriores fiunt lachrymæ, & quia feminæ ſunt admodum muta- *tionibus.*
biles, & alterabiles, hinc eſt, quod habent ſemper lachrymas paratas. Hic omittam de vſu,
& de generatione lachrymarum, quia iſte non eſt locus: & hęc volui dixiſſe de lachryma-
li, vt cognoſceretis morbum, de quo nunc agimus & eſt vlcus in cauitate illa, ſcilicet in la
chrymali, quod eſt cauitas, ſeu ſinus, à quo gemini meatus ortum ducunt, & deſinunt ad *Quod ſit*
oculum: vnus in palpebra ſuperiori, alter in inferiori, vt dixi. Sinus iſte conſtituitur in inter *fiſtula la-*
na cauitate oculi in angulo interno, vbi eſt caruncula rhyas Græce dicta; accidit ergo, vt *chrimalis.*
in eo ſinu, qui lachrymale dicitur, colligatur ſanies, quæ exulcerat, & egreditur aliquando
per geminos dictos meatus naturales, vt patet, ſi oculus comprimatur in inferiori angulo:
Aliquando perforatur cutis exterior & fit vlcus, & per ipſum egreditur ſanies in lachryma
li collecta: Et vtraque dicitur fiſtula lachrymalis ſiue, ſanies exeat per meatus geminos na
turales, ſiue per vlcus; hoc tamen intereſt, quod quando exit ſanies per duo illa foramina,
vocatur fiſtula lachrymalis integra cute, at quando emanat per vlcus dicitur fiſtula lachry
malis diſrupta, ſeu corrupta cute: & fiſtula lachrymalis integra cute vocatur à græ-
cis anchilops; illa autèm corrupta cute; dicitur à Grecis ægilops, & ab Auicenna *Anchilops*
algarab. Debetis autèm ſcire, quod vtraque hæc fiſtula ideo vocatur fiſtula, quia *Aegilops.*
ſicut in fiſtula eſt vlcus intortum, anguſtum, & profundum; ita & illæ duæ fiſtu-
læ ſunt, & pręcipuè anchilops: nam intorta admodum, & anguſta via egreditur
ſanies per gemina illa foramina naturalia; ægilops autem fiſtula corrupta cute vocata
eſt à græcis, eò quod reddat oculos tales, quales ſunt oculi capræ, nimirum tumidos in an- *Duplex ge*
gulo interno. Vtraque autèm hæc fiſtula, ſcilicet tam anchilops, quam ægilops eſt duum *nus fiſtula*
generum: nam vna eſt, in qua os ſubiectum eſt detectum, & corruptum; aliqua, in qua os *rum lachri*
non eſt detectum, nec corruptum. *malium.*

Cauſæ autèm fiſtulæ ſolent eſſe hæ: aliquando cauſa eſt procatharctica, vt ictus, ſeu percuſ *Cauſa.*
ſio circa angulum internum: nam ex percuſſione fit inflammatio, & abſceſſus in lachry-
mali: quo diſrupto, ſuccedit fiſtula. Aliquando oriuntur tubercula (botor ab Arabibus di-
cta) circa lachrymale quæ à principio ſunt dura; deinde matureſcunt, & facto abſceſſu, di-
ſrumpuntur, & fit fiſtula. Tertiò fit fiſtula lachrymalis hoc modo: ſi quis patiatur lippitu-
dinem naturalem, idest fluxum lachrymarum copioſum (quæ lachrymæ aliquando ſunt
calidæ, & ſiccæ & acres, veluti aqua ſtillata ex bile) ideo tales lachrymæ contentæ aliquan-
diu in lachrymali erodunt, & fit vlcus, pus, & fiſtula. Igitur primo cauſa eſt exterior, & pro-
catharctica; ſecunda eſt generatio tuberculi non præcedente aliqua cauſa externa; tertia eſt
fluxio lachrymarum acrium exulcerantium lachrymale.

Sed quomodo hæc cognoſcam? Primò per præcedentia: nam æger refert ſe luſiſſe, verbi *Cognitio.*
gratia, pugnis, & vnum recepiſſe in angulo interno oculi; alius dicet ſe paſſum fuiſſe in-
flammationem; ex mora ſub ſole, vel ex alia cauſa; alius dicet ſe paſſum eſſe lippitudinem
acrem, & hæc vt plurimum ſolet eſſe cauſa harum fiſtularum: ex his ergò cognoſcetis fiſtu
lam, & à qua cauſa ſit facta. Sed ſi ſit fiſtula integra cute, quomodo cognoſcam, cum non *Si ſit fiſtu-*
adſit conceptaculũ, nec via per quam poſſim deuenire ſtylo ad profundum, quomodo, in- *la integra*
quam, cognoſcam, quod habeat os corruptum? Dico, cognoſcetis his ſignis: primò aderit *cute, & oſ-*
fætor: ſecundò ſentietis appoſito digito magnam cauitatem in angulo interno, & hoc cũ *ſe corrupto*
ſenties comprimendo, indicatur os eſſe corruptum, & denudatum; ſi autèm præter caui-
tatem ex compreſſione fiat etiam dolor, eris certus de aſperitate oſſis: nam compreſſa ex-
teriori cute fit vt hæreat per cõpreſſionẽ oſſi inæquali, & aſperitatibus illis, ideo fit dolor.

Tertiò ex fætore: nam ſi iniiciatis linteolum, & extrahatur madidum ſanie, ſentietis ip-
ſum fætere. Si autèm cutis ſit diſrupta, & corrupta, & per ulcus egrediatur ſanies, tunc ex in- *Si cutis ſit*
iecto ſpecillo perſentietis & aſperitatem, & corruptionem oſſis, & omnia in ipſa fiſtula. *diſrupta.*
Cui fiſtulæ debetis gratias habere in hiſtoria naturali, quoniam fuit in cauſa, ut ego inueni-
rem muſculos oculorum, qui aperiunt oculos ipſos. Galenus enim mouet dubium de mu *De muſcu*
ſculis mouentibus palpebras, an muſculus, qui mouet palpebras, ſit in angulo interno ocu- *lis mouen-*
li, & inquit, quod ſic. ſed poſtea iterum dubitat, quia in egilope ſubſtantia palpebræ abſu- *tibus pal-*
mitur in angulo interno, & conſequenter abſumitur muſculus ille; tamen ſanato ægilope, *pebras.*
uidemus, quod æger minus nihil mouet palpebram, & aperit oculum æquè benè. Galenus

non

Digitized by Google

non reſpondet ad hoc dubium, ſed relinquit ipſum ita inſolutum. Ego autem actus à tali dubio, & auctoritate Galeni laboraui multum, & tandem inueni muſculum aperientem oculum, qui eſt in cauitate ſuperiori oculi, & incumbit alijs muſculis mouentibus oculum, ita quod poſſumus ſecare, & inurere ipſum, & abſumere partem ipſius muſculi, tamen aperietur oculus: habeatis ergo gratias fiſtulæ lachrymali. Vt igitur ad rem reuertar, ſi cutis adſit corrupta, ita vt ſit fiſtula corrupta cute, tunc per iniectum ſpecillum cognoſceris omnia.

Curatio.

Cognita natura fiſtulæ, venio ad curationem, nec docebo hic curationem inflammationis, nec tuberculorum frigidorum ipſorum Arabum: quoniam hoc attinet potius ad tractationem de tumoribus preter naturam; de quibus anno ſequenti Deo fauente agam; ſed ſolum docebo vos curationem fiſtulæ, quam dixi eſſe duplicem, & primò curemus illam, in qua integra eſt cutis, & ſanies exit per gemina illa foramina naturalia, de cuius curatione legaris Paulum lib. ſexto cap. 22. & Aetium in ſeptimo ſerm. cap. 85. Oportet igitur repellere, & ſtrenue ſiccare vlcus per ea, quæ imponuntur extrinſecus, & per illa, quę citò poſſunt peruenire ad locum exulceratum: per foramina autem illa non poſſumus quicquam inijcere, quia anguſta prætermodum ſunt, ſed oportet infundere medicamenta in angulo oculi, vt per carunculam penetret in ſinum. Igitur vtemini duplici genere medicamentorum, alia quidem ſunt ſub forma emplaſtri; alia ſub forma liquida; omnia tamen debent ſtrenuè ſiccare, atque aſtringere. Dicamus primò de ijs, quæ ſunt ſub forma craſſiori, & applicantur extrinſecus, & ſunt caro cochleæ contuſa optimè cum ſua teſta, & applicata interno angulo oculi, aloes, myrrha, oppoponax, balauſtia, mirobalanus citrinus, ſquamma ferri, & multa alia.

Si cutis ſit integra.

Duplex medicamẽtorũ genus, ſiccans, & aſtringens.

Sub forma craſſiori.

Primũ medicamẽtũ.

Sed propono iam tria, vel quatuor genera emplaſtri, quibus ego vtor: Primum eſt: accipiatis vnam cochleam, contundatis optimè vnà cum ſua teſta; deinde admiſceatis parum myrrhæ, aloes, & oppoponacis; & facto emplaſtro, applicetur clauſo oculo in angulo interno, & ſi non ſit corruptum os, res optimè ſuccedit. Vel capiatis farinam orobi, farinam ægilopis, quæ eſt vna ſpecies auenæ, & eſt auena illa piloſa, accipiatis, inquam, farinæ iſtorum. an. ℥ s. cochleam vnam contuſam optimè cum ſua teſta, aloes, croci. an. ℈ ij. miſce cum albo oui, vel cum luteo oui, & fac emplaſtrum, quod habet maximas vires: nam crocus concoquit, mitigat dolorem, & ſiſtit fluxionem, reliqua autem ſiccant, & agglutinant. Tertium robuſtius adhuc, quo ego ſoleo vti eſt: accipiatis recrementum ferri ideſt ſcoriam ferri optimè tritam, & terram figularem, & bolum Armenum vulgarem, & addatis acetum, & aquam fabrorum (illam, ſcilicet, in qua extinguunt ferrum ignitum, & forcipes) & addito pauco oppoponace, faciatis emplaſtrum, quod eſt præſtantiſſimum.

Secũdum.

Tertium medicamẽtũ valeantiſſimum.

Sed ſi videritis, quod his medicamentis non poſſitis ſiccare vlcus, tunc tentate apertionem, & dilationem vlceris, vt medicamenta poſſint validius agere. Vnde quando video, quod ſiccatio non ſuccedit medicamentis dictis, vtor illis, quæ Galenus docet in quinto de medic. ſecundum loca, cap. ſecundo ex Archigene, & faciunt ad apertionem fiſtulæ, & ſunt: erui farina cocta cum melle cinis ſarmentorum vitis coctus cum lixiuio, & melle, ad conſiſtentiam mellis: farina ægilopis cocta cum melle, & lixiuio acri ad emplaſtri conſiſtentiam: attenuat enim cutim, & eſt in cauſa, vt diſrumpatur: addatis ſemen ſtaphidis agriæ, & ammoniacum æquali portione accepta, & cocta in lixiuio, & melle ad emplaſtri conſiſtentiam: aliquando accipimus alumen commune, & chalcanthum æqualibus portionibus, & addimus parum terebynthinæ, parum mellis, & lixiuij, & coquimus omnia ſimul, donec acquiſiuerint emplaſtri conſiſtentiam, & imponimus, & ſiccat, attenuat, aperitque cutim.

Apertio fiſtulæ ex ſiccantibus, et attenuantibus.

Quod ſi fruſtratur ſiccatio, & apertio cutis per iſta exteriora, tunc tento ſiccationem per interiora, ideſt per ea, quæ infunduntur in oculum, & vtor gallis, hypociſtide, malicorio; ſed omnia ſuperat mirobalanus citrinus, cui ego edoctus experientia tantum fido, vt ſtatim confugiam ad ipſum, quoties poſſum ipſum habere bonum, & non carioſum: & curaui ipſo multas mulieres, quæ inciderant in hanc fiſtulam propter fluxum lachrymarum calidarum: Capiatis igitur cotem aquarium, quo acuimus gladios ſuper affuſa aqua, non autem illam, quo acuuntur gladij ſuperaffuſo oleo, & abluatis cotem aqua, vel vino, nihil refert; deinde in medio cotis affundatis vnam, vel duas guttas aquæ fabrorum, deinde molliter, & ſenſim fricate mirobalanum ſupra cotem, & ex attritu mirobalani reſudabit quidam ſuccus, qui colligitur; & ſenſim affunditur noua aqua fabrorum, & iterum fricatur myrobalanus, & colligitur; & ita fit ſemper, ita quod vno mirobalano atterendo conſumetis multum aquæ: & illius collecti ſucci, ſeu liquoris infunditur in oculum bis, & ter, & eſt medicatum, quod ſuperat omnia alia; aliquando cum hoc ſucco miſceo parum cuperoſæ, ideſt chalcanthi albidioris, vt cum vna vncia ſucci admiſcebo quinque grana cuperoſæ, & fit medicamentum pretioſiſſimum.

Per infuſa interius.

Myrobalanus citrinus optimũ medicamẽtum.

Addo

Digitized by Google

Addo etiam tertium auxilium pro fiſtula non aperta, nec habente os ſubiectum corruptum, & auxilium eſt acceptum ex recentioribus, & eſt quod tento deriuationem ſaniei ad nares; vnde ſtatim factis euacuationibus communioribus, tùm totius corporis tum capitis (quæ omnia ſuppono tamquam maximè neceſſaria, & vobis notiſſima) venio ad illa, quæ attrahuntur per nares, vt eſt ſuccus betarum, vel cyclaminis, vel alterius acris medicamenti, quod per nares attrahat.

Deriuatio ad nares.

Quod ſi nec hoc modo res ſuccedat, tunc tento apertionem, ſeu dilatationem fiſtulæ deinde mundo vlcus: ſi igitur vlcus non eſt apertum, ita vt poſſim videre vſque in fundum vlceris, inijcio vel radicem gentianæ: vel penicillum ex ſpongia molli; vel medullam ſagenæ, id eſt melicæ, vel ſurgi vulgò dicti: accipio medullã, comprimo, & formo in turundam, & inijcio, & hoc modo dilatatur fiſtula: qua dilatata, detergo vlcus emplaſtro Iſidis, vel vnguento abſterſiuo, vel vnguento Aegyptiaco puro, vel mixto cum diapompholygos: deinde venio ad ſarcoticum quod habeat magnam vim ſiccandi, vt gignatur caro ſtabilior, quæ non poſſit ita facile colliquari: vnde quoties vtor ſarcotico medicamento, inſpergo aliquid ſquammæ æris præparatæ in vlcus, donec fuerit repletum carne, & obductum cicatrice.

Dilatatiò vlceris.

Si os ſit corruptum, abradatis ipſum paruis, & accommodatis inſtrumentis, deinde expleatis carne, & obducatis cicatrice: ſi vero os ſubiectum ſit corruptum, tunc neceſſariò oportet deuenire ad exuſtionem, vel cum medicamento potentiali, vel cum ferro ignito, vel cum plumbo eliquato, vt faciebat Archigenes: medicamento quidèm potentiali, vt oleum chalcanti, vel aqua ſulphuris; ſed vſus iſtorum, ſicut & plumbi eliquati, non eſt tutus, quia cum fluant, abſumerent carnes, & alias partes ſanas: & ideo m[illegible] ſummè placet vſus ferri, vel auri igniti, & vſus probatiſſimus eſt & tutus. Archigenes vt dixi, vtebatur ad exurẽdum os plumbo eliquato, quia penetrat vſque ad profundas par[illegible]. ſed nullo modo placet, quia cum inſiliat, poſſit inſilere in faciem ęgri: & quia flui[illegible], poſſet facilè fluere ad oculũ, & partes ſanas etiam abſumere. Itaque vtamini ſemper fer[illegible] ignito, quod ſit oliuare, i. habeat in ſũmo figurã nuclei oliuę; ſecundò habeatis fiſtulam argenteam, vel ferream quã antea imponetis in fiſtulam, & ſit anguſtior in ea parte qua hæret oſſi, quã in altera, quæ extrinſecus remanet, & per hanc fiſtulam inijciens poſtea ferrũ ignitum; alioqui poſſetis exurere partes circumpoſitas. Sed notate quod quando os tangitur à ferro ignito, ſolet egredi fumus quidam ignitus, qui exurit ſupercilia: ideo debet optimè fiſtula ſuo extremo anguſtiori hærere oſſi, vt totus ille fumus exeat per fiſtulam: & quia fiſtula ſtatim à ferro ignito impoſito incaleſcit adeo, quòd exuret partes circumpoſitas, quæ ipſi hærent, ideo, ne hoc incommodum ſequatur, obuoluatis panno partem illam totam fiſtulæ inijciendam in vlcus: nam quamuis pannus incaleſcet; tamen panni caliditas non poterit facere dolorem, nec exurere contangentes partes. In exurendo autèm oſſe aliqui recentiores dicunt, quòd nos non poſſumus ſanare fiſtulam cum ſubiecto oſſe corrupto, niſi exuramus os vſque ad cauitatem narium, ita vt totum os exuratur, & poſtea concidat. Aliqui alij dicunt, quòd ſufficit exurere ſuperficiem oſſis; deinde ſubula, vel alio acuto inſtrumento perforandum eſt os exuſtum, vt foramen deſcendat in cauitatem narium. Sed nęniæ hæc ſunt. Dico igitur quòd os eſt exurendum eouſque, donec exiſtimaueritis, quòd ſit corruptum; nec eſt facienda perforatio deſinens in cauitatem narium: nam videatis, quod incommodum ſequeretur: cadente oſſe, numquam amplius foramen expleretur carne, nec amplius excernerentur lachrymæ. Poſt exuſtionem ſuper inſpergatis pulueres, qui faciunt ad caſum, & ſeparationem oſſium: cadente oſſe, explebitis vlcus carne, & obducetis cicatrice, Sed poſt exuſtionem factam ſtatim incumbendum eſt mitigationi doloris, quod facietis impoſito medicamento facto ex lente paluſtri cocto, farina hordei, oleo, lacte, & aqua: ex his omnibus facietis emplaſtrum & applicabitis; vel capiatis helſinem herbam, vel mioſotida, quę hic vulgò dicitur pauarina; & coquatis, & addito oleo roſaceo, farina hordei, & aqua facietis emplaſtrum, & imponetis. Sedato dolore ſuper inſpergetis pulueres, qui faciunt ad caſum oſſis, quod cum ceciderit, explebitis vlcus carne, & obducetis cicatrice.

Si os ſit corruptũ.

Medicamentũ potentiale.

Ferrum ignitum.

Quouſque exurendũ os.

Pulueres ad caſum oſſium.

Super eſſet iam agere de carbunculo. & de cancro; ſed hæc pertinent magis ad tractationem de tumoribus: ideo ipſis omiſſis veniam in ſequenti ad vlcera narium, & palati, & papillarum; & tandem ad fiſtulam ani, & finem imponemus tractationi de vlceribus, & ſingulis diebus, qui ſuperſunt vſque ad finem gymnaſij, legemus de medicamentis purgantibus, vt poſſimus & materiam illam abſoluere: In ſequenti igitur de vlceribus narium, & palati.

DE

De vlceribus narium. *Cap.* LXI.

Diuerſitas vlcerũ narium.

VLcerantur nares,& vlcera non ſunt ſemper vnius tantum generis,ſed alia ſunt grauia,& maligna,alia benigna,& mitia, quę glichea vocãtur à Græcis hoc eſt dulcia,eo quod non ſæuioribus ſymptomatibus moleſtent : ex ſæuioribus poſtea alia ſunt ſerpentia, quæ habent etiã adiunctum fætorem magnum,& hæc à Græcis dicuntur ozænæ apo tu ozin , quod grauem odorem ſpirent: alia ſunt quidem ſerpentia, ſed non fætent: quibus aliquando additur caro polypi,figura,al quando etiam caro non additur: talia ſunt genera vlcerum narium.

Cauſa vlcerum.

Cauſæ autem talium vlcerum ſunt aliquando externæ , vt medicamenta acria attracta per nares ad expurgandum caput : ſed vt plurimum cauſæ ſunt fluxiones acres,putridæ,vel non putridæ: nam acres humores,& putridi generant ozænas : acres & non putridi faciunt ulcus malum : at acres & tenues ſine aliqua mala qualitate gignunt vlcera glichea uocata: fluxiores poſtea ſunt variorum generum : aliquando enim id,quod fluit,& exulcerat,eſt ichor ſanguinis acris; aliquando eſt bilis flaua acris; aliquando eſt bilis atra erodẽs & acris: vt dicit Gal.in 3.de comp.medic.per loca aliquando eſt phlegma ſalſum : vnde omnes humores pariter, & omnes humorum ichores,qui vel ſua amaritudine,vel ſalſedine,vel acredine poſſunt erodere, ſi retineantur,ſunt in cauſa vlcerum narium :fiunt autem ulcera ſerpentia , prout magna eſt fluxio : fiunt etiam , vel cum fætore adiuncto, vel ſine, prout magis, uel minus putrida eſt materia exulcerans.

Signa horum vlcerum.

Signa talium ulcerum apparent,ſicut & illa,quæ diſtinguunt, an ab hoc, vel illo humore fiant : ex fætore cognoſcetis ulcus eſſe fætidum , ſicut ex procedentia cognoſcetis,quod eſt ulcus ſerpens.

Curatio.

Curatio vlcerum narium conſiſtit in communioribus illis, & in localibus medicamentis : communia ſunt corporis purgatio , & capitis purgatio, & exiccatio. Siue igitur vlcus ſit benignum , ſiue malignum , primò euacuetis totum corpus, & caput ; deinde exiccetis caput . Pro purgatione totius exhibeantur medicamenta purgantia peccantes humores, & inſtituatur recta victus ratio. Pro ſiccatione autem capitis monent antiqui , vt exiccemus partim per priuatam euacuationem , partim per ſiccantia : Per euacuationem quidem , ut apophlegmatiſmis , & maſticatorijs ; & Paulus dicit etiam,quod caput in his vlceribus eſt euacuandum per errhina validiſſima , ideſt per illa , quæ attrahantur per nares, quæ dicit , quod debent eſſe robuſta : vnde reperietis quædam errhina propoſita à Paulo, quæ habent in ſe elleborum , vel alia medicamenta electiuè educentia : & hæc ratio curandi per nares, per robuſtiſſima medicamenta proponitur à Paulo ex mente Galeni , & aliorum antiquorum , & probatur à Recentioribus. Sed talis curandi ratio mihi non placet , quia euacuat per locum affectum , qui ſemper eſt fugiendus niſi abſit alius locus,per quem poſſit fieri euacuatio:tunc enim eſt neceſſe euacuare per locum affectum;ſed in vlceribus narium non adeſt talis neceſſitas, quoniam poſſumus euacuare per varia loca , vt per palatum , per aures, per frictiones etiam : & quamuis concederem quod à principio,facta euacuatione corporis , ante vſum localium poſſemus vti errhinis; tamen non concedam vnquam quod errhina deberent in ſe continere medicamenta purgantia , quæ electiue attrahunt, quia ſimul , & ſemel fit repulſio , & attractio, qui motus contrarij ſunt: nam medicamenta pro his vlceribus debent eſſe ſiccantia adſtringentiaque,& ideo repellunt: ſi ergo his adiungatur medicamentum electiuè attrahens à capite,tunc ſimul,& ſemel fiet repulſio,ac attractio.

Euacuatio per errhina.

Fiat ergo ſiccatio capitis per ea , quæ euacuant caput per alias vias , fiat etiam per illa, quæ aſſumuntur per os , & per illa , quæ imponuntur capiti.

Aſſumpta per os euacuantia.

Per ea,quæ imponũtur capiti, exiccantia.

Per os exhibeatis poſt cænam, quando vult ire dormitum,conſeruam ſtœchadis,vel mirobalanos emblichos conditos , vel ſaccarum roſaceum mixtum cum puluere cupreſſi, vel cum puluere carabes , ideſt ſuccini . Capiti autem applicabitis emplaſtrum hoc , tonſis , uel deraſis capillis : Capiatis radicem anemones , uel iberidis , tundatis optimè , & admiſceatis fermentum , atque axungiam ; Vel imponatis emplaſtrum factum ex ſtercore columbino ; cui admiſceatur parum thapſiæ ; Vel , ſi timetis caliditatem iſtorum , accipiatis ea,quæ ſunt aliqualiter frigida,ut accipiatis album oui, puluerem cupreſſinum , argillam communem,& ſquammam chalybis,æquis portionibus, & ſimul mixtis fiat medicamentum ,quo illinatur caput,& optimè ſiccabit:

Stillicidiũ.

Applicetur autem hoc ſicut & alia medicamenta ad commiſſuram coronalem , deraſo capite; Vel deſcendatis ad ſtillicidia exiccantia; quę tamen non calefaciant,& ita conueniet ſtillicidium factum ex aqua aluminoſa, uel ſalſa, uel ex aqua, quæ contineat materiã chalcantoſam.

Digitized by Google

Pulueres. *Cerata.*

cantoſam. Inſpergimus etiam puluerem ſuper caput, vt eſt puluis ex cariophyllis, nuce cupreſſi, ſandalis, ex ſuccino, & ex ſimili materia, qui pulueres optimè ſiccant. Imponimus, & ceratum capiti deraſo, vt ceratum barbarum, & ſtrenue ſiccat: & ſi vultis, vt non ſolum ſiccet; ſed etiam attrahat ex alto, admiſceatis cum illo cerine æquis portionibus, ita vt accipiatis vnam partem barbari, & vnam cerines: hæc ſunt, quæ exiccant caput; quæ niſi præmittantur, nunquam ſanabitur vlcus.

Localia in tromuëda in nares. *Si vlcera ſint mitia.*

His factis, deueniatis ad Localia, quorum materia pro mitioribus vlceribus erit hæc: ceruſa, lithargyrium, plumbum vſtum, & lotum, lapis ſpecularis, lapis hæmatitis, pompholyx, cadmia, alumen gallæ, malicorium, oleum myrtinum, ſuccus plantaginis, ſuccus ſolatri: ex hac materia facietis vel decoctiones, quæ attrahantur per nares; vel linimenta in mortario plumbeo, & per pennam illinietis vlcera; vel facietis puluerem, & inſpergetis per fiſtulam in nares: & licet Aetius in his minoribus vlceribus vtatur trochiſcis Muſę Andronis, & Paſionis; tamen ego ſum huius ſententiæ: quod talia medicamenta non conueniant, quia ſunt nimis robuſta: & ideo contenti eritis materia dicta.

Si vlcus ſit ſordidum. *Deterſiua officinarũ.*

Si vero vlcus ſit ſordidum (etiam ſi ſit mite) addatis medicamentis dictis ea, quæ detergunt. vt: Accipiatis vinum vetuſtum, lixiuium non valde acre, & mel, æquis portionibus, & ſimul mixtis bulliant ad mellis conſiſtentiam: & hoc medicamento inungatur vlcus; deinde ueniatis ad uſum iſtorum. Verum notate, quod pro deterſione poteſtis etiam uti medicamentis quibuſdam, quæ habentur in officinis, ut eſt deterſiuum ex ſucco apij; deterſiuum ex melle roſaceo; abſterſiuum ſimpliciter uocatum in officinis; & unguentum Iſidis.

Si vlcera ſint maligna. *Validiora.* *Attrahenda per nares.* *Circa exteriores naſi partes.*

Si autem ulcera ſint maligna, & ſerpant, & fęteant, ueniatis ad robuſta medicamenta, & in primo loco eſt medicamentum ex tribus granatis deſcriptum à Galeno in curatione polypi: Coquuntur poma, exprimuntur, & fiunt trochiſci, qui ponuntur in nares, & optimum eſt medicamentum; & ſi uultis, addatis parum myrrhæ, & aloes, quod mihi ualde placet: Vel, ſi ulcus non cedat huic medicamento, deueniatis ad trochiſcos Andronis, Polyidæ, Paſionis, & Muſæ, & ſimilia, quæ ualidiſſima ſunt: Et tandem ad omnia illa, quæ habent chalcanthum paucum, uel miſy, uel ſory, uel chalcitidem: Abluatur etiam ulcus aliquo medicamento ſiccantiſſimo, ut quotidie ter, & quater attrahat per nares aquas thermales aluminoſas, uel ſalſas, uel chalcantoſas, uel decoctum ſumach, & mali punici, admixta aliqua quantitate aluminis, & chalcanthi Romani: & hoc decoctum attrahat ſæpe per nares; Vel attrahat aquam chalybeatam, in qua mixta ſit bolus armena. Circa exteriores etiam partes naſi eſt aliquid agendum, & ideo oblinatis nares extrinſecus albo oui, & aceto chalybeato, in quo diſſolutum ſit gypſum; Vel accipiatis bolum Orientalem, puluerem gallarum, & malicorij; & omnes hos pulueres diſſoluatis aceto dicto, & obliniatis nares, uel imponatis punicum malum decoctum, & contuſum. Omnia hæc opportuna ſunt: ſiccant enim, & repellunt, & ſanant hæc maligna ulcera: quæ, niſi citò ſanentur corrumpunt oſſa narium. In ſequenti agam de ulceribus palati, & gingiuarum, & papillarum, deinde ad fiſtulam ani, & tandem imponemus finem huic tractationi de ulceribus.

De Vlceribus palati, & oris.

Cap. LXII.

Primũ genus vlcerũ Aphtha. *Secundum genus roſio gingiuarũ.*

POſt ulcera narium, ſuccedunt ulcera palati, quorum quædam ſunt gallica peſſima, & mali moris, de quibus actum iam eſt in tractatione morbi gallici; alia ſunt leuia, de quibus eſt agẽdum; & ſolent oboriri in buccis, in palato, & circa linguã, & præcipuè in pueris, & aphthæ dicuntur: morbus eſt cõmunis, & ſuperficiem extimam, ſeu cuticulã ſolet exulcerare, & quandoq; ſerpit, & vertitur in nomã, uel in depaſcẽtiam: hoc eſt primum genus ulcerum oris: Alterum eſt, quo corrodũtur gingiuæ, & uocatur corroſio, uel eroſio gingiuarũ: de his ergo duobus tãtum generibus agam omiſſis alijs, & omiſſa inflammatione uuulæ, & faucium cum excoriatione: nam de hoc actum eſt cum tractarem de morbo gallico. Agam igitur de his duobus generibus vlcerum, & primò de Aphthis, quas cariem buccarum vocant, eò quod ſimillimæ ſint cariei pudendorum. Omitto iam cauſas aphtharum illarum, quæ oboriuntur in puerulis: nam de his aphthis cum egerit Excellentiſſimus D. Aloyſius Bellocatus nihil ego dicam; ſed ſolum agam de illis aphthis, quæ oboriuntur in adultis, quarum aphtha-

Aphtharũ cauſæ. Variæ aphthæ.

rum cauſæ ſunt deſtillationes: & ſicut materia deſtillans eſt varia, ita quoque variæ ſunt aphthæ: nàm aliæ ſunt coloris ſubl**u**tei; aliæ ſubnigri; aliæ albicantis: & vt plurimum habent colorem ſub albidum; quia vt plurimum etiam fiunt à pituita ſalſà, & erodente. Quot ergo ſunt fluxiones, totidem ſunt genera aphtharum. Humores autem defluentes, vel ſunt calidi, vel ſalſi; omnes tamen acres ſunt. Signa horum vlcerum per ſe patent.

Signa.

Curatio. Medicamenta ſiccantia, & aſtringentia.

Curatio autem conſiſtit in omnibus ijs, quæ validè ſiccant, & aſtringunt, hoc eſt, conſiſtit in exiccatione humoris præſentis, & in repulſione humoris fluentis. Medicamenta autem quæ poſſunt hæc præſtare, ſunt galla, rhus obſoniorum, & coriariorum, punica mala, vel cum cortice, vel cum flore aſſumpta, & alumen: hæc eſt materia medicamentorum optima in his affectibus: nam omnia ſiccant, & repellunt robuſtiſſimè. Ex his igitur poteritis nunc facere decoctum in vino auſtero; nunc coquere ipſa in melle, & admiſcere poſtea ſuccum roſarum; nunc facere puluerem, & inſpergere: & ſi poteſtis vti his ſub forma pulueris, eſt longè præſtantius; quandoque admiſceo puluerem cum melle; vel tandem veniatis ad decoctum, quo colluat os; prius tamen, quam colluat os, ſoleo accipere fruſtum aluminis, quod madefacio in ſyrupo myrtino, vel melle roſaceo, mox alumine illo tango vlcus. Tonſores iſti ſolent deuenire ad aquam erodentem, quæ dicitur vulgo da partire, quia madefaciunt vlcera, aliquando temperata ipſa aqua, aliquando non; ſed diabolicum eſt medicamentum, & fugiendum: ſi enim corpus ſit cacochymum ſolent vlcera ex vſu talis aquæ fieri maligna, & contrahere gangrænam: & ego ſæpe habui curanda huiuſmodi vlcera peſſimè tractata ab iſtis tonſoribus, & nebulonibus: ideo nunquam vtamini in his affectibus; nec ſinatis, vt aliquis vtatur tali aqua. Sed ſi vlcera non cedant medicamentis dictis, vtamini aqua aluminis magiſtrali, cuius deſcriptionem habuiſtis ſuperius (& ipſam etiam moderatè temperabitis) & madefaciatis vlcera. Quæ ſi nec ipſi cedant, vtamini aqua, vel oleo ſulphuris optimè temperato, ita vt pro vna parte aquæ, vel olei ſulphuris admiſceatis decem aquæ roſatæ; & poſtea ſemel, vel bis madefacto vlcere, ſanabitur, & nullum medicamentum reperi præſtantius iſto. hoc modo ſanantur aphthæ, quæ in adultis ſolent oboriri circa buccas, palatum, & linguam.

Aquæ erodens fugiẽda. Aqua aluminis magiſtralis. Oleum ſulphuris.

De gingiuarum corroſione. Cap. LXIII.

SI autem corrodantur gingiuæ, ita vt periculum ſit de caſu dentium, oportet vti ijs, quæ valde ſiccant, non tamen adeo, vt impediant carnis generationem, & ſanguinis transfuſionem: moderatè igitur debent ſiccare, at aſtringere.

Cauſa corroſionis.

Cauſæ autem corroſionis gingiuarum eædem ſunt, quæ & aphtharum, ſcilicet fluxio materiæ acris.

Medicamenta moderatè ſiccantia, & aſtringẽtia

Materia autem pro medicamentis ad has corroſiones hæc eſt: cyperi radix, oleæ folia, acori radix, macis, cupreſſi nuces, & folia, myrti fructus, roſæ ſiccæ, & virentes, ſcabioſa, quæ eſt ſtæbe antiquorum Græcorum, pentaphylli radix, pimpinellæ folia, & radix, myrrha, mel roſaceum. His parabitis partim ablutiones, ſemper tamen in vino, vel in aqua ſaluiæ, vel roris marini ſtillatitia, & colluat æger ſibi os; Vel faciatis puluerem, quem excipiatis melle roſato, & addita multa myrrha faciatis linimentum, quo illinantur gingiuæ. Sed notate, quòd, cùm ego video corroſiones has gingiuarum non facile cedere, deuenio ad validum medicamentum, & eſt oleum ſulphuris, optimè tamen temperatum: nam pro vna parte olei admiſceo quindecim, vel viginti partes aquæ roſaceæ, & hoc modo fit medicamentum mite, & optimum, & non poteſt impedire generationem carnis, nec ſanguinis tranſmiſſionem pro gingiuis regenerandis, vt faceret, niſi eſſet temperatum optimè.

Oleum ſulphuris validum medicamentũ

De Papillarum ſciſſuris. Cap. LXIIII.

Rima papillarum.

PApillæ, & ipſæ patiuntur varios affectus, vt inflammationes, abſceſſus, vlcera canceroſa, & magna, & multa alia, inter quæ ſunt rimæ, de quibus nunc agendum nobis eſt, omiſſis alijs affectibus papillarum: quæ papillæ dicuntur vulgò capitelli, & ſunt pars illa, quam ore appræhendit infans dum lactat. Rimæ ergo ſunt vlcera quædam exedentia, & peculiaris papillis, ita vt ex toto aliquando papillæ erodantur,

Digitized by Google

tur, & abſumantur: vnde mulieres nequeunt poſtea tradere lac infanti, & mutilæ remanent mammæ, & adeo ſæuus eſt aliquando morbus, quod defatigat non ſolum miſeras mulieres, ſed Medicos ipſos.

Cauſa ſciſſurarum. *Curatio.*

Fiunt ſciſſuræ iſtæ, vel rimæ, vt plurimum ex acredine lactis: vnde prima indicatio, quæ datur in curandis ipſis, eſt purgare corpus ab acribus humoribus, & retrahere etiam ipſos à mammis cum vinculis, frictionibus, & alijs inſtrumentis ad artus inferiores. Curandum etiam eſt ne copia ſanguinis generetur.

Exiccãtia lac. *Rhabarbaro nihil pſtantius ad ſiccandum lac.*

Hoc facto, tentanda eſt exiccatio lactis illius, quod eſt in mammis. Quæ autem faciant ad ſiccandum lac, varia pro[illegible]nuntur ab auctoribus: vnum tamen ego vobis proponam, quod apud me eſt probatiſſimum, & optimum, & eſt rhabarbarum, quo nihil eſt præſtantiùs ad ſiccandum lac, & papillas. Mandate ergo mulieri, vt quotidie mane accipiat ſcrupulum medium rhabarbari ſub forma vnius pilulæ, & ſuperbibat vnciam vnam, vel duas aquę plantaginis ſtillatitię.

Localia.

Hoc facto, deueniatis ad localia: & notate, quod iſti ſolent vti emollientibus, & laxantibus: nam faciunt medicamentum ex cera, & [illegible]eo amygdalarum dulcium, & applicant; ſed peſſimè agunt: nam indicatur, non vt vtamini emollientibus, & relaxantibus, ſed robuſtè ſiccantibus, & repellentibus ſimul: debent enim duplicem hanc facultatem habere, & ſi ſiccent tantum, vel repellant tantum, non erunt opportuna: vnde lithargyrium; & diapompholygos licet opportuna ſint in alijs vlceribus; in his tamen mala ſunt, & ſunt in cauſa; vt abſumatur papilla. Faciatis igitur medicamentum hoc modo

Medicamentum robuſtè ſiccãs & repellẽs.

Rec. ſucci roſarum
plantaginis
cupreſſi
foliorum pentaphylli } an. ℥ j.
olei myrtini ℥ ij.
lapidis hęmatitis
tutię prępAratæ } an. ʒ ij. s.

Hæc miſcentur in mortario plumbeo per horam, & fit linimentum. Aliquando opus eſt medicamento validiori, & tunc nullum reperi præſtantius illo, quod proponitur ab Aetio in decimoſexto libro, cap. quadrageſimoprimo, & à Paulo in tertio libro, capite trigeſimoſexto, & eſt.

Validius.

Rec. rhois coriarij
nucum cupreſſi viridium } an. lib. j
gallarum viridium. lib. j. s.
vini auſteri. lib. xx.

Et vt intelligatis quid rhois ſit, debetis ſcire, quod ex eadem planta, quæ rhus, vel ſumach dicitur, habemus fructus, & folia. fructibus vtebantur culinarii, folijs autem vtebantur coriarij ad aſtringenda coria: vnde legetis apud authores rhois, vel rhus culinariorum, & rhus, vel rhois coriariorum: & per rhois uel rhus culinariorum, intelligatis ſemper fructus ſumach, per rhois autem vel rhus coriariorum, intelligatis folia eiuſdem plantæ. Accipiuntur igitur primo gallæ, nuces cupreſſi, & folia rhois, & tunduntur omnia ſimul, & macerantur per tres dies, deinde affunditur vinum, & coquitur medicamentum ad conſumptionem medietatis, poſtea remouetur medicamentum ab igne, & permittitur, vt quieſcat, donec fiat tepidum, deinde colatur, & liquor ponitur iterum ad ignem, & bullit, donec acquirat conſiſtentiam mellis, & ſeruatur deinde in vaſe vitreo ad vſus. Tempore vſus poſtea obſeruate, an rimæ ſint profundæ, & magnæ, necne: ſi magnæ ſint, vtamini hoc medicamento puro; ſi autem non ſint ita validæ, & ſordidæ, miſceatis cum eo ſyrupum myrtinum, vel ſyrupum roſ. recentem, vel mel roſaceum. Si autem velitis explere rimas carne, & videatis, quod hoc medicamentum non ſit aptum, eò quòd nimis ſiccet, accipiatis vnam partem huius medicamenti, & vnam lactis, & ſimul mixtis, illinatis rimas: & huic medicamento tantum fido, vt credam ipſum ſuperare omnia alia. Sed notate, quòd oportet curare, ne papilla tangatur, neve comprimatur ab aliquo corpore: dum vtimini hoc medicamento: vnde vulgares inuenere modum: nam capiunt teſtam vnam ideſt, valuam nucis iuglandis, & purgant ipſam in interiori facie; deinde explent ipſam lana, vel cotone, & illiniunt etiam ipſam vnà cum cotone, & ſuperimponunt ipſam papillæ: & ita medicamentum conſeruatur in loco, & papilla, non comprimitur à veſtibus, nec ab alio corpore.

Pro replenda carne. *Notãdum.*

V 2 Notate

Notate etiam aliud maximi momenti, & eſt quod papilla debet continuò ſuſpenſa ſeruari, & ſurſum reſpiciens: alioqui fluet continuò noua materia ad ipſam, & nihil valebunt medicamenta; at ſi conſeruetur ſuſpenſa, facile ſuperabitis tale vlcus: nam medicamentum, quod dixi, eſt aptum ſuperare etiam maligna vlcera: & hæc de rimis papillarum. In ſequenti agam de fiſtula ani; deinde finem imponemus tractationi de vlceribus, & quotidie legam de medicamentis purgantibus.

Papilla ſurſum reſpicere debet.

De fiſtula ani. Cap. LXV.

SVccedunt aliæ fiſtulæ curandæ: quæ quidem, cùm ſint fiſtulæ, neceſſariò difficilis ſunt curationis, & ſunt fiſtulæ ani: quia rotunda ſunt vlcera, profundaque, & habent callum obductum, ſuntque in loco omnibus excrementis corporis expoſito: tamen experiamur & nos, an poſſimus tales fiſtulas ſanare, & primò videamus. quæ ſint cauſæ fiſtularum ſedis. Sed primò ſciatis, quod de hoc affectu agit Paulus. lib. ſexto capite ſeptuageſimo octauo, & Aetius lib. 14. cap. 11 & Hippocrates in lib. de fiſtulis.

Cauſæ fiſtularum ani. Hoc poſito, dico, quod quandoque oriuntur, & ſuccreſcunt ad vulnera male curata; aliquando ad hæmorrhoidas inflammatas: nam facto abſceſſu, & malè curato ſuccedit fiſtula: Aliquando fit ex contuſione partium illarum ratione equitationis: vel alicuius cauſæ contundentis partes illas, quibus contuſis fiunt tubercula, & abſceſſus, quibus diruptis abeunt in fiſtulas. Quæ ſunt variorum generum, licet vocemus fiſtulas ani omnia vlcera fiſtuloſa, quæ ſunt circa anum; ſed aliæ ſunt fiſtulæ, quæ dicuntur occultæ, & latentes; quia latitant in cauitate inteſtini; & nullum habent orificium in partibus extrinſecis, quod pateat ſenſui; ſed orificium, & vlcus habent in parte interna, & per anum deinde egreditur ſanies: hæ dicuntur fiſtuli ani tectæ, vel occultæ, vel latentes: quæ difficillimæ ſunt curationis. Cognoſcuntur autem, quia ſanies exit per ſedem, & ſanies eſt aliqualiter craſſa, & aliqualiter concocta: aliquando etiam cruenta: ſed huic ſigno addatis ſi præceſſit inflammatio, vel abſceſſus aliquis:

Fiſtula ani tecta.

Signa.

Aliæ ſunt fiſtulæ ani manifeſtæ, quæ habent ſuum exitum in parte exteriori ſedis, vel inteſtini recti, ſiue exitus ſit foramen, ſiue vlcus: ex his poſtea aliæ ſunt fiſtulæ paruæ, & remotæ à ſede; ſed deſinunt ad articulum coxæ; & aliquando perueniunt vſque ad os ſacrum: Aliquot perueniunt ad canalem vrinarium, licet in parte extima appareant circa vnum, & dicantur fiſtulæ ani; tamen non perueniunt ad inteſtinum rectum, ſed ad canalem vrinarium: Aliæ perueniunt ad partes carnoſas, id eſt, ad nates; Aliæ perueniunt ad extimum orificium ſedis, Aliæ ad muſculum ſphinctera dictum; Aliæ perueniunt ad rectum inteſtinum; Rurſus iſtarum aliæ perforant vel muſculum, vel orificium ſedis, vel rectum inteſtinum, & perueniunt in cauitatem inteſtini; aliæ non perforant: Vnde aliæ dicuntur fiſtulæ ani perforatæ; aliæ imperforatæ.

Fiſtula manifeſta.

Aliæ diuerſæ fiſtulæ.

Perforata, & non perforata.

Hæ igitur ſunt differentiæ fiſtularum ani, quòd aliæ ſunt manifeſtæ, aliæ occultæ, & cæcæ: ex manifeſtis rurſus aliæ ſunt perforatæ; aliæ imperforatæ: & aliæ perueniunt vſque ad os fæmoris, vel os ſacrum; aliæ ad nates, aliæ ad meatum vrinarium; aliæ ad extremam ſedem; aliæ ad ſphinctera; aliæ ad rectum inteſtinum.

Fiſtulæ autem penetrantes ad meatum vrinarium cognoſcuntur, quia æger mingit per fiſtulam, & per ſedem etiam. & ſi perueniat vſque ad articulum coxæ, cognoſcuntur ex iniecto ſpecillo, & ex impedita actione partis, quia æger nequit ambulare ſine dolore: Si perueniat ad os ſacrum, cognoſcitur ſpecillo, ſitu, & tactu, dum exprimitur ſanies: Si autem perueniat ad puram carnem, cognoſcitur, quia exit pura ſanies, benè cocta, & craſſa, & ſpecillo etiam iniecto, quia perſentitur, quòd non peruenit vſque ad os. Aliquando fiſtula non eſt perforata, & cognoſcitur impoſito ſpecillo in fiſtulam, & digito inuncto oleo aliquo, & iniecto in ſedem: nam ſentietis aliquod corpus medium inter digitum, & ſpecillum: cognoſcitur etiam, quia non egreditur ſanies per ſedem, nec fex per fiſtulam: At quando ſunt perforatæ feces tenuiores exeunt per fiſtulam, & ſanies per anum: ſimiliter cognoſcuntur iniecto aliquo liquore cum clyſtere in anum: nam exibit per fiſtulam etiam: ſimiliter, ſi inijciatur per fiſtulam, egredictur per anum.

Fiſtula penetrantes ad meatũ vrinariũ, & earũ ſigna.

Signa aliarum.

Omnes poſtea iſtæ fiſtulæ, vel ſunt rectæ, & ſimplices, ideſt habent vnum cuniculum tantum, & illum quidèm recta procedentem; vel ſunt arctuoſæ, & multifidæ, ideſt, habent plures cuniculos, & tortuoſos: rectæ, & ſimplices facilè curantur; intortæ autem, & multifidæ difficilius,

Fiſtulæ recta, ſimplices, tortuoſa, multiplices.

Cognoſcitur

Cognoſcetis autem has, quia ſi vnicum appareat foramen, nec ſpecillo iniecto videatur, quod adſint plures cuniculi; tamen videbitis, quod copioſa ſanies egreditur; tunc dicatis, vt dicit Paulus, quod fiſtula non eſt ſimplex, ſed habet plures cuniculos. Cognoſcitur etiam iniecto per clyſterem liquore aliquo: nam ſi multum liquoris recipiatur, ſignum eſt fiſtulam eſſe multifidam. addatis, ſi ſpecillo non inueniatis alium cuniculum, tamen ſentiatis duritiem in hac, & illa, & alia parte; tunc ſignum eſt, quod fiſtula eſt multifida: nam durities, & tubercula illa ſunt cuniculi. *Signa.*

Fiſtulas autem eſſe rectas, vel intortas cognoſcitur impoſitis candelis: Hippocrates vtebatur molli caule alicuius plantæ. Sed nos vtimur candelis factis ex cera alba: quibus vtimur etiam in imponendis medicamentis in virgam pro auferendo callo, vel carnoſitate.

Aliqui vtuntur ſpecillo ex plumbo, vel ſtanno: ſed non placet: nam licet ſint flexibilia, tamen habent, neſcio quid, quo fit, vt non facilè currant per fiſtulam: ſed ſemper hærent, ac ſi eſſent corpora aſpera: & hoc ego experientia inueni: nam & ego vtebar huiuſmodi ſpecillis; ſed poſtea omiſi vſum iſtorum ob dictum incommodum:

His modis cognoſcetis fiſtulas, & ſpecies ipſarum:

Iam veniamus ad curationem: Sed primo oportet ſcire, quæ fiſtulæ ſint ſanabiles, & quæ inſanabiles; & ſanabilium, quæ facilè ſanentur, & quæ cum difficultate. *Quæ fiſtulæ ſint ſanabiles, & quæ non.*

Dico igitur, quod illæ, quæ perueniunt ad canalem vrinarium, vt plurimum ſunt inſanabiles. *Inſanabiles.*

Secundò, quæ perueniunt ad rectum inteſtinum, & ipſum perforant, ſunt inſanabiles: quia inteſtinum non conſolidatur, nec poſſumus tentare ſanationem ſecando fiſtulam, quia reſolueretur inteſtinum, & anus: quo fieret, vt æger continuo egereret, & non poſſet continere feces, quod eſſet maius malum: vnde ob hoc maximum incommodum non poſſumus ſanare has fiſtulas, quæ vt plurimum cum ſanantur ſolent ſanari per ſectionem: & quamuis poſſent ſanari in ſuperficie; tamen nunquam ſanantur in cauitate: quo fit, vt collecta noua materia, faceret nouas fiſtulas, & quidem plures, vt decem, viginti, & triginta aliquando: ideo nunquam tentetis ſolidare fiſtulas has in ſuperficie.

Idem dico & de illa, quæ peruenit in meatum vrinarium; alioqui fient multi alij cuniculi, vt ego vidi: nam ex conſolidata fiſtula in ſuperficie facta eſt noua fiſtula propè vmbilicum, per quam etiam æger mingebat, quod mirum certè eſt. Igitur iſtæ duæ fiſtulæ, ſcilicet quæ perueniunt in canalem vrinarium, & quæ in cauitatem inteſtini, ſunt inſanabiles.

Aliæ ſunt, quæ ſanabiles quidem ſunt; ſed maxima cum difficultate, vt ſunt illæ, quæ perueniunt ad mediam partem muſculi ſphincteris; vel ad ſupernam cauitatem ſedis; vel ad articulum fæmoris; vel ad os ſacrum; vel quæ ſunt multiplices: hæ omnes difficillimè ſanantur: Illæ autem, quæ perueniunt ad partes carnoſas, vel non ſunt profundæ, facilè ſanantur. *Sanabiles, ſed cum difficultate.*

De curatione autem fiſtulæ peruenientis ad articulum fæmoris, vel ad os ſacrum, nihil dicam, quia habuiſtis curationem ipſarum, quando egi de vlcere perueniente vſque ad os, de vlcere inquam fiſtuloſo; ſed agam de curatione illius fiſtulæ, quæ peruenit vſque ad ſphinctera, vel ad ſedem. Sed notate, quod in fiſtulis inſanabilibus vtendum eſt curatione palliatiua, hoc eſt tentanda eſt conſeruatio vlceris, ut non augeatur, ſed maneat apertum, & impediatur conſolidatio: quod fiet, ſi teneatur continuo in vlcere aliquid, quod ſiccet: abluatur etiam ſæpe vlcus aliquo decocto, quod abluat putredinem illam. Vnde ego ſoleo in his fiſtulis inſanabilibus ſeruare continuo linamentum imbutum Iſidis emplaſtro, vel ægyptiaco mixto cum duabus partibus diapompholygos: nam ſiccabit pus, deterget moderatè, & abſumet carnem, nec ſinet eam creſcere, & remouebit putredinem. *Facilè ſanabiles.* *Curatio palliatiua.*

Sed ſi magna ſit cauitas, & copioſa ſit ſanies, quæ egreditur, tunc paro fiſtulam ex plumbo, vel ex ære, vel ex argento: ex plumbo quidem, quando adeſt aliqua caliditas, & inflammatio, quia plumbum mitigat: ex argento autem conficio, quando vlcus eſt nimis arctum, & timeo, ne, contracto muſculo ſphinctere, comprimatur fiſtula, & claudatur vlcus. *Si cauitas ſit magna.* *Fiſtula ex plumbo uel argento.*

Aliquando curo, vt accipiatur media pars æris, & media argenti; & facta maſſa, & lamina paro fiſtulam, & hoc facio quando ſupercreſcit callus, & caro: nam ratione æris abſumitur caro, & callus; ſi autem æs eſſet ſolum, excitaret dolorem. Igitur ſi cauitas ſit magna, ne colligatur, & retineatur ſanies, geſtet continuo in vlcere fiſtulam ex hac, vel illa materia paratam: Deinde inſtituatis decoctum aliquod, quod ſemel in die per clyſterem iniiciatur in fiſtulam; vt abluatur putredo illa, decoctum autem ſit tale. *Decoctum ad abluendam fiſtulam.*

Digitized by Google

Rec. ſcobis guaiaci
cupreſſi
folior. agrimoniæ
betonicæ
ſcabioſæ
roſarum
camomillæ } an. m. s.
myrrhæ
thuris } an. ʒ j
aquæ. q. s.

Fiat decoctum ſecundum artem. Aliqui ſunt, qui vtuntur cura palliatiua non ſolum in fiſtulis inſanabilibus; ſed etiam in ijs, quæ ſanabiles ſunt, niſi ſint leuiſſimæ, & uolunt, quod non ſanentur, ſed ſeruentur apertæ, & ego ſum vnus ex illis, qui conſulo, vt teneantur apertæ, quia ſunt ueluti emiſſarium, & inſtrumentum naturæ ad euacuanda excrementa illa, quæ ſunt in viſceribus ſuperioribus, ideo conſulatis, vt conſeruent fiſtulas apertas, qualeſcumque fuerint, niſi ſint leuiſſimæ: nam vidi ego incommoda maxima ex clauſa fiſtula.

Fiſtulæ cõ ſeruandæ apertæ.

Et ſi vultis fiſtulas ſanare, oportet, vt per quatuor, vel quinque annos poſt clauſionem optimè expurgetur corpus: Sed ſi ſint fiſtulæ ſanabiles, & velitis ipſas ſanare coacti ab ægro, faciatis hoc modo. Præmittatis primo capita communia, & vomitum ad retractionem; deinde veniatis ad localia: Et ſi fiſtula penetret, ſciatis, quod poteſt curari tum medicamentis, tum actione chirurgica, ideſt, ſectione: Medicamentis quidem, ut ſi apponatis ea, quæ auferunt callum, & dilatent, deinde conſolident: primo igitur oportet fiſtulam dilatare, uſque ad ultimum orificium; deinde auferendus eſt callus. Dilatabitis autem per impoſitam, ſeu iniectam radicem gentianæ, uel cucurbitam ſiccam, uel medullam milij grandioris nigrive dicti, quod melega, vel ſorgo uulgo dicitur, & nihil eſt præſtantius medulla huius plantæ ad fiſtulam dilatandam: dilatabitis autem uſque quo deueneritis ad ultimum orificium internum, deinde auferetis callum; uel quod melius eſt ſimul, & ſemel dilatetis, & auferatis callum, ut ego ſoleo, illinendo medullam, quam inijcio, medicamento aliquo, quod habeat uim demendi callum: Vnde accipio duas partes ægyptiaci, & unam cerati roſacei uel aliquando æquis portionibus, & ſimul miſceo, illinoque medullam inijciendam, & hoc facio, donec demptus fuerit callus: quod cognoſcetis ex carne, ex cute, & ex callo dempto in parte extima. Facta ablatione calli, & dilatione; ſoleo extrinſecus imponere emplaſtrum ſacrum; uel emplaſtrum Iſidis, & oportet ut parietes fiſtulæ, ſi debeant conglutinari, ſimul hæreant, & contangant ſe: quod ut fiat, ſoleo facere glandem ſatis magnam, & imponere in ſedem, & ſit tantæ longitudinis, quanta eſt longitudo fiſtulæ: inungatur igitur glans, & inijciatur, & ſit dura, ut poſſit comprimere: unde Hippocrates conficiebat ex cornu; Ego autèm ſoleo facere ex materia aliqua quæ faciat etiam ad agglutinationem: unde accipio medicamenta ſiccantia, & aſtringentia, & glutinatoria, & facio glandem hoc modo. Accipio ceratum barbarum, & addo quantitatem ceræ tantum, ut ſit ſolidum medicamentum: & facta glande inijcio: & extrinſecus pono, uel ſacrum, uel iſidem: Aliquando conficio glandem ex medicamentis robuſtioribus ut.

Si cogamur ſanare fiſtulas, quid agendum.

Dilatatio fiſtulæ.

Medulla ſorghi.

Ablatio calli.

Extrinſecus imponenda.

Conglutinatio fiſtulæ.

Glans.

Rec. ſucci hypocyſtidis
pulueris malicorij
balauſtiorum
mirabolanorum citrinorum } anna ʒ. i.
ſumach
rad. tormentillæ
pentaphylli
pimpinellæ
cõſolidæ maioris } an. ʒ j.
myrrhæ
ſarcocollæ
thuris
maſticis } an. ʒ s.
lithargyrij
ſquamæ æris præparatæ
aluminis rochæ
boli Armeni
opij } an. ℈ j.

Hæc

Hæc tunduntur optimè, & admixto albo oui, fit maſſa ex qua fiunt glandes craſſitiei, & longitudinis opportunæ: hoc modo ſanantur hæ fiſtulæ per medicamenta.

Sed accidit aliquando, vt non ſanentur cum his, & tunc omnes medici conſulunt, vt deueniamus ad ſectionem, ſi volumus certò ſanare. Solent autem ſecare vel filo, vel inſtrumento quodam, & ſi non penetret in inteſtinum, faciunt, vt penetret inſtrumēto quodam quod antiqui uocarunt ſiringotomum, cuius forma ignota nobis eſt; habemus tamen & nos inſtrumētum quoddam eodem nomine vocatum, opportunumque ad ſecandas fiſtulas: ſed an habeat eandem figuram cum illo antiquorum ignotum eſt. Modus autem quo ſecatur fiſtula hoc inſtrumento, non poteſt doceri, niſi in praxi: imponitur organum in fiſtulam, exeritur acies, poſtea ſenſim extrahitur inſtrumentum. *Modus ſecandi fiſtulas per ferrum.* Sed notate, quod Paulus, Aetius, & multi alij volunt, vt poſt ſectionem auferatur callus vngue, vel ferro: Guido autem vult, quod non auferatur; Ego autem in hoc ſum cum Aetio, & reliquis: & addo callum eſſe auferendum, antequam fiat ſectio, medicamentis ipſis; nam facilius auferetur, dū integra eſt fiſtula: quia, quādo eſt ſecta, medicamenta fluerent etiam ad partes, ſanas & exulcerarent. Aliqui ſunt, qui nō poſſunt perferre ſectionē cum ferro: ideo Hippocrates monet vt in his ſecemus filo: Imponitur filum, per fiſtulam, extrahiturque per anum; imponitur *Per filum.* autem ſpecillo quod in ſummo habet foramen, & filum debet eſſe duplicatum, vel triplicatum; & aliquando filum inungitur medicamento aliquo erodēte: poſtea, accepto utroque capite fili itrahitur utrumque caput, & ſic ſecatur, quod continetur in medio capitum fili: Sectio autem hęc nō fit vnica die, ſed duabus, aut tribus: Facta ſectione auferetur callus, & conſolidatur. Sed notate, quod ſi fiſtulæ parum penetrent poſſunt tutò ſecari; ſed ſi penetrent per quatuor digitos, nūquā ſeceris, quia ſecabitis muſculū ſphinctera: nam lōgitudo, ſeu profunditas muſculi eſt per quatuor digitos; at ſi penetrer per duos, vel tres digitos tantum, poteritis tutò ſecare: quia remanebit pars muſculi integra, quæ ſufficiet ad claudendum unum: ſi igitur fiſtula penetret vltra tres digitos, non ſecetis ipſam, & hæc de fiſtulis ani: Iam ſequeretur, vt agerem, de intertriginibus: ſed quia Excellentiſſimus Dominus Aloyſius Bellocatus dixit mihi, ſe velle agere de ipſis, abſoluto ſermone de affectibus vnguium, ideo eos omittam, & abſoluta iam tractatione de vlceribus, profitebor quotidie de medicamentis purgantibus. *Quando non eſt tutum ſecare fiſtulas.*

FINIS TRACTATVS DE VLCERIBVS.

GABRIELIS FALOPPII MVTINENSIS.

Medici, ac Philoſophi præclariſſimi.

SECVNDI TOMI.

TRACTATVS SECVNDVS DE VVLNERIBVS.

PRÆFATIO.

MEDICINAM nobiliſſimum Deorum inuentum eſſe tota credidit Antiquitas, atque ad Apollinem retulit, cùm is apud Ouidium primo Metamorph. dicat,

Inuentum medicina meum eſt, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Hæc vna, & eadem ars eſt, atque vna ſemper fuit, omneſque, qui hanc callent, & profitentur, medici dicti, in vnicum, ac ſolum ſcopum cunctos artis neruos intendunt vt hominum ſanitatem tueantur; vel, dum aduerſa valetudine laborant, illos ſanent. Verùm cum non vnum ſit genus morbi, quod ſanitatem hominum corrumpit neque vna materies, aut inſtrumentum, quibus medicus inuitens profligat; nec denique vna ſit methodus, atque ratio, qua artem hanc addiſcimus, & ſimul tractemus: ideo factum eſt, vt non vna, atque eadem ſemper ſit hæc ars; ſed in plures ſe mutarit formas, variaſque ſit ſortita partes: Nam cum aliquot fuerint medici, qui tantum rerum experimento fiſi, & hærentes artem hanc didicerint, ac ſimul fecerint; Aliquot, qui rationem, & cauſas rerum ſummopere in addiſcenda, ac ſimul tractanda arte ſecuti ſint, vſu euenit, ut Medicinam nunc aliqua ex parte rationalem, id eſt, rationi hærentem: nunc aliqua ex parte empiricam, id eſt, experimento tantum hærentem fecerimus. Item cum aliquando manu, aliquando pharmacis, aliquando diæta, uel uiuendi ratione, quæ ſunt artis huius inſtrumenta, varijs temporum occaſionibus uſi ſint medici, accidit, ut medicina quædam χειρουργικὴ, quædam φαρμακευτικὴ, quædam διαιτητικὴ ſit conſtituta. Vltimò cum duo potiſſima ſint morborum genera, quibus corpus humanum patitur, atque ſanitate integra priuatur: alterum, quod extrinſecus aduenit, cauſaſque omnes ſui ortus extra corporis humani compagem habet; alterum, quod intimas ferè omnes, & quaſi in natura hominis collocatas cauſas vt plurimum obtinet: in hoc poſteriori genere ſunt febres, partium ſingularum intemperies; atque earundem tumores, vel morbi ſimiles; In illo verò fracturæ, luxationes, atque potiſſimum vulnera, τραύματα à Græcis dicta, continentur, idcirco ab his etiam ſanandis morborum generibus ars ipſa, & medici diſtincti ſunt: Nam hi vulnerarij chirurgici, vel vulneraria dicta eſt ars; illi vt plurimum phyſici ſunt uocati, & phyſica (non ſine aliqua nota) medicina aliquando eſt dicta.

Medicina diuiſio.

De vulneraria nos tractationem inſtituimus hoc anno: quæ res ut facilior nobis euadat, reuocate iam ad memoriam ea omnia, quæ in publica anatome uidiſtis, nempè, quis ſit partium corporis habitus quo modo inuicem iungantur, quis numerus, quæ compoſitio, quis ſitus, atque etiam quanta uniuſcuiuſque magnitudo. Hæc enim duplici ratione cognoſcenda eſſe alias diximus, ſcilicet, & ob ſcientiam ipſam, id eſt propter philoſophiam, cui ea nota eſſe debent, quæ ad hiſtoriam pertinent: ſecundò cognoſcenda ſunt ob artem medicam, ut uidelicet medicus ex arte poſſit ea, quæ præter naturam ſunt, dignoſcere, illiſque mederi: Cum enim morbi ſint defectus, & immutationes, uel qualitatis, uel numeri, uel quantitatis & ſimilium; defectus, inquam, & mutationes partium, quæ in corpore ſecundum naturam ſe habent, niſi Medicus cognouerit, quid ſecundum naturam ſit, certè nec defectum, nec mutationem cognoſcere poterit, & ſic etiam non mederi. Vos autèm, Iuuenes optimi, mihique ſemper chariſſimi, hæc probè tenere ex anatome confido: & ideo non erit uobis difficile philoſophari, ac morbos curare. Quorum morborum cum quidam leues ſint; quidam graues ita ut uitam uel nimis grauem, ac moleſtam reddant, uel ipſum eripiant, grauium præcipuè curandorum recta ratio tenenda eſt, de quorum numero uulnus eſt, ita ut primum quaſi locum teneat. De hoc ergo morbi genere à me habebitis hoc anno, & quid ſit, & quale, & qua ratione curandum: nec triuialem, ac communem curandi rationem uos docebo, quæ immanis aliquando eſt, ſed eam, quæ ex probatiſſimis auctoribus accipitur, & confirmata eſt experientia recentiorum chirurgorum. Et quamuis aliqui ineptiſſima aliqua curandi ratione

Morbi quid ſint.

vulnera

uulnera ſanent, tamen eos ſequi non debetis, nec admirari, quoniam non ipſi ſunt, qui ſanant, ſed natura, ut accidit de ijs, qui aqua puriſſima uulneribus medentur, uel oleo, ſupra quod ſuſurrarint, & uerba quadam dixerint uel linteolis ſiccis ſecundum hanc, uel illam figuram ſupra uulnus collocatis. Neque enim uulneris ſanatio ab aqua, uel oleo, uel linteolis prouenit, ſed à ui Naturæ, quæ cum benigniſſima noſtra mater, communiſque ſit, ſæpe præoccupat, prævidet, ac corrigit errores noſtros, quo fit, ut licet huiuſmodi homines, qui uel aqua pura uel conſimili alia re medentur, centent non ſanare, ſed potius morbum augere; ipſa tamen piſſima in oppoſitum reluctatur, & contendit ſanationem. Quare non illa eſt recta uulnerum curandi ratio, ſed ea, quæ deſumitur ex probatiſſimis auctoribus, & procedit per ſuas indicationes, & ſcopos. Hanc potiſſimum à nobis tractandam atque capeſſendam eſſe iudico, illoſque qui hanc uulnerum curandorum tractationem negligunt, Medici nomine indignos eſſe cenſeatis, quoniam eam artis partem auerſantur, quæ aliarum nobiliſſima eſt: quod ego facillimè probare, ac confirmare poſſum pluribus argumentis, & primùm, quia magis neceſſaria, quam aliæ medicinæ partes uideatur: nam plurimæ febres, tumores plurimi, atque alia multa morborum genera ſine ulla medicina ſanantur: vulnerum uerò nullum unquam eſt inuentum, quod ſine ope medica ſit ſanatum.

Artem vulnerariã eſſe nobiliſſimã aliarum.

Exemplo ſint ruſtici, atque integræ Nationes, quæ Medicis ſolis uulnerarijs utuntur: exemplo adſit Populus Romanus, qui cum medicos aſpernaretur, illiſque eſſet admodum infenſus, ſitius vulnerariæ partis neceſſitatem cognoſcens, Lucio Aemilio, & Marco Liuio conſulibus, Archagatho Lyſaniæ filio Peloponenſi Medico in Urbem primùm uocato ius Quiritum donauit, atque tabernam in compito Acilio publico ære emit, publicèque vulnerarium uocauit. Secundò, quia magis tuta, atque certa eſt: nam oculis omnia ſubijciuntur, digitis tanguntur, atque tractantur, raroque accidit, ut vulnerarius medicus decipiatur, etiam ſi in intimis corporis partibus vulnera hæreant, quod in alijs morbis minimè accidit, cùm in illis cognoſcendis indicandis, atque ultimò ſanandis plurimum aberrent Medici. Tertiò hoc probat facilitas artis: nam & facilè addiſcitur, facilèque tractatur, nec infinita eget medicamentorum copia: Ita enim paucis, & ſimplicioribus oblectatur medicamentis, ut aliquot reperiantur vulnerarij medici, qui ſola puriſſima, & egelida aqua qualibet grauiſſima vulnera, etiam quæ in capite lethalia exiſtunt, ſanent ut diximus. Et quamuis infinita ſint alia argumenta quibus hoc confirmari poteſt; ea tamen omnia prætermitto, præter hoc ultimum, quòd uulneria medicina nobilior reliquis artis partibus eſt, quia eſt antiquior illis: quod conſtare poteſt, ſi uoluamus mente quales fuerint antiquiores medici, & qui artem ipſam conſtituerunt, quibus rebus ipſi laudes atque ſineuint.

Antiquitas chirurgiæ.

Aeſculapius Deus factus eſt ab Antiquitate, quia Hyppolitum uulneratum, & Androgenum Minois filium ab Athenienſibus uulneratum ſanarit. Machaon etiam Aeſculapij filius, ita celebratus eſt ab Homero, quia uulnera ſanabat & vulnus Philoctetis illatum ab Herculis ſagitta ſanauit. Eribotes quoque Teleontis filius quia Oilei uulnus à Syrphalibus illatum ſanitati reſtituit, teſte Orpheo. Quibus exemplis manifeſtum certè ſit Medicos antiquiſſimos fuiſſe tantum uulnerarios, & hanc Medicinæ partem eſſe alijs nobiliorem. De hac ergo ſum ego Deo Optimo Max. fauente acturus, & de ipſa uulneri tùm antiqui, tùm recentiores medici ſcripſere, & primo Hippocrates, qui libellum ſcripſit περὶ ἑλκῶν, ideſt, de ulceribus; ubi notate, quòd uox illa ἕλκος, ideſt, ulcus apud antiquiores illos ſignificabat indifferenter tùm ulcus, tùm uulnus; apud poſteriores autèm aliter res ſe habet: & ideo, quamuis Hippocratis libellus ſit inſcriptus de ulceribus, tamen ſciatis, quod in ipſo agitur de uulneribus: & illum iam habemus latinum factum à Vido Vidio Florentino, qui praxim maiorem in Piſano Gymnaſio profitetur, & commentarium in illum etiam edidit: Libellus iſte cum Hippocratis ſit, uideretur fortaſſe alium præ alijs eligendus, & è pulpito explicandus, & eò etiam magis, quia difficilis ualde eſt, & grauis: in quam ſententiam ob hanc rationem ego quoque irem, ſi liber eſſet perfectus. Scire namque debetis, quòd Hippocratis ſcripſit duo librorum genera: nam alij ſunt perfectiſſimi, ita ut nihil addi, deſiderarique poſſit, qualis eſt liber de fracturis, de uulneribus capitis, de articulis, & alij plures alij; uerò ſunt imperfecti, qui ultimam Hippocratis manum non receperunt, qualis eſt liber de ulceribus, in quo uix centeſima pars præceptorum artis curatricis uulnerum traditur: nam in materia ita ampla hæc tantum capita in illo libro continentur: Vlcus eſt ſiccandum: Deligationis ratio habenda: cataplaſmatum occaſio ac uſus: Diætæ ratio: Motus: Quietis: Tempeſtatis: De ſuppuratione aliquid: De uulnere contuſo aliquid: De ſanguine fluente ex uulnere: De carne ſupercreſcente: De cicatrice: De coctione uulnerum: De tumore oedematoſo: De eryſipelate: De inflammatione ſuperueniente: De cuniculo: De deterſione agenda: & eandem De medicamentis plurimis apponendis. Videatis an integra ſit tractatio uulnerum: hæc certè uix centeſima eſt pars illorum capitum quæ tractanda ſunt; & propterea hic liber in ſcholis non uidetur eſſe interpretandus.

Scriptores de vulneribus.

Hippocratis libellus de vulneribus.

Capita libri Hipp. de vulneribus.

Scripſit Celſus doctiſſimus omnium Latinorum Medicorum de uulneribus libro 5. 6. 7. & 8. Sed quia confuſiſſimè agit, cum modò de uulneribus, modo de ulceribus, modò de tumoribus in libris illis agat: hac ratione & Celſus dimittendus eſt, & præcipuè, quia libri illi neu poſſent uno anno omnes euolui.

Celſus.

Scripſit quoque Galenus, & omnes mea ſententia ſuperauit in tertio, quarto, quinto, & ſexto methodi. ſed longum eſſet, ſi uellemus illos quatuor libros interpretari. Præterea ſunt ita per ſe clari, ut interpretatione non egeant, quamuis in aliquibus locis Galenus, & ipſe ſeruet grauitatẽ.

Galenus.

Auicenna tractauit de re hac quarta ſen quarti libri; ſed confusè admodum, & imperfectius, quam Hippocrates: nec mirum: quoniam cum ſcripſiſſet diuinum illud opus, uidelicet canones illos, qui re uera diuini ſunt, cum deuenit ad quartum librum, iam defeſſus erat. Inter recentiores, qui infiniti ferè ſunt, nullus eſt,

Auicenna.

qui

Digitized by Google

qui ſit exponendus, quoniam barbari, & iniqui ſunt, nec poßent neſtræ aures barbariem illam ferre: iniquos uoco ipſos non ex ſe, ſed ratione ſeculi, in quo orti ſunt: nam in eo ſeculo cæca erant ingenia.

Guido.

Habemus & in re hac Guidonem à Cauliaco, qui olim in Montis Peſſulani Gymnaſio floruit doctor legens, & uolumen ſcripſit & mutuatus eſt à Galeno atque ab Hippocrate, eſtque grauis, ut Hippocrates lucidus uerò qualis Galenus: unde ſi artem aliquam docendi habuiſſet, profectò eßet conferendus cum quocumque alio, nemine excepto.

Tagaultius.

Laudo Ioannem Tagaultium, qui potius latinum Guidonem fecit, ita ut res Guidonis ſit, uerba autèm Ioannis. hunc igitur poteritis, Iuuenes ſtudioſiſſimi, præ manibus habere, quia in ipſo eſt ordo, breuitas, & perſpicuitas. hic igitur erit præmonſtrator, & hunc ego æmulabor. Res quæ à me uobis proponitur eſt vulnus. in quo primo cognoſcenda eſt ipſius natura, quid ſcilicet vulnus ſit: & quia omnes conſentiunt, quod ſit ſoluta vnitas, ideo ut natura uulneris magis pateat, uidendum eſt primò, quid ſit ſolutio continui, uel ſoluta unitas.

Soluta vnitas quid ſit, anque ſimplex, compoſituſve ſit morbus, & communis tam ſimilaribus, quam organicis partibus: & quot ſint ſolutæ vnitatis ſpecies, ac differentiæ: & ex quibus, quotque locis ſumantur ſecundum Recentiorum ſententiam: & ex quibus iuxta Græcorum opinionem.

Caput Primum.

VVlnus eſſe ſolutam vnitatem fatentur omnes: ſed quid poſtea ſoluta vnitas ſit, anque ſimplex compoſituſve morbus, & vtrum communis inſtrumentalibus, ac ſimilaribus partibus, & quotuplex ſoluta vnitas ſit, vndeque ipſius differentiæ ſint accipiendæ, non ita conſtat, nec inter ſe omnes conſentiunt Authores. Auicenna itaque in quarta quarti de quidditate ipſius continuitatis ſolutæ ſtatim remittit ſe ad ſecundam primi, vbi quid ſit ſoluta vnitas declarat.

De eſſentia ſolutæ vnitatis.

Galenus quoque in tertio, & quarto methodi, antè quam definiat vulnus, declarat, quid ſit continui ſolutio, declarat, inquam, per ſuum contrarium, quod eſt vnio, ſeu continuitas: nihil enim refert, an continuitatem, vnionemve dicatis: Vnio autem eſt compoſitio, in qua habitus corporis ſe habet ſecundum naturam. Cum itaque vnio ſit conſtitutio ſecundum naturam, ſequitur, quod continui ſolutio erit conſtitutio præter naturam, & ſic ſolutio continui erit morbus. Sed cum morborum alij ſint ſimplices, alij compoſiti, quæreret veſtrum aliquis, an ſoluta vnitas ſit morbus ſimplex, aut compoſitus.

Num ſit ſimplex an compoſitus morbus ſoluta vnitas.

Reſpondeo hoc patere ex ſuo contrario, quod eſt vnio: nam cum vnio ſit ſimplex, neceſſario & continui ſolutio ſimpliciſſimus morbus erit. Ceterum ſciendum, quod non ſat eſt cognouiſſe naturam morbi, ſed oportet etiam cognoſcere ipſius ſubiectum: quamuis enim corpus humanum ſit morbi ſubiectum, tamen non ſemper, ac ſecundum eandem rationem eſt ſubiectum cuiuſcumque morbi: & ideo ſcire debetis, quod corpus humanum conſtat duplici genere partium, quarum aliæ dicuntur ſimilares, & ſunt illæ, quarum quælibet minima particula habet idem nomen, eandemque naturam, ac definitionem cum ſuo toto; aliæ vocantur organicæ, quæ habent nomen, & naturam diuerſam. Cum itaque duo ſint genera partium, neceſſario quoque ſunt duo genera morborum. Sed aduertatis, quod quamuis duo tantum ſint genera partium conſtituentium totum corpus, tamen Galenus in ſecundo methodi med. & in libro de differentijs morborum, capite vndecimo, & paſſim dicit, quod concedunt omnes, ſolutionem continui non eſſe propriam paſſionem partium ſimilarium, nec propriam inſtrumentalium; ſed communem & ſimilaribus, & organicis: & ideo coactus fuit ponere tertium genus morbi competens vtrique partium generi, quod morbi genus eſt ſolutio cõtinui: vnde in lib. de diff. morborum cap. citato ſcilicet vndecimo dicebat, quod ſolutio continui in particula, ſi parua aliqua ex parte fuerit, particulæ patientis ſolum morbus eſt, ſin autem magna, & tota pars diſſecta fuerit, tunc vocabitur etiam morbus inſtrumenti.

Solutionẽ continui eſſe communem ſimilaribus, & inſtrumentalibus.

Quare hac opinione coactus fuit Galenus conſtituere tertium quoddam genus morbi, quod eſt commune organis, ac ſimilaribus, hocque ſolutio continui eſt ἑνώσεως λύσις, vel συνεχείας λύσις ſuo idiomate vocata, apud nos ſolutio vnionis, vel vniti, aut continui ſolutio.

Reuocat in dubiũ, ſolutionem vnitatis eſſe cõem partibus.

Colligo igitur ex Galeni ſententia ab ipſo recitata in multis locis, quod ſolutio continui eſt propria partibus ſimilaribus, ſicut etiam organicis: quæ opinio licet accipiatur, & approbetur ab Auicenna, ab Auerroe, & ab omnibus alijs Arabibus, atque à Recentioribus omnibus, vno excepto: tamen ego ſoleo ipſam reuocare in dubium: neque enim poſſum acquieſcere, & con-

cedere,

cedere, quod ſolutio continui ſit communis morbus ſimilaribus, atque organicis partibus: quia non uideo, quomodo poſſit dari genus morbi, quod æquè competat vni generi partium, ſicut & alteri, quoniam ſententia philoſophorum, & omnium eſt, conſentiente veritate ipſa quod ea ratione, qua aliquid competit vni, non poſſit competere alteri. Cum itaq; partes ſimilares, & partes compoſitæ, ideſt, inſtrumentales ſint contrariæ, non video, qua ratione ſolutio continui ſit ita propria paſſio ſimilarium, ſicut & inſtrumentalium partiū: & ideo venio in hanc ſententiam paradoxam, & nouam, quod ſolutio continui non ſit cōmunis morbus ſimilarium, atque inſtrumentalium partium: & vt videamus an hoc ſit verum, volo vt perpendamus hanc rem ſecundum Galeni principia tradita de hac arte, quæ æterna ſunt, & veriſſima. Galenus itaque in ſecundo methodi, & multis alijs in locis definit morbum dicens, quod morbus eſt diſpoſitio præter naturam, à qua diſpoſitione primo impeditur actio. Definitio hęc veriſſima eſt, nec patitur inſtantiam; dicant alij quicquid velint: hoc ſtante, morbus proprius alicuius partis erit affectio præternaturam, à qua primo impeditur propria actio illiuſmet partis: & niſi actio illa primo impediretur à tali affectione profecto affectio illa non eſſet morbus ſibi proprius. Sed dicetis ſunt ne aliquot actiones operationesve partium propriæ, aliquot impropriæ, & communes? Dico quod ſic: nam dicimus, exempli gratia, manum incaleſcere, augeri, nutriri, arripere, dilatari, comprimi, & ſimilia agere; hæ quidem ſunt actiones, ſed non omnes manui propriæ, quia cum primum dico manum, ſtatim etiam dico inſtrumentum: ea propter illæ tantum actiones dicentur manui propriæ, quæ ſibi competunt quatenus inſtrumentum eſt. Vnde ſequitur quod nutritio, auctio, & ſimiles actiones non ſunt propriæ manus, quoniam competunt primo ſimilaribus; & ideo ſimilarium partium propriæ ſunt: At contractio, dilatatio, arreptio, & huiuſmodi aliæ ſunt propriæ actiones manus. Si igitur intemperies aliqua corrumpat nutritionem manus, talis corruptio non dicetur propria affectio manus; ſed partium ſimilarium, quoniam corrumpitur propria actio ſimilarium partium. Igitur morbus debet impedire per ſe, & primo actionem propriam partis, ſi proprius illius partis morbus dici debeat: & ſi morbus impediat quidem actionem; ſed non primo, ac per ſe, non dicetur proprius morbus. Sententia hæc eſt Galeni, & non mea, in lib. de diff. morborum, quam exemplo etiam magis aperit, dicens: eſto quod intemperies frigida ſit introducta in manu, ita vt manus facta iam ſit rigida, nec poſſit dilatari, extendive, nec arripere: certum eſt, quod arripere, & ſimiles actiones ſunt propriæ manus. cum itaque impedita ſit talis actio manui propria, videretur dicēdum eſſe, quod talis affectio eſſet propria manus: tamen non ita dicendum eſt, ait Galenus; quoniam talis actio, quæ eſt arripere, non impeditur primo, & per ſe, ſed primo, & per ſe læduntur partes ſimilares: & quia manus conſtat ſimilaribus partibus, hinc eſt, quod illis lęſis, læditur & manus. prima itaque læſio eſt in ſimilaribus: ſecundario autem, & per accidens communicatur manui. Vnde colligo proprium morbum alicuius partis eſſe illum, qui immediatè lædit propriam actionem partis illius. Si hoc uerum eſt, ſicuti certè eſt, non poſſum ego dicere, quod ſolutio continui ſit propria affectio partium ſimilarium, quoniam nulla pars ſimilaris, quatenus ſimilaris, ſi patiatur continui ſolutionem, amittit propriam actionem. n. niſi etiam adſit proprius morbus, nec quicquam in ipſa actione propria patitur. Videamus, quæſo, an hoc ſit uerum, nec ne: ſecetur caro, vel os, vel quæuis alia ſimilaris pars: videamus modo, an propria eius actio lædatur; profecto non, quoniam nihil minus natura nutrit ſectam carnem, quam non ſectam: concoquit ſimiliter, apponit, expellit excrementum, qđ gignitur, explet cauitatem carne, & ſimilia omnia agit: ſed nutritio eſt propria actio ſimilarium, & omnes aliæ operationes, vt attractio, concoctio, & reliquæ ſunt propter nutritionem. Si itaque ſecta carne non impeditur propria eius actio, ergo ſolutio continui in carne non eſt propria eius affectio, quoniam impediret ipſius operationem: hoc autem cum non efficiat, non eſt dicendum, quod ſolutio continui ſit proprius morbus ſimilarium partium, ſed eſt morbus proprius illarum partium, quarum primo impedit actiones proprias: tales autem ſunt inſtrumentales primi ordinis, vt neruus, vena, arteria, os, cutis; aut ſecundi ordinis, ut digitus, & huiuſmodi; aut tertii, ut manus, & pes: ergo ſolutio continui erit propria affectio inſtrumentorum: quia ſi ſecetur uena, uel arteria ſtatim effluit ſanguis, & ſic impeditur eius propria actio, quæ eſt ſanguinem continere: ſi ſecetur neruus, impeditur pariter eius operatio, quæ eſt delatio ſpirituum: ſimiliter ſi ſecetur os, impeditur ſua actio, quæ eſt ſtabilitas, & conformatio, quam tradit parti in qua eſt. Cum igitur ex ſolutione continui læ datur primo actio propria organorum, ſequitur, quod non ſit paſſio, ſeu affectio æquè propria ſimilaribus, atque organicis partibus; ſed tantum propria organicis: nec poſſum re vera aliter dicere. Cauſa autem erroris, mea ſententia, fuit, quoniam vna, ac eadem pars, & ſimilaris, & organica aliquando eſt, præcipuè organica primi ordinis vti os, vti neruus, quæ habent ſubſtantiam ſimilarem, ac vniformem; ſunt poſtea organa ad corpus geſtandum, aut deferendam facultatem.

Sententia paradoxa.

Definitio morbi.

Actiones partiū aliæ propria, aliæ impropria.

Proprius morbus partis alicuius.

Solutionē continui nō eſſe morbum proprium ſimilarium partium.

Continui ſolutio eſt proprius morbus inſtrumētorū.

Cauſa erroris.

At

Dubitatio. At qui ſtatim inſurgeret aliquis dicens, ſi pungatur neruus, verbi cauſa, in manu, ſtatim
ceſſat nutritio,& ſi non ſtatim,breui ſaltem tempore, & manus extenuatur: pũctio autem
eſt ſolutio vnitatis: igitur ſolutio continui eſt propria affectio ſimilarium , quoniam impe-
ditur primo earum actio,quæ eſt nutritio:non autem impeditur actio organorum,vt tu di-
Solutio. xiſti. Reſpondeo verum eſſe,quod punctio eſt ſolutio continui,& quod manus attenuatur :
ſed dico quod illa attenuatio non ſequitur immediate ad illam punctionem,at prius præceſ
ſit vel conuulſio, vel dolor magnus,quæ indicant non ſolum ſolutam eſſe vnitatem.verum
etiam introductam eſſe qualitatem aliquam venenoſam ab inſtrumento pungente,ex qua
qualitate corrupta ſit ſimilariũ partiũ tẽperatura,ex qua orta ſit læſio actionis propriæ , ni-
Dubitatio. mirũ nutritionis,& hinc manus attenuatio. Sed rurſus inſtabis:partes ſimilares ſunt quã-
tæ,& ſunt quantũ cõtinuũ,& de ipſarũ natura eſt,vt ſint quãtæ,ac cõtinuæ: ergo ſi di!!ſoluan
Reſponſio. tur,nõ erũt cõtinuũ quantũ:& ſic ſolutio cõtinui erit propria earũ paſſio.Dico verum eſſe,
quod oẽs partes ſimilares ſunt quantũ,& quantũ cõtinuũ,pariter & organic*;tamẽ natura
ſimilaritatis,ac diſſimilaritatis(vt ita dicam)non conſiſtit in hoc, ſcilicet, in quantitate, ſed
ſimilarium partium natura conſiſtit in hoc, vt in minima quaque parte reſideat eadem fa-
Natura ſimilariũ in quo cõſiſtat cultas,quæ & in parte magna,vt verbi gratia,ſi accipiam fruſtum carnis, & ipſum diſſecem,
auferamque partiunculam,tam parua hæc portio,quam magnum illud fruſtum dicetur ca
ro, ſimilariſque pars, quoniam eadem facultas eſt in portione, quæ exiſtit etiam in magna
quantitate. nec quicquam immutatum eſt ab illa ſectione . quare diuiſio non eſt illa , quæ
corrumpit naturã partium ſimilarium; ſed quod vtique hoc facit, eſt ipſa intemperies. De
inſtrumentalibus autem partibus aliter res ſe habet,quia de natura ipſarum eſt,vt ſint conti
Natura inſtrumentalium. nuæ,& habeant quantitatem certam, ac determinatam, vt ſint ita latæ, ita longæ, atque ita
profundæ;ad quam rem magis declarandam accipiamus in exemplum muſculum flecten-
tem digitum aliquem: muſculus iſte cum inſtrumentum ſit,ſi debet ſuum munus obire, o-
portet,vt à ſui principio vſque ad extremos articulos digiti ſit continuus , habeatque tãtam
quantitatem:in organo igitur requiritur continuitas,ac determinata quantitas , requiritur
In organo requiritur cõtinuitas, & determinata quantitas. inquam in organo,quatenus organum eſt:& ideo ſi quantitas illa,ac continuitas auferatur,
ſtatim ceſſat primo & per ſe organi actio propria . Quare ſolutio continui eſt propria affe-
ctio organorum,& ita vnicum eſt genus morbi proprium partibus ſimilaribus quinque ve
ro partibus inſtrumentalibus: Nam de natura organorum eſt, vt habeant talem conforma-
tionem, quæ ſi immutetur, ſtatim afficiuntur præternaturam, & ſic conſtituitur vnum ge-
Quinque genera morborum inſtrumentalium. nus morbi. Secundo debent habere talem numerum:nam tot, & tot partes eſſe debent, nec
plures,nec pauciores,qui numerus ſi variet,fit alterum genus morbi. Tertio debent habere
talem ſitum,quem ſi non habeant , impeditur propria ipſorum inſtrumentorum actio, &
fit tertium genus morbi. Quarto debent habere tantam quantitatem,vt debent eſſe tam la-
ta,tam longa,& tam profunda,qua ſi careant,deſtituuntur propria operatione,& conſtitui
tur quartum genus morborũ. Quintò,& vltimò debẽt inſtrumenta habere talem vnionẽ;
& niſi habeãt,ſed diſiungãtur,efficitur quintũ genus morbi, quod vocatur ſolutio cõtinui.

Apparet itaque ſolutionem continui eſſe propriam affectionem organorum cõtra An-
tiquos,ac Recentiores Medicos omnes,quod eorum omnium pace dixerim:& ſi vultis ſci
re cauſam quare talis opinio , quod ſcilicet ſoluta vnitas ſit affectio communis partibus ſi-
milaribus,atque organicis,ſit inuecta,& ab omnibus accepta,& approbata,ſciatis eam fuiſ
Aliquæ partes sũt quæ & ſimilares, & inſtrumentales ſunt. ſe,quia aliquot,vt ſuprà dixi,reperiuntur partes,quæ & ſimilares,& organicę ſunt:nam tria
ſunt inſtrumentorum genera, vt aliàs dixi, cùm agerem de partibus ſimilaribus : quædam
enim ſunt organa,quæ dicuntur primi generis,quędam ſecundi,& quædam tertij: Primi ge
neris ſunt neruus,vena,os,cartilago,ligamentum,& ſimilia: hæ enim partes organa ſunt,&
quidèm ſimplicia : Organa autẽ ſecundi generis ſunt muſculus,membrana,panniculi,&c.
Organa primi generis. At tertij generis organa ſunt manus,pes,& ſimilia: nihil enim his magis compoſitum repe
ritur,niſi totum corpus accipiatis; ſed ipſum poſtea non erit organum, niſi quis dicat, ꝙ ſit
Secũdi generis, & tertij. organum animæ: ſed nos non loquimur de huiuſmodi organo. Quoniam igitur inter hæc
organa aliquot ſunt valde ſimilia , in quibus ſi accidat ſolutio continui , efficitur morbus,
hinc eſt quòd omnes credidere ſolutionem continui eſſe morbum communem: nam ſi ſe-
cetur os,fit morbus,& ſolutio continui in oſſe eſt proprius morbus oſſis,& os eſt pars ſimi-
laris.Dicetis vos:ergo ſolutio continui eſt etiã morbus partiũ ſimilariũ: idem eſt de neruo,
& reliquis alijs huiuſmodi partibus: Hic igitur latitat error,qui decipit oẽs: nã aliud eſt con
ſiderare partes ſimilares, quatenus ſimilares ſunt ; aliud verò quatenus ſunt organa , verbi
gratia,os ſi cõſideretur,quatenus eſt os digiti , vel fæmoris,non eſt pars ſimilaris,ſed organi-
ca,vt ex eo patet,qa debet habere tãtã magnitudinẽ,talẽ cõformationẽ, talẽ ſitũ, & reliqua,
alioqui nõ obibit ſuũ munus: idẽ dico de neruo: quatenus enim eſt in hac,vel in illa parte,
eſt organũ,& ideo debet habere tantã longitudinẽ,latitudinemq; talẽ,& tales meatus, atq;
oriri ab hac,illave parte ſpinę,& ſimilia habere,ꝙ nõ requirũtur,ſi cõſideremus neruũ in ſe.

vt

Digitized by Google

vt ſimilaris pars eſt: & hoc modo conſideratus non eſt amplius organum: & ideo non magis eſt neruus ille, qui eſt valde longus, admodum latus, & huiuſmodi alia habet, quam ille, qui puſillus eſt, & rotundus, & hoc vel illo modo ſe habet: & hoc quidem modo conſideratus neruus, os, & aliæ huius ordinis partes, non ſunt organa; ſed prorſus ſimilares partes, & ob id patiuntur tantum proprie intemperiem: Sed ſi conſiderentur, vt organum, patiuntur ſolutionem continui. hinc igitur eſt ortus error omnium medicorum. Scio equidem, quod mea hæc opinio eſt paradoxa, tamen non poſſum veritate motus cum a iis medicis (pace eorum dixerim) conſentire in re hac. Solutio itaque continui eſt morbus ſimplex, & proprius inſtrumentorum, quo morbo vnitas deperditur, & propria etiam operatio, vel ex toto, vel ipſius pars aliqua.

Trincauellium intelligo: ipſe enim fuit, qui hanc Falloppij opinionem infringere ſtuduit.

Argumentum aduerſariorum.

Intemperiem per conſenſum nō dari.

Cæterum aliquot ex medicis huius Gymnaſij nituntur tueri hac in re Galenum: alioſque medicos, & proponunt quædam argumenta futilia; & noſtras rationes poſtea, quibus in hanc opinionem, vt audiuiſtis, deuenimus, relinquunt inſolutas: vnum autem ex ſuis argumentis eſt tale. In vulnere, quod eſt ſoluta vnitas, gignitur caro, qua vulnus repletur, & dum caro ipſa gignitur, fit etiam copioſum excrementum. vnde igitur dicunt iſti fit generatio copioſi excrementi? profecto, inquiunt, non ob aliud, quam quia ſimilares partes, id eſt, caro ipſa patiuntur: ſi ergo patitur caro in vulnere, ita vt ratione ſuæ affectionis generetur plurimum excrementum, ergo in vulnere id, quod patitur, eſt ipſa caro, non autem organum: igitur ſolutio continui eſt proprius morbus ſimilarium partium, & non organicarum. hæc iſtorum ratio eſt. Sed profecto ſi ſciuiſſent, quid ſit pati morbum per ſe, non dixiſſent hoc, nec faterentur dari intemperiem per conſenſum, vt fatentur: quam intemperiem aſſerere, quod detur, eſt apud me maximus error. Sed ad argumentum: In vulnere gignitur caro: concedo: & gignitur copioſum excrementum: fateor: ergo tale excrementum gignitur, quia caro patitur: tranſeat: ergo ſolutio continui, vt puta vulnus, eſt propria affectio partis ſimilaris, vt carnis; negatur conſequentia. ò dicunt: nonne ex vulnere patitur caro ita, vt gignat tantum excrementum? Dico primo quod affectio illa, qua caro gignit excrementum, non eſt continui ſolutio, ſed eſt intemperies, quæ tamen intemperies contracta eſt ratione vulneris, nam cum caro detecta ſit, immutatur eius natura, & refrigeratur; vnde fit, vt facultas lædatur, qua læſa, non poteſt ita rectè ſuum munus obire, & hinc oritur excrementum. Quare ſolutio continui non eſt immediata cauſa, ſed mediata generationis excrementi; immediata autem eſt læſio facultatis partis ſimilaris, quæ læſio prouenit proximè ab intemperie. Quia itaque facultas læſa eſt, idcirco ex attracto nutrimento non gignit multam carnem: ad generationē autem paucæ carnis, ſequitur generatio plurimi excrementi: & ita, vt videtis, talis læſio prouenit per accidens ex ſolutione cōtinui. Ea propter non valet, quod ſolutio continui ſit proprius morbus partium ſimilarium, quoniam de natura morbi proprij ex ſententia Galeni eſt, vt lædat primo operationem illius partis, cuius eſt morbus, non autem per accidens. Sed notate, ꝙ ego ſuppoſui, & condonaui aduerſarijs iſtis, quod excrementum in vulnere fieret ex læſione facultatis; & tamen oſtendi ſuā rationem nullam habere vim contra nos.

In vulnere non gigni excrementum à læſa facultate.

Nunc autem volo, vt ſciatis illud non eſſe verè ſupponendum, nec concedendum, quod videlicet excrementum gignatur in vulnere à læſa facultate. & licet iſti & in colloquijs, & in alijs locis profiteantur ſe eſſe admodum exercitatos in re chirurgica, & rectè hanc artem callere, tamen oppoſitum poſtea oſtendunt, dum aſſerunt excrementum copioſum in vulnere gigni ob læſam facultatē. Sed vultis ne vos, Iuuenes ornatiſſimi, ſcire cauſam, cur copioſum excrementum gignatur? Sciatis nullam aliam eſſe, quam quia copioſa quoque gignitur caro, & niſi caro copioſa in ipſa nutritione generaretur, profecto non generaretur etiam copioſum excrementum. Sed dicetis, in partibus non vulneratis, & ſanis fit quidem nutritio, & caro gignitur plurima; tamen non videmus copioſum gigni excrementum. Reſpondeo, quod nec carnem videtis, ideo non mirum, quod nec excrementum conſpicitis, tamen copioſum gignitur: nam quid putatis vos, quod ſit ſudor, & ſordes illa, quæ cuti hæret? nihil aliud mehercle eſt, quàm excrementum illud. Præterea, nonne continuo inſenſibiliter per cutim exhalat vapor? Quare habeatis hoc pro veriſſimo, quod vbicunque gignitur copioſa caro, ibidem & copioſum fit excrementum: & vbi pauca, paucum, & excrementum illud duplex eſt, aliud ſcilicet tenue, aliud craſſum, vt fuit ſententia Galeni tertio meth. cap. tertio, vbi ait, quod in prima carnis generatione neceſſe eſt gigni duplex excrementum, alterum craſſius, reliquum tenuius, quod excrementum ſequitur omnem mutationem qualitatis alimenti: & hoc duplex excrementum dicit etiam gigni in vlceribus: & ideo inuenit etiam duplex medicamentum eſſe neceſſarium in vlceribus, vnum quidem quod ſiccet excrementum illud, quod tenue eſt, & humidum; aliud vero, quod detergat, & euacuet excrementum illud craſſum. Quod etiam duplex excrementum gignitur in vulneribus & niſi cū vulnere cōiuncta ſit maxima intēperies frigida, ſemper gignitur copioſum

Cur copioſum excrementum gignatur in vulnere. Obiectio. Reſponſio.

Duplex excrementū in carne.

excrementum. quotieſcumque igitur gignitur plurima caro, plurimum quoque fit excrementum. Præterea quando vulnus eſt iam conglutinatum, noſque imponimus ceratum barbarum, & ſpatio trium, vel quatuor dierum ne mica quidem excrementi gignitur, peto ab iſtis, an ibi ſit ſolutio continui nec ne? profecto non poterunt negare. quare non eſt argumentandum à generatione excrementi, quod ſolutio continui non ſit proprius morbus partium organicarum: nam ſunt vulnera in quibus nihil excrementi continetur, vt quando vulnera conglutinantur, & vulnera recentia in primo, & ſecundo die, in quibus tamen ſolutam eſſe vnitatem non poteſt negari. Vnde niſi iſti habeant rationes validiores, profecto non facient me mutare ſententiam, quæ conſentit cum veritate, quam & ipſi deberent ſequi, & ipſa etiam deberent moueri; non autem odio ad argumentandum contra nos. Quare iterum aſſero ſolutionem continui eſſe morbum proprium partium inſtrumentalium, quia primo & per ſe lædit organorum actiones; non autem lædit primo actiones ſimilarium partium: ſed ſi operatio ſimilarium læderetur, id quidem per accidens contingit, ex affectu ſcilicet partium inſtrumentalium. *Obiectio aduerſarij.* Sed aduertatis, quod noſter aduerſarius ſtat adhuc pertinax, & ait, non dari vulnus, in quo non ſit ſanies. *Reſponſio.* Ad quod etiam reſpondeo, & dico eſſe falſum, ſi ſimpliciter intelligatur: nam vel ſanies eſt præter naturam in vulnere, vel ſecundum naturam: ſi præter naturam, verum eſt, ſin minus falſum. Præterea non omnia vulnera habere ſaniem oſtendo, vt iam dixi, uulnera illa, quæ conſolidantur: ſimiliter vulnera recentia in prima ſcilicet die vſque ad tertiam: nam eo triduo non gignitur in vulneribus ſanies; tamen non dicemus, quod vulnus in primis tribus diebus non ſit vulnus: & ſi quis id dicat, is debet aſſignare rationem tantæ, ac tam repentinæ mutationis, quod hodie verbi gratia hæc eadem continui ſolutio non ſit vulnus, cras vero vtique. Aliud proponit aduerſarius noſter argumentum, vt mihi relatum eſt tale.

Aliud argumentũ aduerſarij. Inflammatio magna eſt affectus organorum: Leuis verò inflammatio dicebat Galenus eſt veluti ſimilarium partium morbus: ſed in magna inflammatione generatur ſanies, quam non poſſumus dicere non gigni à parte aliqua ſimilari: ergo pars ſimilaris affecta eſt. quare licet inflammatio magna ſit morbus organorum, tamen lædit etiam partes ſimilares: igitur ſolutio continui non eſt proprius morbus organorum.

Solutio argumenti. Ad hoc argumentum reſpondens concedo magnam inflammationem eſſe morbum partium ſimilarium, & organorum; tamen nihil ex hoc habent contra nos: quia nos loquimur de morbo ſimplici, ipſi autem argumentantur, de morbis compoſitis, cuiuſmodi eſt magna inflammatio, in qua adeſt aucta quantitas, intemperies, & materia calida, & humida: vnde dico in inflammatione gigni ſaniem, quoniam læſa eſt facultas.

Aliud argumentũ aduerſarij. Addunt aliud argumentum ſumptum à tuberculis illis paruis, qui in naribus oriuntur; dicunt enim tubercula illa cum ſuppurantur, & aperiuntur, efficiunt ſolutionem continui; attamen naſus, qui eſt inſtrumentum nihil patitur ex tali ſolutione continui: ſi igitur per te, ò Falloppi, ſolutio continui eſt proprius morbus organorum, dicendum neceſſariò erit, quod, vbicumque eſt ſolutio continui in ipſo organo, lædat illud organum; tamen nos videmus, quod ex ſolutione continui excitata in naſo, ratione tuberculorum paruorum exiſtentium in alis naſi, nihil patitur naſus, qui eſt organum: ergo ſolutio continui non eſt proprius morbus organorum: quod autem naſus in ſua operatione non patiatur, patet, quoniam tam quando non eſt in ipſo illa continui ſolutio, quam quando adeſt emittitur, & attrahitur aliquid per foramina illa, vt attrahitur aer, & excernitur mucus. *Solutio.* Solutio argumenti huius eſt facilima. Debetis ſcire, quod organorum quatuor ſunt genera, vel dicatis tria tantùm, nihil nunc refert: inter quæ organa illa, quæ ſunt valde compoſita, habent ſuas actiones: quarum actionum vna ipſius organi pars eſt præcipuum, & principale inſtrumentum: exemplo rem pa efacio: *Organorũ quatuor, vel tria ſũt genera.* Oculus eſt organum valde compoſitum, conſtat enim pluribus partibus; tamen inter omnes illas partes vna tantum eſt, quæ dicitur proprium inſtrumentum actionis oculi, ideſt, viſionis, & eſt chryſtallinus humor, licet talis actio, nempe viſio dicatur operatio totius organi, ideſt oculi, quia dicimus oculum videre. Similiter vt accipiamus exemplum Philoſophorum: ſecuris ſecat lignum, & talis actio, id eſt, ſectio, eſt totius ſecuris, tamen Philoſophi dicunt, quod non tota ſecuris eſt immediatum inſtrumentum ſectionis; ſed vna tantum ſecuris pars eſt, ex qua talis actio prodit, quæ pars eſt acies: & quod dico de his organis, intelligatis etiam vos de quibuſcumque alijs. His ita poſitis, accedo iam ad naſum, & dico, quod naſi actio eſt duplex: Vna quidem eſt attractio, & *Naſi actio duplex.* emiſſio alicuius materiæ per ipſum, & hanc dico eſſe actionem naſi impropriam: nam etiam ſi non adeſſent illæ alæ naſi, nihilominus talis actio perficitur, vt patet de ijs, quibus amputatæ ſunt nares: nam attrahunt aerem, & excernunt mucos.

Altera

Altera autem eſt actio naſi propria, quæ ſine alis illis perfici nequit, & talis actio nihil aliud eſt, quam moderatio illius, quod attrahitur, vel excernitur, quæ moderatio non poteſt fieri ſine alis: nam alæ ipſæ ſunt quæ & plus, & minus, vti volumus nos, ſinunt aeris ingredi, vel muci egredi, quoticicumque etenim volumus multum aeris attrahere, alas illas naſi dilatamus, & expandimus; quando vero parum, comprimimus: idem fit de muci excretione: & huiuſmodi actio eſt propria naſi operatio, quatenus ſcilicet naſus eſt: & licet totum organum ad hanc actionem concurrat, tamen immediatum, & proximum ipſius inſtrumentum ſunt duo muſculi tranſuerſales, & cartilago illa: ea propter ſi tuberculum obotiatur in muſculis illis, vel in cartilagine, profecto impeditur talis actio. Sed quando oboritur in cute naſi, non impeditur huiuſmodi actio, quoniam cutis non eſt proprium ipſius inſtrumentum, at commune; ſed tunc, quando ſcilicet tuberculū oritur in cute, impeditur actio propria cutis, cuius actionis cutis ipſa eſt immediatum inſtrumentum: actio autem, & vſus proprius cutis eſt, vt tegat: & ideo ſi ſecetur, non dubium eſt, quod pars eo in loco remanet detecta, & læditur propria actio cutis. Cum itaque cutis non ſit proximum inſtrumentum actionis naſi, non eſt mirum, ſi, obortis tuberculis in cute naſi, non impediatur propria naſi actio, ſicut non impeditur, etiam ſi naſus excorietur; ſed vtique impeditur actio illa, quæ eſt cutis propria, & eſt, vt dixi, tegere. Dico igitur, quod ex ſoluta continuitate: in cute læditur cutis actio, quæ eſt tegere, læditur dico, quatenus cutis inſtrumentum eſt, non autem vt pars ſimilaris: nam cutis vt eſt corporis integumentum, vocatur organum, & ideo ſi ſoluatur, ſeceturve, fruſtratur ſuo munere, & ſic patet ſolutio ad argumentum. Proponit aduerſarius vltimum argumentum, & quidem elegantius reliquis, & eſt tale: Pungatur pars aliqua ſimilaris, verbi cauſa, neruus: certum eſt, quod excitatur dolor, qui dolor ſymptoma eſt, & quandoque etiam morbus vocatur à Galeno: hic habemus ſolutionem continui, & ex ipſa afficitur non pars organica, ſed ſimilaris, id eſt neruus, quia ipſe eſt, qui dolore afficitur: ergo ſolutio continui eſt affectio partium ſimilarium, non autem organicarum, quia neruus eſt pars illa, quæ primo, & per ſe dolore afficitur.

Aliud argumentum aduerſarij.

Ad hoc argumentum diſtinguo de dolore hoc modo: dolor qui in puncturis accidit, eſt duplex: nam quidam fit interim, dum fit ſolutio continui, id eſt, dum acus, verbi cauſa, pungit, & eſt in neruo ipſo: alter vero dolor eſt, qui ſuccedit ipſi ſolutioni continui, & eſt dolor, qui maximus excitatur, remota acu ipſa. Poſita hac diſtinctione, dico, quod ſi aduerſarius intelligit de ſecundo dolore, ego habeo intenſum: nam ſi talis dolor ſequeretur primo, & per ſe partem ſimilarem, hoc eſt, neruum, ſequeretur, quod, aucta ſolutione continui in ipſo neruo, augeretur & dolor, quia cauſa immediata, & proxima alicuius effectus ſi intendatur, neceſſario etiam intenditur effectus: ſed aucta ſolutione continui in neruo, non augetur dolor: immo ceſſat: ergo dolor non ſequitur immediatè neruum: quod vero dolor non intendatur, aucta ſolutione continui in ipſo, patet, quia, ſi neruus aliquis ſit punctus. & ob id maximus adſit dolor, & aliquis ſecet neruum illum per tranſuerſum, ſtatim ceſſat dolor. Sed ſi aduerſarius intelligat de primo dolore, qui excitatur, dum fit ipſa ſolutio continui, ſicuti credo, quod intelligat, vtique ex magna ſolutione continui excitatur magnus dolor; & ex parua paruus; vt ſi ſuperficialiter, & vix pungatur neruus, paruus excitatur dolor: contra autem, ſi altius acum infigas, ſiue modo dolor fiat à ſolutione continui, tanquam à cauſa immediata, ſiue ab intemperie, de qua re ſolet eſſe maxima controuerſia, non curo iam: Dicit itaque aduerſarius intelligens, vt puto, de dolore primo, qui excitatur interim, dum pungitur neruoſa pars, dolor hic conſequitur immediatè neruum, quia neruus eſt, qui dolet, & dolor eſt ipſius ſymptoma: ergo dolor eſt propria affectio nerui: ſed neruus eſt pars ſimilaris, & talis affectio excitatur à ſolutione continui. ergo ſolutio continui eſt propria affectio ſimilarium partium. Ad hoc argumentum dico, dolorem non eſſe ſymptoma ſimilarium partium de illo genere ſymptomatum, quod dicitur excrementum immutatum, ſicut nullus eſſet, qui diceret; nec eſt ſymptoma in genere actionis læſe: quod hoc ſit verum patet ex eo, quod partes ſimilares patiuntur dolorem, tamen non ceſſant à propria actione, quæ eſt nutritio, vt neruus licet doleat, tamen & alterat, & concoquit, & aſſimilat, & neruoſam ſubſtantiam generat: quod non eſſet, ſi ſoluta vnitas eſſet propria ipſius affectio. igitur dolor eſt integra actio, vel paſſio: loquor diſiunctiuè: quia reſpectu organi recipientis talem ſenſationem, quæ dolor eſt, poteſt dolor ipſe vocari paſſio; ſed quatenus eſt ſenſatio partis ſenſitiuæ, appellatur actio, tamen dum organum aliquod recipit talem ſenſationem, non dicitur præternaturam affici, vt verbi gratia lingua, dum percipit amaritudinem, non patitur, nec talis ſenſatio eſt morbus, & dum ipſam percipit, vt organum eſt, percipit. Similiter cutis, & caro, dum percipiunt duritiem, mollitiem, & ſimilia, percipiunt tanquam organa, non autem tanquam ſimilares partes, quoniam ſunt inſtrumentum tactus: idem dico de neruo, quia dum dolet, non dolet vti pars ſimilaris, ſed quatenus organum

Solutio.

Dolor in puncturis duplex.

Ad argumentum.

eſt. Et ſi pars ſimilaris, quatenus ſimilaris, perciperet dolorem, neceſſariò quælibet pars ſimilaris doleret: ſed hoc eſt falſum, quia cartilago ſimilaris pars eſt, tamen non dolet: cerebrum pariter eſt pars ſimilaris, attamen non ſentit. Vnde dico, quod partem hanc, vel illam dolere nihil aliud eſt, quam recipere illud obiectum, & cognoſcere ſenſationem illam: & ideo dolor nihil aliud eſt, quam cognitio actionis illius ab obiecto præternaturā, & eſt actio exquiſita, non autem morbus: ſed quia obiectum eſt præternaturam, hinc eſt, quod ſequitur dolor: quod ſi obiectum eſſet ſecundum naturam, talis cognitio, ſenſatiove non eſſet dolor, ſed lętitia. Itaque neruus, & quęlibet alia ſimilaris pars dicitur pati dolorem, & ſolutionem continui non quatenus ſimilaris, ſed quatenus eſt organum. Permanet itaque noſtra opinio in ſuo robore, quod ſolutio continui ſit morbus ſimplex, & proprius inſtrumentorum, quo morbo vnitas, ſeu vnio deperditur, & propria operatio, vel ex toto, vel ſecundum partem: nam inſtrumenta primò, & per ſe requirunt talem vnionem, & compagem ab hoc termino ad illum.

Quid ſit, partem aliquā dolere. Dolor quid ſit.

Definitio ſolutionis continui.

Dicamus igitur ſolutionem continui, vel ſolutam continuitatem eſſe affectionem præternaturam in inſtrumentali parte, quatenus inſtrumentali; qua partium vnio actioni neceſſaria auffertur: vnde ſequitur tandem ipſius actionis læſio.

Diuiſio ſolutæ vnitatis.

His explicatis, ſequitur, vt videamus, an iſta continui ſolutio ſit vna tantum, an multiplex: at multiplicem eſſe fatentur omnes, & inter ſolutiones cōtinui reponitur vulnus. Primo itaque proponam vobis diuiſionem ſolutæ continuitatis traditam à Recentioribus, inter quos eſt Petrus Aponenſis Conciliator vocatus, qui in differentia 181. agit de re hac, & proponit tredecim, vel quatuordecim ſpecies ſolutionis continui ex Auicenna acceptas ſecunda primi doctrina prima cap. quarto, licet Auicenna quinque alias ſpecies addat ſolutionis quæ ſunt prætermiſſæ à Conciliatore. Variæ igitur ſunt ſpecies ſolutionis continui: neque enim quælibet continui ſolutio habet eandem naturam: & quoniam quælibet morborū ſpecies habet proprias differentias; idcirco, ſi velimus diſtinguere, & inuenire ſpecies ſolutionis continui, oportet confugere ad ſuas differentias; & hanc ob cauſam Conciliator poſuit quatuor differentias, tanquam quatuor fontes, ex quibus promerentur ſpecies ſolutæ vnitatis, & illas differentias accipit, vt dixi ab Auicenna, & Conciliatorem poſtea ſecuti ſunt omnes Recentiores.

Prima differentia ſolutionis cōtinui.

Prima itaque differentia, ſeu primus fons, eſt pars ipſa, in qua eſt ſolutio continui: nam longè differt ſolutio continui, quæ eſt in neruo, ab ea, quæ eſt in carne, vel in oſſe, vel in alia parte: & varia quoque eſt curandi ratio, quæ conuenit ſolutioni continui exiſtenti in hac parte, atque in illa: pars itaque eſt illa, quæ primo efficit varias ſpecies ſolutionis continui.

Secunda differētia.

Secundus locus eſt acceptus à poſitione ſolutionis continui in parte ipſa. quomodo ſcilicet ſolutio ponatur, & facta ſit in parte aliqua: nam in aliqua ſolutione continui vna pars eſt ſoluta, verbi gratia, per longum; altera in obliquum: & ſic de reliquis: vnde & penes hoc ſolutiones continui differunt & variam requirunt curationem.

Tertia differentia.

Tertia differentia ſumitur à quantitate: nam aliæ ſolutiones continui ſunt magnæ, aliæ paruæ, aliæ latæ, aliæ anguſtæ, & huiuſmodi, quæ pariter, cum differant, variam curandi rationem poſtulant.

Quarta differētia.

Quarta & vltima eſt ipſum conſequens ſolutionem ipſam continui, quod conſequens eſt humiditas abundans, id eſt, ſanies exiens ex ipſa ſoluta vnitate: nam & ratione redundantis ſaniei differunt ſolutiones continui, & diuerſam quoque exigunt curationem: tot ſunt differentiæ ſeu loca, fonteſve, ex quibus eliciunt tredecim, vel quatuordecim, vel etiam plures ſpecies ſolutæ vnitatis, & prima ſecundum ipſos eſt Scarificatio, quæ nihil aliud eſt, quā ſolutio continui per longum in cute tantum, nihil patiente ſubiecta carne, vt ſi per lōgum ſecetur cutis tantum digiti: quod ſi cutis duntaxat ſecetur, ſed per tranſuerſum, & lata ſit ſolutio, vocatur ab ipſis Excoriatio. vnde prima ſpecies ſolutionis continui eſt ſcarificatio: ſecunda eſt excoriatio. Si autem ſectio perueniat vſque ad carnem, & caro diuidatur per lōgum, talis continui ſolutio vocatur ab ipſis Vulnus, vel Plaga: Rurſus, ſi huic ſectioni per longum factæ in carne accidat ſanies copioſa, nuncupatur huiuſmodi continui ſolutio nō amplius vulnus, ſed Vlcus: & ita ſecundum ipſos ſemper datur tranſitus à vulnere ad vlcus: quia quotieſcumque vulnus incipit gignere ſaniem, egreditur è natura vulneris, & induit naturam vlceris. Non tamen credatis, non poſſe fieri vlcus abſque vulnere: nam ſæpe excitātur vlcera in partibus, abſque quo præceſſerit vulnus. Si vero ſolutio continui fiat in cartilagine, vel in oſſe, & fiat per tranſuerſum, vocatur ab iſtis Inciſio, ſiue ſolutio illa fiat ab inſtrumēto frangente os, vel cartilaginē, ſiue ab incidēte, dūmodo ſolutio ſit per tranſuerſum, nihil refert. Si vero ſolutio cōtinui in his duab. partib. ſ. vel in oſſe, vel in cartilagine fiat per lōgum, nominatur Sciſſura. Sed ſi rurſus ſolutio ſit in oſſe, vel in cartilagine, & quidem per longum, at ſit magna ſolutio, vocatur Contuſio. Verum animaduertatis, quod nolo ego

Prima ſpecies ſolutæ vnitatis.

Secunda ſpecies.

Reliquæ ſpecies.

diſquirere.

Digitized by Google

diſquirere, & perpendere an nomina iſta fuerint rectè iſtis ſolutionibus continui impoſi-
ta, nec ne, quoniam nolo in nominibus conterere tempus. Sed ſat vobis ſit, vt ego recenſeā,
& doceam uos, quid nomina iſta ſignificent apud iſtos, vt poſſitis, ſi quādo eos legeritis, ſi-
cuti legere debetis, intelligere quid dicant, ſibique velint. Itaque tres ſpecies ſolutionis con
tinui ſecundum ipſos accidunt in oſſe, nimirum inciſio, ſciſſura, & contuſio, quas tres ſpe-
cies poſuit Auicenna, licet Conciliator, & Recentiores eas prætermiſerint. Cæterùm, ſi ſo
lutio continui fiat in lacertis, ideſt muſculis, & ſolutio ſit per tranſuerſum in extremis, uo- *Separatio.*
catur Separatio, eò quòd, ſecto muſculo per tranſuerſum, partes muſculi retrahant ſeſe,
& ſeparentur, & ab Auic. hæc ſolutio muſculi uocatur Inciſio, quādo ſcilicet in principio *Diſſolutio.*
inciditur muſculus ab oſſe. Si uerò ſectio in muſculis fiat per longū, dicitur Liquefactio,
atque diſſolutio: cur autèm dicatur Liquefactio, equidē ignoro: cur verò diſſolutio patet,
quia diſſoluitur. At ſi ſolutio continui ſit in chorda, vel neruo, vel in tendine, aliovè ligamē *Attritio.*
to, & ſit per longum, uocatur Attritio, Si ſolutio rurſus fiat in arteria, uel uena, & quidèm *Inciſio.*
per tranſuerſum, dicitur Inciſio vel ſeparatio; ſi autèm per longum dicitur ſciſſura, ſicut & *Sciſſura.*
in oſſe dicebatur. Auicenna tamen in uena, & neruo addit duas ſpecies ſolutionis continui:
una quarum dicitur Perforatio, altera mater ſanguinis, qn. nāo enim perforatur neruus,
vel vena, talis ſolutio continui non poteſt dici inciſio, nec ſciſſura: ſimiliter quando vena
extenditur, & laceratur tunica, exitque ſanguis, & fit ſinus magnus; præcipuè ſi laceretur tu
nica arteriæ. quando ergo in uena fit talis ſolutio continui, nō poteſt uocari inciſio, uel ſciſ *Perforatio.*
ſura, ideo illa vocatur perforatio; hæc vero mater ſanguinis, quę à Grecis nominatur Aneu *Mater ſanguinis.*
riſma, & connumeratur etiam inter tumores præternaturam. Si autem ſolutio ſit in panni
culo, vt in membranis cerebri, vel in peritonæo, & ſimilibus, vocatur Ruptura. vnde ruptos *Ruptura.*
vocant illos, quibus ex diſruptione peritonæi inteſtina prolapſa ſunt in burſam. Si autē ſo-
lutio ſit in articulis, ita vt os mutet proprium locum, nūcupatur Separatio, vel Diſlocatio, *Diſlocatio.*
licet hoc pertineat potius ad ſitū, quam ad vnionem ſolutam. Hæ igitur, & tot ſunt ſpecies *Species omnes ſolutæ cōtinuitatis recentiorum.*
ſolutionis continui ſecundum Recentiores, videlicet Scarificatio: Excoriatio: Vulnus: Vl-
cus: Inciſio: Sciſſura: Contuſio: Separatio, vel inciſio: Liquefactio, vel diſſolutio: Attritio:
Inciſio, vel ſeparatio: Sciſſura: Perforatio: Mater ſanguinis: Ruptura: Separatio: vel Diſloca
tio: At qui habemus Græcos, qui rectius ſpecies ſolutionis continui tradunt, enumerantq;,
& præcipuè id facit Galenus varijs in locis: at loca præcipua ſunt in 3. meth. cap. 1. & 4. me-
th. cap. 1. & 6. meth. cap. 1. nec non in lib. de differentijs morborum cap. 11. prima itaque ſpe- *Species ſolutæ unitatis ſecundū Græcos.*
cies eſt, quæ ἕλκος græcè dicitur, à noſtris Vlcus: enumerabo primum ſpecies, deinde quid-
una quæque ſit declarabo Prima igitur ſpecies ſolutionis continui eſt ἕλκος, ideſt. Vlcus; ſe-
cunda eſt τραῦμα, ideſt, Vulnus, vel Plaga; Tertia eſt κάταγμα ideſt Fractura; Quarta ῥῆγμα, *Prima vlcus.*
ideſt Fiſſura vel Rima; Quinta θλάσμα grecè dicitur, à noſtris autem Contuſio, vel Illiſio
Sexta eſt σπάσμα ideſt Conuulſum, in qua uoce σπάσμα debetis notare, quòd aliqui Recen- *Secunda vulnus.*
tiorū accuſant Galenū de inconſtantia, quia dicūt ꝙ quādoque uocat σπάσμα ſpeciē morbi
neruorum, quæ aliter dicitur conuulſio, & eſt neruorum contractio, quam dicit fieri aut *Tertia fractura.*
ex inanitione, aut ex repletione: quandoque autē dicit quòd σπάσμα eſt ſolutio continui in
neruis. Sed Recentiores iſti decipiūtur quoniā quando Galenus vult nobis ſignificare ſolu *Quarta fiſſura.*
tionē continui, utitur hac uoce σπάσμα, quæ nobis ſonat conuulſum, quæ vox conuulſum,
eſt fictitia; tamen nihil refert, ut diſtinguamus, & rem ipſam percipiamus: quando autem *Quinta Contuſio.*
vult ſignificare ſpeciem morbi neruorum aut muſculorum, non utitur hac uoce ſpaſma, *Sexta conuulſum.*
ſed σπασμὸς quæ uox uertenda eſt conuulſio: illa uerò, ſcilicet ſpaſma, uertenda eſt conuul-
ſum. ſeptima ſpecies eſt, quæ à Græcis uocatur ἀπόσπασμα à noſtris autē Diuulſum vel euul *Septima diuulſum.*
ſum: Octaua dicitur grecè ἀναστόμωσις, nos dicemus orarū apertionē uel Hiatum: quādo e-
nim ora uaſorū aperiūtur, perinde atq; nos hiamus ore, dicitur pati hanc ſpeciē ſolutæ vni *Octaua hiatus.*
tatis: ſed infra vnāquamq; ſpeciē declarabo. Nona eſt διαπήδησις græcè appellata; nos voca *Nona ſubſulſus.*
bimus ſubſultū. vel inſultū: qnādo namq; in aliquo uaſe excitatur ſolutio continui, ita ut
humor, qui in ipſo cōtinetur, inſiliat, tunc vas illud dicitur pati eā continui ſolutionē, quæ
διαπήδησις nominat. Decima & vltima eſt ſpecies ea, quæ à Gal. nocat ἀνάβρωσις ideſt, Eroſio. *Decima Eroſio.*
Tot, & hę ſunt ſpecies ſolutæ cōtinuitatis ſecundū Galenū; Iā unaquęq; ſpecies eſt declarā
da, qd ſcilicet ipſa ſit: & incipiamus à prima quæ erat ἕλκος, ideſt, Vlcus: Gal. igiť in 3. meth.
c. 1. declarans hoc dicens, quòd vlcus eſt ſolutio continui in parte carnoſa: quotieſcunque *De vlcere prima ſpecies.*
igitur vnio partium carnoſarum erit diſſoluta, talis diſſolutio vocabitur ἕλκος, ſeu vlcus, &
dicitur ἕλκος ἀπὸ τοῦ ἕλκεσθαι quod eſt diſtrahere, eò quòd partès inter ſe diſtrahantur, ita ut
fiat apertio. Κάταγμα, ideſt, fractura erat ſecunda ſpecies, quæ eſt, quando partes, vel oſſis, vel *De fracture.*
cartilaginis diſſoluuntur. Τραῦμα, ideſt, vulnus erat tertia, & ſignificat ſolutionē continui in *De vulnere.*
parte carnoſa cū perforatione. Quotieſcūq; igitur ſoluitur cōtinuitas partiū carnoſarū, &
ſolutio illa fiat à corpore aliquo perforādo ſiue perforet pūctim agēdo, ſiue cęſim, nihil re
fert, dūmodo cū ſolutione partiū carnoſarum adſit perforatio: huiuſmodi ſolutio appella

tur τρῶμα idest vulnus. Sed notate, ꝙ ſub hac ſpecie cõtinetur & illa ſpecies ſolutæ vnitatis,
De Ruptura. quæ dicit punctio, vel punctura. Quarta erat ῥῆγμα. hoc eſt, ruptio, ſeu ruptura, & eſt quando
vas aliqđ diſrũpitur, & ſinit egredi illud, quod deberet cõtinere, vt verbi cauſa peritonæũ de-
bet cõtinere inteſtina, & ideo ſi diſrũpatur, & inteſtina prolabãtur, huiuſmodi diſruptio ap-
pellatur ῥῆγμα & hæc ſolutio continui eſt aliquando in parte neruoſa, aliquando in vaſis, ac
De Contuſione. muſculis. Quinta erat θλάσμα idest contuſio, vel eliſio, vel illiſio, & eſt ſolutio continui non
valde manifeſta, quæ accidit in muſculis, & vaſis. Sexto in loco erat σπάσμα. idest, conuulſum,
De Conuulſo. & eſt ſolutio continui in neruo, vel in neruoſa ſubſtantia, vt in chorda: & ideo quotieſcum-
que nerui, vel chordæ continuitas ſoluitur, aut per longum, aut per tranſuerſum, appellatur
De Diuulſo. σπάσμα à Græcis. Septima erat ἀπόσπασμα idest, diuulſum, vel euulſum, & eſt ſolutio continui
De hiatu. in ligamentis tantum, & vinculis illis, quibus oſſa inter ſe colligantur: Octaua ſpecies enu-
merata fuit ἀναστόμωσις idest hiatus, & eſt propria ſolutio continui in oſculis vaſorum: quan-
do enim oſcula illa vaſorum extrema, & parua, ac veluti capillamenta aperiuntur valde, &
præternaturam ſicuti accidit in fluxu ſanguinis hæmorrhoidarum, in menſtruis purgatio-
nibus, atque in profluuio ſanguinis per nares, talis apertio vocatur anaſtomoſis. Penultima
De Inſultu. erat διαπήδησις idest, inſultus, & eſt ſolutio continui cadens in vaſis tantum, & eſt quando nõ
in extremis vaſorum oſculis; ſed in ipſorum ſubſtantia tunicaque fit tanta apertio, & rare-
De Corroſione. factio, vt ſanguis exilire poſſit. Vltimo in loco erat ἀνάβρωσις. idest, corroſio, & eſt, quãdo par
tes non ſolum diſſoluuntur, ſed aliquid etiam ipſarum abſumitur, ac deperditur, & propte-
rea talis ſpecies ſolutionis continui eſt potius morbus compoſitus, quam ſimplex: ſcitis
autem, me dixiſſe ſolutionem continui eſſe morbum ſimpliciſſimum; quia eſt immutatio
ſimplicis affectionis naturalis: at in corroſione partes non ſolum patiuntur in vnitate diſſo-
luta, verum etiam in quanto, quoniam aliqua quantitas eſt deperdita, & ſic eſt quoquo mo-
do morbus compoſitus: vnde videretur male hanc ſpeciem ſolutionis continui, quæ dicitur
eroſio, fuiſſe enumeratam inter alias ſpecies ſolutæ vnitatis: attamen non eſt accuſandus
Gal. quia reſpiciens ad ſolutam vnitatem, quę in eroſione eſt, repoſuit ipſam inter alias ſpe
cies quod & ipſe feci Galenum ſequens. Hæ igitur ſunt decem ſpecies ſolutæ vnitatis ſecũ-
dum Galenum, videlicet ἕλκος ſeu vlcus: κάταγμα. idest, Fractura: τραῦμα, idest Vulnus, ad quod
refertur Punctio, vel Punctura: ῥῆγμα. idest Ruptio, ſeu Ruptura: θλάσμα. idest, Contuſio, uel
Eliſio, vel Illiſio: σπάσμα. idest, Conuulſum: ἀπόσπασμα. idest, Diuulſum, aut Euulſum, ἀναστό-
μωσις. hoc eſt Hiatus: διαπήδησις. idest, Subſultus, vel Inſultus: ἀνάβρωσις, idest Corroſio. Sed in
his ſpeciebus ſolutæ vnitatis, debetis obſeruare quod Galenus eas enumerauit, vt plurimũ
ratione partium affectarum: nam ab ipſis accipit differentias; tamen imponuntur quædam
nomina his ſpeciebus, quæ impropria ſunt, vt verbi gratia Diapedeſis, cuius vocis ſignifica-
tum ſi attendatis, non dixeritis, quod denotet ſolutionem continui uenarum, ſed inſultum
ipſius ſanguinis: nec propter hoc accuſandus eſt Galenus, quoniam ipſe uſus fuit uocibus
communibus, quæ tunc temporis erant in uſu apud illos medicos: & ideo huiuſmodi ſpe-
cies, atque appellationes poſuit, ut ſuorum temporum uoces poneret, atq; potius, ut in hac
re à uulgo medicorum non diſcreparet, quam quod ſtatas differentias haberet: quod hoc
ſit uerum conſtat ex eo quod ſæpe confundit has ſpecies ſolutæ unitatis inter ſe ſe: nam re-
Galenus aliquando cõfundit has voces. perietis, quod dicet ulcus eſſe ſolutionem continui in uenis, & arterijs: attamen in locis ſu-
pra citatis dicit eſſe propriam affectionem partium carnoſarum. τραῦμα alibi dicit eſſe ſolu-
tionem continui in arteria, vena, & neruo; cum tamen prius dixerit, quod in carne tantum.
ῥῆγμα quoque dicit interdum, quod eſt ſolutio continui in parte carnoſa, & antea dixerat,
quod in parte neruoſa. Similiter ἀπόσπασμα dicit eſſe ſolutionem continui in omnibus orga
nis; cum tamen prius dixerit in ligamentis tantum. Loca autem in quibus ita varius eſt Ga-
lenus ſunt in primo capite tertij, quarti, & ſexti methodi, & in lib. de differentijs morborum
cap. vndecimo, & quarto meth. cap. ſeptimo, & quinto methodi. cap. ſecundo. Præterea vos
reperietis Hippocratem, qui θλάσμα, & ῥῆγμα addit oſſi. τραῦμα vero dicit eſſe in cerebro oſſe,
neruis, inteſtinis, venis, ac ſimilibus: ἕλκος etiam in omni particula corporis ponit. ſimiliter
apud Homerum ſexcentis in locis ἕλκος eſt vulnus in qualibet corporis parte: Quare cũ hãc
varietatem atque appellationum inſtabilitatem vidiſſet Galenus in ſexto methodi. cap. pri
mo loquens de iſtis appellationibus ſolutæ continuitatis, dixit, quaſi excuſans ſe, quod non
curandæ ſunt uoces ijs, qui ſcientiam rerum ſequuntur. Et propterea non eſt culpandus Ga
lenus, quia ſequutus eſt modum communem, & cum reperiſſet apud alios medicos ſpecies
has ſolutæ vnitatis confuſas, pariter & ipſe eas, tales nobis propoſuit. Ego tamen deſidera-
rem, vt Galenus rem hanc declaraſſet, ſicuti ſua intererat, & extremam, veluti manum huic
negotio impoſuiſſet: dixit quidem multa, quæ poſſent aliquo modo ſatisfacere, ſed ſparſim
hac, & illac ita, vt laborẽ magnum nobis reliquerit: tradidit quidem methodum, qua poſſe
mus ſpecies ſolutæ vnitatis inuenire, ſed poſtea, dum ſpecies ipſas enumerat imperfectè eas
enumerat; cum à partibus tantum ſubiectis differentias ſolutæ vnitatis acceperit. Vn-
de

de præter dictam difficultatem, quæ ad immutationem terminorum accidit, vt audiuiſtis, alia exoritur, quia non habemus omnes ſpecies ſolutæ vnitatis enumeratas: nam à Barbaris tantùm à ſubiecta parte, à ſitu, à magnitudine, atque ab excremento ortæ differentiæ explicantur: à Galeno verò à partibus ſubiectis duntaxat. Nec ob id mea ſententia accuſandus eſt Galenus quoniam in libris methodi habuit pro ſcopo curationem ipſam, quæ curatio procedit per proprias indicationes: & quia indicationes curatiuę vt plurimum accipiuntur à parte affectą (capiuntur quidem aliquot à cauſa; ſed maior pars ab affecta parte) hinc eſt, quod tradidit tantùm differentias ſumptas à partibus, & omiſit eas, quæ aliunde ſumuntur. Alij verò ex alijs etiam locis differentias ſumpſere quia non habebant pro ſcopo ſolam curationem, ut habebat Galenus. Recentiores poſtea licet alijs etiam ex locis alias acceperint differentias; tamen caſu omnia docent: ideo non mirum eſt, ſi ineptè admodum illas nobis propoſuerint, ita vt modò addant eas, quæ non eſſent addendæ, modò eas prætermittant, quæ nequaquam eſſent prætermittendæ. Cum itaque hoc ſit, oportet ut nos uideamus, qui nam, & quot ſint loci ex quibus ſpecies, differentiæve ſolutæ vnitatis accipiuntur.

Barbari ſumunt differentias à parte, à ſitu, à magnitudine. Cur Galenus tantum ſumpſit à partibus. Recentiorũ reprehẽſio.

Debetis igitur primo in ſoluta vnitate obſeruare, ſicuti ego obſeruo, cauſam, quæ ſoluerit, vel adhuc ſoluat continuum ipſum. Secundum, quod obſeruo ego, & vos quoque debetis obſeruare in ſoluta vnitate eſt pars, in qua fit ſolutio. Tertium eſt ſolutum ipſum, ideſt morbum. Quartum, quod obſeruo, eſt modus, quo fit ipſa ſolutio: multi enim refert ſcire, quo modo facta fuerit continui ſolutio. Quinto in loco ſunt obſeruanda ea, quæ conſequuntur ſolutionem ipſam, vt eſt ſanies, & huiuſmodi alia. His obſeruatis, facilè eſt inuenire ſpecies ſolutionis continui, quæ accipiuntur ex quinque obſeruatis, tanquam ex quinque fontibus: & prius quam enumerem ſpecies ipſas ſolutæ unitatis, quæ ſumuntur ex dictis quinque locis, uolo, vt ad maiorem veſtram intelligentiam ſciatis, quid ipſe intelligam per extrinſecam cauſam, de qua mentionem ſum facturus.

Methodus auctoris ad inueniẽdas differentias ſolutæ vnitatis. Ex quinq; fontibus ſumi ſpecies ſolutæ vnitatis.

Ego itaque per extrinſecam cauſam ſolutæ continuitatis non intelligo ſolum illud, quod eſt extra corpus, ſed omne illud, quod eſt extra partem, in qua fit ſolutio continui: nam poteſt fieri ſolutio continui ab aliquo corpore, quod ſit extra corpus, vt ab enſe, & ſimilibus poteſt etiam fieri ab aliquo, quod ſit in corpore, vt verbi gratia muſculus fæmoris poteſt perforari ab aliquo fruſto oſſis fęmoris, quod ex fractione ſortitum ſit punctum, & acumen, vt aliquando accidit: pars igitur oſſis acuminata perforans illum muſculum dicetur cauſa etiam extrinſeca, etiam ſi ſit in corpore, quoniam eſt extra partem, in qua fit ſolutio continui: hoc dico, quoniam corpus ſoluens continuum poteſt etiam eſſe in ipſamet parte, in qua fit continui ſolutio, vt quando ſoluitur continuum ab humore acri in aliqua parte exiſtente, & ipſam erodente: & ideo per cauſam extrinſecam in hoc caſu, intelligo omne illud corpus, quod eſt extra partem, in qua fit ſolutio continui, ſiue illud ſit extra corpus, ſiue in corpore, nihil refert, ad differentiam cauſarum intrinſecarum, quæ ſunt materia contenta in ipſamet ſubſtantia partis, quæ ſoluitur. Hoc poſito, dico quod quotieſcumque fit ſolutio continui à corpore extrinſeco duro ſecante, vel incidente, vel per lineam, vel per ſuperficiem, ſemper talis continui ſolutio vocanda eſt uulnus, dummodo ſcilicet in ipſa ſoluta parte remanſerit veſtigium inſtrumenti ſoluentis, ideſt, cauſæ, quæ efficit talem ſolutionem: dixi per lineam, vel per ſuperficiem, quia huius ſolutionis natura eſt, vt fiat per lineam, aut ſuperficiem, corpora namque poſſunt diuidi puncto linea, & ſuperficie: at iſta ſemper fit inter ſuperficies, aut lineas, & fit ita, vt ſedes teli, ſeu efficientis cauſæ relinquatur: & huiuſmodi continui ſolutio ſemper ab Hippocrate varijs in locis vocatur vel τραῦμα, vel τρῶμα, vel τρῶσις, vel διακοπὴ, vel κοπὴ, vel πληγὴ. Sed notate quod τρῶμα etiam ab Hippocrate vocatur luxatio in acromio vt videre eſt in primo de artic. Tex. 62. ἕλκος autem ab Homero, atque etiam ab Hippocrate, à nobis verò ſemper vocetur vulnus, & eſt vt dixi, ſolutio continui facta ab extrinſeco corpore, ita vt appareat, & remanſerit corporis ſecantis, vel diuidentis ſignum: talis autem continui ſolutio à Celſo vocatur aliquando percuſſio, aliquando plaga. Sed nos imponamus ei nomen vnum perpetuum, & vocemus vulnus, quod eſt vt dixi, ſolutio continui facta à cauſa extrinſeca in quauis corporis parte, in qua remanſerit ſignum ipſius cauſæ; dixi in quacumque corporis in parte, quoniam ſiue talis ſolutio fiat in neruo, ſiue in vena, ſiue in oſſe, ſiue in quauis alia parte, dummodo fiat ab inſtrumento extrinſeco, & remaneat in parte, ſignum ipſius inſtrumenti, quo facta eſt ſolutio, vocabitur vulnus. Sed notate, quod talis ſolutio continui aliquando eſt penitus ſuperficialis, & tunc à Græcis vocatur χάραγμα, à noſtris autem ſcarificatio in quacumque parte fuerit, tamen & hæc continui ſolutio vulnus eſt, & vulnus velim vt nuncupemus; leuiſſimum tamen vulnus. & hæc eſt prima ſpecies ſolutionis continui.

Cauſa extrinſeca quid ſit.

Prima ſpecies ſolutionis Vulnus ex quo fiat.

Aliquando ſolutio continui fit in quauis etiam parte ab extrinſeco corpore, non tamen per lineam, aut per ſuperficiem, ſed punctim eo, quod organum ſit quidem acutum; ſed

Secũda ſpecies, Punctura.

non

Digitized by Google

non habeat aciem: & hæc ſolutio continui eſt una ſpecies diuerſa ab illa dicta, ita ut egeat diuerſa curandi ratione, & præcipuè in quibuſdam partibus, ut in neruo: nam alio modo curamus neruum vulneratum, & alio modo punctum. Quotieſcunque igitur in quauis corporis parte ſoluitur continuum ab extrinſeco inſtrumento punctim, talis continui ſolutio uocatur à Græcis νύγμα, ut à Galeno in ſexto methodi; à noſtris autem punctura, quæ licet in aliquibus partibus leuis ſit adeo, ut non egeat curatione, tamen in quibuſdam affert maximum periculum, & aliquando mortem, etiam ſi non fuerit ualde profunda, hæc igitur erit ſecunda ſpecies.

Tertia ſpecies, Contuſio. Tertiò quandoque omnes partes patiuntur quidem ab extrinſeco corpore aliquo, ſed corpus illud non agit ſecando, nec pungendo, ſed tantùm ſua duritie comprimendo, & contundendo ita, ut faciat continui ſolutionem, ſed ſenſibus latentem, & non relinquitur inſtrumenti ipſius ſedes: & hæc continui ſolutio, in quauis corporis parte contingat, uocatur ab Hippocrate θλάσμα, & θλάσις; & à Galeno ac reliquis Græcis dicitur θλάσμα; à Latinis autem contuſio, uel colliſio, quæ fit etiam in oſſe ſecundum Hipp. in lib. de vulneribus capitis, fit quoque in neruo, in vena, & in quauis alia parte corporis per compreſſionem extrinſeci, ac duri corporis, & hæc ſit tertia ſpecies.

Quarta ſpecies, Diuulſum. At quandoque accidit, vt tanta ſit violentia corporis contundentis, vt præ nimia ſui grauitate, & pondere ſine ſectione, vel punctura diſtrahat partes oppoſitas in contrarios ductus, atque partes mediæ diſiungi cogantur; prius tamen attenuatæ, atque in capillamenta quaſi deductæ: qua ratione, ac modo videtur ſeparari lutum à pede ſupra ipſum poſito: hæc continui ſolutio ab Hippocrate vocatur σπάσμα, dicta quoque eſt ἀπόσπασμα, quicquid dicat Galenus. ſimiliter auctore Galeno in tertium de officina medici 31. ſuis temporibus τίλματα, vel vt legit Felicianus, τιλμὰ vocabatur, ideſt, diuulſum à noſtris auulſio, vel diuulſio uocata eſt. Hæcque ſit quarta ſpecies.

A cauſa intrinſeca. Aliquando accidit, vt ſolutio continui non fiat ab extrinſeca cauſa, vt fit vulnus, punctio, & contuſio, ſed ab intrinſeca exiſtente in eademmet parte, in qua fit ſolutio, vt quando

Quinta ſpecies, Eruptio. ſolutio fit à corpore aliquo interno tendente violentiſſimè, ita vt ſubitò fiat tenſio in parte aliqua: quæ tenſionis cauſa, & per conſequens ſolutionis continui eſt aliquando ſanguis exiſtens in venis illius membri, in quo ſolutio fit, qui ſanguis cum in quantitate augetur, ſoluit continuum: augetur autem ipſius quantitas, vel per additionem nouæ materiæ, vel expanſo ſanguine ipſo à flatu incluſo: aliquando cauſa huius ſolutionis continui non eſt ſanguis, ſed ſanies, vt accidit in abſceſſibus: aliquando cauſa eſt inteſtinum, vt contingit quando prolabitur in inguen. Hæc porrò continui ſolutio à quacunque trium dictarum cauſarum naſcatur eſt duplex: manifeſta alia, exiſtens aut in vaſe, aut in chorda, aut in carne, hæcque ῥῆγμα vocanda eſt ſecundum Galenum: alia eſt immanifeſta ita, vt ſubſtantia tantùm rarior fiat, hæcque διαπήδησις ab eodem vocatur: aut oſculum tantum aperitur, & tunc ἀναστόμωσις appellatur ab eodem. Hanc ſolutionem continui, quæ pro quinta ſpecie conſtituatur, eruptionem nos vocabimus: rupturam vocant Barbari, vel ſciſſuram, vel fiſſuram in quacunque parte acciderit: verum tamen eſt, quòd ſi contingat in oſculis vaſorum

ἀναστόμωσις. poteſt vocari ἀναστόμωσις; ſi verò in ſubſtantia διαπήδησις: nos tamen vt demus huic ſpeciei

διαπήδησις. ſolutionis continui perpetuum nomen, vocabimus eam ῥῆγμα, in quacunque accidat parte.

ῥῆγμα Interdum accidit, vt ſoluatur continuum per ablationem è medio alicuius particulæ, &

Sexta ſpecies Eroſio, & vlcus. hæc ſolutio continui fit vel à corpore aliquo erodente, vel à ſecante: ab erodente quidèm, vel interno, vel externo: ab interno vti eſt humor acris, nitroſuſque, & ſanies; ab externo autem vt eſt cauſticum medicamentum: nam & humores acres, & ſanies, & cauſtica medicamenta ſoluunt continuum, & ſimul etiam per eliquationem abſumunt aliquid ſubſtantiæ mediæ, quam ſoluunt: & ideo in hac ſolutione continui facta à cauſa erodente tam interna, quam externa adeſt, præter ſolutam vnitatem, defectus etiam mediæ alicuius ſubſtantiæ per eliquationem. vnde hæc ſolutio vnitatis vocata eſt ἀνάβρωσις à Græcis, à noſtris autem eroſio, & vlcus etiam præcipuè dicitur.

Abſciſſio. Si verò ſolutio hæc fiat non à cauſa erodente interna, vel externa, ſed ab organo ſecante, ita vt amputetur aliquid, non vocatur amplius ἀποκοπὴ, etiam ſi in hac etiam ſit ſoluta vnitas cum defectu alicuius ſubſtantiæ; ſed ab Hippocrate appellatur ἀνάβρωσις; à noſtris verò Latinis abſciſſio, & comminutio vocabitur. Hæcque eſt ſexta ſpecies ſolutionis continui.

Septima ſpecies, fractura. Accidit etiam aliquando, vt aliqua particula duriſſima ab extrinſeco aliquo percuſſa ſoluatur, atque more frangibilium corporum, vti eſt vitrum, diſrumpatur: & huiuſmodi continui ſolutio in oſſe tantum, aut cartilagine reperitur, non autem in alia corporis parte, vocaturque ab Hippocrate ῥωγμὴ, ideſt, rima, vel ἀγμὴ, ideſt, fractura; à Galeno autem nuncupatur κάταγμα; & à noſtris fractura, & hæc erit vltima ſpecies ſolutionis continui. Hæ, & tot ſunt ſpecies ſolutionis continui, nempè vulnus, punctura, contuſio, auulſio, eruptio, eroſio, vel exciſio, quod eſt vlcus recentiorum, & vltimo fractura. Vos Iuuenes doctiſſimi, quando

eritis

eritis domi, cogitetis quæſo an reperiatur aliqua ſoluta continuitas, quæ non referatur ad aliquam dictarum ſeptem ſpecierum, & videbitis, quòd non inuenitur. His ita explicatis deſcendamus ad vulneris definitionem, quæ patuit ex ſupradictis, ſi bene aduertiſtis.

De Vulneris definitione. Cap. II.

EX ſpecierum ſolutæ continuitatis enumeratione ſuperiori loco à me tradita potuit vobis patere quid vulnus ſit: Eſt enim ſoluta continuitas in qualibet corporis parte organica cæſim ab extrinſeco aliquo corpore. Hæc eſt vulneris definitio, ex qua conſtare arbitror definitionem noſtri Guidonis eſſe malam, quia continet multa ſuperflua: eſt enim definitio ſua hæc: Vulnus eſt ſolutio continuitatis recens, ſanguinolenta, ſine putrefactione in partibus mollibus reperta. In hac definitione multa ſuperabũdant, & primò vox illa (recens) quoniam vulnus ſemper vna, atque eadem eſt continui ſolutio, ſiue recens, ſiue non recens ſit, dummodo ab extrinſeco aliquo corpore talis ſolutio fuerit cæſim facta: ex eo etiam conſtat vocem illam (recentem) ſuperabundare, quia vulnus etiam vetuſtum eſt vulnus; aliter hoc genus morbi non haberet ſua tempora, quibus conſtaret, & differentiæ vulnerum à tempore perimerentur, ſimiliter apparet, quòd & vox illa (ſanguinolentum) ſuperabundat: nam eſto, quod vulnus ſit in parte aliqua carnoſa, effluatque ſanguis, ſed ſtatim adhibita poſca, vel alio ſimili medicamento ſiſtatur ſanguis ſpatio quartæ partis horæ, vel etiam dimidiæ: tunc quæro à Guidone, an vulnus, ex quo non emanat amplius ſanguis, ſit vulnus, nec ne dicendum? ſi reſpondeat, quod ſic, eſt contra ſe: ſi verò, quod non: quæro ab ipſo quid ſit, & qua de cauſa tanta, ac tam breui tempore facta fuerit mutatio, vt talis continui ſolutio tranſierit de vulnere ad non vulnus? Non poteſt certè reſpondere. Quare non eſt dicendum quòd emanatio ſanguinis ſit de natura vulneris. ſuperflua quoque ſunt verba illa (ſine putrefactione) nam ſi verba illa ſignificent, quod vulnus ſit ſolutio continui ſine corruptione alicuius ſubſtantiæ, bene dicit Guido, licet poſtea definitio non ſit omnino integra; bene inquam dicit, ſi ita intelligeret, quoniam vulnus eſt morbus ſimplex; at cum corruptione ſubſtantiæ eſſet compoſitum, quod non quadrat; tamen cum definitio illa tradatur vulneris ſimplicis, ſuperflua eſt hæc additio: ſed ſi intelligat, quòd vulnus ſit ſine pure ita, vt dicatur uulnus eſſe ſolutionem continui ſine pure, falſa eſt definitio, quam falſitatem ut intelligatis, debetis ſcire, quòd in curando uulnere, ut infra magis patebit, duo ſunt ſcopi, quos iſti uocant duas intentiones: primus ſcilicet, & ſecundus: in primo autem quærimus agglutinationem vulneris, ideſt. partium quæ diſiunctæ ſunt; in ſecundo verò ſcopo tentamus vulnus carne explere. Tunc dico, quod ſi Guido intelligat, quod vulnus in prima intentione, ſeu in primo ſcopo ſit ſine pure, verè dicit: in ſecunda autem intentione mentitur, quoniam impoſſibile eſt carnem regignere, quæ vulnus expleat, niſi generetur excrementum, quod pus, vel ſanies eſt. Expungenda quoque ſunt verba illa (in partibus mollibus) quoniam vulnus accidit in partibus mollibus, & duris, vt in oſſibus, & cartilaginibus: & licet Galenus videatur, vt ſupra diximus, aliquando varius in hac re, & interdum innuere, quod vulnus contingat in partibus duntaxat mollibus, & carnoſis; tamen poſtea conſentit cum Hippocrate, quod vulnus ſit ſolutio continui in quacumque corporis parte ab extrinſeco aliquo corpore cæſim facta Dicamus igitur vulnus eſſe ſolutam continuitatem in qualibet corporis parte organica cæſim ab extrinſeco aliquo corpore factam. Quod ſi velleris Guidonem defendere, dicatis, quod dum vulnus collocat in parte molli, imitatur Galenum ac Auicennam: dum verò addit (ſine ſanie) ſequutus eſt ſententiam reliquorum chirurgorum, qui ſtatim in vulnere cum adeſt ſanies mutant ſpeciem. ſimiliter dixit (recens) quoniam in inueteratis vulneribus accedit quaſi ſemper aliqua ex illis cauſis, quæ vlcera faciunt, vnde ratione cauſæ ulcus dici poteſt, quod raro in recentibus accidit. dixit ultimo (cruentum) quoniam aliqua ſunt ulcera recentia, ac nuper facta; at non ſunt cruenta, & ob id non ſunt uulnera. Ita defendere Guidonem poſſetis; tamen ſatius fuerit, ut uulnus definiatis eo modo, quo dixi. & hæc de uulneris natura: ſequuntur differentiæ.

Vulneris definitio.

Examinatur definitio Guidonis.

In curando vulnere duo ſcopi.

De differentijs Vulneris. Cap. III.

HAbemus, quid ſit vulnus, cuius quamuis ſit vna natura communis, in ſe tamen variat multis ex cauſis, ac plures ſub ſe continet ſpecies: varias etiam habere cauſas poteſt; & ſæpe etiam numero latet, & propterea ſignis opus habet, quibus & pars affecta, atque vulneris ſpecies cognoſcatur. Merito igitur Guido noſter ſolutæ vnionis ſpecies, & per conſequens vulneris inueſtigat: nam pro vulnere vtitur frequenter hac voce ſoluta continuitate; poſtea cauſas, ſigna, prognoſtica, & curationem. Species autem illas tribus ex locis Guido deſumit, & primò à parte ipſa affecta, quia & ratione particulæ affectæ vulnera inter ſe differunt: vnde dicit, quòd alia ſunt vulnera in ſimilaribus; alia in organis: alia in mollibus partibus, vt in carne; alia in duris, ut in oſſe: alia in mediocribus, ut in uena, alia in organis principalibus, ut in corde, hepate, & ſimilibus; alia in ſeruentibus organis, ut in trachea, ueſica, & huiuſmodi; alia in non ſeruentibus, ut in oculo, auricula, & ſimilibus.

Species vulnerũ tribus ex locis ſumit Guido.

A parte.

Secundò dicit Guido differentias uulnerum ſumi ab eſſe ſolutionis, hoc eſt ab eſſentia ipſius uulneris: nam aliud eſt ſimplex; aliud compoſitum, ut aliud vulnus habet coniunctam intemperiem, & dicitur vulnus inflammatum, ſi videlicet intemperies ſit calida; aliud habet oedema; aliud eryſipelas; aliud neutrum horum.

Ab eſſe ſolutionis.

Tertiò dicit differentias ſumi à ſpatio, & quantitate, ſeu à diuiſionis magnitudine, ſeu ex proprijs differentijs ſolutionis: nam aliud eſt vulnus magnum, aliud paruum: aliud æquale, aliud inæquale: aliud profundum, aliud rectum, aliud obliquum, aliud occupans totam partem, & huiuſmodi. Sed notate, quòd Galenus in tertio methodi med. accuſabat Medicos illos empiricos, qui ſumebant differentias vlceris à morbis illis, qui per ſe conſiſtunt, nam dicebant aliud eſſe vlcus cum inflammatione, aliud cum oedemate, aliud cum eryſipelate, & ſimilibus. Sed Galenus ipſos errare dicit, quoniam & inflammatio, & eryſipelas, & ſimiles aliæ affectiones ſunt morbi per ſe exiſtentes, iccirco non poſſunt eſſe aliorum differentiæ, quoniam veræ differentiæ non exiſtunt per ſe, ſed ſemper cohærent illi, cuius differentiæ ſunt: quicquid verò per ſe conſiſtere poteſt, ac ſeorſum eſt, nunquam alterius poteſt eſſe differentia, dicit Galenus. Addit, quod illæ dicuntur veræ differentiæ, quæ à propria natura rei ſumuntur in affectibus, aut ab ijs, quæ conſequuntur naturam rei, nam differentia nihil aliud eſt niſi quod adiunctum in morbis (loquor de morbis) quo alter morbus ab altero ſub eodem genere propinquo maximè differt. Et ideo ſecundum hanc Galeni ſententiam eſſet reprehendendus Guido, qui dicit aliud vulnus eſſe cum inflammatione, aliud cum oedemate, aliud cum hoc, aliud cum illo morbo qui per ſe exiſtere poteſt: & ſi volumus in hoc rigore Galeni conſiſtere, non poterimus ab alio loco vulnerum differentias capere, quam à conſequentibus, vt à magnitudine, figura, ſitu, & tempore ipſius vulneris: A Magnitudine quidem dicentes, quod aliud vulnus eſt magnum, aliud paruum, aliud longum, aliud breue, aliud profundum, aliud ſuperficiale; aliud latum, aliud anguſtum: à Figura verò, vt aliud eſt obliquum, aliud rectum, aliud retortum pampini modo, vt dicunt Recentiores, & Galenus etiam, aliud retortum romborum modo aliud occultum, aliud manifeſtum: à Situ deinde, vt aliud eſt per longum in ipſa parte affecta, aliud per tranſuerſum, aliud per obliquum: à Tempore demum, vt aliud eſt recens, aliud inueteratum, aliud declinans, aliud ſtans. Verum vt ingenuè fatear, licet hæc ſit mens Galeni, quod non debeamus ſumere differentias morborum ab ijs, quæ per ſe conſiſtunt: tamen ego non erubeſcam hac ſua regula abuti, cum videam præcipuè, & ipſum abuſum eſſe: nam diuidens inflammationem, & proponens nobis ſuas ſpecies, dicebat, quod alia eſt inflammatio eryſipelatoſa, alia oedematoſa, alia ſcyrrhoſa; cui dubium modo eſt, quod & eryſipelas, & oedema, & ſchirrus ſunt morbi, qui per ſe abſque inflammatione conſiſtere poſſunt, & conſiſtunt? Quare & ego cum Guidone dicam à ſimili, quod vulnerum aliud eſt ſimplex, aliud compoſitum, ideſt, aliud habet coniunctam inflammationem, aliud oedema, aliud eryſipelas, aliud ſcyrrhum, aliud neutrum horum: & aliud habet intemperiem, aliud malignitatem, aliud nec hoc, nec illud: Nec ob id dico has eſſe veras differentias, ſed facere mirum in modum ad curationem: nos autem ſumus in methodo curatiua, quia curationem vulneris intendimus: & propterea dico illa omnia eſſe obſeruanda, quæ curandi rationem poſtulant. quare licet illæ non ſint veræ, ac propriæ differentiæ, vt nouit Galenus, tamen quia curandi rationem variant: ideo nos cum Guidone pro differentijs vulnerum accipiemus, dicentes aliud vulnus eſſe phlegmonoſum, aliud oedematoſum, aliud eryſipelatoſum, & ſic de reliquis, & hæc ſufficiant vobis de differentijs: iam deſcendo ad cauſas, & ſigna, & paucis me expediam, quia propero ad vtiliora.

A ſpatio, & quantitate.

Quicquid per ſe eſſe poteſt, non poteſt alterius eſſe differentia.

Quid ſit differentia.

Differẽtia à magnitudine figura, ſitu, & tempore.

Defenditur Guido.

De

De Vulnerum cauſa quot generum ſint, & ob quem vſum cognoſcenda. *Cap. IIII.*

ABſoluto ſermone de differentijs, ſuccedit vt de cauſis vulneris dicamus: quæ quidèm cauſæ cognoſcendæ ſunt, non vt ſanemus cauſas, quoniam ſunt cauſæ extrinſecæ, & abſunt, & non conducunt ad curationem: quis enim eſt qui velit curare gladium in vagina, in aliumve locum repoſitum? ſed oportet inquirere, & cognoſcere cauſas tùm vt certiorem notitiam habeamus præſentis vulneris, tùm etiam, vt præcognoſcamus morbum alium imminentem, & ea, quæ futura ſunt: nam accidit ſæpe, vt vulnus ſit in parte profunda, & nos neſciamus, quouſque ſolutio continui perueniat: ſed ſi ſciuerimus cauſam, id eſt, organum, quo illatum eſt vulnus, id facile conſequemur. Ea propter Hippocrates in libro de uulneribus capitis fuit admodum ſollicitus de organo in uulneribus capitis, quæ latere ſolent, quale ſcilicet organum illud fuiſſet, an graue, an leue, an latum, & huiuſmodi. Quare propter hanc rationem cognoſcenda eſt cauſa, id eſt, organum, ut pateat uulneris ſitus: qui re uera cognoſci debet, cum ſit de uulneris eſſentia: nam ab organo relinquitur ueſtigium ſui, hæc eſt prima ratio, ob quam cognoſcendum eſt organum ſeu cauſæ ipſæ, ſcilicet propter notitiam præſentis affectus acquirendam Alteram diximus eſſe ob cognitionem futurorum: magni enim refert prænouiſſe, quæ poſſunt ſuperuenire: nam quandoque gladius, quo illatum eſt uulnus, eſt rubigine obductus, quandoque uenenatus: & niſi hoc noueritis, morietur æger: at cognito, quòd gladius eſſet uenenatus, occurremus, ne uenenoſa qualitas petat cor, & hominem iuguler. Itaque propter hæc duo cognoſcendæ ſunt cauſæ, quæ cauſæ, ut ait Galenus, ſunt duum generum, unum quidem genus eſt inanimatorum; ad quod referuntur lanceæ, gladij, ſagittę, pugiones, & ſimilia: aliud uerò animatorum, uel inſtrumentorum animalium, ſeu animatorum: nam ſæpe animalia ſuis dentibus inciſoriis, vel vnguibus, aliavè parte inſligunt vulnera: & harum cauſarum aliæ habent venenum, aliæ non; omnis tamen cauſa vulnerum eſt extrinſeca, & procatarctica, cuiuſcunque fuerit generis, primi ſcilicet, vel ſecundi. Hæc de cauſis: ſigna ſequuntur. *Cur cauſa cognoſcẽda* *Cauſa duplex genus*

De Signis. *Cap. V.*

SIgna vulnerum pauca ſunt, & primum eſt cauſa ipſa: nam ſi noueritis, quòd gladio ſolutum fuit continuum, facilè ſcietis ſolutionem illam eſſe vulnus: ſecundo cognoſcetis eſſe vulnus ipſis oculis inſpicientes ſolutionem ipſam: Tertiò digitis: ſæpe enim digitis cognoſcimus quale vulnus ſit: Quandoque etiam impoſito ſpecillo, vbi ſcilicet oculis inſpicere non poſſumus: Cognoſcimus etiam ex exeuntibus, vt ſi vulnus ſit in thorace, & neſciamus, quouſque pertingat, non poſſumus id cognoſcere digito, aut ſpecillo iniecto; ſed obſeruamus, an ſanguis per os exeat, & ſi videmus, quod per tuſſim excernitur ſanguis ſpumoſus, tunc colligimus vulneratum eſſe pulmonem. Cognoſcimus quoque ex ſymptomatibus, vt ſi æger deficiat animo, & ſtatim ſuccedat inappetentia, colligimus vulneratum eſſe os ventriculi. Similiter, ſi ex vulnere in thorace exiſtenti exeat flatus, colligetis vulnus peruenire in thoracis cauitatem, & vulneratam eſſe membranam coſtas ſuccingentem. Hæc de ſignis: loquamur modo de præſagio.

De Vulnerum prognoſtico. Cap. VI.

IN ſermone de prognoſtico vulnerum maximè attenti eſſe debetis; & meminiſſe illius, quod dicit Hippocrates in initio primi libri aphoriſmorum iudicium ſcilicet eſſe difficile: & ad memoriam ſimiliter reuocare debetis dictum Homeri, & eſt: Dixit quoddam verbum, quod melius eſſet, quod non dixiſſet: nam ſæpe medici decipiuntur in præſagijs. præſagium poſtea de vulneribus habet al am difficultatem, & eſt, quod ſæpe chirurgi, præcipuè in hac regione, coguntur ante Rectores, & Prætores non ſolum verbis ſuam ſententiam de vulnere illato proferre, verùm etiam ſcriptis mandare: coguntur dico, licet non poſſint aliquando quicquam certi prænunciare, & trium duntaxat dierum ſpatium illis aſſignant ad ſuam de vulnere ſententiam deponendam, quare oportet vt ſitis diligentiſſimi, vigilantiſſimique in iudicio tradendo, & præcipuè quia atteſtationes circumferuntur, atque ad alios magiſtros huius artis deueniunt, qui, cùm maligni vt plurimum ſint, nos lacerant, & his ſæpe numero intenditur. hinc anguſtiæ maximæ, ita vt ſatius aliquando fuiſſet artem non exercuiſſe. Sed peteret à me veſtrum aliquis, quidnam eſt prænunciandum in vulneribus? Reſpondeo, & dico, quod ſunt duo, & vnum eſt, quem finem ſeu ſucceſſum habiturum ſit vulnus: alterum verò eſt, quæ nam interim, dum perdurat vulnus, poſſint accidere bona, vel mala: & quamuis optimi præſtantiſſimique ſit medici præcognoſcere, & præſagire ea omnia, quæ ſucceſſura ſunt in vulnere interim, dum vulnus durat, vt quid euenturum ſit in quarta die, quid in ſeptima, in vndecima, in decimaquarta, & ſic de reliquis, tamen hoc non eſt ita neceſſarium præcognoſcere: nec in hoc præſagiendi ſcopo debemus nunc conſiſtere, cum præſertim de hoc præſagio dicturi ſimus cum particularium vulnerum curationem trademus; ſed debemus inſiſtere in altero ſcopo, vt ſcilicet præcognoſcamus, & præſagiamus, quem finem habiturum ſit vulnus, & an æger moriturus ſit, nec ne: hoc enim præcognouiſſe eſt admodum neceſſarium: & ideo de hoc tantum præſagio agemus, quod attinet ad finem ipſius vulneris, & ægri hominis: Et circa hoc primò eſt præcognoſcendum, an vulnus debeat ſanari nec ne: quod certè neceſſarium eſt præcognoſcere ſi non ob aliud, ſaltem vt Chirurgus poſſit rectè iudicare, quando ante iudicem cogitur ſuam proferre de vulnere ſententiam: debet igitur præcognoſcere an vulnus ſit ſanabile, vel inſanabile, & ſi ſanabile, an citò, vel tardè, & an cum noxa aliqua, vel ſine noxa alicuius membri: Sunt enim plurimi, qui ſanantur, ſed ſemper remanet aliqua noxa. Et cognito, quod vulnus ſit ſanabile; ſed cum noxa, præcognoſcendum etiam eſt quarto in loco, circa quod noxa illa ſit remanſura, an ſcilicet in ſenſu hoc, vel illo, an in motu, an in ſenſu, & motu ſimul, an circa aliquam temperiem, vel collocationem: nam ſæpe ſanantur quidem vulnera, ſed remanet poſtea pars aliqua, vel ſenſu priuata, vel immobilis, vel æger delirus, vt vidi menſibus elapſis: nam puer quidam accepto vulnere à ſuo parente per liniam, poſt ſanatum vulnus remanſit ſtolidus, quod in duobus etiam alijs meminí me vidiſſe. Contra ſi vulnus ſit inſanabile, & mors ſit ſuperuentura, præcognoſcendum eſt, an æger citò, vel tardè ſit moriturus: ſecundo an ex neceſſitate, an ex contingentia: & quamuis in vulneribus non poſſimus conſtituere aliquam neceſſitatem, vt in alijs morbis, vbi eſt materia, tamen per neceſſitatem debetis intelligere neceſſitatem naturæ: Nam quædam vulnera ſunt penitus talia, vt non poſſint ſanari, ſed ſequatur omnino mors, & huiuſmodi vulnera à noſtris vocantur mortalia atque lethalia, & à Celſo in quinto libro cap. 26. vocantur inſanabilia, & ab Hippocrate in ſexto aphor. 18. nominantur [illegible], vel θανατώδεα. Quædam ſunt etiam vulnera, quæ ſemper ſanantur ſemperque non ſolum ſanitatem, ſed & membri integritatem coniunctam habent, & nunquam moriuntur ægri, ita vt ſolo ſputo, vt vulgò dicitur, ſanentur, qualia ſunt vulnera per longum facta in muſculis: & hæc ſaluberrima appellantur: Quædam rurſus ſunt vulnera, quæ de neceſſitate non ſanantur, ſed ſunt cum aliqua noxa coniuncta, & hæc vocantur vulnera malefica à Recentioribus, vt à Guidone. Quædam deinde ſunt vulnera, quæ ex æquo ſanari, & non ſanari poſſunt, & æger mori & non mori, hæcque mortalia aliquando dicuntur à Recentioribus, & à Celſo periculoſa, eo quòd immineat periculum tam vt non ſanentur, ſicut, vt ſanentur; & hæc etiam vulnera ab eodem Celſo in quinto libro, capite vigeſimoſexto, nominantur vulnera vix ad ſanitatem peruenientia. Aliquot etiam vulnera ſunt, quæ ex æquo ſunt cum noxa, & ſine noxa, & ex æquo ſanantur, & perdunt, & hæc à Celſo nuncupantur mala vulnera; ab Hippocrate autem, & Galeno in quinto aphor. 66. laborioſa, & ab iſtis difficilia. Hæc igitur in vulneribus ſunt præcognoſcenda: & ideo videndum eſt, quæ ſint occaſiones, quibus poſſimus hæc omnia præcognoſcere, pro quibus occaſionibus

Quid ſit prænunciãdum in vulneribus.

Quem finẽ ſit habiturũ vulnus.

Omnia q̃ præcognoſcenda in vulnere ſunt.

Differẽtia vulnerum, quoad ſanationem, præcognoſcenda.

haurien-

hauriendis, atque accipiendis Guido proponit tria loca, & quidem ſatis accommodata: tamen velim, vt nos rectiùs non tria, ſed quatuor proponamus, ex quibus poteritis ſumere occaſiones omnes, & ſigna prædicendi, quem finem vulnus ipſum ſit habiturum. Primus ergo locus eſt pars ipſa vulnerata. Secundus eſt vulnus, & ea, quæ vulnus conſequuntur: Tertius eſt habitus tùm partis vulneratæ, tùm corporis totius: Quartus, & vltimus ſunt res non naturales, quæ maximi ſunt momenti, ita vt viderim ego aliquot perijſſe ex leuiſſimo etiam vulnere ratione extrinſecorum. Circa primum igitur caput hæc ſunt obſeruanda: cũ pars, quæ vulnus patitur, ſit organum, oportet videre, quod nam organum illud ſit, & quę illius præſtantia ſit, ac dignitas: ſecundò, quæ ſit organi illius ſubſtantia, an videlicet ex his, aut illis partibus conſtet. tertiò obſeruanda eſt eiuſdem partis affectæ temperies, ſitus, numerus, quantitas, conformatio, & vſus, ſiue actio. In ſecundo autem capite obſeruanda eſt magnitudo vulneris, figura, ſitus, ſymptomata, quæ ipſi vulneri ſolent accidere, & ſi qui alij morbi ſint cum vulnere complicati: ſunt enim aliqui morbi, qui licet per ſe leues ſint, tamẽ cum alijs coniuncti maximum afferunt periculum, vt apud Hippocratem uidere poteritis: conſiderandum etiam circa hoc caput eſt, an in uulnere ſit maligna qualitas, nec ne: nam & hoc magni refert ſcire. Circa tertium obſeruandum eſt, quomodo ſe habeat pars affecta, ac totum corpus, ut ſi partis uulneratæ optimus ſit habitus, conſiderandum eſt, an idem ſit in reliquo corporis totius, ut an adſit febris, & ſi adſit, utrum ſit magna, ac ardens, nec ne: an malus ſit habitus totius: an qui uulnus patitur laborarit, uel laboret morbo Gallico. nam & hoc maximi eſt momenti: conſiderandũ etiam an patiatur deſtillationes, aut epilepſiam, uel ſimilem alium morbum, qui totum corpus afficiat. ætas quin etiam in hoc capite non eſt contemnenda. In quarto autem & ultimo capite conſideranda, & obſeruanda eſt uictus ratio, plenitudo, & euacuatio: motus & quies: ſomnus & uigilia: locus in quo patiens eſt: tempeſtas anni: & animi paſſiones, quæ etiam maximi ſunt momenti: nam vidi vulnera leuiſſima facta eſſe admodum grauia ex animi accidentibus. His habitis, ponamus; quod vulneratum ſit cor, & vulnus ſit magnum, in ſene, diebus canicularibus: afficiatur animo, vt verbi gratia iraſcatur: adiuncta ſit venenoſitas: ſi tale vulnus daretur, vt dari poteſt (nam aliquando vulneratur cor ex ſagittis illis Turcicis) neceſſario prænunciãda eſt mors, & eo magis, ſi vos obſeruaueritis partem ipſam, eius vſum, & reliqua. Sed rarò accidunt hæc vulnera, & ideo deueniamus ad illa, quæ lethalia, & non lethalia ex æquo ſunt, & primo de corde dicamus. Si igitur vulneretur cor, & vulnus ſit ſatis paruum, dico quod prænuncianda eſt mors: & omnia vulnera cordis, quantumuis leuia, neceſſariò ſunt lethalia, & aliter fieri non poteſt, niſi miraculosè, vt fertur contigiſſe illi Presbytero, cui auulſum fuit cor, & ipſum proprijs manibus detulit vſque ad ædem Beatæ Virginis de Laureto: ſed hoc miraculosè accidit, ac Dei voluntate, apud quem nihil eſt impoſſibile: verum hoc fieri non poſſe cum dicimus, intelligimus non à Deo, qui poteſt omnia, ſed à natura.

Quatuor loca ſignorũ ad prædicẽdum.

Primus pars vulnerata.

Secundus vulnus.

Tertius habitus partis, & totius.

Quartus res non naturales

De primo.

Secundus locus.

Tertius locus.

Quartus locus.

Exemplũ ex primo fonte.

Omnia vulnera cordis lethalia.

Dico igitur fieri non poſſe, vt vulnerato corde non moriatur æger: & ratio eſt, primò accepta à præſtantia partis: quia cor eſt fons vitæ, & ideo læſo fonte vitæ, læditur & vita, & ſequitur mors. Addatis ſubſtantiam partis, cordis enim ſubſtantia eſt dura, & conſtat fibris neruoſis: vulnus autem in parte dura difficilimè conglutinatur, & diu perdurat, vnde accidit generatio multorum excrementorum, quæ putreſcendo mortem inducent. Adiungitur quoque partis ipſius operatio; cor enim eſt in continuo motu; motus autem impedit agglutinationem vulneris: & ideo Galenus ponebat vulnera arteriarum ferè inſanabilia: ſimiliter & vulnera thoracis: quoniam circa illud quod mouetur non poteſt fieri impreſſio, & actio. His addatis temperamentum, quoniam cor eſt viſcus calidiſſimum, & ideo citò inflammatur: ſi autem dum patitur vulnus, inflammetur, actum eſt de ægro. quod ſi adiungatur apoſtema, tanto minus vulnus in ipſo corde erit ſanabile. quare colligatis omnia cordis vulnera eſſe lethalia propter præſtantiam partis, ideſt, cordis, propter ſubſtantiam eiuſdem, operationem, ac temperiem. Videte quomodo ex primo fonte ſignorum collegi, quod icto corde vulnere etiam paruo neceſſariò conſequatur mors. Quòd ſi à reliquis fontibus aliquid graue colligatur, augetur etiam neceſſitas, quod etiam ex ſententia Galeni à Guidone noſtro proponitur, & confirmatur ab Hippocrate in ſexto aphor. decimooctauo, & à Galeno ibi in commento, & à Celſo libro quinto, cap. vigeſimoſexto, & ab Auicenna, ac omnibus ferè Medicis. Vena caua ſuccedit cuius vulnera etiam inter lethalia connumerantur: vulnus autem eſſe in vena caua colligetis ex egredientibus, ex ſitu, & ex digito etiam impoſito. Cum igitur noueritis vulneratam eſſe venam cauam, ſtatim dicatis, quòd æger morietur: & ratio accipitur non quidem à pręſtantia partis affectæ, quoniam vena non eſt pars nobilis, nec colligitur à temperie, nec ab operatione ꝙ continuò moueatur, ſed ſumitur ab vſu ipſius partis: vſus autem venæ cauæ eſt, vt contineat in ſe ſanguinẽ, qui eſt ſubiectum proximum, & immediatum animæ: ſi igi-

Vena caua vulnera lethalia.

tur ſanguis effluat totus, ſimul etiam effluet anima: ſecundo accipitur à ſubſtantia, vena n. neruoſa eſt; ideo ægrè conſolidatur: & iccirco ſi quando legeritis apud Galenum, quod venę in pueris regenerētur, intelligatis de venis paruis, & capillaribus, non autem de magnis.

Tertio ſumitur à ſitu: cum enim vena caua ſit in profundo non poſſumus venam, pro ſanguine ſiſtendo, & uulnere conſolidando, ligare, aut medicamenta uulneri applicare, niſi uelimus coſtas diuellere, & alias partes dilatare, quod non eſt faciendum: & ſi exhibueritis medicamenta per os, non niſi diuturno tempore deuenient ad locum affectum. Si pariter uelitis per clyſteres medicamenta inijcere, remanebunt in inteſtinis. quare dicendum eſt venæ cauæ vulnera neceſſario eſſe mortalia, & eò magis, ſi vulnus fuerit magnum, adfuerit febris, & tempus fuerit æſtiuum, quoniam ſanguis tunc eſt tenuior, & facilius egreditur, inflammaturque: & ſi hoc, uel illud adſit, tanto certiùs colligetis uulnus eſſe mortale. uulnera itaque uenæ cauæ ſunt lethalia, quod & Hippocrates in libro περὶ νούσων, ideſt, de morbis confirmat & Galenus in ſexto aphoriſm. comm. aphoriſm. decimooctauo, & Celſus idem uidetur ſentire. Iam ſuccedit Cerebrum, cuius uulnera con-

Cerebri vulnera lethalia, & quando.

numerantur ab omnibus inter lethalia, præcipue, ſi uulnus fuerit magnum, ſitque circa baſim ipſius cerebri, & habeat coniunctam inflammationem meningum, uel alium ſimilem affectum. Sed qua ratione diceris uos huiuſmodi uulnera cerebri dicuntur, & ſunt lethalia? Dico, quod non ſunt lethalia ratione ſubſtantiæ, quoniam ſubſtantia cerebri frigida eſt: nec ratione motus, quia cerebrum non mouetur, etiam ſi alij dicant oppoſitum: nec ratione præſtantiæ, quia cerebrum non eſt ita nobile, ut cor eſt: ſed dico eſſe lethalia ratione conſequentium: & niſi ſuccedant alia ipſi vulneri, & vulnus penetret vſque ad baſim cerebri, amputataque ſit magna ipſius cerebri portio, vulnus non erit neceſſario lethale: ſed ſi vulnus penetret vſque ad baſim, habeatque coniunctam inflammationem, & amputata ſit cerebri magna portio, neceſſariò æger morietur, & vulnus erit lethale: at ſi reſecta ſit magna portio cerebri, dummodo vulnus non penetret vſque ad baſim cerebri, non eſt lethale, vt colligitur ex Galeno in ſexto aphoriſm. decimooctauo & in octauo de vſu partium, & affert exemplum de Smyrneo illo adoleſcente, qui ex magno cerebri vulnere ſanatus eſt. idipſum & Guido teſtatur. ſimiliter & Carpus, qui meminit etiam de ſex hominibus, quos dicit ſanatos fuiſſe ex vulneribus capitis, in quibus amputata erat ſubſtantia cerebri: Ego quoque, cum adoleſcens adhuc eſſem, vidi Ferrariæ vnum ex illis furibus, quos Zingaros vulgo vocamus, qui ab alio Zingaro receperat vulnus eo telo, quod

Exēpla eorum, qui ſanati ſūt ex vulnere cerebri.

parteſanone vocamus vulgo, & ſibi amputata fuerat tota ferè dextra pars capitis, ita vt ſex etiam fere vnciæ cerebri eſſent reſectæ: attamen ſanatus eſt fur ille. Præterea habemus exemplum vicinum, & recens de Petro fratre Bartholini Balneatoris prope has ſcholas, qui iamiam ſanatus ex vulnere capitis. ex quo cerebelli primo quantitas grani viciæ craſſioris egreſſa eſt: ſecundo, cum fruſtula oſſea extraxiſſem ex ſubſtantia eiuſdem, adhuc alia particula craſſior priori egreſſa eſt; ſanus tamen iam fermè eſt, & ſine vlla læſione actionum. Annis quoque elapſis in hac Vrbe ego cum alio chirurgo habuimus curam cuiuſdam iuuenis, qui receperat vulnus in parte capitis poſteriori, & abſciſſa fuerat tanta cerebri portio, quanta eſt nux iuglandis, & ſanatus eſt iuuenis ille. quare non omnia cerebri vulnera, ſed profunda tantum ſunt lethalia. Sed ſtatim obijceret aliquis: Hippocrates in lib. περὶ νούσων. i. de morbis ait. Si cerebrum, & cor vulnerentur, ſuccedit mors: ergo Hippocrates loquitur

Obiectio ex Hippocrate.

non ſolùm de vulneribus cerebri profundis; verum etiam de ſuperficialibus, quia ponit cerebrū in eodem cenſu, in quo eſt cor: conſtat autem, quòd ſi cor vix etiam in ſuperficie vulneretur, vulnus eſſe lethale: ergo etiam idem dicendum erit de cerebro ſecundum hāc Hippocratis ſententiam. Ad hanc obiectionem alias reſpondere ſolebam dicens, Hippocratem

Reſponſio.

intellexiſſe de vulneribus magnis; ſed videns poſtea quod Hippocrates facit idem iudicium de corde, & de cerebro, cognoui ſolutionem non poſſe ſtare, quoniam ex leuiſſimo etiam vulnere cordis æger moritur: igitur & de cerebro idem erit dicendum. quare ſi vultis ſolutionem dubij, & intellectum loci Hippocratis oportet, vt legatis eundem authorem in ſecundo Prorheticorum in eo loco, vbi loquitur de vulneribus, nā ibi Hippocrates ſe ipſum declarat: loquens autem de vulneribus lethalibus ait, quod ſi magna ſint vulnera, inducunt mortem; non tamen quod ſint ineuitabilia, quia inquit oportet obſeruare loca, & per loca intelligit cor, cerebrum, & ſimiles partes, in quibus, dicit, quod non omnia vulnera ſunt lethalia, quoniam hæ partes non conſtant eiſdem particulis. Dico itaque, quod vulnera cerebri ſunt lethalia, ſi perueniant vſque ad illas partes, quæ ſuapte natura non tolerant ſolutionem continui: & ideo quia cordis pars nulla fert ſolutionem continui, hinc eſt, quod cordis vulnera, ſiue profunda, ſiue ſuperficialia fuerint, omnia ſunt mortalia: in cerebro autem nō eſt ita, quia aliquæ partes cerebri ferunt ſolutionem continui: & ideo tūc ſolū vulnera in ipſo ſunt lethalia, quando perueniunt vſq; ad illas partes, quæ non tolerāt ſolutionē cōtinui.

Ad Hippocratis igitur authoritatem ſuprà citatam dico, quod ipſe intelligit de vulneri-

bus

Digitized by Google

bus illis cerebri, quæ perueniunt uſque ad baſim cerebri: nam baſis cerebri eſt pars illa, quæ non fert continui ſolutionem. Itaque uerum eſt, quod uulnera cordis,& cerebri ſunt lethalia, quando ſcilicet ſoluuntur & uulnerantur illæ partes, quę non tolerant ſolutionem continui:& quia nulla pars cordis ſua natura tolerat ſolutionem continui, ideo quodlibet uulnus in ipſo eſt lethale; in cerebro autem cum ſola pars circa baſim non ferat continui ſolutionem, ideo ea duntaxat in ipſo vulnera ſunt lethalia, quæ perueniunt illucuſque.

Concluſio de vulneribus cerebri

Quare de vulneribus cerebri concludatis,& colligatis, quod niſi ingens inciſio ſit, vſque in baſim, vt Celſus teſtatur, aut multa copia ſubſtantiæ abierit, aut inflammatio membranarum adſit, aut pectoris conuulſio, nequaquam lethale vulnus cerebri dicendum eſt, ſed lethale vt plurimum. Hoc modo intellexit Hippocrates. Succedit modo hepar, cuius vulnera mortalia ſunt, ratione quarundam partium in ipſo,& ratione nobilitatis ipſius viſceris: non tamen ſunt ita mortalia, quemadmodum ſunt vulnera cordis,& cerebri.

Hepatis vulnera qua ratione ſint lethalia, & qua non.

Obiectio.

Sed obijceret aliquis Galenus in ſexto aphoriſm. commēto aphoriſmi decimooctauo, inquit quod cuidam exectus eſt integer lobus hepatis,& ſanatus eſt.

Solutio.

Dico, quod Galenus loquitur ibi ex mente aliorum qui hoc aſſerebant; tamen ipſe non credebat ita eſſe, licet Textus Latinus factus aliter ſonet: nam ita legitur (& verum videntur dicere) ſed addenda eſt particula (non) quæ reperitur in Aldino Codice Græco, ita vt legamus ſic (& verum non videntur dicere) nam huiuſmodi vulnus eſt neceſſariò mortale ratione venæ cauæ,& venæ portarum. Si igitur vulnus penetret vſque ad truncum venæ cauæ, vel porſarum, vel ad aliquem ramum ipſarum inſignem mortale ex neceſſitate eſt, non tam ratione hepatis, quam partium illarum; ſed ſi vulnera ſint ſuperficialia, non ſunt neceſſariò mortalia. Dicamus igitur, quod hepatis vulnus magnum, atque cum ſectione venæ magnæ, aut portæ, neceſſariò mortem prænunciat: Signa autem ſunt partis præſtantia, vulneris magnitudo, particulæque componentis vſus, vt venæ cauæ, aut portarum, quod etiam Galenus in ſexto aphoriſm. decimooctauo notauit,& Celſus etiam; At ſi aberunt reliqua duo extrema, lethale non neceſſario, ſed vt plurimum erit: nam Guido teſtatur ſe vidiſſe vulnera parua circa lobos ſanari.

Diaphragmatis vulnera lethalia ex neceſſitate, & quando.

Diaphragmatis modo ſuccedunt vulnera, quæ & ipſa neceſſariò ſunt mortalia. Atqui diceris: Galenus in commento ſupra citato ſexti aphoriſmi videtur dicere, quod aliqua vulnera diaphragmatis ſanentur; ergo non ſunt neceſſariò mortalia: Attamen ego repeto, quod ex neceſſitate ſunt mortalia ratione conſenſus, ratione ſubſtantiæ,& ratione motus: Ratione quidem conſenſus, quoniam diaphragma ligatur ori ventriculi, & ſic ratione neruorum deuenientium à cerebro ad os ventriculi conſentit cum cerebro de quo conſenſu diximus plura quādo in anatomie loquebamur de his partibus, atq; de neruis, q ex cerebro oriuntur. Ratione autem ſubſtantiæ, quoniam in medio diaphragmatis eſt chorda lata, & neruoſa, quæ ſi vulneretur difficillimè conſolidatur:& cum valde ſenſibilis ſit, magnus excitatur dolor, quem ſequitur inflammatio: Ratione porro motus, quia diaphragma ſemper mouetur in attractione,& emiſſione ſpiritus: motum autem eſſe impedimento ſanationi vulnerum nemo eſt, qui dubitet. Quare ſi diaphragma vulneretur in parte illa media neruoſa, vulnus neceſſario eſt mortale: ſi vero vulneretur circa partes carnoſas, quæ ſunt ſatis craſſæ, poteſt vulnus ſanari, & de huiuſmodi vulneribus in parte ſcilicet carnoſa intellexit Gal. nam uulnera partium carnoſarum ipſius diaphragmatis poſſunt quidem dici mortalia, non tamen ex neceſſitate. Colligentes igitur dicimus, quod ſi diaphragma ſuſcipiat vulnus magnum,& quo ad ſitum,& ſubſtantiam ſit in medio, ſi accedat inflammatio, cū non poſſit ob motū agglutinari, neceſſariò prænunciat mortem: quod confirmat Gal. 5. methe. comm. Hippocrates, Celſus, & Guido; verùm ſi tantum iſtæ extremæ partes carnoſæ ſint, breuiſque ſit ictus, non lethale neceſſariò eſt vulnus. Pulmo ſi vno tantum in lobo, vel latere vulneretur, non admodum profundo, mortale vt plurimum illud vulnus dicitur, non autem neceſſariò; quod ſi vulnus maximum medium pulmonem diſſecuerit, vt optimè Celſus prodidit, quamuis reliqui prætermiſerint, ſique vena arterioſa diſſecta ſit, tunc neceſſariam mortem prænunciat ratione ſui vſus, ſubſtantiæ, motus, atque uſus particulæ. Medulla ſpinalis idem prænunciat, quod cerebrum ſi magnitudo,& inflāmatio aderit; ſin minus potius membri alicuius noxam prænunciat. lethalem tamen hanc plagam neceſſariò ponit Hippocrates in lib. de morbis,& Celſus. Sed intelligunt non de omni parte medullæ; at de principio, atq; quod ἀρχὴ ſit vulnerata. Veſicæ vrinariæ vulnera, & ipſa neceſſariò ſunt mortalia: ſed hoc intelligatis, quando veſica ipſa vulneratur in parte vbi non ſunt muſculi, nec caro, nec ligamentum,& vulnus eſt magnum cum dolore intenſo, atque inflammatione, tunc neceſſariò mortem affert, vt Hippocrates,& Galenus confirmant, aliter non mortale, ſed periculoſum eſt vulnus. Vidi quidem ego veſicam perforatam à glande plumbea per tranſuerſum ab vno ilio ad alterum,& nihil lotij egrediebatur per canalem, ſed totum ex vulnere in vtroque latere exiſtenti,& vulnus ſanatum eſt.

Pulmonis vulnus lethale, ſed non neceſſario.

Medulla ſpinalis vulnera.

Veſicæ vrinariæ vulnera neceſſario lethalia, & quomodo.

Verùm ſciatis, quòd quamuis talia vulnera poſſint ſanari, tamen vt plurimum inducunt mortem, vt patet ex ijs, quibus lapis per inciſionem extrahitur: nam ferè omnes moriuntur, quoniam excitatur inflammatio: ſed ſi accidat, vt veſica vulneretur ea in parte, vbi ſunt ligamenta, videlicet in parte laterali, exiſtimo ego, quod eiuſmodi vulnera eſſent ſanabilia, quia ligamenta illa ſunt carnoſa, & craſſa: & ideo credo, quod in illo nuper citato homine, qui receperat vulnus ex glande plumbea, eſſent perforata ligamenta illa, & veſica ſimul per directum: quod ego colligebam ex eo, quod nihil vrinæ deſcendebat in cauitatem abdominis, ſed tota egrediebatur per foramina illa. Vnde ſum in hac opinione, quod ſi veſica vulneretur in partibus lateralibus,& vulnus eſſet tale,quod lotium non caderet in cauitatem abdominis, vulnus poſſet ſanari: at ſi vulnus ſit in fundo veſicæ, neceſſario eſt lethale, quia nunquam vulnus poterit conglutinari, & ſemper aderit periculum de inflammatione: addatis, quòd vrina retinebitur in partibus illis, & ita acrior reddita exulcerabit partes illas, atque inteſtina. Vulnera autem Lienis, Renum, Veſiculæ fellis, & Inteſtinorum, non ſunt ex neceſſitate lethalia; verum tamen eſt, quod ſi vulnus ſit in inteſtinis tenuibus,mollibuſque,periculoſum eſt;in duris autem, ac craſſis eſt minus periculoſum.

Renũ, veſica fellis, & inteſtinorum vulnera nõ neceſſario lethalia.

De ventriculo vero ſanaui ego aliquando vulnus, per quod egrediebatur cibus: vnde credo ventriculi vulnera non eſſe neceſſariò lethalia, licet periculoſa admodum: at ipſius oris ventriculi vulnera non ſolum ſunt periculoſiſſima, ſed etiam neceſſariò mortalia ratione ſaltem conſequentium. Vulnera Iſchiadis, & Articulorum non ſunt ex neceſſitate lethalia: verum tamen eſt, quod nunquam integrè ſanantur, quia ſemper remanet aliqua noxa, ita vt æger remaneat, vel claudus, vel quid ſimile patiatur. Vidi tamen quendam, qui acceperat vulnus in articulo femoris tale, vt tuberculum inferius, exteriuſque eſſet amputatum, & ego extraxi fruſtum illud oſſis, & homo ille ſanatus eſt, abſque quo remanſerit aliquis defectus, vel noxa articuli. Vidi etiam anno elapſo, atque mecum videre veſtrum plures, in condiſcipulo quodam veſtro Germano, qui acceperat uulnus in minimo digito manus, & erant ſecti muſculi, & omnes illæ partes, uſque ad tertium articulum, ita ut omnes tres articuli paterentur, attamen optimè ſanatus eſt, & mouebat digitum perinde, ac ſi nihil unquam in ipſo feciſſet paſſus. Sed hæc inter miracula ſunt connumeranda. Iam quædam alia ſunt uulnera, quæ non afferunt mortem, ſed tamen neceſſario non ſanantur, ut cranium magno uulnere perforatum circa ſupercilia.

Ventriculi vulnera nõ neceſſario lethalia, ſed periculoſa.

Oris ventriculi vulnera lethalia.

Iſchiadis, et articulorũ.

Cranij vulnera.

Quædam etiam ſunt, quæ ut plurimum non ſanantur, ut tracheæ gulæ, atque thoracis uulnera penetrantia, quæ ut plurimum in fiſtulam deſinunt.

Trachea, & thoracis vulnera.

Alia ſunt, quæ ex æquo ſanantur, & ex neceſſitate membri noxam prænunciant ſi fuerint magna, ut ſunt uulnera in articulis, in neruis, in principio muſculorum, & fine: hæc ſunt quæ Hippocrates in quinto aphor. uocat uulnera fortia,& praua. Habetis quid ſit præiudicandum:habetis fontes unde iudicia aſſumatis:habetis ſimiliter multa exempla uulnerum lethalium,& non lethalium. Iam ueniamus ad curationem.

In articulis, & neruis.

De vniuerſali ſimplicis vulneris curatione. Cap. VII.

QVid uulnus ſit: quibus corporis partibus hæreat: quibus ex cauſis fiat; quæ ſint ſigna,& quæ uulnera ſint lethalia,quæ periculoſa,& quæ ſalubria:& quid præſagiendum ſit,hucuſque explicauimus: iam ſuccedit, ut curationem tractemus.& quia primo ſupponimus uulnus eſſe ſimplex,accipiendo uulnus quatenus uulnus eſt, idcirco & curatio ipſius ſimplex erit: nam ab uno quatenus unum, non niſi unum indicatur. Cum itaque uulnus,inquantum uulnus,ſit ſimplex morbus, ſequitur quod & ipſius curatio ſimplex erit,& rationem tradit Galenus in libr. artis medicinalis,cap.89.& eſt,quod curatio habet unam communiſſimam, præcipuamq; intentionem,ſeu ſcopum. ut uidelicet tentet auferre id,quod eſt contrarium naturali diſpoſitioni. Cum itaque uulnus ſit morbus ſimplex,indicatur etiam ſimplex curatio,& quãdo dico uulnus eſſe ſimplicem morbum,non intelligatis, quod ſit in una tantum parte (nam poteſt occupare multas partes)ſed intelligatis unam ſimplicem naturam:& per ſimplicem curationem intelligatis unicum tantùm ſcopum,quem ſcopum uariis modis poſſumus aſſequi:Scopus autem eſt unitas,ſeu coniũctio ipſa partium ſolutarũ: Ergo curatio ſimplex uulneris conſiſtit in hoc,ut aſſequamur unionem,quomodocũq; poſtea aſſequamini, nihil refert. Sed hic notate, quod duæ ſunt uniones,ſeu coniunctiones: una quidem eſt quæ

Quid ſit ſimplex vulnus, & ſimplex curatio.

Duæ ſunt in vulnere vniones.

à Galeno

Digitized by Google

à Galeno in 99. capite, libro artis medicinalis appellatur κόλλησις, ideſt agglutinatio, & eſt quando partes diuiſæ vniuntur nullo corpore medio interueniente, ſed ſolum ratione ſubſtantiæ partium illarum, quæ habent hoc, vt ſimul vnitæ conglutinentur, & talis vnio reperitur etiam in corpore: multæ enim ſunt partes molles, quæ ſi patiantur ſolutionem continui, per ſeſe vniuntur nullius medij interuentu, & hæc eſt prima vnio, quæ proponitur in vulnere curando, & hanc primo medicus debet tentare, an poſſit aſſequi, & hæc vocatur à Galeno in libro artis medicinalis, capite nonageſimoprimo, πρῶτος σκοπὸς id eſt, primus ſcopus: & à Recentioribus appellatur prima intentio. Igitur primus ſcopus ſeu prima intentio in curando vulnere eſt per agglutinationem, vt tentemus vnire partes ſolutas per illam coniunctionem, quæ fit nullo medio interueniente, & propriè agglutinatio uominatur. Altera uero unio, ſeu unionis ſpecies eſt, quæ fit interuentu alicuius ſubſtantiæ mediæ colligantis vtramque partem, ut quando interuentu glutinis ligamus, & vnimus chartas inter ſe, & hæc non vocatur agglutinatio, niſi impropriè, ſed à Galeno loco dicto vocatur ſua lingua δέσις, ideſt, colligatio, ſeu ligamentum, quæ dupliciter fit, aut interuentu corporis, quod ſit eiuſdem ſubſtantiæ, & naturæ cum partibus ſolutis, vt quando ſolutio continui in oſſe vnitur medio poro oſſeo: nam porus oſſeus eiuſdem eſt naturæ cum partibus illis oſſeis: vt etiam quando partes carnoſæ ligantur media carne inter partes ſolutas orta, aut carneo glutine interueniente: aut fit medio, quod ſit diuerſæ naturæ, vt quando ſecatur arteria, vel vena, & inter partes ſectas oritur caro ipſas colligans, vel quando oſſa carne ligantur, aut nerui, & hæc vnio à Galeno in ſecundo de compoſitione medicamentorum localium, capite de dolore capitis ex vulnere Apollonij appellatur συσάρκωσις, hoc eſt, incarnatio, eo quod talis vnio fiat media carne. hac autem ſecunda vnionis ſpecie, quæ colligatio dicitur, vtimur in vulnere curando, quando non poſſumus aſſequi primam illam vnionem; & hæc ſecunda ſpecies vnionis vocatur à Recentioribus ſecunda intentio, & à Galeno loco ſupra citato nominatur δεύτερος σκοπός, id eſt, ſecundus ſcopus.

Agglutinatio primus ſcop⁹. *Altera vnio.* *Colligatio.* *Secundus ſcopus.* *Colligatio duplex.*

Itaque curatio ſimplicis vulneris fit vel per primam, vel per ſecundam intentionem, ſiue per primum, vel per ſecundum ſcopum, hoc eſt, vel per agglutinationem, vel per colligationem; ſed primam tentare debemus, quæ ſi non ſuccedat, altera vtendum eſt, & tunc, quando ſcilicet aliquo medio vnire tentamus, per ſecundam intentionem procedere, ſiue per viam ſecundæ intentionis dicitur à Recentioribus. Videamus modo in quibus partibus cadat primus ſcopus, vel intentio, & in quibus ſecundus, hoc eſt, quænam ſint partes, quæ poſſint, ſi ſolutæ fuerint, vniri ſine medio, & quæ cum medio aliquo interueniente. Dico igitur, quod omnes partes carnoſæ ſanantur per primum ſcopum: oſſa autem, nerui, venæ, cartilagines, ligamenta, & reliquæ partes duriores curantur, non per primum, ſed per ſecundum ſcopum. Sed Guido mouet hic dubitationem, an partes duræ, ut nerui, arteriæ, uenæ, oſſa, & huiuſmodi poſſint aliquo modo agglutinari: & ego aliàs cum agerem de partibus ſimilaribus tractaui hanc quæſtionem, nunc autem ſat uobis ſit ſcire ex Galeno, quod uenæ, & arteriæ in pueris aliquando conglutinantur. Sed ſtatim obijcietis mihi Galenum in libro artis medicæ, capite nonageſimo, ita dicentem: Continuitatis autem ſolutionis curatio intentionem quidem habet unionem, quæ in partibus quidem inſtrumentarijs impoſſibilis eſt: in ſimilaribus uerò non ſemper poſſibilis; at quandoque, ſicuti in carnoſis ſanitas conglutinatione perficitur, &c.

Oẽs partes carnoſæ ſanantur per primũ ſcopum. *Reliqua p ſecundum.*

Hæc Galenus. Ex quibus uerbis clarè colligitur, unionem in partibus ſimilaribus quandoque eſſe poſſibilem, quandoque non. & intelligatis de utraque unione tam ſcilicet de ea, quæ fit ſine corpore aliquo medio, quam de ea, quæ fit interuentu corporis medij: in partibus autem organicis eſſe impoſſibilem.

An partes duræ poſſint agglutinari. *Dubitatio.*

Oppoſitum tamen habemus in ſecundo de ſemine, & in decimotertio methodi med. ubi Galenus inquit, quod uenæ, & arteriæ puerorum ſectæ conglutinantur: nemo autem negauerit arteriam, & uenam eſſe partes inſtrumentales, quia Galenus id teſtatur in libro de differentijs morborum, capite quarto. Igitur Galenus ſibi ipſi contradicit: & mirum mihi uidetur, quod nullus expoſitorum uiderit huiuſmodi difficultatem, & contradictionem.

Confirmo adhuc magis dubitationem, & augeo, quia appendices oſſium quamuis ſint ſeparatæ ab oſſe, tamen facta ferruminatione uniuntur ſimul cum oſſe: at oſſa ſunt partes inſtrumentales: ergo & partes inſtrumentales uniuntur. Ad hanc dubitationem ſoluendam, & contradictionem tollendam, debetis notare, quod nomen hoc inſtrumentũ uel pars inſtrumentalis, non unicam habet ſignificationem, ut aliàs agens de ſimilaribus partibus abundè dixi: nam uno modo dicitur inſtrumẽtum pars omnis ſimilaris quatenus non inſeruit ſibi ipſi, ſed alteri parti extra ſe, quod proprium organi eſt, ut uerbi gratia,

Reſponſio. *Pars inſtrumentalis quot ſignificet.*

nervus ſi conſideretur quatenus inſeruit ſibi gignendo ſimile ſibi, ideſt, neruum, vocatur pars ſimilaris, ſed ſi conſideretur quatenus inſeruit vel parti mandanti, vel parti recipienti, mandanti quidem, vt cerebro, recipienti verò, vt muſculis (nam à cerebro ad muſculos defert facultatem) ſi, inquam, hoc modo conſideretur neruus, non amplius dicitur pars ſimilaris, ſed inſtrumentalis, quoniam inſeruit alijs extra ſe. igitur vno modo pars quælibet dicitur inſtrumentum, cuius finis, vel actio non eſt in ſe, ſed extra ſe: & proinde vna, atque eadem pars poteſt dici ſimilaris, & organica; ſecundum tamen diuerſam rationem, vt neruus (perſiſtemus in eodem exemplo) quatenus generat ſibi ſimile, ſimplex, ſimilariſque pars dicitur; quatenus verò defert facultatem motiuam, & ſenſitiuam, nuncupatur inſtrumentum. quod dixi de neruo intelligatis etiam de vena, de arteria, de muſculo, ac de reliquis huiuſmodi partibus: nam muſculus dicitur inſtrumentum huius, vel illius flexionis digiti, aut aliarum partium. atque organum in hac ſignificatione habet & quantitatem, & ſitum, & numerum, & conformationem opportunam pro organis: & quamuis conſtet ſolum ex ſubſtantia ſimilari; nihilominus eſt organum primo ob actionem, ſecundo quia habet etiam notas organicas: & hoc modo nos poſſumus eandem partem ſimilarem, & organicam vocare, quod fecit Galenus in vena, & arteria, ac ſimilibus: nam ratione ſubſtantiæ ſunt ſimilares, ratione autem alia ſunt organa.

Vna & eadem pars poteſt dici ſimilaris, & organica.

Altero modo accipitur inſtrumentum apud Galenum pro parte compoſita, vt contra diſtinguitur à parte ſimplici, & compoſita eſt ex partibus ſimilaribus in actu exiſtentibus & hoc modo ſola illa pars dicitur inſtrumentum, quæ eſt per ſe compoſita & non concurrit ad compoſitionem alterius partis, cuiuſmodi ſunt manus, naſus, aures, digitus, vlna, brachium, & conſimiles partes: hæc enim inſtrumenta per ſe ſunt compoſita, & non concurrũt ad compoſitionem alterius partis, ſed ipſa componuntur ex neruis, oſſibus, carnibus, chordis & huiuſmodi. Hac diſtinctione poſita, dico, quod Galenus in libro de arte medica intelligit de inſtrumentis his, quæ verè compoſita ſunt, & non concurrunt ad compoſitionem alterius partis: nam manus ſi amputata ſit, vniri nequit: idem dico de naſo, de auricula, ac de alijs huiuſmodi partibus: quoniam ſtatim reſecto aliquo ex his inſtrumentis, aboletur ſpiritus, & facultas: Et ideo dico, quod Galenus intellexit de inſtrumentis abſolutis; at vena, & arteria non ſunt compoſita ex diuerſis ſimilaribus actu conſtantibus, ſed vniformis eſt materia, & hac ratione glutinatur præciſa, quia ſimilaris eſt ſubſtantia: at digitus, qui verè organum eſt, ideſt compoſita pars, ſi ſecetur, non amplius vniri poteſt: Neque valet, quod digiti vulnerentur, & quod glutinentur, quia non eſt digitus totus, ac totum organum, quod hoc patitur, ſed potius aliquot organa alia componentia, quæ illud patiuntur.

Altero modo ſumitur inſtrumentum.

Sed dicetis: aliqui teſtantur, quod quibuſdam amputatus eſt naſus, & decidit in ſolum, tamen conglutinatus eſt. Ad hoc reſpondeo, & dico, quod ego ſum in hac ſententia paradoxa, quod ſi cui amputaretur naſus, & illico apponeretur, antequam ſanguis efflueret, & ſpiritus euaneſceret ex naſo reſecto, poſſet conglutinari: Et ego aliquando ſanaui quendam cui amputatus fuerat ferè totus naſus, ita vt ſola tenuis pellicula remanſiſſet: His quoque diebus conglutinaui auriculam cuidam Flandro, vt veſtrum plures norunt, licet auricula penderet à pellicula tãtum; conglutinata tamen eſt, quoniam in auricula remanſerat ſpiritus, & facultas. Verum quia raro hæc accidunt, idcirco Galenus dixit, quod organa non vniuntur: nam re vera vt plurimum accidit, vt inſtrumenta, quæ abſolutè ſunt inſtrumenta, ſi reſecentur penitus, non conglutinentur. Sed in partibus illis ſimilaribus, quæ ſunt organa primo modo, quandoque accidit conglutinatio, etiam ſi fuerint prorſus reſectæ, quia cum hærcant alijs partibus nõ deſtituuntur calore, & ſpiritu cum ſanguis, & ſpiritus ſeruetur ſaltẽ in partib. adhęrẽtibus: Et ideo ſi neruus ſecetur in brachio, vel vena, vel frangatur os, poſſunt agglutinari, quoniam ſpiritus reſeruatur in muſculis: at ſi tota manus præcidatur, & amputetur, nõ ſperetis agglutinationem; niſi illico, antequam ſpiritus, & calor euaneſcat, apponatis ipſam loco proprio:

Obiectio. Reſponſio. Naſus conglutinari poteſt, & quando, & eſt paradoxum.

Notate & aliud paradoxum: & eſt, quod ſi, dum cuipiam amputatur naſus, vos acciperetis naſum alterius eodem ferè tempore ab eius facie reſectum, ita vt ſpiritus non euanuerit: & apponeretis, credo ego, quod conglutinaretur propter ſpiritum, & facultatem, quæ remanſit: & ita arbitror, quod ex naſo vnius poſſit reſtitui naſus alterius.

Alterũ paradoxum.

Dico itaque, quod Galenus in eo loco loquitur de organicis, ideſt, partibus actu diſſimilaribus, & quod loquitur de vnione, quæ fit per viam primæ intentionis, vt patet, quia in illo capite nonageſimo libri artis medicinalis nominat κόλλησιν: & clarius etiam explicat ſuam mentem in nonageſimo, quia re vera nulla pars compoſita poteſt, ſoluta cum fuerit, & ex toto reſecta, glutinari, & vniri per primam intentionem. licet ego propoſuerim, vt audiuiſtis, paradoxa quædam contra hanc ſententiam: Ad rem itaque reuerſus dico, quod finis, ac ſcopus curationis in vulneribus eſt ſoluti vnio, quæ eſt aut agglutinatio, aut medio quodam ligatio, & quod illa non eſt tentanda in organis ſecundi, aut tertii, aut quarti ordinis; ſed hæc, poſterior. ſ. quę medio quodã fit: in reliquis verò particulis non ſemper eſt tentãda, quia in aliquot eſt aliquando impoſſibilis;

bilis; at ſanantur iſtæ partes medio inter ſe ligatæ. Quia igitur in curandis vulneribus debemus ſemper tentare,& affectare curationem,quæ fit per primum ſcopum, ideſt, per agglutinationem; ideo oportet vt ſciatis à quanam cauſa fiat huiuſmodi agglutinatio. Guido ita que ex mente Galeni in lib. de arte medica. cap. 90. & in tertio meth. cap. quarto proponit duplex efficiens:nam vnum dicit eſſe facultatem, vel naturam, & per naturam intelligatis habitum, & temperiem tùm totius, tùm partis affectæ, & hanc dicit eſſe cauſam primariam:igitur prima cauſa vnionis effectiua eſt habitus,vel totius corporis, vel partis affectæ, atque temperies:alteram cauſam dicit eſſe medicum,qui naturæ miniſter eſt. Sed vos lucidioris doctrinæ gratia,atque ob id,quia ita eſt faciundum,addatis tertiam cauſam,& eſt medicamentum:nam quemadmodum non concidunt natura,& medicamẽtum, ſed ſunt ſub diuerſo genere(neque enim medicamentum eſt natura,quamuis per ipſam agat, neque natura eſt medicamentum) ita & manus chirurgi, & medicamentum non cõcidunt in idem genus,quia chirurgus ſine medicamento agit ſuendo,abſtergendo,ac ſimilia agendo; attamen medicamentum, & ipſum facit ad agglutinationem ; & licet à chirurgo imponatur, tamen agit abſente illo: & ſicut medicus eſt inſtrumentum naturæ, ita medicamentum eſt inſtrumentum medici. Vnde tria erunt neceſſaria ad vnionem, ſcilicet, natura, manus medici,& medicamentum:ſed natura eſt cauſa precipua,& prior; ſecundo loco eſt medicamẽtum; tertio chirurgus: nam medicamentum,& chirurgus conducunt potius ad hoc, quod remouent omne id,quod agglutinationem vel impedit, vel impedire poſſet: nam & medicamenta , & manus medici remouent talia impedimenta : & ideo in curatione ſimplicis vulneris requiritur natura, quæ agglutinet: nam vera ipſa effectrix eſt: quod vt fiat, incumbendum eſt remotioni eorum omnium, quæ poſſunt naturam impedire, quoniam ablatis impedimentis natura ipſa per ſe vniet. Quæ autem ſolent impedire actionem naturæ quatuor capitibus colliguntur à Galeno in lib. artis medicæ cap. 90. & primum eſt mala conformatio:nam mala conformatio impedit conſolidationem:ea propter labia vulneris ſunt ſimul iungenda ita vt hæreant,alioqui natura nunquam poſſet conglutinare: debent itaque partes ſolutæ iungi per contactum: & hoc eſt primum caput. Secundum eſt conſeruatio illius conformationis: nam ſi quis manu iungeret vulneris labia , deinde remota manu, iterum dehiſceret vulnus , nunquam fieret conglutinatio. quare non ſolum ſunt copulandæ ſolutæ partes;ſed in ea etiam copulatione ſunt conſeruandæ. Tertium eſt,vt attendamus illis,quæ ex toto præternaturam ſunt,& in vulnere exiſtunt qualia ſunt pili,fruſtum oſſis, vel ferri,arena, & ſimilia:nam ſi aliquid iſtorum,& minimum etiam, ſit in ipſo vulnere, nunquam natura poterit ipſum agglutinare.quare auferenda ſunt ea omnia ex vulnere, quæ ex toto preternaturam ſunt,& hinc colligitis errare illos chirurgos,qui explent vulnus aliquo medicamento. Quartum caput eſt ſalubritas partis: hoc eſt danda eſt opera, ne accidat corruptio alicuius partis in vulnere,vel intemperies aliqua ; alioqui nunquam fieret vnio. Addit & aliud Guido, & eſt,vt diligenter procuremus,ne aliquod accidens vulneri ſuperueniat , vt vel dolor, vel fluxio ſanguinis, vel quid ſimile: verum & hoc & reliqua eiuſmodi poſſunt reduci ad aliquod illorum quatuor.

A qua cauſa ſit agglutinatio.
Prima cauſa eſt temperies totius,& partis.
Altera cã medicus.
Tertia cã medicamẽtum.
Quæ impedire ſolent actionẽ naturæ, quatuor ſunt.
Primum.
Secũdum.
Tertium.
Quartum.

Ego tamen lucidioris doctrinæ gratia velim,vt omnia colligamus ſub ſex capitibus. Itaque primum caput obſeruãdum, ne impediatur agglutinatio,eſt, vt efficiamus,ne aliquid extraneum concidat in ipſum vulnus. ſecundum vt ſi aliquid conciderit, illud auferamus. tertium vt partes ſolutæ coniungantur,reducanturque in priſtinum ſitum. quartum vt ipſas iunctas, & reductas in proprium ſitum conſeruemus in eo ſitu. quintum vt ſi nullum adſit ſymptoma,ſed pars rectè ſe habeat, vt cõſeruemus ipſam in illo habitu naturali: nam ſemper imminet aliquod periculum, ſi aliquod ſymptoma ſuperueniat ; vel ſi ſuperuenerit,illud auferamus, & exterminemus. vltimò natura partis affectæ eſt conſeruanda . Hæc ſunt capita obſeruanda , quæ tamen ſub illis quatuor Galeni continentur : & inter hæc ſex capita primum,& tertium pertinent ad chirurgum tantum: nam ipſe prohibet ne quid extranei concidat in vulnus, & labia coniungit ; alia autem capita pertinent tùm ad medicamentum , tùm ad medicum : nam & medicus, & medicamentum prohibent ne aliquod ſymptoma vulneri ſuperueniat ; & ſi ſuperuenerit, auferunt : ac partem vulneratam in naturali habitu conſeruant : ſimiliter partim medicamento, partim à chirurgo aufertur id, quod preternaturam in vulnere eſt:& vulnera conſeruantur ſimul iuncta.explicemus modo capita hæc,& videamus quid circa vnumquodque ſit obſeruandum.

Sex obſeruanda ne impediatur glutinatio.
Primũ obſeruãdum.
Secũdum.
Tertium.
Quartum.
Quintum.
Sextum.

Primum ergo caput obſeruandorum dixi eſſe illud,quod reſpicit,ne aliquid concidat in vulnus, quod ſit ex toto præternaturam : circa quod caput proponuntur primò ea , quæ in aere circunferuntur à vento eleuata,vt puluis,paleæ,& feſtucæ: & ideo obſeruandum eſt,vt quando vulnus detegitur & tractatur æger, tractetur ſub tecto mundo, manibus, atque indumento mundo,mundiſque miniſtris. Ad hoc etiam caput pertinet,vt notetis vnum non parui momenti, & eſt, quod aliquando, immò vt plurimum fiunt vulnera in capite , in facie,

Quid in quoque ſex capitum agendum.
In primo.
Puluis.palea,feſtuca.

Pili. cie, & in alijs piloſis locis: vnde oportet pilos illos abradere: & niſi curaueritis vt ne minima quidem pili vnius particula concidat in vulnus, nunquam poterit conglutinari: & ideo antequam abradatur illa pars, expleatis ſemper vulnus linamentis. Aliud quoque ſolet vulneris coaleſcentiam impedire, ſi in ipſum concidat fluatque, & eſt, vt inquit Galenus in lib. de arte medica cap. 90. corpus aliquod humidum: & inter hæc primo in loco enumerat *Oleum.* oleum quod maxime impedit agglutinationem, quia oleum eſt calidum, & humidum, habetque partes aereas: & ideo humectando ſolet vulneris conglutinationem impedire, & ſi *Calida, & humida vulneribus inimica.* fiat agglutinatio, non eſt bona, nam quæ calida, & humida ſunt vulneribus inimica ſunt. præterea cum oleum habeat viſciditatem, ſi accidat, ut uiſciditas illa obliniatur labris vulneris, nunquam poterunt labia illa bene vniri: nam vnctuoſitas, ac viſciditas illa efficit, vt humiditas naturalis carnium laxetur, minimèque coniungantur partes vulneris: & ideo obſeruare debetis, ne ex lucerna defluat oleum in vulnus: & maximè obſeruare debent *Sebum.* hoc illi, qui circa vulnus vtuntur oleo roſaceo. Celſus monet, vt aduertamus, ne & ſebum cōcidat in vulnus: nā & ipſum pinguedo eſt. Alia humiditas impediens agglutinationem additur à Galeno in tertio meth. cap. quarto, & ab Aetio in lib. 14. cap. 26. & à Paulo in *Sanies, pus, ſordes.* quarto lib. cap. 36. & eſt vel ichor (quem ἰχῶρα vocat Galenus, ſaniem vertit interpres) vel ſanguis concretus, vt notat Aetius, vel pus, & ſordes, ῥύπον vocat Paulus: ne igitur hæc influant, cauendum eſt, quod fiet, ſi antequam ab ægro diſcedamus, ſanguinem ſiſtemus, at*Quomodo ſiſtitur ſanguis, & ſanies.* que ichorem, ſaniem ſcilicet: Modum autem, quo ipſum ſiſtamus, docet Celſus in quinto lib. cap. 147. vbi monet, vt ſtatim expleamus vulnus linamentis ſiccis excerptim factis, & auulſis ex lineo panno: mox vult, vt madefaciamus ſpongiam in aqua frigida, ipſamque aliquantulum exprimamus, & vulneri ſuperimponamus, inibique tam diu relinquamus, donec ſanguis fuerit firmatus: & ibi debet chirurgus manere, donec firmatus ſanguis fuerit: & hinc videatis an errent Recentiores iſti chirurgi, qui aduocatis ad aliquem vulneratum *Error eorū qui ſtuppa, & albo oui replēt vulnus.* explent vulnus ſtuppa imbuta albo oui, & illico recedunt. Cum linamentum illud, & ſpongia manſerint in vulnere per aliquod interuallum, monet Celſus, vt omnia auferantur; & ſi ſanguis non fuerit cohibitus, præcipit, vt iterum renouemus talia medicamenta, & fit tertia, & quarta vice, donec ſanguis amplius non fluxerit. Sed ſi ſanguinis cohibitio his non ſuccedat, monet, vt imponamus medicamenta illa imbuta aceto, quia acetum aſtringit, & ſiccat, & ideo poteſt ſanguinem ſiſtere: monet tamen, vt cautè aceto vtamur, quod & ego *Cautela in vſu aceti.* vos moneo, præcipioque vt ſi fieri poſſit alijs potius medicamentis vtamini, quàm aceto, quoniam eſt nimis acre, nimiſque ſiccat, aſtringit & exaſperat valde partes; & ideo, cum nimis validè materia inibi retineatur, poſſet poſtea inflammationem mouere: præterea acetum cum corpora adſtringat, & veluti ſicciora reddat, tardior fiet vulneris agglutinatio. *Acetū quō aſtringat.* Sed dicetis non ne acetum incidit, aperitque obſtructiones? quomodo ergo adſtringit? Dico, quòd acetum non adſtringit per ſe, quia per ſe re vera aperit obſtructiones, ſed adſtringit per accidens, quatenus ſcilicet ſiccat exaſperatque; partibus autem exiccatis, conſtringuntur: & hoc modo intelligatis, quando reperietis apud Aetium, & apud alios Authores acetum adſtringere: intelligatis inquam ipſum id facere, non per ſe, ſed per accidens. Abſtineatis igitur ab aceto, & non curetis citò ſanguinem in ſimplici vulnere firmare, vt citò a*Oxicratū ad ſiſtendū ſanguinem* gatis; at faciatis vt ego, qui in hoc caſu vtor poſca: facio enim oxycratum id eſt acetum potabile cum aqua, accipiendo exempli gratia unam partem aceti, & tres, uel quatuor puræ: & ſi fieri poſſit, non utor aqua frigida, quia ex Hippocrate habemus, quod frigidum uulneribus mordax: Capio igitur acetum, & aquam non calidiſſimam; ſed tepidiorem, & tātum aquæ cum aceto miſceo, ut reddatur potabile: mox imbuo hac poſca linamenta, & exprimo, & ipſis expleo uulnus; nec diſcedo priuſquàm ſanguis fuerit firmatus, & ſæpe immuto linamenta illa ita, ut iterum, ac ſæpe imbuam, exprimam, & uulnus expleam. Sed hic nota*Linamēta quomodo facienda.* te, quod iſti ineptiores chirurgi non accipiunt linamenta illa diſcerpta, ſed abraſa cum forcipe ex lineo panno duplicato; uel accipiunt goſſipium loco linamentorum excerptorum; uel ſtuppam lineam molliſſimam: & malè faciunt, quoniam linamenta abraſa, & goſſipium, & ſtuppa poſt paruum tempus uſque adeo adhærent ipſi uulneri, ut poſtea difficilè extrahantur, quo fit, ut iterum effluat ſanguis: & niſi extrahantur, impediunt agglutinationem. Quare ſemper in hoc caſu utamini filamentis, ideſt, linamentis excerptim factis quæ filacia nocētur uulgo, μοτώματα uocant Græci: & hoc modo firmabitur ſanguis, atque hac ratione impediemus, ne defluat ſanguis, neue concreſcat grumus, aut ne confluat ichor, ſanieve, aut ſordes aliqua, quæ poſtea in pus verſa dolores, atque inflammationes cieant, impediantque glutinationem. De medicamentis autem alijs ad ſiſtendum ſanguinem dicam inferius, cùm loquar de vulnere vaſorum, ſeu de ſanguinis hæmorrhogia, nam ille eſt locus proprius.

Aliud quoque ad hoc idem caput ſpectat, & eſt, quòd quandoque non poſſumus prohibere, quin aliquid præternaturam colligatur in vulnere: & ideo tunc oportet facere, vt ait

Gale-

Galenus in lib. artis medicę cap. 90. ὑπόῤῥυσιν, quam uocem iſti uertunt ſubfluxionem, & eſt, quando facimus, ut id, quod neceſſariò in uulnere colligitur, & nos non poſſumus prohibere, quo minus colligatur, facimus, inquam, ut ſtatim, cum collectũ eſt, effluat, & non moretur in uulnere: ὑπόῤῥυσιν autem, ideſt, ſubfluxionem hanc facimus, uel detinendo aliquam particulam uulneris apertam, & ſinentes, ut aliæ agglutinentur: aliquam dico particulam fundum uulneris reſpicientem deorſum: hocque in uulneribus magnis facere ſolemus. Sed hic notate unum ad praxim pertinens, & eſt, quòd iſti recentiores chirurgi ineptiores utuntur hoc Galeni præcepto uniuerſaliter in omnibus uulneribus, & in quacumque corporis parte fuerit uulnus, ſemper habent ſubfluxionis rationem: unde ſi uulnus ſit uerbi cauſa in facie explent unam partem uulneris linamento, ut ea pars aperta maneat: & indifferenter etiam ponunt linamentum tam in ſuperiori, quam in inferiori aliquando uulneris parte: Et maximè errant, primò, quia ὑπόῤῥυσις, ideſt, ſubfluxio non debet fieri in parte ſuperiori, ſed in ea tantùm, ex qua cito, & facilè id, quod in uulnere colligitur, poſſit effluere. Secundò errant, quia faciunt ſubfluxionem in partibus, in quibus non prodeſt: ſi enim fiat in facie, remanebit magna cicatrix. Quare in vulneribus faciei, dummodo os ſubiectũ non ſit vulneratum, nunquam imponenda in aliqua parte vulneris ſunt medicamenta, ideſt, turundæ, vel tentæ, vt fiat ὑπόῤῥυσις quæ ſpiraculum vocatur ab iſtis: contra autem in magnis vulneribus fęmoris, & ſimilium partium, vbi ſint chordæ, ſi cognoueritis vulnus non poſſe conglutinari abſque ſuffluxione ipſa, vtamini, in parte tamen decliui: In vulneribus autẽ ceruicis, cum partes illę ſint molles, & laxę, non oportet per linamenta facere ſubfluxionẽ; ſed opus eſt perforare cutim circa fundum vulneris, & inferere aliquod linamentum in foramen, vt maneat apertum: & ita ſubfluxio dupliciter fit ſcilicet vel per linamentum, vel per cutis perforationem. Cæterùm quia de ichore, ſanie, & pure fecimus mentionem, & ipſa connumerauimus inter ea, quæ agglutinationem vulneris impediunt, idcirco de excrementis ipſis, quæ in vulnus defluere ſolent, vtile erit, vt aliquid dicamus. Itaque reperio apud Recentiores Barbaros varias voces, quibus talia excrementa ſignificantur, vt eſt ſordes, ſordities, aquoſa humiditas, virus, virulentia, ſanies: apud Celſum autem in quinto libro, cap. 146. reperio has voces, quibus excrementa vulnerum ſignificantur, ſanies, pus, ἰχὼρ μελικηρὸς, vel meliceris, & pus, ἐλαιῶδες, ideſt oleoſum. apud Græcos verò, vt apud Hippocratem, & Galenum reperio tantum tria nomina, ſeu tria excrementa vulnerum, & ſunt ἰχὼρ, ideſt ichor, ῥύπος, ideſt, ſordes, & πύον, ideſt pus. Videamus ergo quid ſignificent hæ voces apud Græcos, & primo ἰχὼρ, quæ vox apud Galenum non ſemper ſignificat vnum atque idem excrementi genus, ſed quandoque denotat genus quoddam excrementi tenuis, & aquoſi, quod excrementum eſt in ipſa maſſa ſanguinea, & eſt illud, quod in cyatho ſupernatat, ſanguine iam concreto, & pariter, quod effluit ex vulneribus iam firmato ſanguine, nulla accepta alteratione in vulnere ipſo, ſed tale egreditur quale continetur in venis: & de hoc ichore intellexit Galenus in ſecundo ad Glauc. & in libello de tumoribus pręternaturam cap. de inflammatione, vbi probat, quod inflammatio non fiat ex flatu, quia in vulneribus fit inflammatio, quæ ſi fieret à flatu, ſtatim deſideret, quoniam egreditur ἰχὼρ, qui & aquoſus eſt, & tenuis; ergo tanto facilius egrederetur flatus, q eſt tenuior ichore, & huiuſmodi excrementum aliquando ab ipſo vocatur ichor tenuis, aliquando ichor aquoſus. Hoc igitur eſt primum excrementum, quod ſolet fluere ad vulnera, & impedire agglutinationem, & nihil aliud eſt, quàm excrementum quoddam aqueum, tenue, loturæ carnium ſimile, neque aliquam alterationem à parte recipiens.

Aliquando ἰχὼρ apud eundem Galenum ſignificat excrementum quoddam vulneris, quod in vulnere ipſo eſt mutatum, & alteratum, alteratione videlicet aut bona, aut mala: bona quidem, quando partes ſunt optimè diſpoſitæ, & ideo tunc ex ſanguine gignitur bona caro, quam generationem ſequitur excrementum tenue, & eſt ichor, de quo nunc loquimur, eſtque vnum ex illis excrementis, quod Galenus dicit generari in vulnere, atque in vlcere, quorum excrementorum aliud dicit eſſe craſſum, aliud tenue, vt videre eſt in tertio meth. cap. tertio, & per tenue intelligit hoc, quod accipit bonam alterationem in vulnere, & ſeparatur, ac fit ex generatione bonæ carnis, & hunc ichorem, qui accipit bonam alterationem, Galenus vocat ichorem coctum: Quandoque autem in vulnere eſt intemperies, & ideo fit mala alteratio ichoris, & tunc tale excrementum à Galeno vocatur aliquãdo ichor crudus, aliquando grauis, vel fętens, eò, quod habeat fœtorem adiunctum, vt videre eſt apud ipſum quinto meth. med. cap. 10. Itaque tres ſunt ichores apud Gręcos, vnus, qui nihil aliud eſt, quàm humiditas in maſſa ſanguinea, qui ichor talis egreditur, qualis in venis continetur. Secundus ichor eſt excrementum tenue, & coctum in vulnere factum ex generatione optimæ carnis. Tertius verò eſt humiditas pariter tenuis non concocta à natura optimè agente, ſed à qualitate aliqua mala alterata: & hic tertius ichor ab his, qui Latina fecerunt ſcripta Græcorum, nuncupatur humor vitiatus; aliquando etiam vertunt humorem manantem

ὑπόῤῥυσις ſubfluxio.

Error recẽtiorum.

Subfluxio dupliciter fit.

De excrementis vulneris, & quomodo appellãtur.

Tria excrementa vulneris apud Galenum.

ἰχὼρ. Primum ſignificatũ.

Secũdum ſignificatũ ἰχῶρος

Ichor coctus.

Ichor crudus.

Tres ichores apud Græcos.

nantem ex vulneribus, vel ex vlceribus; & aliquando interpretatur ſaniem.

ῥύπος ſordes. Altera vox eſt ῥύπος, ideſt, ſordes, quę vox aliquando habet ſignificationem communem, & vniuerſalem; aliquando particularē, ac propriam, vt fuit ſententia Galeni in tertio meth. med. cap. tertio: ſed dicamus primo de communi. Galenus itaque in eo loco vocat ſordem omne excrementum craſſum, & ipſum contradiſtinguit ab ichore: nam dicebat, excrementum eſt aut tenue, vt ἰχὼρ, aut craſſum, vt ῥύπος: vnde ῥύπος, vel ſordes, communiter loquendo, eſt excremētum craſſum, bonum tamen, & idem aliquando ſignificat apud Galenum, quod pus. aliquando autem ῥύπος ſignificat excrementum craſſum viſcidumque, quod ita hæret vulneri, vt maxima cum difficultate abſtergi poſſit, & hæc eſt propria huius vocis ſignificatio, & hoc excrementum à Galeno in quinto meth. cap. 10. contradiſtinguitur à ſorde, & pure, & tunc ſumitur in propria ſignificatione pro excremento quidem craſſo, ſed inhærente vulneri ipſo, quodque difficilè auſertur, & vocatur ῥύπος ἐπιτρεφὴν, vel ἔντροφον. ideſt, ſordes innutrita, hoc eſt, quaſi loco optimi alimenti appoſita, atque adiuncta, quæ differt non ſolum ab ichore, ſed etiam à πύον, vt habemus à Galeno in quinto meth. cap. 10. ubi inquit, quod in uulnere ſordido auferenda eſt ſordes; in puro inducenda eſt caro, ſimulque & ἰχὼρ, & πύον detergendum, ultimo cicatrix eſt inducenda. Ecce ſordes diſtincta à pure, & ab ichore in hac ſignificatione: cum in priori differret tantùm ab ichore, non autem à pure, quod etiam colligitur in ſecundo ad Glauc. cap octauo ſordes, & ſordities uertitur uox illa ῥύπος ab interpretibus Galeni.

πύον pus. Succedit tertia uox πύον, ideſt, pus, quæ uox familiariſſima eſt Hipp. ut patet in ſecundo aphor. 47. Dum pus conficitur, &c. & in lib. de fracturis, & in lib. de ulceribus, & nihil aliud ſignificat, quàm vulnerum craſſum excrementum, bonumque, quod inſequitur ad partes benè affectas, & generationem bonæ carnis: & hoc excrementum non adhæret, & de ipſo meminit Galenus in ſecundo ad Glauc. cap. octauo in ſecūdo aphor. 47. & in quinto meth. cap. 10. & notas ipſius tradidit Hippocrates in lib. prognoſticorum dicens, quòd pus debet eſſe album, vel cinericium, ideſt, ſub album, æquale in ſumma ſuperficie, leneque, & ſine fœtore. His poſitis dico, quòd pus apud Celſum idem ſignificat, quod pus apud Hippocratem, & Galenum: nam pus apud Celſum eſt excrementum album, glutinoſum, craſſum, glutinoſtiuſque ſanguine, & ſanie, & per ſanguinem intelligatis illum qui non eſt concretus, ſed eſt

Sanies. talis, qualis exit è venis. Sanies autem apud eundem Celſum eſt tenuior, inæqualior, glutinoſa, colorata, ac variè craſſa, atque eſt veluti genus ἰχῶρος, & μελικηρὸν ἰχὼρ enim eſt ſubalbi-

μελίκηρον da ſanies ex malo vlcere proueniens; at μελίκηρον eſt craſſior, glutinoſior, ac melli albo ſimilis; pus ἐλαιωδὲς tenue eſt ſubalbidum, quaſi vnctum, colore albo, oleo non diſſimili. Recentiores verò per vocē illam (ſanies) intelligunt ſæpe verum pus Celſi, Galeni, & πύον Hippocratis, quod etiam vocant aliquando ſaniem bonam, vel ſaniem laudabilem, cuius differentiæ ſunt, vt ſit pauca, aut multa ſecundo ſaniem aliquando vocant id, quod ſanies à Celſo vocatur, & ἰχὼρ, hęcque virus, & virulentia, & aquoſa humiditas fætens ab iiſdem dicitur, & diſtinguitur in calidam, & frigidam: tertio ſaniem interdum groſſam vocāt, vel ſordem, vel ſorditiem illud, quod à Galeno ῥύπος dicitur, cuius vnam albam conſtituunt, alteram nigram, tertiam, veluti ſex, cinerulentam. Coniungamus igitur iam voces iſtas, atque ſimul

Collectio declarū vocum. res ipſas πύον Galeni, pus Celſi, ſanies bona, vel laudabilis, uel ſimpliciter ſanies Barbarorū unum, ac idem ſunt: Similiter ῥύπος Galeni, ſordes, uel ſordities, uel ſanies groſſa Barbarorū eandem habent ſignificationem: Ita etiam ἰχὼρ Galeni, ſanies, ἰχὼρ, μελίκηρον pus ἐλαιωδὲς, Celſi, & ſanies fætens, uirus, & uirulentia Barbarorum eandem penitus rem ſignificant.

Vnum iam uobis notandum eſt, quòd quamuis potiſſimus, ac frequentiſſimus ſit iſtarum uocum uſus, qualis à me præſcriptus eſt, tamen uariat aliquando, & immutatur. quamobrem mihi uidetur, quod res iſta ſit tractanda, ut rei natura ipſa poſtulat, & quadam ratione, & quod materiales etiam atque efficientes cauſæ ſint cognoſcendæ, & ideo diceamus hoc modo.

Emanant è vulneribus quædam humiditates, quæ haudquaquam alterationem ſenſerunt, qui humores aquoſi, ac tenues ſunt, & veluti lotura carnium, atque iſti Galenica voce

Quibus nominibus vocabit has voces auctor. ἰχῶρες ὑδατώδεις, & ἰχῶρες λεπτοὶ vocentur ex lib. de tumoribus, vel aquoſa, ac tenuis ſubſtantia ſanguinis, quæ ſtatim cohibito ſanguine excernitur. nos iſtos humores ſemper ichores vocabimus, & ichoroſum vulnus appellabimus, quod his abundabit. quando igitur videbitis hunc humorem, dicetis eſſe ichorem. Sed dicetis: quomodo cognoſcemus nos, quòd

Cognitio ichoris non alterati. iſte humor nullam ſit paſſus alterationem? dico, quòd cognoſcetis primò ex colore: nam ſi ſit humiditas puri ſanguinis, erit magis rubens; ſi bilioſi, erit magis lutea, aut virens; ſi melancholici liuens, ac nigrior; ſi pituitoſi; aquoſior apparebit color. Secundo cognoſcetis à ſubſtantia, quia tenuis erit materia, & aquoſa penitus. Tertio ab odore, quoniam nullus aderit fætor: ſed aut ſeroſi humoris, aut loturæ carnium odor inerit.

Emanant etiam ex vulneribus, dum carne explentur, aut glutinantur, humiditates, quæ

alterationem aliquam ſenſerunt: & quoniam alteratio, quæ fit à calore, varia eſt, pariter & hanc humiditatem, pro ut uariè à calore eſt alterata, multiplicem eſſe opus eſt, ſed iam uideamus alterationem iſtam: Galenus in quinto de facult. ſimpl. medic. cap. ſexto inquit, quod ex alterationibus, quæ fiunt in materia præcipuè humida, prima fit à calore naturali in materia familiari animanti, atque in hac dominatur natura, & ingenitus calor ſuperat, qualis apparet in cibo cocto in uentre, aut inteſtinis, atque in ſanguine à qualibet particula alterato pro ſui nutritione. Secunda alteratio fit in partibus, aut toto corpore huic penitus contraria à calore putrefaciente potius, quàm naturali, atque in materia inutili, putreſcibilique, & vt in com. 47. ſecundi aphor. inquit Galenus cum putredine olida perficitur: hæc materia alterata penitus inutilis eſt: Tertia alteratio eſt illa, quæ inter iſtas media quodam modo eſt, & veluti mixta ex naturali, atque hac contraria: nam materia, in qua alteratio hęc fit, benigna prorſus non eſt, neque tamen omnino aliena, ac maligna, agens verò eſt ingenitus calor, ſed non omnino vincens, atque ad vſum corporis conuertens, vel rectius, vt in cõmento citato habetur, neque ſolus calor extra naturam, neque ſolus ſecundum naturā calor agit, ſed veluti mixtus ex vtroque, tamen naturalis vincit. Iam ad rem, dico, quod nihil ex uulneribus, aut ulceribus egreditur, quod à prima alteratione ſit abſolutè factum, aut rariſſimè: nam hæc ſola in ſanis, atque integris partibus fit: at à ſecunda alteratione plurima fiunt, atque manāt ex uulneribus, ſcilicet alterata à calore putredinali, atque ex materia ſubſtantia mala, ac non naturali: hæcque omnia continebuntur ſub nomine ſaniei, atque ichoris, quæ ut plurimum tenuia ſunt, quia non ſunt cocta, neque à calore naturali uicta, & aliquando ſunt uiſcoſa; aliquando diuerſorum colorum, uel pallida, uel nigra, uel lutea, uel craſſa per exuſtionem, fœtentiaque, quoniam à calore præternaturam, & putrefaciente fiūt. Verùm eſt unum notādum, quod in his datur magis, ac minus præcipuè ratione ipſius materiæ: nam ſi materia ſit aut ſanguinea, aut bilioſa, uel phlegmatica, aut alia materia, quę nō multum à ſui natura ſit alienata, atque alteretur à malo calore partis, gignitur quidem ichor, ac ſanies, uerùm non peſſimus, atque hic erit, aut melli ſimilis, & μελικηρὸς uocatur, aut oleo albo, & pus, uel ichor ἐλαιώδης erit ex Celſo, at ſi materia erit ualde ac penitus alienata, altereturque à calore putredinali, ſit tunc ἰχὼρ, uel ſanies cruda, uirus, uel uirulentia uocata à barbaris, atque aquoſa humiditas fœtida, ſit cuiuſcumque ſubſtantiæ, atque coloris. À tertia alteratione, quæ fit à calore naturali, ſed non abſoluto, at admixto aliquantiſper non naturali, alterantur excrementa uulnerum, quę duo ſunt: alterum tenue, ſed bonum tamen, atque ſatis coctum, uerum non abſolute, quod fit hac ratione. partim quia ex parte materiæ tenuiori, partim, quòd fortaſſe putredinalis adæquat naturalem, aut parum cedit, atque hic eſt ille ἰχὼρ πεπεμμένος dictus à Galeno in ſecundo ad Glauc. cap. octauo, atque ἰχὼρ ille, qui contra diſtinguitur ſordi, vel puri, & ſanies vocatur à barbaris. alterum eſt craſſius, ac magis coctum, & elaboratum ratione fortaſſe duplici, altera quidem quòd ex craſſiori parte materiæ: altera quia naturalis calor longè excedit non naturalem, qui tamen adhuc præſens ſit, ſed paucus: atque hoc excrementum πῦον. pus ſcilicet, vocatur à Græcis, bona ſanies, & laudabilis ſanies nuncupatur à Recentioribus. Horum materia, inquit Galenus in quinto de facult. ſimpl. cap. ſexto, eſt ὑγρότης, humiditas; ſed quæ eſt iſta humiditas? explicatur ab Hippocrate in lib. de vlceribus his verbis: Suppuratio autem fit alterato, ac ferueſcente ſanguine, donec pus fiat. Igitur ἰχῶρες cocti, aut πύον. ideſt, ſaniei, vel puris, vel bonæ ſaniei materiæ ſunt partes tenuiores, atque craſſiores ſanguinis. Aliud etiam genus materiæ colligo ab Hippocrate in lib. dicto, atque etiam ex Galeni loco citato, quę eſt caro contuſa, quę eliquatur concoquiturque in pus hac alteratione. Aliquando accidit, vt cum gignitur huiuſmodi excrementum pus dictum, vt medicus imponat medicamentum adſtringens, ac ſiccans nemis: aut quòd vulnus exponatur ambienti nimis frigido, ac ſicco: aut quòd pars ipſa ſit debito ſiccior: & tunc pus nimis ſiccatur; atque viſcidum fit, & inæquale, durumque, ac parti inhæret ita, vt fluere inde non poſſit. cum hac immutatione, & nomen, ac naturam mutat, & ῥύπος vel ſordes vocatur: poſſemus etiam ῥύπον. vel πύον ἄπεπτον vocare. Habetis iſtorum excrementorum nomina, atque eorundem nominum coniunctiones: excrementorumque ſpecies, ac differentias: tertiò cauſam efficientem: vltimò materiam.

De alteratione humiditatum.
Prima alteratio.
Secunda alteratio.
Tertia alteratio.
Tria dicta cõtinentur ſub nomine ſaniei, & ichoris.
Ichor coctus.
πῦον, pus.

Iam ad alterum caput accedo, quod illa, quæ in vulnere continentur inutilia, & toto genere præternaturam extrahit, vt agglutinatio fieri poſſit: inter hæc autem ſunt grumi ſanguinis, qui raro accidunt, quòd non ſint in vulneribus: & ideo moneatis veſtros chirurgos, ne conſuant, ligentque vulnera præſentibus grumis ſanguinis, vt facere ſæpe ſolent, quia nō finerent coniungi vulnus, atque in pus conuerſi febres cierent, atque dolores, &, vt inquit Celſus, inflammationem mouent: quod confirmat Aetius, Paulus, atque Galenus in tertio methodi cap. quarto. Auferentur autem grumi primò detergendo cum goſſipio, aut linteo, deinde cum forcipiculis: Quod ſi non ſequatur, Aetius dicit, quod debemus madefacere, fouereque vulnus aqua tepida: nam hoc modo grumi diſſipabuntur; vel, ſi hoc non ſuffi-

Secundum caput, quod inutilia extrahit.
Grumi ſanguinis.
Quō auferendi grumi.

ciat,

ciat, redeatis ad goſſipium inuoluendo ipſum in ſpecillo,& ipſo rumpatis grumos, & interim dum tentatur diruptio grumorum affundenda eſt aqua tepida: ſed ſi nec iſto modo grumi poſſint extrahi, monet Celſus, ut loco aquæ vtamur aceto: Verùm dixi ſupra,quòd eſt nimis acre & ideo placet mihi magis poſca tepida,qua imbuta ſpongia foueo grumoſã materiam;attamen ſoleo ego libentius vti oxymelite:capio enim oxymel, & ipſum diſſoluo cum aqua hordei tepida,vel cum aqua pura tepida,& infundo in uulnus ſupra grumos, aliquando extraho grumos forcipe,ut dixi,uel alio ſimili organo.

Ablatio pilorum.

Si autem in uulnere ſint pili,vel puluis,priuſquam uulnus conſuatis,infundatis aquam, & illa extrahatis, aliter nunquam poterit agglutinari: idem dico de alijs huiuſmodi rebus pręter naturam exiſtentibus. Notate tamen unum,quod mihi uiſum eſt ueluti miraculum, & eſt, quod Puer quidam in hac Vrbe tertio ab hinc anno recepit uulnus in tempore ſiniſtro ex lapide,cui hærebat plurimum calcis: & lapis,ſeu cementum illud comminutum eſt in plura fruſta, quorum multa in vulnere retenta ſunt, & aliquot ex ipſis ego extraxi; aliquot verò non potui: & quamuis dubitarem, quòd vulnus non conglutinaretur, tamen nolui omni ingenio tentare illorum extractionem, ratus, quòd natura ipſa expelleret; attamen contrarium euenit, quoniam vulnus conglutinatum eſt cum illis lapillis, non ſecus, ac ſi lapilli illi calcis inibi nati eſſent, & adhuc etiam in ea parte ſunt, & quiſque appoſita manu poteſt lapillos illos perſentire. Rariſſimè tamen hæc accidunt, accidit tamen interdum: Et ideo non amplius miror ſigna illa, quæ à balneatoribus fiunt in particulis corporis caligine tincta,quæ perpetuò durant,cum caligo illa concoaleſcat cuti.

Exemplũ rarum in puero.

Cæterùm ea,quæ dicta ſunt,facilè extrahuntur:at ſunt quędam alia educenda, in quibus opus eſt maxima diligentia:& antequam deueniatis ad talem actionem,ideſt,ad extractionem,oportet diligenter conſiderare,an poſſint extrahi nec ne:& ſi poſſit,an conferat,& tutum ſit:nam aliquando accidit,vt ſi extrahantur,maximum immineat in extractione periculum:& ſi fuerint extracta,nulla amplius ſit ſpes ſalutis,vt uerbigratia,ſi in corde,uel in uena magna retenta ſit ſagitta, uel ſpiculi pars aliqua, ſtatim extracta ſuccedit mors: ſæpe etiã accidit,ut ſagitta aliqua parua circa dorſum alte condatur, aut in aliqua alia parte corporis profundiori ſine aliquo ſymptomate: tunc uidetur, quòd non ſit extrahenda, & æger ſanatur.

Quæ non ſunt extrahenda.

Albucaſis ad confirmationem iſtius lib.ſecundo cap.94. quatuor enumerat, quibus nõ extractæ ſunt ſagittæ, & uixerũt,& in uno ex ijs erat circa dorſum,& poſt ſeptem annos exiuit in radice coxę: Ego pariter extraxi poſt quintum annum glandem plumbeam ex medio fæmore cuiuſdam,quam non potuerunt ex uulnere inguinis educere medici,cum à ſanguinis fluxione fuerint impediti: In alio eduxi ex thorace laminam ferream ſatis inſignẽ, quæ ibi in cauitate hærebat per ſpatium nouem annorum: In duobus,aut tribus alijs poſt tertiũ, & quartum annum hamos loricarum extraxi, qui fuerant relicti poſt extractionem glãdis plumbeæ: Et ideo ſunt aliqua uulnera,in quibus nullo modo manus eſt ponẽda,ut fuit ſententia Galeni tertio meth.cap.primo. Aliqua etiam ſunt,ex quibus ſi extrahatis aliquid,nõ ſuccedit mors illo extracto,ſed imminet maximum periculum. In his itaque oportet ſummo iudicio uidere,& conſiderare,an, quod in uulnere continetur, ſit illius generis, ut inibi relictum inducat mortem,uel aliquod maius malum,quàm ſit uulnus: ſunt enim aliquot, quæ,licet in uulnere relinquantur, non inducunt mortem; ſed ſi uelimus ipſa extrahere imminet maximum periculum, quales ſunt aliquando glandes plumbeæ (plures enim reperiuntur,ut dictũ eſt,qui multos annos geſtarunt tales glãdes) fruſtula pugionũ,& ſimilia, quæ poſtea deſcenderunt tandem in partẽ aliquam,ex qua fuit tutũ,& facilè ipſa extrahere, quod nõ fuiſſet,ſi principio ex uulnere aliquis tentaſſet ipſorũ extractionem. Superioribus annis curaui hic Patauij mulierẽ, cui ob opprobriũ proiecta fuerat in faciẽ phiala ſtercoris plena,& ei remãſit in oculo fruſtulũ vitri magnitudinis ferè illius nummi,quẽ vulgo vocamus quatrinum,& conſolidato vulnere relictum eſt in oculo vitrum,quod non potui tutò extrahere,& nulla alia noxa inſecuta eſt,præterquam,quòd mulier illo oculo conſpiciebat, & conſpicit adhuc,quia viuit, omnia duplo maiora, quàm eſſent: & rationem credo eſſe, quia in illo vitro reduplicatur lumen.

Qui vixerint non extractis ſagittis.

Quotieſcunque igitur in vulnere erunt infixa corpora, quæ indicent ſui extractionem, antequam deueniatis ad extractionem,debetis obſeruare,an ſtatim facta extractione,ſucceſſura ſit ſanitas,vel mors: quòd ſi mors,vt ſolet accidere in corde,& vena magna,in ſubſtantia cerebri, hepatis, ac ſimilibus, illud corpus non eſt extrahendum, quoniam peracto opere,perficietur & uita: ideo uos ipſos, & artem redderetis infamem: Sed ſi non ſit ſecutura mors,& iudicetur neceſſariam eſſe extractionem,conſiderandum eſt quo modo, & quo inſtrumento illud extrahi poſſit: Duplex autem medium proponitur, quorum alterum eſt manus chirurgi, & organum quodque, quo chirurgus utitur; alterum uerò eſt medicamentum. hæc ſunt duo inſtrumenta,ſeu media,quibus poſſumus & ſpicula,& glandes plumbeas,& ſagittas,& ſpinas,& arundinum fruſta, & ſquammas,& id genus reliqua ex uulneribus extrahere. Sed antequam hoc,uel illo inſtrumento

Duplex mediũ extrahẽdi infixa.

Manus,& organum.

utamini

utamini, conſiderandum vobis eſt, quodnam inſtrumentum ſit opportunius: & quod minus opportunum; nam alia ſunt corpora, quæ faciliùs, & meliùs extrahũtur manu ipſa; alia aliquo alio organo; alia medicamento. Si itaque videritis opus eſſe extractione ſubita, & celeri, & ſperetis, quòd extractio fiat facilè, & ſine maximo ſanguinis profluuio, aut deliquio animi, aut ſectione magna alicuius partis, vtendum eſt primo inſtrumento, ſcilicet manu ipſa, & organo, præſertim ſi timor adſit, quod ſuperuentura ſit inflammatio, ac ſimilia, quæ actionem impediant: tunc ſtatim manu agendum eſt; ſin minus, medicamento: at ſi æquè benè corpus aliquod poſſit extrahi vtroque medio, vtendum potius eſt medicamento, quàm manu, & organo, quoniam fieri non poteſt, quin à manu, & organo excitetur dolor, quod non fit à medicamento; & ſi fit, dolor paruus eſt.

Medicamenta quæ extrahunt infixa.

Dicamus igitur primo de medicamentis, quæ habent vim extrahendi corpora ex vulneribus, ſub quibus medicamentis continentur & illæ incantationes, quæ in vſu ſunt apud vulgares ad extrahenda ſpicula, ſpinas, & huiuſmodi, & acceptæ ſunt à quibuſdam chirurgis, vt à Theodorico libro primo, capite vigeſimoſecundo. Sed ego non credo his cantionibus, & ideo omitto ipſas, & venio ad medicamenta, quæ impoſita vulneri poſſunt hoc, vel illud corpus infixum educere: Horum medicamentorum triplex eſt genus, vt à Galeno habemus in quinto libro de ſimplicit. medicam. facultat. capite decimoſeptimo.

Triplex genus medicamentorũ extrahentium.

A tota ſubſtantia.

Secundo.

Ratione putredinis.

Medicamẽta propriè non attrahere.

Primum eſt, quod attrahit à tota ſubſtantia, ideſt à proprietate quadam occulta, & ſub hoc genere continentur pharmaca purgantia, quæ attrahunt hunc potius, quam illum humorem. Alterum genus medicamentorum attrahentium eſt, quod non à tota ſubſtantia attrahit, ſed ratione cuiuſdam facultatis, quam acquiſiuit propter putredinem: cuius facultatis ope attenuant, & aliquantulum calefaciunt: & ita propter attenuantes partes, & aliquam ob caliditatem adeptam ex putrefactione fermentationeve aliqua attrahunt hoc, vel illud vulneribus infixum. Sed notate quod quando dico medicamenta attrahere, non debetis intelligere, quod medicamenta ſint illa, quæ attrahunt: nam medicamenta non attrahunt (exceptis illis primi generis, quæ à tota ſubſtantia id agunt: nam illa verè, & propriè attrahunt) ſed adiuuant naturam expellentem corpus illud infixum: adiuuant autem hæc medicamenta ſecundi generis naturam hoc modo: quia cum habeant in ſe partes tenues, & calidas aliquas acquiſitas ex putredine, diſſoluunt, ſecantque humidum illud glutinoſum, quod eſt inter corpus infixum, & partes uulneris; & uiuificant etiam calorem partium uulneris: quo fit, ut natura facilius expellat. Itaque medicamenta hæc impropriè dicuntur attrahere, quatenus naturam expellentem adiuuant.

Secundum genus medicamentorum extrahentium.

Secundum ergo genus attrahentium medicamentorum eſt, quod per putrefactionem acquiſiuit partes attenuantes, ac feruorem aliquem, & ſub hoc genere ſunt omnia hæc: viſcum quercinum, & cuiuſcumque alterius generis; fermentum, ſtercus columbinum calefactum in maſſa, & ſi tale non habeatur, accipiatis ipſum, ponatiſque ad Solem, vel ad ignem, & ſtatim incaleſcet, putrefiet, atque attenuabitur: ſed validius eſt illud, quod in maſſa putruit. his addatis triticum fortiter comeſtum, & in ore conſeruatum per aliquod tempus, vt per quartam partem horæ, vel per dimidiam horam, & hoc modo calidum, & commanſum imponendum eſt vulneri: nam per illam maſticationem acquiſiuit partes tenues, & caliditatem.

Tertiũ genus.

Tertium genus continet ſub ſe illa, quæ calefaciunt, ſuntque tenuiſſimarum partium: non credatis tamen, quod ſint ſicciſſima; ſed habent quidem caliditatem, at non vehementem, ſed vaporoſam, & partes habẽt tenuiſſimas; debent itaque medicamẽta huius tertij generis calefacere, ſed non exurere, habereque partes tenuiſſimas, & dum calefaciunt, debent contrahere ſpiritum, & vaporem, & ſub hoc genere continẽtur omnia hæc: propolis, & eſt compoſitum quoddam ex melle, & cera: mel etiam crudum habet vim extrahẽdi, quia eſt vaporoſum, habetque partes tenues, & aliquantulum calefacit: radix arundinum: cæpa narciſſi cruda: cæpa noſtra communis cocta; gummi elemi; pix naualis humida: nã habet plures partes tenues, licet & viſcidas habeat: reſina pini, ſed non ea, quæ colligitur in ſtrobilis. i. in nucibus illis pineis, at quę colligitur in cortice pini: radix xyridis: radix gladioli, quæ magnam habet vim extrahendi, ita vt ego viderim mira, nam habet partes tenuiſſimas, licet dulcis videatur: lac tithymali: ariſtolochia rotunda: Sed hæc omnia ſuperat dictamnus Creticus, & pſeudo dictamni radix, & eſt herba illa, quam nos dictamum vocamus, cuius plantæ radix eſt etiam præſtantiſſima ad extrahendum. Atqui nullum dictorum eſt conferendũ in extrahendo cum gummi elemi, cum aſſa fœtida, ſagapeno, & ammoniaco.

Radix gladioli.

Sub eodem hoc genere ſunt lacertarum capita ex Galeno in decimo de facul. ſimp. quæ ego non ſum expertus: & anagallis vtraque. Sed notate vnum de quo ego miratus ſum, & eſt, quod Paulus libro quarto, cap. quinquageſimoſecundo, dicit, quòd altercum habet ma-

gnam vim attrahendi: Galenus autem in tertio methodi, capit. octauo, ait, quòd eſt inimicum vulneribus, atque vlceribus, quia frigidum eſt. vnde non poſſum ego approbare ſententiam Pauli, etiam ſi non ſim expertus alterum, tamen ſcio, quod eſt frigidum: Chymiſtæ proponunt vnum medicamentum miraculoſum ad extrahendum, & eſt lunaria herba vocata, quam ipſi vulgo vocant sferra cauallo, eò, quòd extrahat ferra ex pedibus equorũ: tanta eſt ipſius vis in attrahendo: & vt talem herbam habeant, dicunt ſe obſeruare, vbi picus auis perforet arborem, & formet ſuum nidum, deinde accipiunt laminam ferream, quam aptant foramini, & clauis affigunt illi arbori, clauduntque foramen, ne auis poſſit ingredi: auis illa rediens & acta cupiditate naturali ingrediendi, habens notitiam illius herbæ aduolat in montes altiſſimos, vbi talis herba ſolet naſci, & ipſa accepta, redit ad arborem, vbi fecerat ſuum nidum, & herbam admouet clauis, & ſic claui illi vi herbæ extrahuntur: foramine aperto, relinquit herbam, quam iſti Chymiſtæ poſtea colligunt. Sed fabuloſa hæc ſunt, & ridicula. Hæc itaque ſunt ſimplicia medicamenta, quæ habent vim extrahendi: ſunt etiam alia plura; ego tamen propoſui potiora, & quæ aliquando ſum expertus. Sed habemus & compoſita, quorum aliqua vobis proponam, & inter ipſa eſt hoc, quo ego vtor frequenter:

Lunaria chymiſtarũ

Compoſita extrahẽtia

Rec. propoleos,
pulueris radicis ariſtolochiæ rotundæ
ſagapeni ana ʒ j. s.
fermenti
ſtercoris columbini ana ℥ j.
narciſi cæpam vnam coctam, vel crudam
olei liliorum alborum
picis naualis humidæ ana ℥ j.
mellis crudi. q. s.

Miſcentur omnia optimè, & contunduntur in mortario, & fit emplaſtrum, quod admouetur vulneri: & cum incipit exiccari, remouetur, & additur recens. Aliud ſoleo conficere medicamentum hoc modo.

Rec dictamni Cretenſis, vel noſtratis
ſagapeni
aſſæ fætidæ
gummi elemi ana ʒ j.
uiſci quercini ℥ s
reſinæ pini. ʒ j. s.
ſulphuris ℈ s.
euphorbij gr. v.
bituminis liquidi. ℥ s.
olei antiquiſſimi
mellis crudi. ana q. s.

Miſce in mortario, poſtea calefiat, & applicetur uulneri. Omitto elixir magnum illud, quo ego uſus aliquando ſum cum maximo ſucceſſu, omitto inquam ob magnitudinem. Guido in antidotario apoſtematum laudat unum medicamentum, ipſumque deſcribit ex Andromacho, & deſcribitur etiam ab Auicenna in quinto canonis, & uocatur emplaſtrũ Andromachi, quo uti etiam poteritis, ſicut & illo, quod deſcribitur ab Aetio in lib. 15. cap. 14. & uocatur eſſentia ζωία. Habemus & aliud uocatum Mellinum Serapionis. Aliud etiã, quod nuncupatur emplaſtrum Venus, uel Veneris: & omnia hæc opportuna ſunt, de quib. Aetius loco dicto. Verùm nullũ reperiri poteſt præſtantius medicamento illo, quod à Græcis uocatur diadictamnum. i. ex dictamno, quod uocatur etiam Sacrum Emplaſtrũ; & fuit admodum celebre apud Antiquiores, & iuxta Memphi, in templo Vulcani ſcriptum eſt repertum, & deinde ſeruabatur deſcriptum in templo Iſidis. Vnde non mirum ſi tunc artes, & medici proficiebant, & creſcebant, quoniam omnia erant communia, & ab eo templo magna cum ueneratione accipiebant deſcriptionem illam. medicamentum hoc, eſt ab omnibus probatum, ut ab Hera, ab Aſclepiade, à Democrito, & deſcribitur à Galeno ex mente Antiquorum in quinto de compoſitio. medicam. per genera, cap. ſecundo, quarto, & decimo, & à Paulo libro ſeptimo, & ab Aetio libro decimooctauo; cap. decimotertio, & ut à Galeno ipſo deſcribitur tribus in locis, ita tres fuere modi deſcribendi ipſum ſecundum Antiquos. Hoc medicamento utor ego libentiſſimè diſſoluto uel cum reſina, uel alia ſimi-

Emplaſtrũ Andromachi.

Diadictã-num.

li

Digitized by Google

lire: & utor præcipuè in uulneribus, in quibus eſt dolor: & quamuis tres ipſius habeantur deſcriptiones, tamen, cum uolo ipſum parare, accipio deſcriptionem traditam à Galeno ex mente Damocrati, quæ mihi magis placet, & eſt talis.

Rec. lithargyrij ʒ 200.
oleı ueteris ℥ iij.
ceræ Ponticæ ʒ 40.
reſinæ terebinthinæ ʒ 100.
æruginis æris
aloes
æris uſti
diphryges electi ana ʒ xvj s.
galbani ʒ xxiiij.
mannæ thuris ʒ 24
ammoniaci ʒ 50.
propolis ʒ 26.
ariſtolochiæ longæ
gentianæ ſiccæ ana ʒ xx.
dictamni Cretenſis cum folijs, & floribus ſiccis ʒ xx.

Capitur oleum, & lithargyrium, & coquitur, interimque agitatur, donec redactum fuerit ad conſiſtentiam mellis liquidi, deinde addito ære vſto, & diphryge, iterum coquitur, donec fiat amolynton, ideſt, donec acquiſiuerit conſiſtentiam talem, vt digitos non inquinet: poſtea additur propolis, manna thuris, aloes, galbanum, ammoniacum, & viſcum, & iterũ coquitur quouſque fuerit optimè coctum: vltimò, quando vultis extrahere medicamentũ ab igne, addatis alia medicamenta, quæ ſuperſunt in puluerem tenuiſſimum redacta, & miſceatis, donec medicamentum fiat craſſum, poſtea manibus madefactis aqua formentur trochiſci, ſeu magdaleones, quibus ſeruatis utimur, quando opus fuerit, ad extrahenda ſpicula, ſquammas, & ſimilia, & præſtantiſſimum eſt medicamentum.

Sed circa huius medicamenti deſcriptionem eſt primò obſeruãdum, quod licet Damocrates accipiat tres uncias tantùm olei; tamen oportet, ut uos, ſi uelitis medicamentũ conficere hyemali tempore, accipiatis libram unam cum dimidia; ſi autem æſtate ipſum uelitis parare, ſat erit accipere unam libram tantùm. Præterea ſi æſtate paretis medicamentum, accipiatis picem colophoniam; ſi uerò hyeme, loco ipſius utamini reſina terebintina, uti habetur in deſcriptione: nam ſi æſtate acciperetis reſinam terebinthinam, medicamentũ eſſet nimis liquidum. Notandum quoq; eſt, ꝙ iſti loco æris vſti accipiũt ferretum Hiſpanicum vocatum medicamentum, & optimum eſt. Sed loco diphrygis, cum deſideretur, ſolent iſti vti excremento quodam metallico, quod nullo modo placet: ideo loco diphrygis veri vtamini diphryge arte facto, & eſt præſtans medicamentum. Conficitur autem ex lapide pyrite exuſto ſub Sole, & macerato aqua: Propolim ſeu ceram virginem, ſi vellent pharmacopolę, haberent procul dubio, quia non eſt difficile ipſam habere; at ſi non haberetur, non deſiſtatis ob id medicamentum parare, & loco ipſius vtamini cera alba communi.

Placet quoq; non parum emplaſtrum ſacrum ſecundum deſcriptionem Herę, aut Aſclepiadis, quæ talis eſt.

Rec. olei veteris lib. j. ſi hyems ſit lib. j. s
lithargyrij lib. j
colophoniæ lib. s.
ceræ ℥ iij.
Ammoniaci, ariſtolochiæ rot. } an. ℥ ij
mannæ thuris, Galbani } an. ℥ j s.
æruginis æris, dictamni, ęris vſti, aloes, propolis } an. ℥ j.
diphrygis, ſquammæ æris, gentianę } an. ʒ vj

Coquitur primum lithargyrium,& oleum,donec fiat amolynton,deinde remouetur ab igne,& additur ſquamma,& ærugo,& coquitur donec pariter non inquinet. Tertio aufertur ab igne,& additur reſina,& ammoniacum cribratum, & permittitur, vt refrigeſcat aliquantulum,mox cera additur,& coquitur donec non inquinet. Quarto aufertur ab igne, & reliqua inſperguntur.ſed primò propolis, ſecundo aloes, manna,dictamnũ,ariſtolochia, gentiana,galbanumque:& ſi non inquinet,reponitur:ſin minus,leuiter coquitur. Sed nota te ꝙ in noſtra cõpoſitione non addendũ eſt æs vſtũ,neq; diphryges ob adſtringẽtẽ facultatẽ.

Loco emplaſtri ſacri poteritis vti medicamento illo,quod diabotanon vocatur,quia habet eaſdem vires,& deſcribitur à Galeno libro ſexto,de compoſitio.medic.per genera,cap. 2.Sed accipiatis illud,quod primo in loco deſcribitur:nam ſecũdum non eſt opportunum.

Medicamentũ ex euphorbio.

Ad eundem etiam vſum conuenit medicamentum ex euphorbio, de quo Galenus in tertio de compoſitio.medic.per genera capite quarto. Hæc ſunt medicamenta tum ſimplicia, tum compoſita, quibus extrahuntur ſpicula, & ſimilia vulneribus infixa; conſiderato tamen prius,quid ſucceſſurum ſit,vti ſupra dictum eſt: & hæc de primo inſtrumento, quo fit talis extractio.

Alterũ inſtrumentũ manus, & organum.

Quinque capita obſeruãda in huiuſmodi abſtractione.

Secundum caput.

Tertium caput.

Quartum caput.

Quintum caput.

Iam loquamur de altero,quod & chirurgi manum,& organa varia ſub ſe continet,quibus & ſpicula,& variæ res toto genere præternaturam in vulneribus infixæ, & exiſtentes extrahuntur.in qua extractione,quæ manu organove aliquo fit,quinque capita ſunt obſeruãda,& primum eſt, an expediat ſtatim cruento adhuc vulnere extrahere ſpiculum, telumve illud;an potius extractio ſit facienda poſt coctionem,& putrefactionem aliquam vulneris: ita vt putreſcat prius caro,& abſcedat,'deſinatque inflammatio: ſunt enim quædam vulnera,è quibus ſi velitis ſtatim infixum telum extrahere,maximus excitatur dolor,& inflãmatio,& difficile etiam fit talis extractio, al qua verò ſunt,ex quibus facilius extrahitur telum infixum,quando vulnus eſt aliqualiter concoctum,& putrefactum,quoniam partes vulneris ſunt laxiores redditæ. Alterum caput obſeruandum eſt via,per quam educitur telũ,quoniam quandoque extrahendum eſt per ipſum vulnus;quandoque verò per partem oppoſitam,quæ ſana eſt:& ſic obſeruandum eſt,per quam viam,vel partem extrahendum ſit telũ, vt an antè,vel retrò,vel per partem ſuperiorem,vel inferiorem,vel per lateralem. Tertium caput obſeruandum eſt, an telum extrahendum comminuendum ſit , antequam extrahatur,an flectendum,vel integrum,& tale,quale in vulnere continetur,ſit educendum. Quartum caput continet modum extractionis,'an.ſ.telum ſit educendum recta , an obliquè ,'an circumuertendo,& ad hoc caput pertinet'ſitus ægri,an.ſ.æger debeat in hoc,illove ſitu manere , dum telum extrahitur. Quintum & vltimum continet organa,quibus videlicet organis ſit hoc,vel illud extrahendum:neque enim omnia in vulnere contenta,& infixa,ſunt vno,atque eodem organo extrahenda. Hæc ſunt capita'diligentiſſimè obſeruanda circa extractionem faciendam manu,vel organo,in quibus doctus , ac prouidus requiritur chirurgus,vt rectè omnia agat.

Quõ cognoſcitur quo inſtrumẽto ſit extrahendum.

Sed quo modo,dicetis,cognoſcemus nos quando extractio ſit facienda , quibuſcum, & quomodo? Reſpõdeo quòd quatuor ſunt illa,quæ hoc vobis indicabunt,& primum eſt cognitio naturæ ſpiculi,vel teli in vulnere contenti,& fixi, qualis.ſ.ſit figura teli, magnitudo, craſſities,conformatio,& numerus. Secundum eſt quantitas penetrationis ipſius vulneris, quouſque.ſ.vulnus perueniat,an vſque ad aliquem neruum, vel vas aliquod magnum, vel vſque ad partem aliquam nobilem. Tertium eſt cognitio anatomica, i.notitia omniũ partium,quæ vulneri adhærent,vt particulæ ipſæ à tergo inciſæ,& à tergo relictæ;quæ ante ſtẽt quæ à lateribus,quæ infixum telum ſeruent, ac ſimilia: niſi enim cognoueritis omnes illas partes,quæ vulneri hærent, & ipſum ambiunt, profectò non poteritis ſcire an tutum ſit telum extrahere per vulnus,an per partem poſteriorem,vel per aliam . Quartum, quod facit ad indicationem eligendorum in illis quinq; capitibus,continet omnia ſymptomata, quæ adſunt,& quæ inter extrahendum telum inſequi poſſunt, ut obſeruandum eſt , an adſit uel ſuperuentura ſit inflammatio,an dolor ſummus, unde ſyncope, & conuulſio ſit expectanda , an magna ſanguinis fluxio , an uenenata qualitas , & ſimilia , quę ſi adſint, non eſt immorandum , ſed ſtatìm extrahendum eſt telum . His ita poſitis, loquamur de primo capite .

Quod pertinet ad primũ caput. De extractione rei infuſa.

Si ſit uulnus in parte aliqua , & habeat infixam glandem plumbeam , uel ſagittam , uel quid ſimile,& uulnus ſit de illis,quæ glutinari poſſunt,ſed non poſſit fieri agglutinatio, niſi corpus illud infixum educatur,quid agendum?

Num ſubito fieri debeat extractio.

Ioannes de Vigo in compendioſa practica libro primo, capite nono, inquit, quòd ſtatim cum aduocamur, debemus tentare extractionem corporis illius : & ratio eſt , inquit , quia nulla eſt proportio inter partes uulneris , & telum illud , & ideo non poteri tullo modo fieri, quin excitetur uel inflammatio, uel dolor maximus, & tandem conuulſio aliqua.hæc eſt opinio Ioannis,& quorundam etiam aliorum . Auicenna autem , &

Albucaſis uolunt, ut extractio non fiat ita ſubitò, ſed differatur, donec concoquatur aliqualiter uulnus, & putreſcat, & uulneris partes aliquo modo abſcedant: nam ſi ſubitò fieret extractio, partes circumpoſitæ inflammarentur. Eiuſdem ſententiæ eſt Guido, & multi alij; ꝙ ſi ſalubriter non poſſit fieri extractio, dimittamus. Ego autem dico, quod ſi obſeruentur illa quinque capita ſupradicta, facilè eſt ſcire, an ſubito vel tardè facienda ſit extractio. Itaque dico, ꝙ ſi adſint ſymptomata, vt dolor maximus, ſicuti ſæpius adeſſe ſolet (rariſſimè enim accidit, ut in uulnere, in quò fixũ eſt aliquod telum, non ſit intenſus dolor) ſubito eſt facienda extractio, & tantò etiam magis, ſi adſit uenenata qualitas, ſiue adſit inflamatio, ſiue non; uel ſecãdus ſit neruus per tranſuerſum, aut vas aliquod, uel non; & denique etiam ſi membrũ eſſet reddendũ mutilũ, tamen ſubitò extrahendum eſt telũ. Verùm animaduertatis, ꝙ ſi adſit venenoſa qualitas, dilatandum eſt uulnus, & ſecandæ ſunt partes illæ cũ inſtrumento candenti, tùm vt ſuperetur ab igne qualitas venenoſa, tum etiam, vt ſiſtatur ſanguinis fluxus; Sed ſi non adfuerit venenum, ſat eſt vti ferro frigido. Si pariter telum eſſet infixum in principio muſculorum, & periculum eſſet, ne deſcenderet in cauitates muſculi, ſtatim eſt facienda teli extractio; Contrà autem, ſi telum ſit latum, & non timeatis deſcenſum ipſius in cauitates muſculi, non adſit dolor, non inflammatio, non magna ſanguinis fluxio, tunc protrahenda eſt extractio, vt ait Auic. & alij etiam cum ipſo, & incumbendum eſt illi rei, quæ magis vrget: ſimiliter ſi telum in profundo hæſerit, & vulnus ob maximũ tumorem clauſum ſit, & timeamus venam, arteriamque, atque neruum magnum in dilatatione. Si non adſit inſtrumentum opportunum, ſemper producenda eſt actio in opportunam occaſionẽ: Contrà verò ſi dolor ſit intolerabilis, vel ſciamus, quod telum ſit venenatum, nunquam eſt immorandum. Itaque quæſtioni illi an ſtatim, vel poſt aliquod tempus telum infixũ vulneri ſit extrahendum, non poſſumus ſubito reſpondere, ſed oportet prius conſiderare illa capita ſupradicta: memores tamen eſtote ſemper, ꝙ in diebus criticis nunquam eſt facienda extractio. & hæc de primo capite. Alterum caput continebat viam, qua extrahendũ ſit telũ, ꝙ caput difficillimum eſt: & videbitis multos ambigentes in extractione præcipuè glandium plumbearum, & ſagittarum; tamen communis ratio Auicennæ, Albucaſis, & Celſi lib. 7. c. 5. eſt ꝙ vt plurimum extractio teli debet fieri per vulnus. i. per viam, quam ſibi fecit, quia ſi per partem ſanam extrahatur, ſuccedet nouus morbus, inflammatio, & maior dolor: & tũc præcipuè per vulnus facienda eſt extractio, quando telum parum hæſerit, & quando in parte oppoſita, & ſana eſt aliquod, quod maxime impediat extractionem vt os, vel neruus, vel vena, vel arteria aliqua magna, vel caput muſculi, aut chorda, ſine cuius ſectione, aut læſione telum non poſſit extrahi, tunc indicatur teli extractionem eſſe faciendam per partẽ vulneratam. Contrà autem ſi extractio tutior, & facilior poſſet fieri per partem oppoſitam ſanam non eſſet facienda per vulnus vt verbi gratia, ſi telum eſſet infixum in parte aliqua, & contineretur in partis oppoſitæ confinio. & ferè ſub cute, tunc cum telum ſit ferè ſub cute lateris oppoſiti, & valde remotum ab orificio vulneris, indicaretur non eſſe extrahendũ per vulnus, ſed per partem illam ſanam. Sed ſi in parte illa ſana, & cutanea eſſet vena magna, vel arteria, vel chorda, vel neruus, vel caput muſculi, tunc extractio eſſet potius facienda per vulnus, q̃ per partem illam cutaneam; at ſi in parte oppoſita, & ſana fractũ iam ſit os a teſo, vel ſecta vena, aliave pars eiuſmodi, tunc telum eſt potius educendum per partem vulneri oppoſitam, ac ſanam, & maximè, ſi in parte vulnerata, in eo. ſ. latere, vbi eſt vulnus, ſit inflãmatio, & labia vulneris iam intumuerint adeo, vt anguſtum redditum ſit vulnus. Atqui notate, quòd natura teli eſt illa, quæ præcipuè indicat locum, per quem ſit extrahendum: ſunt enim quædam tela, quæ ſuapte natura abhorrent extractionẽ per partem anteriorem. i. per vulnus quædam è contra facilius educuntur per vulnus, quales ſunt glandes plumbeæ, quæ niſi penetrarint vſque ad cutim oppoſitam, ſemper facilius extrahuntur per vulnus; Cõtrà autem ſagittæ barbulatæ, quæ notæ etiam fuerunt Antiquis, vt patet ex Paulo in ſexto libro & ſi qua tela ſunt, quæ remaneant in vulneribus, profectò ſunt ſagittæ & glandes plumbeę: remanent & alia corpora, vt vitrum, & ſimilia.

Opinio propria.

Quod ad ſecundũ caput.

Sed vt plurimum ſagittæ, & glandes plumbeæ, & ideo in ipſis extrahendis oportet Medicos eſſe admodum diligentes: de his igitur dicamus, & præcipuè de ſagittis, quarũ aliæ ſunt bifurcatæ in ſummo, & anguſtæ in parte poſteriori, & hæ ſi infixæ ſint, non poſſunt per vulnus extrahi, ſed per partem oppoſitam; triangulæ autem, & quadratæ ſagittæ poſſunt per vtramque partem extrahi, at bifurcatæ ſagittæ ſunt duum generum, quædam. n. habent alas illas, quę ſunt veluti barbæ per ginglymon coniũctas, ait Paulus, quoniam ſunt mobiles, & hæ difficilius extrahuntur ijs, quarum alæ ſunt immobiles, quia dum infiguntur, alæ illę cõprimuntur: vnde fit, vt anguſtum faciant vulnus: & ideo ægrè euellũtur: aliæ aũt ſunt quarũ alæ nec comprimuntur, nec dilatantur; ſed immobiles prorſus manent, & hæ cum efficiant vulnus magis latũ, facilius extrahuntur: & hinc diſcatis quantum faciat cognitio naturę teli. Obſeruandum præterea circa ſagittas eſt an ſagitta infixa ſit de illis, quæ facilè ſeparantur

De ſagittis

à ſuo ligno: ſunt enim quædam, quæ habent paruum, nec valde profundum foramen, in quod inſeritur lignum, & glutine tantum firmatur, nec poſſunt à ligno auelli, niſi humiditas, & calor vaporoſus liqueſecerit gluten illud, & huiuſmodi ſagittis vtuntur Turcæ: & hæ cum infixę ſunt, ſeparantur à ſuo ligno ratione caloris vaporoſi humani corporis; cumque habeant breuem caudam facilius extrahuntur per partem oppoſitam, quàm per vulnus: illæ autem, quæ habent, dum ſunt in corpore, ſeu parte vulnerata, inſertum lignum, poſſunt per vtramque partem educi. Inſuper circa ſagittas obſeruandum, quòd aliæ habent caudam, & meatum, in quem inſeritur lignum, & non glutine, ſed clauiculo firmantur cum ligno inſerto; aliæ verò carent cauda, & foramine, ſed habent ſpiculum quoddam, quod figitur in lignum, & hæ, quæ habent caudam, extrahendæ ſunt per vulnus, quia poſſunt arripi; illæ verò, quæ cauda carent, ſed habent ſpiculum, educendæ ſunt per partem oppoſitam.

De tertio capite. Tertium caput erat, an tela eſſent integra extrahenda, vel comminuenda. Dico igitur, quod omnia corpora infixa, exceptis ſagittis, & glandibus plumbeis, ſunt integra extrahenda: nam ſi, dum ipſa extrahimus, vellemus frangere in multa fruſta, difficilè poſtea eſſet, omnia illa fruſtula extrahere, & ſi accidat, vt vnum tantùm, quantum vis minimum, in vulnere relinquatur, excitabit magnum dolorem. Sagittæ autem barbulatæ incidendæ ſunt, vel frangendæ, vel flectendæ: Idem dico de glandibus, quæ ſi aliquando penetrarint vſque ad os, & hæreant, reſtringitur vulnus: & ideo oportet glandem ipſam inſtrumento accommodato arripere, & comprimere ipſam, vt facilius educatur.

Verùm hoc nihil eſſet, niſi cognoueritis etiam modum, quo tela ipſa ſint extrahenda, *Quartũ caput de modo extrahendi.* & erat quartum caput: modus autem non poteſt ex hoc loco doceri, ſed in praxi. Sciatis tamen, quod æger debet eodem modo collocari, quo erat, & manebat, quando recepit vulnus, niſi enim in eodem ſitu maneret, vel nunquam, vel difficilè poteritis telum extrahere. præterea dum vos tentatis extractionem, debet æger immobilis penitus manere: nam ſæpè ſecanda eſt vel caro, vel vena, vel alia eiuſmodi pars; & ideo magnum imminet periculum, ſi æger moueatur. ne igitur quid mali contingat, & facilè, ac cito poſſit telum educi, ligetur æger, vel detineatur ita, vt ne quidquam moueatur.

Nec ſat eſt cognouiſſe modum, quo facienda eſt teli extractio, ſed oportet etiam cognoſcere organa quibus tela extrahuntur, quæ organa varia ſunt, ac multiplicia, & erat vltimum caput obſeruandum ex ijs, quæ ſupra propoſuimus, & quamuis organa multi- *Quintũ caput; de organis.* plicia ſint, ac varia, tamen omnia debet cognouiſſe, & habere chirurgus ille, qui vult ſequi exercitum, vel claſſem maritimam: illis autem chirurgis, qui in Ciuitatibus manent, non ſunt neceſſaria tot inſtrumenta: Sed enumeremus ipſa, & primo in loco ſunt *Hami.* hami quidam, quorum alij ſunt ſimplices, alij retuſi, & eorum vſus eſt in extrahendis telis, vt arripiamus neruum, vel venam, ne interim dum extrahitur telum vulneretur, vel contundatur, & impediat eductionem teli.

Fiſtula. Secundo in loco ſunt fiſtulæ æneæ, vel argenteæ, vel ex alia materia, & ſunt fiſtulæ per longum diſſectæ, quibus vtuntur in extrahendis ſagittis barbulatis: aptant enim vnam partem fiſtulæ in parte, ſeu latere dextro vulneris, alteram in ſiniſtro, ita vt dimidiam fiſtulam iniiciant in vnum latus vulneris, alteram verò dimidiam in alterum latus, mox arrepta ſagitta trahitur, & educitur inter vtramque fiſtulæ partem, quarum partium fiſtulæ ratione non poteſt ſagitta ſuis alis vulnerare latera vulneris.

Ypſiloides. Tertium inſtrumentum eſt, quod à Cornelio Celſo vocatur ypſiloides eò, quod habeat figuram ſimilem literæ Græcæ maiuſculæ, quæ ypſilon vocatur, & eſt forceps quidam, quo vtuntur ad dilatanda vulnera: nam ita factus eſt, vt quando comprimitur manubrium dilatetur forceps; & ideo iniicitur in vulnus, dilatato, & expanſo exiſtente manubrio: & cum forceps inſertus eſt in vulnus, comprimitur manubrium, ex qua compreſſione dilatatur forceps, & vulnus ſimul.

Scalptoria Quarto in loco ſunt ſculptoria vocata organa, quibus vtimur, quando telum eſt fixum in oſſe, & non poteſt extrahi, niſi ſcalpatur os ipſum incidaturve.

Quinto loco eſt nouacula ingeminata, eſtque organum inuentum à Recentioribus, *Nouacula ingeminata.* & quidem tale: eſt fiſtula in medio ſui ſciſſa, & in medio latitant duo gladioli: iniicitur autem fiſtula in uulnus, deinde comprimitur manubrium, qua compreſſione fit, ut exerantur gladioli illi; & dum in hoc ſitu eſt, fiſtula cum gladiolis extrahitur, & ſic gladioli illi ſecant æqualiter, & dilatant uulnus: organum eſt certè tutiſſimum, & præſtantiſſimum.

Sextum eſt terebra intorta, quo inſtrumento utuntur in perforando oſſe; quo perforato, adigitur ferrum, uel quid ſimile, & propellitur telum foras per oppoſitam partem.

Septimum

Septimum eſt terebra inuerſa Guidonis,quo inſtrumento utimur in extrahendis ſagittis illis,quæ habent tubulum,ideſt,foramen,in quod inſeritur lignum,uel arundo:inijcitur inſtrumentum hoc in uulnus, & inſeritur in tubulum ſagittæ, mox inijcitur anima (ita uocatum organum) in terebram,quo fit,vt pars,quæ inſerta eſt in tubulum,dilatetur aliquantulum,& ſic validè arripiat ſagittam,qua arrepta educitur. *Terebra inuerſa.*

Octauum inſtrumentum eſt,quod vocatur impellēs, vel impulſorium concauum, quo impelluntur ſagittæ carentes tubulo: habet enim organum hoc foramen in ſumma parte, in quod recipitur cauda ſagittæ, mox recta via propellitur ſagitta in partem oppoſitam, & niſi in hoc inſtrumento adeſſet foramen in ſummo, in quo reciperetur ſagittæ cauda, ſciatis quòd ſagitta non poſſet recta propelli, ſed inclinaret modo in dextram partem, modò in ſiniſtram. *Impellens.*

Nonum eſt impulſorium ſurdum vocatum, quo vtuntur in propellendis ſagittis tubulum habentibus: inſeritur enim ſumma pars, & acuminata iſtius organi in tubulum ſagittæ,mox propellitur verſus partem oppoſitam. *Impulſoriū ſurdū.*

Decimum eſt forceps inciſorius, quo chirurgi vti conſueuere ad incidendas, & comminuendas ſagittarum alas,vel alia ſpicula. *Forceps inciſorius.*

Vndecimum eſt forceps coruinus Albucaſis,& quorundam Recentiorum. *Forceps coruinus.*

Duodecimum eſt forceps ſemilunaris Auicennæ, quod deſcribitur à Guidone ſub nomine forcipis Auicenniſtæ: & eſt veluti gemina fiſtula diſſecta: & hoc inſtrumento vtimur ad extrahendas ſagittas alatas: nam vna parte fiſtulæ arripimus vnam alam, & altera alteram,mox trahentes ſagittam educimus. *Forceps ſemilunaris.*

Decimumtertium inſtrumentum eſt forceps anſerinus uocatus eò, quod ſit ſimilis roſtro anſeris: habet enim extremas partes latiores, & exaſperatas in interna facie: & hoc inſtrumento vtuntur ad extrahendos globulos plumbeos. *Forceps anſerinus.*

Decimumquartum eſt organum nuncupatum Alfonſinum eò, quòd Inuentum fuerit ab Alfonſo chirurgo Neapolitano, quod organum aliquando eſt bicuſpide, aliquando tricuſpide in ſumma ſcilicet ſui parte, & in medio organi eſt annulus, qui poteſt diduci ſurſum,ac deorſum;& cum trahitur ſurſum,comprimuntur,vniunturque tricuſpides; contrà verò, quando annulus retrahitur verſus manubrium, tricuſpides expanduntur: inſtrumentum hoc aptum eſt ad extrahendas glandes plumbeas. *Organum Alfonſinū.*

Decimumquintum eſt ſpatha anſerina vocata eò, quòd ſit veluti altera pars roſtri anſeris,eſtque veluti auriſcalpium,& inſeruit ad extrahendos globulos. *Spatha anſerina.*

Decimumſextum eſt ſpecillus annulatus, quo vtuntur ad extrahendos globulos, & annulos loricarum: inſtrumentum autem eſt ſpecillus,qui habet in ſumma partem annulum aliquantulum aſperum:vnde tempore vſus inijcitur ſpecillus,& ſenſim curamus,vt globulus concidat in annulum,mox extrahimus. *Specillus annulatus.*

Decimumſeptimum eſt cannula cum terebello, quo inſtrumento vtimur in extrahendis globulis, inijcientes primò fiſtulam, quam aptamus ſuperficiei orbiculi; deindè inſerimus terebellum in fiſtulam, idque figimus in glandem,mox ſenſim trahentes educimus fiſtulam cum terebello infixo in orbiculum: potuiſſet quidem ſufficere terebellum ſine fiſtula,tamen non ita commodè,nec ita tutò potuiſſemus orbiculum extrahere, quia globulus antequam infixus fuiſſet in terebello inclinaſſet modò in hanc,modò in illam partem, prçterea dum inſeritur terebellum, niſi adeſſet fiſtula, potuiſſet lædi pars aliqua vulneris, quoniam non potuiſſemus recta ipſum inijcere,& infigere in globulum. *Cannula cum terebello.*

Decimumoctauum eſt baliſta uocatum organum,quo vti ſolent, quādo telum infixum eſt in oſſe ita, vt nullo alio inſtrumēto extrahi poſſit: accidit enim aliquādo, vt tela ita tenaciter ſint in oſſe infixa, vt neque ex duobus hominibus validè trahentibus poſſit euelli, & ideo tunc arripiunt telum aliqua tenacula; deinde adacto vinculo iungunt fortiter tenaculam cum chorda baliſtæ: mox intendunt baliſtam, & ita illo ictu vehementi vel extrahitur telum,vel frangitur. *Baliſta.*

Vltimum eſt organum,quod fuit in vſu apud Antiquos,& vocatur Græcè γραφίσκος,ideſt, graphiſcus Diocleus,vel Dioclis:& dicitur graphiſcus eò, quòd in ſumma parte ſēdat quodam modo in acutiem ad ſimilitudinem calami ſcriptorij attemperati,& hoc inſtrumento vtimur ad extrahenda tela lata: habet autem organum hoc margines aliquantulum inuerſos, & in ſummo habet foramen: inijciunt itaque inſtrumentum in vulnus, & tentant, vt telum concidat ſupra ipſum organum, deinde leniter extrahunt: inſtrumentum hoc deſcribitur à Celſo lib. ſeptimo cap. quinto ſed locus ille, in quo deſcribitur eſt ſatis difficilis, & deprauatus,nam eo in loco expungenda ſunt omnia iſta verba *inſuper ibi & in parte inclinata, quę perforata eſt*. Tot & talia ſunt inſtrumenta ad extrahendos globulos, & tela ex vulneribus. Hæc pertinebant ad ſecundum caput curandorum vulnerum, iam ſuccedit tertium. *Graphiſcus*

Vulnus igitur cum purgatum, liberatumque fuerit ex rebus non naturalibus eo modo,

atque

Tertiũ caput curandorum. *Vnio partiũ ſolutarum.*

atque via vt ſupra diximus, indicatur vnio partium ſolutarũ,ac dehiſcentium : nam hæc,teſte Galeno in tertio meth. c.4. glutinationem pręcedit:hoc autem pręſtatur non à Natura, nec à medicamento,ſed à ſolo medico. Adducẽda itaque ſunt vulneris labra: in qua re duo ſunt obſeruanda,primum quidem eſt lenitas:alterum eſt æqualitas,hoc eſt,debet medicus, dum adducit labra,leniter id agere:ſecundò ęqualiter debet ipſa coniungere:lenitatem quidem ſeruabit,ſi ſenſim,ac blandè agat,non autem ruſticè comprimendo:debet præterea ex æquo trahere partes ſolutas,& dehiſcentes, non autem trahere magis partem ſuperiorem, quàm inferiorem,vel è contra;ſed debet omnino ſeruare proportionem: ſunt enim aliquãdo partes quædam neruoſæ,quædam carnoſæ, quarum aliæ facilius cedunt manui trahenti aliæ difficilius:hincque fit aliquando,vt niſi chirurgus cautus ſit, inæqualiter labra iungantur. Sed notate,quòd partes vulneris aliquando præ nimio frigore ſunt frigidæ:& ideo tunc oportet accipere aquam tepidam, & facere, vt vapor petat vulnus: vel madefactis,imbutiſque ſpongijs aqua tepida foueatis vulnus, & ſic ceſſabit rigor, ac ſiccitas iſta, & labra facilius cedent,& euitabitur dolor, atque aſperitas actionis.lenitatem ergo ſeruabit chirurgus, ſi ſenſim labra adducat: ſi ex æquo vtrumque carnoſum labrum trahat: ſi quod minus carnoſum,oſſique hæret,non diſtrahat,ſed carnoſum tantùm:ſi non agreſtium more comprimat,ſed leniter:& ſi non ſequuntur ob rigorem,aliquid primùm agat, quo molliora labra reddat,quod ob frigora hyemis vſu venit, tunc hydrelæo, aut aqua tepida vulnus eſt fouendum. Ad æqualitatem autem ſpectat,vt totũ vulnus, & præcipuè ſuperficiales partes vniantur æqualiter;non autem,vt vna pars trahatur ſurſum, altera deorſum, & remaneat aliqua pars dehiſcens;ſed vnio debet fieri talis,vt partes ſuperiores vnius labri vniãtur, & committantur cum ſuperioribus alterius labri,& mediæ cum medijs:& infimæ cum infimis:præterea vt cutis iungatur cuti,& caro carni:& in hoc ſæpe ſolent errare chirurgi iſti Recẽtiores, qui iungunt aliquando ſolas partes cutaneas,& omittunt profundas,quo fit,vt vulnus glutinatur in ſuperficie tantum, aliquando etiam coniungunt cutim vnius labri cum carne alterius,& eſt maximus error:& quia res iſta eſt magni momenti,ideo repetens dico quod æqualitatem tuebimur primò per æqualitatem totius ſuperficiei,atque integræ:ſecundo per æqualitatem partium ſuperiorum, & extimarum : tertio per æqualitatem profunditatis, vt inter ſe æqualiter partes profundæ coniungantur:vnde errant, vt dixi, recentiores, qui ſemper fundum diſiunctum per linamentum iniectum relinquunt, etiam ablatis grumis: Hæc igitur pertinent ad modum,quo facienda eſt vnio labiorum, & erat tertium caput ex illis, quæ ſupra propoſuimus in curando ſimplici vulnere per primum ſcopum: nunc tranſeamus ad quartum.

Quartũ caput, vt vnita in eo ſtatu ſeruentur. *Deligationibus, glutine, ſuturis.*

Dico igitur,quòd vulneris labra commiſiſſe, ſimulque iunxiſſe, & quidem, vt decet, nihil eſſet,niſi adderetis quarto loco, vt iuncta in eo ſtatu ſeruentur:hoc autem tribus modis, ſeu medijs fieri ſolet:primò quidem deligationibus:ſecundò glutine:tertio ſuturis. Sed notate, quòd inter hos modos melior, & facilior eſt, qui fit per deligationem : ſecundo loco eſt,qui fit per gluten:in tertio verò eſt,qui fit per ſuturam : nam vnio facta per ſuturam grauis,& moleſta eſt valde:& ideo ſi fieri poſſit vnienda ſunt labra vulneris,& conſeruanda vnita per deligationem, uel per gluten: ſed ſi his non poſſitis ſcopum aſſequi, deueniatis ad ſuturam,quæ licet doloroſa ſit,eſt tamen magis tuta alijs duobus medijs ad unienda,& unita conſeruanda labra uulneris.

De deligatione. *Quid ſit deligatio.*

Loquamur primò de deligatione, in qua uidendum eſt quid ſit, quot generum, ex qua materia fiat,quàm multiplex ſit ipſius vſus,& qualis in vulneribus,& quæ demum obſeruãda ſint in deligatione ipſa. Sed primùm obſeruare debetis,quòd ἐπίδεσις,& δέσις, ideſt,deligatio,& ligatio apud Galenum valde differunt:nam δέσις, ideſt,ligatio dicitur coniunctio vulneris,quæ fit medio aliquo corpore interno oboriente inter vtrumque labrum,vt verbi gratia,quando labra vulneris coniunguntur per ſuccreſcẽtem carnem; vel partes oſſeæ medio poro oſſeo oborto inter vtramque partem:talis coniunctio vocatur à Galeno δέσις ſua lingua, hoc eſt ligatio. Sed ſi coniunctio fiat medio aliquo extrinſeco vniente labrum labro, nuncupatur ἐπίδεσις,ideſt,deligatio,& de hac eſt nobis ſermo, & nihil aliud eſt, quàm collectio,& per vinculum ſuperadditum compreſſio particularum,quibus formatur membrũ, & compreſſio,ac collectio labrorum vulneris. Deligatio autem hæc eſt multiplex,vt habemus apud Hippocratẽ in lib. de officina medici, in lib. de fracturis, & de articulis, & multis alijs in locis:& à Gal. in lib. de faſcijs,& in commentarijs de fracturis,de articulis,ac de officina medici: Nam aliæ ſunt deligationes ſimplices,aliæ multiplicatæ:aliæ ſimiles,aliæ diſſimiles:aliæ latæ,aliæ anguſtæ:aliæ laxæ,aliæ arctæ:aliæ æquales,aliæ inæquales: & aliæ ferè infinitæ differentiæ deligationis habentur,ex quibus differentijs orta etiam ſunt quædã nomina ipſarum deligationum,ita vt aliqua vocetur ab Hippocrate ſua lingua σκέπαρνον,ideſt aſcia à ſimilitudine,quam habet cum aſcia inſtrumento fabrorum,aliqua ἄμβη:ideſt,ſupercilium eo; quod ſupercilio ſit ſimilis: alia dicatur ὀφθαλμὸς, ideſt, oculus, alia rhombus,

Differẽtia deligationum.

&

& alia hoc, alia illo nomine fuerit donata: & omnia nomina deſumpta ſunt à ſimilitudine, de quibus varijs nominibus deligationum legatis Galenum in libro de faſcijs, & in commentario in librum de officina medici, & multis alijs in locis.de qua re legatis etiam Soranum, atque Aelianum in lib. de faſcijs, & uinculis. ſed omittamus nos hæc, & ueniamus ad materiam, qua talis deligatio fieri ſolet. Materia autem eſt multiplex, ſed triplex tantùm proponitur à Galeno: & una eſt ex lino, & huiuſmodi faſcia, quæ ſcilicet ſunt ex materia linea, utimur ad comprimendum, arctandum, & ſtringendum, quia faſciæ ex tali materia ualidæ ſunt: Altera eſt materia lanea, ex qua materia paratis faſcijs utimur ſolùm ad retinendum, quod retineri debet in uulnere. Tertia materia reperta eſt ab Hippocrate, & eſt materia membranea, ideſt chartacea, ſeu coriacea, ex qua materia conſtructis faſcijs Hippocrates utebatur in uulneribus naſi, & maxillæ ſuperioris. Prima igitur materia, ex qua fiunt faſciæ, pro deligatione, eſt linea. ſecunda lanea. tertia membranea, ſeu coriacea. Sed nos habemus & alias materias.ex quibus poſſumus facere faſcias, & prima eſt materia ſericina,ex qua fiunt faſciæ præſtantiſſimæ,quia ſunt molles, tenues, & multum durabiles, ſericum enim difficilè putreſcit. Habemus ſecundò materiam ex cotone, ſeu goſſipio uocato, ex qua etiam materia optimæ fiunt faſciæ His duabus addatis tres illas materias enumeratas,& erunt quinque. Sed Recentiores iſti addunt aliam,quam inuenerunt iſti,qui oſſa luxata,uel fracta reſtaurant, & eſt coma canabis longa, & optimè pexa (garzuolo uocant uulgo), & hac materia utuntur loco faſciæ, quando opus eſt deligatione ualde arcta, ut requiritur in deligandis luxatis articulis,madefacientes comam ipſam canabis extenſam,deinde uincientes artus, & optima certe eſt materia hæc, ut melius oſtendam,quando in fine harum lectionum de uulneribus loquar de fracturis, & luxatis articulis, ut facere mihi propoſui. Et licet tot ſint materiæ, ex quibus poſſumus parare faſcias; tamen non omnes aptæ ſunt pro faſcijs ad deligationes uulnerum;ſed ſolæ faſciç cōſtructæ ex materia ſericina, goſſipina,& linea opportunæ ſunt ad vulnera deliganda,in quibus faſcijs,& deligationibus chirurgi iſti ferè omnes ſunt valde negligentes, & ſpernunt electionem faſciarum opportunarum, non videntes, vel videre nolentes, quòd deligationes in vulneribus ſunt maximi momenti, & multorum vſuum, vt legere eſt in libris Galeni, & Hippocratis: & ideo moneatis veſtros chirurgos, vt ſint diligentes in parandis bonis faſcijs, & præcipuè in diuitibus, quia ipſi ex omni materia poterunt faſcias habere. Primum ergo, quod in eligendis faſcijs ex materia vel ſericina,vel goſſipina.vel linea obſeruare debent,eſt numerus ipſarum faſciarū, vt ſcilicet habeant tot faſcias,quot opus eſt: Neque enim debet chirurgus deligare vnica faſcia vulnus illud, quod duobus. aut tribus eſt deligandum:nec vice verſa debet vti duabus, tribuſve faſcijs in deligando vulnere illo,in quo vna tantùm requiritur.quare obſeruet chirurgus primò numerum faſciarum. Secundò debet obſeruare quantitatem faſciç tam in latitudine, quam in longitudine. Tertiò obſeruet puritatem faſciarum, & nihil certè magis eſt deſiderandum in linteis,& reliquis,quibus vtimur circa vulnera,quàm puritas, & mundities vt ita dicam: natura namque, & ipſa maximè delectatur puritate ipſa,ita,vt ſanet aliquando vulnera ſolis linteis puriſſimis,vel aqua tātum, quibus nihil purius reperiri poteſt. Quarto loco debet affectare lenitatem, & ideo peſſimæ faſciæ ſunt illæ, quibus vtuntur in hac Ciuitate,& in hac ferè tota prouincia, & ſunt faſciæ habentes lineas tranſuerſas quæ lineæ ſunt aliquantulum prominentes: vnde ſunt in cauſa,vt faſciæ ſint inæquales, aſperæ & duræ;& ideo fugiatis ipſas in vulneribus deligandis,& vtantur ipſis mulieres, quantum velint in faſciandis puerulis;ſed vos accipiatis eas,quæ ſint lenes,& æquales. Quintò obſeruet mollitiem. Sextò tenuitatem,ne creſcat moles. Septimò æqualitatem ita,vt non ſint diſtortæ. Octauò obſeruet chirurgus faſciarum ſimplicitatem, vt ſcilicet non ſint complicatæ. Nono integritatem,vt videlicet non ſint in hac,illave parte perforatæ,ac fractæ.

Materia deligationum multiplex.

Numerus faſciarum.

Quantitas

Puritas.

Lenitas faſciarum.

Mollities.

Tenuitas.

Aequalitas.

Simplicitas.

Integritas.

Multum quoque refert, & eſt vltimum obſeruandum in electione faſciarum, an faſciæ ſint factæ ſeruata ratione ſtaminis, ideſt, an ſint factæ per longum telæ, an ſeruata ratione ſubtegminis, hoc eſt, an factæ ſint ex tela inciſa per tranſuerſum: nam faſciæ hoc modo factæ ſunt debiliores, quàm illæ factæ ſciſſa tela per longum. Hæc ſunt obſeruanda circa materiam faſciarum,& circa faſcias ipſas.

Iam dicamus de vſu deligationis, qui vſus ab Auicenna quarta fen. lib. quarti proponitur triplex,vnus quorum eſt ad incarnandum;& ideo deligatio quæ facit ad hunc vſum vocatur deligatio incarnatiua. Secundus vſus eſt ad expellenda ea,quæ expelli debent ex vulnere,& huiuſmodi deligatio appellatur expulſiua. Tertius vſus eſt ad retinendum, à quo uſu deligatio nomen accepit,ut uocata ſit retentiua.ergo uſus deligationis eſt, uel ad incarnandum, uel ad expellendum, uel ad retinendum. ſed plures alios uſus proponit nobis Hippocrates,& Galenus,& unus eſt ad ſeparandum unam partem ab alia: ſæpe enim accidit,ut uelimus unam partem ab alia ſeparare, idque facimus deligationibus: unde hic erit quartus uſus,quo contracta,& unita ſeiungamus. Quintus eſt ad reducendas partes intortas,& obli-

Vſus faſciarū triplex.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus vſus.

quas

Digitized by Google

Sextus. quas in ſuum ſitum naturalem. Sextus eſt ad prohibendos abſceſſus, qui uſus eſt ualde neceſſarius in uulneribus:nam ſæpe,& præcipuè in magnis uulneribus euitamus abſceſſus me *Septimus.* rito deligationum. Septimus eſt ad accelerandos abſceſſus: Hippocrates enim in fracturis cum uulnere expectabat abſceſſum, vt fruſtum aliquod oſſis facilius extraheret,& cum uidebat abſceſſum nimis morari, adiuuabat ipſius generationem, & aduentum cum deliga- *Octauus.* tionibus. Octauus eſt,quòd ope deligationum partes inæquales reddimus æquales. Hi ſunt uſus,quos præſtat deligatio,ex quibus vſibus quatuor tãtum ſunt opportuni in vulneribus, & ſunt incarnatiuus,retentiuus,expulſiuus,& abſceſſum prohibens,hæc enim ſunt,quæ chirurgus debet tentare, vt aſſequatur per deligationem in vulneribus, & de his uelim, ut loquamur.

De primo vſu,quæ eſt deligatio incarnatiua. Et primò de deligatione incarnatiua, quam credo eſſe illam, quam nos vocamus agglutinantem,& ab Hippocrate nuncupatur deligatio coniungens labra hiantia: ergo incarnatiua deligatio eſt, quæ copulat labra hiantia, & copulata conſeruat. Hanc autem deligationem poſſumus duobus modis facere,& vnus eſt per faſciam duorum capitum,ſeu duorum *Primus modus.* principiorum(vtroque enim modo vocatur),& vt intelligatis non ſunt duæ faſciæ; ſed vna tantùm: dicitur tamen duorum capitum, quia incipimus ipſam obuoluere in medio ſui tanquam ſi inciperemus à duobus principijs,& capitibus oppoſitis: Fit autem incarnatiua deligatio hoc modo:eſto quòd in parte aliqua brachij ſit vulnus per longum,tunc arripimus faſciam,& medium ipſius ponimus ſupra partem brachij oppoſitam vulneri,& obuoluimus vtramque partem faſciæ ſupra vulnus, & inde reducimus capita faſciæ ſupra partem ſanam,& inibi conſiſtimus,& conſuimus ſimul capita faſciæ. Sed animaduertatis,quod faſcia hæc debet eſſe ita lata, vt quando vtrumque caput ipſius fuerit ſuperinditum vulneri, nihil vulneris remaneat detectum,ſed aliquid faſciæ ſit extra vulnus in parte ſana; hoc autẽ erit ſi accipietis faſciam tantæ latitudinis,quanta eſt longitudo vulneris:nam in ſuperequitatione illa aliquali, & non integra capitum faſciæ ſupra vulnus acquiritur tanta latitudo, quod aliquid faſciæ remanebit extra vulnus in vtraque parte.hic igitur eſt primus modus, *Secundus modus.* quo fit deligatio incarnatiua. Alter verò eſt,qui fit hoc modo: Explent vulnus medicamento aliquo, vt manna thuris, vel alio huiuſmodi, quod habeat vim gignendæ carnis, deinde capiunt linteum aliquantulum latius,quàm ſit longitudo vulneris, & medium ponunt ſuprà vulnus, & reducunt capita in partem oppoſitam, inibique ſimul conſuunt, & relinquunt vulnus ita, donec putent vulnus eſſe conſolidatum, & hæc ſint vobis ſatis de incarnatiua deligatione.

Secundus vſus. Retentiua. Retentiua autem eſt,qua retinentur ea,quæ in vulnere retinenda ſunt,vt medicamenta, ſtuppæ,linamenta & ſimilia:nulli enim alij rei inſeruit hæc deligatio,quàm retinendo medicamento,hæcque κατοχευτικὴ dici poteſt,& ad hanc deligationem aptæ ſunt faſciæ molles,vt laneæ,ſericinæ,& lineæ: & hæc deligatio quandoque ſit vnica faſcia, quandoque duabus, vel pluribus, & aliquando eſt vnius principij, aliquando plurium; ſemper tamen deligatio hæc debet eſſe laxa.

Tertius vſus, expulſiua. Expulſiua deligatio ſequitur explicanda,quæ maximi eſt momenti: nam aliquãdo opus eſt expellere continuò materiam ſanioſam,quæ defluit in vulnus;aliter concideret in cauitates muſculorum,& faceret abſceſſum. Fit autem talis deligatio hoc pacto: Eſto quòd vulnus ſit in cubito,oportet incipere obuolutionem faſciæ infra cubitum in parte ſana,& arcta eſt facienda deligatio, & ſenſim aſcendendum eſt obuoluendo faſciam, ſed cum deueneritis ad vulnus, obuolutio debet eſſe laxa: recedentes autem à vulnere ſurſum verſus quanto magis proceditis,tanto arctiores debent eſſe obuolutiones ita, quòd faſciæ circumuolutiones circa vulnus debent eſſe laxæ; in partibus verò ſanis tàm ſcilicet in ſuperiori, quàm in inferiori debent eſſe arctæ:& hoc modo impedietur defluxus materiæ ad vulnus, & explodetur quicquid ſaniei in ipſo eſt collectum.

Vltimus vſus, impediens generatione abſceſſus. Vltima deligatio erat illa, quæ impedit generationem abſceſſus, quæ in magnis vulneribus valde vtilis eſt, & ſit hoc modo: Primò obuoluendum eſt uulnus faſcia(ſed obuolutiones debent eſſe admodum laxæ)deinde ſenſim aſcendendum eſt obuolnendo,quouſque tota ferè articuli pars ſuperior fuerit faſcia obuoluta; & quantò magis aſcenditis, tantò arctiores debent eſſe obuolu tiones; & hoc modo impeditur defluxus ſanguinis, generatio inflammationis,& abſceſſus.

Obſeruanda vniuerſaliter in deligatione Cæterum non ſat eſt hæc nouiſſe; ſed oportet etiam, vt chirurgus citò hæc agat, inquit Hippocrates,ſine labore,ideſt, abſque dolore,& expeditè. hoc eſt dum hæc agit, non debet in manibus habere ſtuppam,vnguenta, ferramenta, & ſimilia, vt quidam inepti conſueuere, ſed debet liberas habere manus, & eleganter deinde, & concinnè agere, non autem vt vna deligatio ſit laxa, altera ſtricta: debet etiam obſeruare, & facere, vt faſcia quadret affectui,& quo ad longitudinem, & quo ad latitudinem, & ſimilia: nam & nodi, & fibulæ, & principia,& fines,& ſuturæ,& ductus ſunt obſeruandi ne videlicet ductus immutentur:hęc

in

in deligationibus ſunt obſeruanda, quoniam præterquam, quòd ſunt multi momenti, oſtendunt etiam chirurgi ingenium,atque in agendo dexteritatem.

Verùm animaduertatis, quòd in deligandis vulneribus, & coniungendis vulnerum labris non vtimur ſolùm faſcijs, ſed magnum etiam vſum præſtant plumaceoli ab iſtis vocati, ab alijs verò puluilli: Dicuntur autem plumaceoli à Recentioribus eò, quòd vt plurimum fiant ex pluma. Horum autem puluillorum non erat frequens vſus apud Antiquos in deligandis vulneribus; ſed vtebantur aliquando ad collocandos aptè artus in vulneribus,& fracturis,quando uolebant,ut artus non perciperent dolorem; cum uerò non timebant dolorem, utebantur canalibus: ad hunc itaque uſum utebantur puluillis, non tamen in uulneribus,ſed puluillorum loco in uulneribus utebantur ſplenijs ex tela lanea complicata bis, ter, uel quater: & ideo huiuſmodi ſplenia à Celſo uocantur panni triplicati, uel quadruplicati: utebantur etiam ad eundem uſum ſpongijs. Recentiores uerò habent in uſu plumaceolos in uulneribus ad attollendum, uel ad comprimendum, & faciendum, ne faſciæ ipſæ comprimant uulnera, ubi compreſſio ſit obſutura:ad comprimendum dico labra,ut melior fiat copulatio:unde aptant unum plumaceolum uni labro,alterum alteri, & ſuperaddunt faſciam: unde puluillorum uſus erit, ut appoſiti labra magis uniant, depreſſa attollant,& faſciarum compreſſiones prohibeant. Materia horum puluillorum uaria eſt: aliquando enim fiunt ex ſtupa canabina, aut linea, aliquando ex pluma, aliquando ex lana munda,aut ſuccida,aut illa,quę è pannis à laniſtis tondetur:vnde & Antiqui loco puluillorum ſolebant capere multam lanam,quam aptabāt labris uulnerum, ut fieret compreſſio, & unio, atque Celſus in reſtitutione clauiculæ utitur uice plumaceoli multa lana in globulum formata: Alia materia puluillorum eſt ſpongia nudata humida, uel ſiccior, qua etiam Antiqui utebantur,quando aliquid erat uniendum,uel comprimendum:ſed noſtri chirurgi non utuntur ſola ſpongia; at ex ipſa faciunt plumaceolos. Aliquando eos conficimus ex cotone,ideſt,goſſipio optimè arcu,& chorda contuſo,inuoluentes ipſum tela,deinde confuentes: Tela quoque lanea vel linea his expleta,vel per ſe ſola multipliciter inuoluta,ſolet eſſe exquiſitiſſima materia puluillorum:vnde & Antiqui complicabāt,vt ſupra dixi,telam, & faciebant ſplenia ad varios vſus. Figura autem plumaceolorum ſolet eſſe varia: nam aliqui fiunt oblongi:aliqui oblongi,& rotundi;aliqui oblongi,& lati,aliqui rotundi penitus; aliqui quadrati; aliqui quadrangulares; aliqui triangulares, & hi ſcilicet triangulares ſunt in vſu, ait Auicenna, ad coniungenda labra vulnerum: nam aptamus vnam baſim plumaceoli vni labro, & alterum plumaceolum ſua pariter baſi alteri labro: mox ſuperaddimus faſciam,& obuoluimus, ligamuſque. Hæc de plumaceolis, qui inſeruiunt ad conſeruanda labra vulnerum vnita.

Puluilli.

Splenia.

Vſus puluillorum.

Materia puluillorũ.

Figura ſpleniorum

Cæterùm dicebam ſupra vulneris labra iungi, iunctaque ſeruari etiam glutinationibus, ſeu glutinibus: Solemus enim aliquando linteola quædam oblinire aliquo medicamento glutinoſo,quæ linteola mox aptamus labris,& cum hæſerint,ac gluten ſiccatum fuerit,cõſuimus linteola ſimul; vel linteola vnimus, additis quibuſdam funiculis ſe ſe ex directo reſpicientibus. In vſu autem ſunt iſta linteola, pannos, vel laqueos vocant recentiores, cum glutine primò, quando vulnus eſt in parte aliqua, vbi ſuturæ non poſſunt commode fieri, vt quando vulnus eſt in parte neruoſa, & ob dolorem timemus labra vulneris perforare. Secundò,quādo vulnus eſt in parte aliqua conſpicua, & timemus magnam cicatricem, vt quando eſt in facie,non poſſumus vti deligationib. nec ſuturis,q̃a timemus veſtigia ſuturæ: & ideo tunc vtimur linteolis cum glutine. Tertiò eiſdem vtimur,quando ſuturæ ſecant labra ipſa, vt ſi poſt conſutum vulnus ſutura ſecuerit labra, & hiet vulnus, tunc non conſuimus iterum, quia poſſet ſuccedere inflammatio; ſed vnimus labra adhibitis linteolis cum glutine aliquo. Quartò vtimur glutinationibus,quando æger ipſe non admittit ſuturas, vt accidit aliquando in valde timidis, quales ſunt mulieres, & pueri. hi ſunt caſus, & occaſiones, in quibus vtimur glutinationibus. Modus autem, quo fit talis glutinatio, ſeu vnio labrorum per gluten,eſt talis. Accipimus duo linteola eiuſdem magnitudinis, longa, & lata, pro magnitudine vulneris, & ad vnam ſuperficiem adigimus fila duo, vel tria, vel plura, ſi opus fuerit,idque facimus in vtroque linteolo, ea tamen ratione, vt ſeruetur. proportio diſtantię filorum in vtraque tela,ſeu linteolo,vt ſcilicet tãtum diſtent inter ſe vincula in uno, quantum in altero,& vt fila,ſeu vincula vnius reſpondeant è directo filis alterius, quoties telæ ſimul iunguntur. Figura verò,& quantitas linteorum debet ſeruari pro ratione partis, & vulneris,& latitudo debet eſſe talis,qualis requiritur ab ipſa parte,& pro ratione latitudinis vulneris,& facilis,vel difficilis attractionis:nam ſi labra valde diſtent,& opus ſit validiori attractione,debent linteola eſſe magis lata,vt magis firma maneant;ſed ſi parum erit trahendum,non opus erit, vt ſint ita lata. Hoc modo cum parata fuerint linteola, oblinimus aliquo glutine, & ponũtur in parte ſana vulneris,vnum ſcilicet ſupra labrum vnum, alterum ſupra reliquum, in parte tamen ſana, ita, vt funiculi reſpiciant ſeſe; cumque gluten fuerit

De glutine

Quãdo vtimur glutine.

Modus glutinationis per gluten.

exſic-

exſiccatum, accipimus fila ſe ſe reſpicientia, & ligamus, & ſic attrahuntur labra, & conſeruantur vnita. De glutine autem in hoc caſu accommodato, vt dicam, ego vtor aliquando glutine taurino: emollio, & oblinio ſupra telas; ſed hoc gluten non eſt valde opportunum. Aliquando conficio aliud ex iis, quæ glutinant, ſimul mixtis accipio ea, quæ glutinant, & ſtringunt, & diſſoluo albo oui, & pono ſupra lintea: deſcriptio eſt hæc,

Materia glutinis.

Rec. ſimilaginis triticeæ, ideſt, floris farinæ
Maſticis
Gypſi cocti
Boli Armeni } an. ℈ j.
Aloes
Gummi draganti
Gummi Arabici

Miſce omnia, & contunde optimè ita, vt fiat puluis tenuiſſimus, deinde miſceto puluerem cum albo oui optimè concuſſo, & agitato optimè, poſtea extende ſupra linteola. Sed aliquando hoc medicamentum non ſatisfacit, & ideo oportet deuenire ad aliud, quod fit hoc pacto:

Rec. maſticis ʒ. ij.
bituminis Iudaici
carabe } an. ℈ i.
colophoniæ
Terebinthi Cypri } an. ʒ j.

Omnia optimè terantur, excepta terebinthina, & primùm ſimul diſſoluantur, poſtea terebinthina addatur, & duæ, aut tres guttæ olei roſacei, & dum adhuc calidũ eſt medicamentum, extendatur ſupra linteola: & quando vti volueris, calefacito linteola ab ea facie, vbi illinitum eſt medicamentum, &, dum molle eſt, aptabis, & permittes, vt refrigeretur, deinde per funiculos iunges telas: His ego aliàs uſus ſum; ſed poſtea inueni aliud familiariſſimum, paratu facilimum, & optimum, quo ſemper vtor, dum datur occaſio: Fit autem hoc modo: Capio album oui, & concutio optimè, quantum fieri maximè poteſt, deinde accipio calcis viuæ puluerem puriſſimum, ac tenuiſſimum; & vt tenuior ſit, excutio cribro, & aliquam portionem pulueris huius inſpergo in album oui, & optimè concutio, & cum optimè concuſſum eſt, oblinio leniter linteola, ſtatimque ſuperimpono cuti: ſed oportet, vt citò ſuperimponatur; alioqui debilitaretur virtus illa glutinandi: præterea oportet, vt puluis calcis ſit tenuiſſimus, & optimè mixtus cum albo oui, alioqui exureret: cum exſiccatum fuerit medicamentum, ligo ſimul linteola arreptis, & ſimul copularis funiculis: & certè optimum eſt medicamentum, & diu perdurat in loco.

Familiare, & optimũ gluten.

Verùm ego non ita faueo vſui linteolorum, quin magis probem vſum ſuturarum: nec ſi la ſecant labra, ſi poſt ſuturam vtare medicamentis valde agglutinantibus, vt ego facio, & in quarta die, vel poſt quartam ſtatim auferas fibulas: nec remanent veſtigia ſuturæ. quare ego longè magis probo coniunctionem vulnerum, & conſeruationem ipſorum in eo ſtatu per ſuturam: de qua iam ſuccedit, ut dicamus, quid ſit, quot generum ſit, & qualis ipſius vſus; qua ex materia fiat, & quibus organis; & quid agendum, vt dolor, qui ſolet fieri, dum conſuuntur labra, quantum fieri poteſt, euitetur. Quid itaque ſutura ſit patet: Eſt enim coniunctio partium hiantium facta medio acu, & filo, vel alia materia. Sed genera conſutionum non ſunt ita nota. Primum igitur genus ſuturæ eſt illius, quæ aſſumpſit ſibi nomen generis, & fit eo modo quo fit ſutura, dum pannos ſimul conſuimus unito filo adacto nodo; & incipientes ab vno principio, & deſinentes in aliud conſuendo ſemper eodem integro filo: & hac ſutura conſueuimus vti, quando palpebræ, vel genæ ſunt diſſectæ: ſimiliter in inteſtinorum vulneribus, in diſſectione præputij, & in reliquis partibus cutaneis: ſimiliter in vulnere illo, quod fit, dum educimus folliculum meliceridis, vel ſteatomatis, atque in ſuppreſſione ſanguinis. Verùm hæc ſutura eſt parum in vſu apud nos; Antiqui autem ſæpe ipſa vtebantur, ſed nos tunc ſolùm, quando conſuendæ ſunt partes cutaneæ: at ſi vulnus eſſet profundum, & opus eſſet coniungere non ſolùm partes cutaneas, verùm etiam carnoſas profundas, ipſa non vtimur. hæc itaque eſt prima ſutura, quæ abſolutè uocatur ſutura.

De ſuturis.

Genera cõſutionum.

Primũ genus.

Secundum genus ſuturæ, per puncta, fibula, & infibulatio.

Altera eſt, quæ uocatur ſutura per puncta ab iſtis, & eſt illa, quæ fit hoc modo: Adigimus acum, & traijcimus utrumque labrum, deinde arripimus utrumque caput fili, & modo ſimul connectimus, & ſecamus illud fili, quod ſupereſt: idem facimus bis, ter, & quo-

Digitized by Google

quoties opus fuerit, & hæc vocantur puncta: & ideo vocatur ſutura per puncta à Barbaris iſtis; à Latinis autem infibulatio, & fibula, ſiue ſutura per fibulas, & à Galeno varijs in locis, & præcipue in ſexto methodi, capite quarto vocantur talia puncta ἀγκτῆρες, id eſt, fibulæ: nam ſecundum Celſum libro quinto, capite vigeſimoſexto. ἀγκτὴρ à Græcis dictus, fibula vocatur à Latinis. Quando igitur legeritis apud Celſum fibulam, vel infibulationem, & apud Galenum ἀγκτῆρες, intelligatis de hac ſutura vocata a Barbaris ſutura facta per puncta. Et hæc in vſu eſt, quando corpora craſſa, & non tantùm cutanea ſunt iungenda, ita vt non ſolùm cutis cum iungatur, verùm etiam partes profundæ, & carnoſæ. Sed ſtatim diceret aliquis, tu dicis ἀγκτὴρ apud Galenum ſignificare eandem ſuturam, quæ fibula, vel infibulatio dicitur à Latinis, & per puncta à Barbaris, tamen tu aduerſaris in hoc Guidoni, Tagaultio, & Iano Cornario viro Græcis literis valde docto in ſuis commentarijs in ſecundum librum Galeni de compoſitione medicamentorum ſecundum loca: nam iſti exiſtimant ἀγκτῆρες apud Galenum, & fibulam apud Latinos ſignificare ſuturam illam, quæ fit hamis: nam dicunt fibulas eſſe vncos quoſdam ſimiles hamis, qui ſunt in vſu apud illos, qui tondent pannos, qui iungerentur labra, nam inijciebatur hamus in unum labrum, mox arripiebatur alterum. Sed debetis ſcire, quod ἀγκτὴρ apud Galenum, idem eſt, quod apud Latinos fibula: teſtis eſt Celſus libro quinto, capite vigeſimoſexto. *ἀγκτὴρ apud Galenũ quid ſit*

Verum notate, quod fibula non vnicam habet ſignificationem: nam aliquando ſignificat organum quoddam, quo Antiqui vtebantur, & nunc etiam aliqui vtuntur ad coniungendas veſtes, eratque ſemicirculare, & habebat partem acutam, fiebatque ex ære, argento, ferro, auro, & alijs materijs: Figura autem, vt ego collegi ex ijs, quæ effodiuntur è terra, & reperiuntur multæ iſtarum fibularum, erat ſemicircularis: erat enim ſemicirculus, & ab ipſo ſemicirculo pendebat veluti acus, quæ acus quando erant iungendæ veſtes, aut calcei, figebatur vel in telam, & aſſumebat nodum ſuperioris, vel in calceum. hæc erat vna fibula, de qua non loquimur. Altera erat annulus quidam, quo vtebantur antiqui in pueris, & adoleſcentibus, ne vterentur Venere: Cum enim antiqui delectarentur valde Muſica, & ſcirent, quod Venus corrumpit vocem, ne hoc accideret ſuis adoleſcentibus, infibulabant ipſos: quomodo autem fieret talis infibulatio, docet Celſus libro quinto, capite ſeptimo, & inquit, quod arripiebant præputium, & trahebant extra glandem, & perforabant præputium ipſum, & imponebant medicamentum, quo induceretur cicatrix; cicatrice inducta, ponebant fibulam, quæ, vt dixi, erat annulus, in foramen, & optimè inuoluebant; & talis fibula fiebat ex materia aliqua dura, vt ex ferro; & qui imponebat fibulam, erat faber, nec ſine ipſo extrahi poterat. vnde Martialis in nono epigrammatum in Creſtum inquit: Refibulauit turgidum faber penem, quod idem eſt, ac ſi dicas auferebat fibulam, & impoſitio talis fibulæ vocatur à Celſo infibulatio; nunc autem non eſt in vſu talis infibulatio; Attamen & nos habemus his temporibus quandam infibulationem. cuius vim ſi ſcirent noſtri pueri, & adoleſcentes, profectò timerent eam plus, quàm quæ antiquorum erat: habemus enim Gallicum morbum, qui eſt peſſimum certè infibulationis genus. *Plures fibulæ ſignificationes.*

Tertia autem fibula eſt filum adactum per labra vulneris, & nodo ſimul iunctis ambobus fili capitibus, & hæc eſt, de qua loquimur nos, & de qua intellexit Galenus ita quod fibula ſecundum hoc tertium ſignificatum eſt nodus uarius, quibus aliquod uulnus conſtringitur, ἀγκτῆρες vocat Galenus. Qui verò credidere Galenum intelligere de fibula illa cum hamis facta acti ſunt authoritate quadam Galeni in tertio methodi, capite quarto, vbi inquit, quod debemus coniungere vulnera hiantia, vel deligationibus, vel ſuturis, vel fibulis, aut horum quibuſdam, aut omnibus: ſi ergo, inquiit, Galenus per fibulam intellexiſſet eas quæ filo fiunt, non dixiſſet vtendum eſſe aut quibuſdam, aut omnibus, & non nominaſſet ſuturam, tamen mentionem facit de ſutura, veluti de re diuerſa à fibulis: igitur per fibulas intelligit hamos. Sed iſti (pace eorum dixerim) non rectè legerunt Galenum in ſecundo de compoſitione medicamentorum per loca, vbi agit de plaga ex contuſione capitis ſecũdum Archigenem inquit, quod in vulnere capitis cum vulnere pericranij ſtatim radendum eſt os, poſtea fibulis iungendum eſt vulnus, veluti fit, quando non vulneratum eſt pericraneum; & poſtea ſubiungit, quod ſi ſutura non retinet, tunc alio modo debemus curare. Ecce quod ibi vocat idem vinculum fibulam, & ſuturam.

Vegetius quoque libro ſecundo, capite trigeſimoprimo, fibulis conſuit linguam iumentorum inciſam. Præterea Celſus in loco ſupra citato inquit, quod ἀγκτὴρ eſt fibula, & dicit, quod fibulæ ſunt faciendæ ex molli acia, & non nimis torta, atque vinculum etiam vocat materiam, ex qua fit fibula, & de illa loquitur veluti de ſutura, & per aciam intelligit filum. Quomodo ergo fibulæ erunt ex materia molli, ſi fiunt ex hamis.

Tertio Galenus in ſexto methodi, capite quarto præcipit, vt in deligationibus, in glutinationibus, & ſuturis eligamus omnia mollia: quomodo ergo ſibi conſtaret, ſi per fibulas intelligeret de hamis? profecto ſi vulnus iungeretur hamis, & adderemus deligationem, comprimerentur hami, & excitaretur maximus dolor; & tamen Galenus præcipit, vt ſtringamus vulnus deligatione, aut ſutura, aut fibulis, aut omnibus ſimul: quomodo ergo poſſet aptari hæc appoſitio hamorum cum deligatione incarnatiua, vt ita dicam, ſine maximo dolore, ac faſtidio penè intolerabili? Quare non eſt dicendum fibulam eſſe hamum; ſed potius genus aliud nodi, quale noſtrum eſt, quod ſpecie differt à ſutura vera, atque communi, ſuturæ tamen ſpecies eſt. Ad authoritatem autem illam in tertio methodi, capite quarto, qua iſti moti ſunt, dico ipſum dixiſſe, quod aliquando eſt vtendum coniunctione facta per deligationem, per ſuturam, & per fibulas, quoniam ſæpe opus eſt coniungere non ſolum partes cutaneas, verum etiam carnoſas, & profundas: & ideo ad maiorem tutelam, & conſolidationem, etiam ſi iuncta ſint labra per fibulas, tamen expedit addere faſciam, & iungere per deligationem. quare valeant iſti, qui per fibulas intelligunt hamos.

Sutura definitio. Colligatis igitur & dicatis ſuturam eſſe compoſitionem labiorum filo, vel acu, vel alia materia factam, atque collectionem, qualem videmus in pannis conſutis, hæcque ῥαφὴ vocatur à Græcis.

Suturarũ varia genera. Suturæ iſtius varia ſunt genera apud auctores: nam alia eſt, quæ conſutarum rerum more fit, quę ab vno capite incipiens ſemper eodem integro filo percurrit, vſque ad alterum caput ſuperequitando labris, quæ in

Primum. palpebris, genis, præputio, atque arteriarum ſectione conuenit, aut in extractione ſteatomatum, aut meliceridum, & in inteſtinorum conſutione, & in ſuppreſſione ſanguinis, vti diximus. Alia eſt, qua vnica tantum ſutura, vel vnico tranſitu, & vnico nodo

Secũdum. vincimus labra, ſecundo alio nodo, tertio alio nodo: qui nodi licet non ſint integræ ſuturæ, ſed partes; tamen ſuturæ etiam vocantur à Galeno: vocantur etiam ἀγκτῆρες, id eſt, fibulæ: & hoc genus ſuturæ in vſu eſt apud nos; immò ſemper iſto vtimur, & appellamus puncta.

Tertium. Tertia eſt ſutura, qua ab vno labro incipientes vtrumque traijcimus, & iterum ab eo, quod vltimò perforatum eſt, incipimus, & per poſterius acum reuocamus, rurſuſque idem perforamus, & per alterum reuocamus acum, & ſic procedimus à principio ad finem vſque continuo ſemper, & integro manente filo.

Quartum. Quarta eſt ſutura, quæ nobis proponitur ab Albucaſi libro ſecundo, capite octuageſimoquinto, quæ fit duabus acubus eo modo, quo calcearij iſti conſuunt ſoleas, & calceamenta: traicitur vnum labrum, verbi gratia, dextrum, & educitur acus, & per idem foramen adigitur altera acus à latere ſiniſtro, ideſt, ab oppoſito labro, & ſic iterum perforatur vnum labrum, & in idem foramen ponitur acus altera, ſicque proceditur à principio ad finem. Sed modus hic conſuendi nullo modo placet, tùm quia nimis eſt doloroſus, tùm etiam, quia licet optimè coniungat partes intimas, aliquæ tamen partes ſummæ labrorum remanent hiantes.

Poſſumus & alios multos conſuendi modos imaginari; tamen ſciatis, quòd nullus eſt perfectior duabus illis dictis, illo ſcilicet, qui fit vno filo continuato à principio ad finem, & altero, qui fit per fibulas.

Sed animaduertatis, quòd ſutura illa, quæ fit perpetuato filo à principio ad finem, eſt neceſſaria ad conſuendas tantùm partes cutaneas: at ſi opus eſſet iungere non ſolùm cutaneas, verùm etiam partes profundas, eſt inepta; ſed opus eſt vti altera ſutura per fibulas facta. Præterea ſciatis, quod ſutura illa abſoluta, quæ fit perpetuo filo, ſolet fieri duobus modis: vnus quidem eſt traijciendo vtrumque labrum, & reducendo filum ſupra labra ipſa, & iterum perforando labrum vtrumque: alter modus proponitur à Galeno, & fit, vt diximus: traijcimus labrum vtrumque ita, vt acus exeat, verbi gratia, in labrum dextrum, deinde perforamus idem labrum, & educimus acum per ſiniſtrum; iterum perforamus vtrumque labrum, & educimus per dextrum; & ſic progredimur, vſque in finem, nunquam ſuperinducentes filum labris: ſed talis ſutura non placet, quoniam & ſi coniungantur partes labrorum profundæ, tamen partes ſummæ hiant. vnde ſi hac ſutura vti vellemus, oporteret iterum aliqua leni ſutura coniungere partes ſupremas labrorum. quare duæ tantum ſuturę mea ſententia ſunt opportunæ.

Vſus ſuturarum triplex. Vſus autem ſuturarum proponitur triplex, vnus eſt, vt coniungantur labra, & incarnentur, vt dicunt. Secũdus eſt, vt ſi non poſſimus labra adamuſſim iungere, ita vt poſſit fieri agglutinatio, ſaltem vt faciamus, ne tantum dehiſcant: nam nõ ſemper poſſumus vulnera agglutinare: & ideo tunc opus eſt ſaltem labra aliquo modo coniungere, ne, ſi valde hiantia ſint, refrigeretur vulnus. Tertius vſus eſt, vt ſupprimamus ſanguinem: aliquando enim accidit, vt maxima copia ſanguinis effluat ex vulnere, & iõ tũc opus eſt cõſuere vulnus, vt ſanguis ſiſtatur. Vnde ſutura, quæ inſeruit ad primum vſum vocatur ab iſtis, vt à Guidone, incarnatiua;

carnatiua;

carnatiua; quæ ad ſecundum retentiua, vel ſeruatiua; quæ uerò ad tertium ſuppreſſiua, uel reſtrictiua. Tot ſunt ſuturæ, & earum uſus.

De acubus ad ſuendũ.

Iam ſuccedit, vt dicamus de materia inſtrumentiſve, quibus ſuturæ fiunt, & primùm de acubus, in quibus hæc omnia ſunt à chirurgo obſeruanda: magnitudo in longitudinem, atque craſſitiem, figura, numerus, & materia, ex qua factæ ſunt acus ipſæ: quo ad primum, nostri chirurgi ſolent habere in uſu duo genera acuum, unum quidem eſt quarundam acuũ, quæ longiſſimæ ſunt; aliud verò earum, quæ non ita longæ ſunt: Verum illæ longiores ineptæ ſunt, niſi opus ſit conſuere vulnus valde profundum, & carnoſum, vt aliquando accidit in magnis illis vulneribus ſuræ, vel fæmoris, quæ vulnera ſoleo ego appellare Germanica eò, quod Germanorum proprium ferè ſit cæſim vulnerare, tamen longitudo non debet eſſe maior, quàm quatuor digitorum, vel trium: & hæc longitudo valde à me probatur. Craſſities ſit tanta, vt acus non flectatur ſtatim ita, vt non poſſit fieri ſutura. Quo ad figuram autem dico, quod debent eſſe in ſummo, vel quadrangulares, vel triangulares, vel ſaltem biangulares, ita vt ad minus habeant duas acies, ut magis perforent; illæ autem acus, quæ habent aciem rotundam, quales ſunt communes acus, malæ ſunt, quia ægrè perforant, & excitant magnum dolorem: vnde reprehenſione digni ſunt chirurgi illi, qui eis utuntur in conſuendis uulneribus. Verùm animaduertatis, quòd acies illæ debent eſſe optimè attritæ, & leuigatæ ſupra cotem, non autem debent eſſe inæquales, & aſperæ; quales ſolent eſſe illæ, quæ deferuntur Mediolano, quæ limatæ ſunt in ſuperficie, & peſſimæ ſunt, quia & ſunt duræ, & limatæ: unde ægrè penetrant: & ob duritiem nequeunt emolliri cote. Deferuntur ex Damaſco etiam, & illæ optimæ ſunt, & ſunt ex chalybe, habentque aurem rotundiſſimam, & ita æqualem, vt non incidat filum.

Longitudo acus.

Figura.

Materia acus.

Materia autem, ex qua debent eſſe acus, ſolet eſſe argentea, & chalybea; verùm ex argento acus non valde placent, quoniam licet flectantur; tamen habent ſemper aciem obtuſam; ex chalybe autem optimè ſunt: verùm quia ſunt duriſſimæ, ita vt ſi tentes eas flectere potius frangantur, quàm quicquam flectantur; ideo melius eſt accipere eas, quæ ſunt ex chalybe contemperato, præcipuè quando opus eſt conſuere vulnus, vel in angulo oculi, vel in alia ſimili parte, & cauitate, vbi tu non poſſis aptare acus, quæ non flectantur: Nam niſi flecterentur, non poſſes talia vulnera conſuere. Vnde ſoleo ego accipere acus ex Damaſco, quas reperietis Venetijs in platea Sancti Marci, & ſi per ſe non poſſent flecti, reddo ipſas flexibiles remouendo illam duram temperiem; reddo, inquam; flexibiles in tota ſubſtantia, præterquam in ſummo, ideſt in acie ipſa hoc modo: Accipio acum, & obuoluo aciem ipſius, quam volo duram eſſe, linteolo madido aqua, vel complicato ter, vel quater linteo madido: inijcio acum in ipſum eò vſque, quò vſque volo, & illud acus, quod extat, teneo ſupra flammam candelæ donec igniatur; deinde ſino vt refrigeretur, & ita tota acus redditur flexibilis, præterquam pars illa ſumma, quæ non eſt paſſa ignem: & hæ acus optimæ ſunt in conſuendis uulneribus angulorum oculi, buccæ, & ſimilium partium. Sed ſi uulnus ſit in parte aliqua, ubi non opus ſit flexa acu, poteritis uti illis duris.

Numerus acuum.

De numero autem acuum dico, quod chirurgus debet habere ſemper plures & duas, uel tres, in quibus adactum ſit filum, ut poſſit, quando filum ſanguine madidum ſiccatur, ſtatim aliam acum cum filo arripere: nam durities fili facit dolorem. Seruentur acus mundæ, & ſine ęrugine: nam ærugo illa habet, neſcio quid ueneni: pręterea æruginoſæ acus difficile perforant. Inſuper debetis animaduertere, quod ſi vos tenebitis acus in fiſtula, uel ænea, uel argentea, ut ego ſoleo, acuum acies ex agitatione, illiſioneque in operculum fiſtulæ ſolent obtundi: & ideo, ne hoc accidat, debetis & in fundo, & in operculo aptare aliquid goſſipij, uel aliquid ſimile. Hoc eſt primum inſtrumentum.

Secũdum inſtrumẽtũ fiſtula argentea.

Secundum autem eſt parua quædam fiſtula argentea, uel ex alia materia, qua chirurgi utuntur, quando conſuunt uulnera, quorum labra ſunt dura, quo poſſit utrumque labrum ex directo perforare: perforant enim unum labrum, deinde apponunt fiſtulam in altero labro per directum acui, & ita adigunt acum in aliud labrum per mediam fiſtulam, & niſi eſſet fiſtula, acus quando adigitur in oppoſitum labrum, ſemper laberetur, uel ſurſum, uel deorſum, uel in hanc, uel in illam partem ob duritiem labri, ut ſolet accidere in conſuenda cute capitis, quæ dura ualde eſt: Et re uera neceſſarius eſt uſus fiſtulæ in huiuſmodi uulneribus: Debet autem fiſtula hæc habere feneſtram, ut poſſimus videre, quando acus perforauit; & quando uidemus, quod penetrauit extra, auferimus fiſtulam, qua comprimebamus labrum, & educimus acum. Illamet fiſtula, in qua tenemus acus, ſatisfaceret huic uſui, ſi haberet feneſtram.

Tertium filum.

Tertium inſtrumentum eſt materia, qua conficimus fibulas, uel ſuturas, & prima eſt filum, acia uocatum à Celſo, de qua materia agit Galenus in 6. meth. cap. 4. & Celſus lib. 5. cap. 26. & inquiũt authores iſti, quod materia hæc non debet eſſe nimis intorta, nec nimis

dura, nec nimis mollis, nec nimis tenuis: ſi enim eſſet nimis dura faceret dolorem; ſi nimis tenuis, ſecaret labra, & cito corrumperentur: ideo materia debet eſſe etiam talis, vt non facile marceſcat: nam aliquando opus eſt relinquere filum vſque ad quartam, vel ſextam diem; Vnde filum ex cotone, & ex lana non eſt bonum, quia citò putreſcit; & ideo non ſolum non detinerentur vnita labra, verùm & materia illa putrefacta obeſſet vulneri. caneatis igitur ab huiuſmodi filo, etiam ſi Paulus vtatur filo laneo in conſuendis palpebris. Galenus itaque decimotertio methodi, capite vltimo in conſuendis, & illaqueandis venis, & arterijs, monet, vt eligamus filum, quod perduret, quale, inquit, eſt Gaietanum vocatum, & erat filum, quod ex Gallijs deferebatur Romam; ſed ſi hoc non habeas, ait, vtare ſericino, quod habebatur copioſum apud Nobiles Matronas Romanas; Nos re vera caremus Gaietano; ſed habemus optimum ex lino delato ex Alexandria; &, ſi illud deſit, vtamini ex lino noſtrate, dummodo filum non ſit nimis lixiuio maceratum, nec crudum; ſit æquale omni ratione, vt facile ſequatur, ac ſine dolore: non ſit nimis tenue, quia ſecaret ſtatim; neque ſit ita craſſum, vt acum ingredi nequeat, aut illam ſequi, aut ne foramen nimis amplum efficiat; vel vtamini filo ſericino noſtrate, ſed ſit intortum, ac candidiſſimum non autem nigrum, vel alterius coloris: nam in nigro eſt chalcanthum, & galla, & huiuſmodi alia, quæ poſſent obeſſe vulneri.

Ridiculus formicarũ vſus.

Arabes antiquiores, vt videre eſt apud Albucaſim libro ſecundo, cap. octuageſimoquinto, vtebantur alia materia in conſuendis vulneribus, & erat capita formicarum, & his præcipuè capitibus vtebantur in vulneribus inteſtinorum, quando ſcilicet ex vulnere allato abdomini vulnerata ſunt etiam inteſtina, & foras prolabuntur: Faciebant autem hoc modo: Accipiebant formicas illas, quæ habent capita maiora, deinde ipſas proritabant, & cum videbant, quòd formicæ aperirent furculas ſuas, admouebant labris vulneris ſimul iunctis; & cum apprehenderant, amputabant caput, & relinquebant, & ita quodlibet caput formicæ fungebatur vice vnius fibulæ: hoc facto, reponebant inteſtinum in proprium locum. Sed equidem ignoro, & miror etiam, vnde orta ſit talis conſuendi ratio, niſi quia erant in regione formicarum, ubi nulla alia materia erat, qua poſſent uulnera conſuere, præter quàm formicæ, quod eſt ridiculum.

Filum ex inteſtinis.

In eodem capite Albucaſis monet, vt vtamini fibris inteſtinorum pro conſuendis vulneribus, & docet etiam modum euellendi has fibras: ſed miror pariter de hoc conſuendi modo; & neſcio vnde habuerit ortum, niſi dixerimus, quia talis materia eſt ſimilis noſtro corpori, ſed ſimilitudo nihil facit ad rationem conſuendi. Fiebat autem talis ſutura, vt ſciatis, hoc modo; Inijciebant filum ex inteſtinis brutorum recentibus in aurem acus, deinde arrepto utroque labro uulneris adigebant acum, & ita una pars acus extabat in uno labro, altera in altero; arripiebant deinde filum, & circum circa utramque partem acus inuoluebant, & relinquebant ita & tot acus cum filo hoc modo imponebant, quot opus fuerat, ita ut ſingula acus eſſet ueluti fibula: & hic modus conſuendi laudatur à Guidone, & à quibuſdam alijs; Verùm doloroſa nimis eſt hæc actio, & tanto magis, quanto relinquuntur acus.

Penna loco acus.

Vnde quidam alij cum hunc modum reprobent, utuntur loco acus pennis: Capiunt enim pennas, & auferunt membranas illas, & omnia, præterquam ſpicam, ſeu haſtam illam mediam, quam inijciunt in aurem acus, & perforato utroque labro auferunt acum, & relinquunt pennam, & circumuoluunt filum modo dicto: & eſt modus ille, quo mulieres ſolent ſeruare acus in pectore circumuoluto filo, & dicunt iſti, quod modus hic conſuendi maxime conuenit, quia haſtæ illæ pennarum non ſunt duræ, ita ut non flectantur. Verùm nec hæc conſuendi ratio placet.

Alius modus conſuendi.

Alij conſuunt hoc modo, atque hac materia: accipiunt cannulam quandam (ita dicunt) bene tortam ex ſtupa, uel ex tela, uel haſtula pennæ, deinde acu traijciunt utrumque labrũ, poſtea per eadem foramina acu recurrunt, & relinquunt anſam fili in uno latere, in quam imponunt caput alterum cannulæ, aut haſtæ, & alterum caput ligant, & comprimunt reliquo duplicato filo, atque addito nodo: & hic conſuendi modus eſt profectò melior omnibus alijs à Recentioribus traditis; hoc tamen habet incommodum, quod partes ſummæ labrorum remanent hiantes; nec ego unquam ſum hac ſutura uſus.

Quare moneo uos, ut potius ſemper utamini ſuturis illis duabus primis, ſcilicet; uel ea, quæ abſolute dicitur ſutura; uel illa, quæ fit per fibulas: & non diſcedatis à filo lineo, uel ſericino, quod habeat conditiones dictas.

Obſeruanda in ſutura.

His ita paratis, facienda eſt ſutura, in qua obſeruanda à chirurgo hæc ſunt, ut blande agat, ne nimis ſtringat, ne nodus fluat, ne neruos, aut chordas pungat, ne ligamenta cum cute conſuat; & ut in omnibus partibus ſuturas adhibeat, & conſolidationem tentet: Addatis, quòd non debet nimiam labrorum quantitatem in parte ſana fibulis arripere, nec nimis paucam: quia hoc inſanabile; illud uerò doloroſum eſt: Spatium

quoque

quoque inter fibulam, & fibulam non debet eſſe nimis magnũ, ſed ampliſſimum ſit vnius digiti minimi per tranſuerſum; ſit etiam minus, vti conuenire viſum fuerit: idem ſpatium eſt ſeruandum in perforãdis labris, vt ſcilicet in ea parte adigatis acum, quę diſtet à ſummo margine labri per ſpatium vnius digiti per tranſuerſum. Aliud circa hanc ſuturam obſeruandum eſt, ne vtamini fibulis, quando opus eſt conſuere tantum partes cutaneas; nec ſutura continuata, quando conſuendæ ſunt partes labrorum profundæ, & cutaneæ; ſed potius hæc conuenit in vulneribus cutaneis; illa verò per fibulas in profundis: & quando facietis fibulas, & volueritis facere nodum ex vtroque capite fili, circumuoluetis filum bis, & mox facite, vt ſeruus ponat digitum, vel ſpecillum ſupra, & vos iterum circumuoluetis, & facietis tres, vel quatuor nodos; poſtea amputabitis filum propè nodum; non autem relinquetis fruſta fili oblonga, vt quidam inepti faciunt, quoniam quando poſtea apponetis albumen oui, ſiccaretur ſimul cum filis: vnde, quando auferretis albumen, excitaretur magnus dolor & periculum eſſet, ne fila attracta ſecarent labra. Aliud vobis obſeruandum eſt maximi momenti, & eſt, quod in vulneribus artuum, & præcipuè crurum, digitorum, manus, ac pedis, quando effluit ſanguis, ſemper debetis ſinere, vt effluat copioſus ſanguis, dummodo non effluat totus; non autem ſtatim eſt conſuendum vulnus, & ſupprimendus ſanguis, vt iſti faciunt, & præcipuè, ſi vulnera fuerint in cruribus, & hoc eſt præceptum Hippocrat. in libro de ulceribus, & nunquam ego vidi aliquem mortuum eſſe ex magna fluxione ſanguinis per vulnus, quod certè eſt mirum, Quare ſi videritis ex vulnere copioſum ſanguinem exire, non meatis, nec ſtatim ſiſtatis, etiam ſi flueret, vſque ad defectum animi: nam ſcopus curationis, ſeu ſanationis vulnerum inquit Hippocrates eſt, vt ſiccemus, nulla autem alia ratione magis exiccamus vulnera, quàm ex fluxu ſanguinis, & hac de cauſa Hippocrates monet, vt in vulneribus partium interiorum ſinamus multum ſanguinis effluere.

Aliud obſeruãdũ circa effluxionẽ ſanguinis

Sed in vulneribus thoracis, & ventris monet, vt ſtatìm ſanguinem ſiſtamus. ſed quę nam ratio diſcriminis huius eſt, diceret aliquis? Credo rationem cur in vulneribus artuum debeamus permittere, vt copioſus ſanguis effluat, eſſe, quia ad illas partes ſemper ex ſe multa materia fluit, & quia artus ex carnes ſunt. & pauco calore donati, idcirco ſi noua materia flueret ad ipſos, non poſſet concoqui, nec gubernari, & fieret inflammatio: hoc autem inconueniens effugimus, ſi multum ſanguinis effluere ſinamus; in ventre autem, & thorace cum copioſus ſit calor, poſtea materiam etiam multam concoquere, & digerere. Altera ratio poteſt eſſe, quod artus ſuapte natura ſunt ſicci, & ideo quantum fieri poteſt eorum ſiccitas eſt ſeruanda, quod non fieret, ſi ſanguinem fluentem ſtatim ſiſteremus: Contra autem venter, & thorax ſunt ſua natura humidæ partes: & ideo earum humiditas eſt conſeruãda, alioqui plurimus calor, qui in eis redundat, non poſſet pabulari: hac de cauſa ſiſtendus eſt in ipſis ſanguis, ne deficiat alimentum caloris: at in artubus cum paruus ſit calor pauco eget alimento, quod conſeruetur. Addatis etiam, quod omnia vulnera, in quibus intendimus agglutinationem, ſunt ſiccanda. Vltimò dicimus, quòd ſi multus ſanguis ex ventre mittatur, inteſtina, meſenterium, omentum, ac reliquæ partes nutritioni deſtinatæ refrigerari poſſent, ac valde pati.

Circa ſuturam faciendam eſt etiam obſeruandum, quæ partes conſuendæ ſint, an videlicet omnes, vel aliquot tantùm. Dico, quòd omnes, & quod omnia vulnera ſimplicia conſuenda ſunt, quorum agglutinationem ſperemus. Poſtremò non ſolùm deligatione faſciarum, & puluillorum, vel laqueorũ appoſitione, aut ſutura, ac fibulis vnita ſeruamus labra; verùm etiam medicamento appoſito, quod quidem ſubſtantia ſit valde tenax, quale eſt barbarum, aut ſimile medicamentum, quod imponimus, atque ſua tenaci ſubſtantia, labra colligit, & ita iuncta ſeruat.

Aliud obſeruãdũ in ſutura.

Quintum caput curandorum vulnerum erat conſeruatio temperiei in vulnerata parte, vt poſſit fieri agglutinatio: nam effectrix cauſa eſt ipſa natura, & per naturam intelligo habitum partis, qui habitus conſiſtit in temperatura: ergo temperatura eſt conſeruanda, & ſi caſu fuerit immutata, eſt reſtituenda: nam, vt Galenus dicit tertio methodi, capite nono, tẽperies loci habet rationem futurorum. Sed quæ nam temperies eſt affectanda, & quid agẽdum pro conſeruatione ipſius?

Quintum caput curandorum vulnerum cõſeruatio temperiei.

Dico, quod hoc patet ex Hippocrate in libro de vlceribus, vbi loquens de vulneribus inquit, ſiccum ſano vicinius eſt, humidum verò non ſano, ex quibus verbis apparet totam temperiem partis conſiſtere in hoc, vt exiccemus & vulnus ſeruemus immune ab omni humiditate ſuperflua: nam ſiccum eſt vicinius ſano.

Temperies vulneris ſita eſt in ſiccatione.

Dubitatio.

Sed ſtatìm diceret aliquis, cum temperies conſiſtat in calido, & frigido, & in iſtis etiam requiratur temperies, cur Hippocrates meminit tantum de ſiccitate, & omiſit alias qualitates? Dico hoc factum eſſe ab Hippocrate, quia humiditas eſt cauſa in vulneribus omniũ malorum, ſicut etiam, vt caliditas, & frigiditas mutentur præternaturam, nam niſi ad

Solutio.

vulnus fluat copia humoris,non fit inflammatio,nec intemperies,& ſic pars non refrigeratur,nec calefit prætermodum;ſed præcipuè caliditas introducitur,quoniam ad vulnera cōfluunt ichores:aperti ſunt meatus;dolor trahit;collecti humores primò humidam reddūt partem;& hac ratione intemperatam;ſecundo putreſcentes,aut ex natura ſua reddunt calidiorem:quare ſi extranea iſta humiditas auferatur,aut prohibeatur, ſequitur & ſanitas tota ratione reliquarum qualitatum:quia igitur humor vel ſua qualitate,vel quantitate,vel per putrefactionem eſt in cauſa,vt ſequatur vel frigiditas,vel caliditas,hinc eſt quod Hippocrates meminit tantùm de humiditate, & ſiccitate, quoniam humiditas non naturalis eſt in cauſa,vt ſequantur aliæ qualitates: & ſi humiditas aduentitia in vulnere redundet, non ſit bona curatio,vt experientia oſtendit,nam ſi ex vulneribus artuum euacuetur copioſus ſanguis,nihil mali ſuccedit,& facilè ſanatur vulnus: contra autem ſi remanear multa humiditas. Itaque in vulneribus ſemper affectanda eſt ſiccitas,quia ſuum contrarium eſt cauſa omnium malorum:ergo conſeruanda eſt ſiccitas naturalis partis,& auferenda ſuperflua humiditas: nec oportet chirurgum eſſe valde ſollicitum de refrigeratione,& calefactione in vulneribus,dummodo non deſtruant habitum. Verum ſciatis,quòd licet ſit affectanda ſiccitas tamen non omnes partes æquè ſiccæ ſunt, & ſic non æqualiter ſiccitas in omnibus corporibus, & partibus erit affectanda, quoniam & corporum,& corporis partium temperaturæ variæ ſunt:eſt enim vna temperatura communis,qua tamen maior pars hominum participat:eſt & altera temperatura,vel habitus ſpecificus,& proprius quibuſcumque indiuiduis, tertio eſt temperatura accommodata,& propria cuilibet parti corporis. Cum itaque tres ſint habitus,tria quoque erunt obſeruanda in vtendo ſiccantibus medicamentis, vt ſcilicet habeatur ratio temperaturæ communis,propriæ cuiuſcumque indiuidui,& propriæ cuiuſque partis corporis. Si ergo daretur corpus calidum,& humidum,vt mulier,& vulnus eſſet in parte pariter calida,& humida,vt verbi gratia in gena,vel circa màxillam; tunc pro conſeruatione temperaturæ oportebit imponere medicamenta quidem ſiccantia; ſed non valde ſiccantia: & ita conuenient ſicca in primo gradu,ſi autem imponeres ſicca in tertio, vel in quarto tu non; conſeruares habitum naturalem. igitur non oportebit recedere, ab ijs, quæ ſicca ſunt in primo,quæ optima ſunt,vt teſtatur Galenus, qualis eſt farina hordei, qua ego vti ſoleo in vulneribus faciei lenibus, Thus,crocus,furfures triticei,chamomælum,farina fabarum,eupatorium Dioſcoridis,capilli Veneris,oryzæ ſemen,& farina, quæ omnia conueniunt in habitu calido,& humido. Sed ſi ſubiectum corpus ſit habitus ſpecifici calidi, & ſicci,vt ſi eſſet ſenex longus,ſiccus,robuſtus tamen,& vulnus eſſet pariter in parte aliqua ſicciori,vt in pede,vel in manu,& pars ipſa eſſet valde exercitata,& calloſa,vt ſolent eſſe manus fabrorum;hinc cum maxima ſit ſiccitas tum in toto, tum in parte, ſi velimus habitum naturalem conſeruare,non oportet,vt vtamur ijs,quibus vtebamur in alio ſubiecto;ſed ſiccis in ſecundo, & in tertio gradu intenſo: & ſi poſſes auferre caliditatem ab ijs, quæ ſicca ſunt in quarto,qualis eſt calx,& metallica,conuenirent;& ita omnia metallica abluta optima ſunt. Itaque habitus eſt ille, qui indicat maiorem,vel minorem ſiccitatem. Aliud quoque eſt,quod intenſiorem,vel remiſſiorem indicat ſiccitatem,& eſt fluxio ſanguinis: nam pro ſeruanda ſanitate ſat eſt vti ſiccātibus;at in agglutinationibus indicatur aliud,quia gluten,quo iunguntur labra vulneris,fit ex ſanguine illo pauco,qui labitur inter ſpatia inſenſibilia, & vertitur in carnem; & ſic ex hoc pauco ſanguine in carnem mutato agglutinantur labra ſimul:gluten autem hoc non poteſt fieri, ſi multus ſanguis defluat in vulnus: & ideo non ſolum requiruntur ſiccantia pro conſeruando naturali habitu; verùm etiam,vt poſſit fieri agglutinatio:quæ cum citò fieri debeat,& robuſtè,requiritur maior exſiccatio, quàm quando intendimus tantùm conſeruare habitum: nam agglutinatio debet validè, & citò fieri,antequam maior fiat fluxio ad vulnus. Vnde ſi haberemus habitum temperatum, (tēperatum intelligo in ſua ſpecie) & ipſum conſeruare vellemus, ſat eſſet vti ſiccantibus in primo gradu;ſed vt fiat gluten,oportet addere aliquid aliud:& ita in habitu tùm totius corporis,tum partis vulneratæ temperato conuenient ſicca in primo gradu,& aliqualiter in ſecundo,in habitu autem robuſtiori poſſumus progredi vſque ad tertium,& quartum etiam gradum.

Varia corporum temperatura.

Tria obſeruāda in ſiccando.

Sicca in primo gradu,quæ cōueniunt in habitu calido, & humido.

Indicatur & aliud:nam ratione doloris & inflammationis ſolet fluere maior copia ſanguinis, quàm opus ſit pro glutine conficiendo, qui ſanguis ſi retineatur in vulnere, putreſcit,& generat multa incommoda:& ideo,ne hoc accidat,oportet facere,vt paucus ſanguis defluat;& ita indicatur aliquod,quod repellat ipſum. quare medicamenta debent & ſiccare,& aſtringere,ſeu repellere. Colligo ergo hac methodo medicamenta debere habere vim ſiccandi maiorem,vel minorem pro diuerſitate habitus,& aliquam facultatem aſtringentem. hac igitur methodo inueſtigabitis, quale debeat eſſe medicamentum vulneri applicandum:nam duplex rerum proponitur temperamentum: alterum æquale quodam modo,atque ſtatum in vna ſpecie,veluti temperamentum humanū,quale reperitur in maiori

Medicamenta qualia.

parte

parte hominum, atque fœminarum; alterum eſt inæquale in ea ſpecie, quoniam ſubiectũ membrum aliquantiſper excedit aut calore, aut frigiditate, aut ſiccitate, uel humiditate ab eo, quod ut plurimum reperitur, aut ab eo, quod in alijs partibus reperitur; dicitur tamen naturale, quia à natura in generatione aut longo uſu, ac conſuetudine contractum eſt. atque temperies naturalis dicitur etiam iſta reſpectu illius citæ mutationis, quæ non naturalis eſt, ſed potius intemperies. Præterea tota natura hominis reſpectu aliorum animalium plurimorum magis inclinat ad humidum, quàm ſiccũ, quod in omnibus fœminis, ac pueris, & adoleſcentibus apparet. Hoc ſtante, ſi quis homo accipiat uulnus, uel fœmina, qui ſit huius habitus humidioris, quem temperatum uocamus, quia maximè congruit ſpeciei, uel aliqua ſit pars uulnerata, quæ humidior ſit, atque ad hanc temperiem tendat, ut gena, & ſimilia; tunc dico, quòd pro conſeruanda naturali ſiccitate partis, medicamenta, quæ in primo ordine ſiccant, optima erunt, ut farina hordei, thus, & alia, quæ recenſuimus: at ſi tẽperies excedet, aut totius hominis, vt pote in homine robuſtiſſimo, aut ſene, aut etiam ipſius partis, vt pote articuli cuiuſdam, aut digiti, aut pedis, aut capitis, magis ſiccante vtemur medicamento, vt in ſecundo aut tertio gradu non intenſo; quod ſi pars illa fuerit in corpore, quod ratione etiam totius excedat ab illo æquali tunc etiam intendendum eſt medicamentum; & contra minus ſicco vtendum erit, ſi habitus totius ſit humidior. Quare colligendum eſt, quòd vt mutatur iſta temperies, ita mutantur ſicca medicamẽta; & adhuc magis, ſi humida intemperies excedat. Vnum verò cõmuniſſimum colligemus, quòd in vulneribus medicamenta ſiccantia ſunt imponenda pro conſeruanda partis ipſius temperie, atque abſumenda humiditatis excrementitię copia: ſed quoniam non ſolum ichoroſa humiditas ad locum affectum fluit; ſed etiam ſanguinea, qua non egemus ad gignendam carnem; ſed ad gluten gignendum, quo partes hæreant, quodque carne ſit ſolidius, atque iſtud fit ex ſanguine ſiccato; ideo medicamenta etiam ſiccantia requiruntur glutinis efficiendi cauſa, ac ſiccandi. Tertio quoniam aliquando copioſior fluit ſanguis, & tantus, vt non poſſit diſſolui, nec à parte vinci, & abſumi, & partem nimis humidam, ac laxam reddit; eapropter requiritur, vt medicamentum præter ſiccitatem etiam adſtringentem facultatem habeat, vt partes ſtipet, atque fluentem ſanguinem cohibeat, & partes ſolidiores reddat, & ſimul gluten denſet: huiuſmodi medicamẽtum glutinatorium à noſtris vocatum eſt, à Græcis verò κολλητικὰ: & quoniam cruentis vulneribus imponitur, ἔναιμα etiam vocatur: differtque à ſarcotico, quia non tantum temperiem partis ſiccando ſeruat, & ichorem abſumit; ſed etiam ſanguinem ipſum, & partes ſtipat, atque adſtringit, glutenque confirmat, ac denſat: ſarcoticum autem ſiccat tantum, & detergit ichorem.

Tota natura hominis

Temperies dico.

Vt mutatur temperies, ita mutanda medicamenta

Medicamenta præter ſiccantem, aſtringere etiam debent.

Stante hac methodo, quæ veriſſima eſt, ac certa, videamus an amethodi Empirici, qui curant vulnera aqua frigida, & volunt frigida aqua illa agglutinare, rectè faciant, vel ſecus: profectò non, quia ad agglutinationem indicatur ſiccatio, & prohibitio fluxionis: aqua autem id non præſtat, tamen multi ſunt, qui vtuntur hac medendi ratione: & alij vtũtur aqua frigida in vulneribus capitis tantùm; alij in omnibus; alij vtuntur aqua frigida, & quibuſdã vnguentis, & iſti omnes habent authoritatem Celſi pro ſe in quinto lib. cap. 149. qui curat vulnera ſuperimpoſita ſpongia ex aqua frigida expreſſa, atque ſtatim ſubiungit: licetque ſine peregrinis, & conquiſitis, & compoſitis medicamentis vulnus curare. Confirmant & dicunt, quòd verba illa, quæ dicunt, dum benedicunt aquam, habent maximam vim: & ita, licet aqua ſua natura poſſet obeſſe, tamen virtute illorum verborum ſanantur vulnera. Tertiò addunt experimentum, quod multi hac curandi ratione ſanãtur: & ita re vera eſt, & ego etiam cum irem aliquãdo Romam, ſanaui meum ſeruum aqua frigida, qui in itinere vulneratus eſt, cum alterius medicamenti copia non eſſet: ergo ratio curandi vulnera per aquã frigidam eſt bona. Ego autem dico, quòd mala, & inſpecta eſt: nam methodus ſupra poſita accepta ex fontibus Hippocratis veriſſima, & certiſſima eſt, quod videlicet conſeruatio habitus præcipuè conſiſtat in exiccatione ichoris, humoriſque ſuperflui, & in prohibendo sãguinis defluxum: hoc ſtante, aqua cum frigida ſit, & humida, nõ poteſt hæc præſtare; & quãuis ſua frigiditate actuali repellere poſſit materias, & arcere inflãmationes, hoc tamen non ſemper facit: præterea vulnera mordicat, & calorem naturalem aliquando ſuffocat: & vidi gangrænas maximas inſecutas huic generi curationis; aliquando tamen ea ſum ego vſus, quando nihil aliud habui, vt ſaltem arcerem inflammationem; ſed cum potui, ad medicamenta indicata deſcendi. De ſuſurrationibus autem, & incãtationibus illis neſcio quid ſint, poſſent eſſe verba tàm bona, quàm mala: ſed ſint qualiacumque, non ſunt ad propoſitum; non nego tamen miracula, nec Dei Potentiam, nam Deus omnia poteſt; tamen hæc veſtra verba non imponunt Deo neceſſitatem. De experimento vidi ego plures ſanatos, & ſanaui, vt dixi, meum ſeruum, tamen dico, quòd ratio hæc curandi non eſt tuta, & uellem ego, ut iſti aſſignarent mihi numerum eorum, quos interfecerunt hac ſua curandi ratione, ſicut aſſignant eorum, quos ſanarunt, & viderent longè maiorem eſſe illorum, quos iugulaue-

Nũ aqua frigida poſſit agglutinare.

re:

re: & ſi ego ſanaui meũ ſeruum, ſanaui etiam 25. & triginta, & plures, qui inciderant in gangrænam ex illa curatione aquæ frigidæ. Ad Celſum autem dico, quod ibi loquitur de leuibus vulneribus, & nullius fere momenti, & dicit, quod in ipſis poſſumus vti aqua frigida, tamen mala curandi ratio eſt, tametſi aqua in ſe ſit optimum elementum; quia habet naturam, vimque repellendi, & mundandi; & cum natura ſit ea, quæ agit, poſſumus dicere, quod iuuando naturam ſanat vulnera, prohibendo fluxionem: Et ideo in vulneribus, vbi non ſit opus ſiccatione, vt in habitu calido; ſed tantum repulſione ſanguinis, ne fluat, aqua poſſet iuuare naturam, & ſic ſanaret vulnera; & ideo Celſus cognoſcens vanitatem medicamenti mulíebris, ſtatim ſubiungit: ſed ſi quis huic parum confidit, imponere medicamẽtum debet &c. Et ſi obſeruaueritis vulnera, quæ aqua ſanantur, videbitis, quòd parum ſanguinis defluit ad vulnus; ſed ſolum tantum, quantum attrahitur à parte pro ſui nutrimẽto. Cum itaque non fluat ichor, & non opus ſit in ipſis ſiccatione humoris ſuperabundantis, poteſt eſſe, quòd aqua actu frigida iuuando naturam in repellendo ſanguinem, qui poſſet fluere ad vulnus, ſanaret vulnus; ſed tamen natura eſt, quæ ſanat. Quare accuſandi ſunt illi, qui ſola aqua vulneribus medentur, & magis etiam, qui oleo tantùm, aut ſiccis linteis: Vnde cum quidam Germanus chirurgus vidiſſet hanc curandi rationem, cum ſola aqua eſſe ineptam, inuenit ipſe alium modum, cui multi atteſtantur, etiam ſi ſit abſque methodo, & modus talis eſt: Conficit medicamentum ex lapide hæmatitide, & ipſo inungit gladium, quo illatum eſt vulnus, ipſumque pannis obuoluit, tenetque in aere temperato, & habet maximam ipſius gladij curam; deinde inſpergit aquam ſupra vulnus, & multam quidem in vulnus ipſum: deinde ponit in vulnere lintea aqua frigida madida, & ſic proſequitur vſque in finem: & ita, vt videtis, iſte curat gladium, vt ſanetur vulnus. Vnde mihi videtur curatio magiſtri Grilli, qui cum aduocatus eſſet ad curandam puellam, quæ, dum comederet piſces, deglutiuit ſpinã, & retenta eſt in faucibus: magiſter Grillus acceſſit, & butyro cœpit inungere anum puellæ, vnde ipſa irrupit in magnum riſum, & ſic ſpina reiecta eſt; ita & Germanus iſte mihi videtur facere, vult ſanare vulnus, & applicat medicamentũ gladio. & ſi nõ haberetur gladius ille, quo illatum eſt vulnus mandat, vt accipiamus alium, ſiue ſit eiuſdẽ, vel diuerſæ magnitudinis, nihil refert; & vult, vt gladius inſeratur in vulnus, vt cruentetur, poſtea ita cruentum inungit, & habet maximam ſui rationem, vt dictum eſt: nam dicunt, quòd ſi gladius nimis refrigeretur, ita & vulnus refrigeraretur. ſed neniæ hæc mihi videntur. Q ſanantur plurimi, concedo immò credo, quòd ſanarentur facilius ſi medicamẽtum illud applicaretur vulneri, quia exſiccat; ſed illi, qui ſanantur, ob id ſanantur, quoniam natura eſt, quæ ſanat, & aqua illa adiuuat repellendo, & prohibendo fluxionem.

De Germano, qui curabat gladium, pro ſanãdo vulnere.

Itaque concludamus veram, ac certam curandi rationem vulnerum eſſe per methodum Hippocraticam, vt ſcilicet ſiccemus, & prohibeamus fluxionem ipſam. Quando igitur vulnus eſt agglutinandum illud natura facit adiuta à medicamentis, & adductis, conſeruatiſque labris in eo ſitu. Natura ergo eſt illa, quæ agit: & agit, ſi integra conſeruetur: conſeruatur autem integra, ſeruata ſiccitate naturali partis; & ideo oportet, vt medicus exſiccet partem, tùm pro conſeruando naturali habitu, tùm pro exſiccando ichore, atque abſumendo. Exſiccatur autem vulnus, & pars ipſa dupliciter: vel per multam ſanguinis effluxionem, vel medicamentis ſiccantibus impoſitis. Verùm quia ſanguis copioſus aliquando ad vulnus fluit, idcirco medicamenta ſiccantia debent etiam habere vim repellendi: quam vim habebunt, ſi ſint prædita aſtrictione. Debent ergo medicamenta valdè ſiccare, atque habere aſtrictionem: hæc eſt vera methodus, ex qua apparet, vt dixi, falſam eſſe illam rationem curandi ſeu agglutinandi vulnera per aquam, vel oleum, vel linamẽta: Apparet quin etiam non eſſe approbandam rationem agglutinandi vulnera traditam ab Albucaſi, & acceptam à Guidone per album oui, quo vtuntur à principio vſque ad finem, & malè faciunt, quoniam tale medicamẽtum non ſatisfacit prorſus omnibus ſcopis: nam quamuis habeat aliquam vim ſiccandi, & refrigerandi, tamen non tanta eſt, quanta requiritur. præterea non habet vim aſtringendi, quare non conuenit hoc medicamentum, cum album oui, firmatò ſanguinis fluxu, indicationi non ſatisfaciat, quia frigidum eſt, ſed parum, atque ſiccum ex ſententia Galeni in 11. ſimpl. cap. de ouo; & cõſimilis facultatis eſt luteum, dicat quicquid velit Auicenna de caliditate vitelli, atque humiditate utriuſque, uerum nullam habet adſtringẽtem facultatem, mitigatoriam quidem habet; ſed non adſtringit, ut uos hodie iudices eſſe poteritis, cum oua comedetis. Similiter non conueniunt illa, quæ ualidiſſimè ſiccant; & quamuis Celſus in agglutinandis uulneribus utatur ſpongijs aceto madidis, tamẽ iſtud auxilium eſt mihi ſuſpectum, quia acetum acre eſt, & ualdè exaſperat, inæqualeſq; reddit partes, & mordicat: mordicatio autem in uulneribus ſemper eſt fugienda: adſtringit quidem ualidiſſimè exſiccando, & liquefaciẽdo carnem, non autem propriè adſtringit; & ideo caueatis ab aceto: & quando Aetius dicit, quòd acetum adſtringit, non intelligatis, quòd id faciat per ſe, ſed nimium exſiccando; non autem habet facultatem illam adſtringendi, quæ percipitur guſtu.

Vulnus dupliciter exiccatur.

Qualitas medicamẽti ad vulnera.

Album oui refellitur.

Non conueniunt ualidiſſime ſiccantia.

Cauẽdum ab aceto.

Digitized by Google

guſta, quare opus eſt medicamentis ſiccantibus, & adſtringentibus: adſtringẽtibus quidem, ſed non nimis exſiccando. *Acetum aſtringu exſiccando.* Verùm in huiuſmodi medicamentis opus eſt etiam obſeruare conſiſtentiam, ideſt, ſubſtantiã: *Medicamentorum conſiſtẽtia.* nam Galenus tertio meth. cap. quarto inquit, quòd oportet obſeruare, an medicamentum poſſit penetrare uſque in fundum uulneris, ubi faciẽda quoquè agglutinatio eſt, necne; ſi enim uis medicamenti non poſſet illuc uſque peruenire, agglutinaret tantum partes ſuperficiales: nam impoſita ceruſa, lythargyrio ve, nihil agimus, niſi ſint in tenuiſſimum puluiſſum redacta, & aliquo humido diluta à quo ueluti uehiculo quodam in profundum ducantur. Quare conſtat, quod medicamenta debent ſiccare, adſtringere, & præterea habere aliquam humiditatem, uel actu uel poteſtate; quæ humiditas, uel humor ſit uehiculum facultatis medicamenti uſque ad profundum uulneris. & hinc habetis quod medicamenta ſub forma pulueris exiſtentia non ſunt opportuna, quia non habent uehiculum. *Medicamenta ſub forma pulueris non ſunt opportuna.* Si itaque velletis medicamentum ſimplex familiariſſimum, & optimum, nõ diſcedatis à uino auſtero, quod re vera optimum eſt, nam ratione partium terreſtrium multarum, quas habet, ſiccat, & adſtringit; ratione poſtea humiditatis aqueæ tenuis penetrat, quod autem auſterum vinum habeat has facultates, videatis Galenum in quarto de facultatibus ſimplicium cap. octauo; & per auſterum intelligatis illud, quod vulgo appellatur garbo: ſique auſterum non haberetis, vtamini eius loco acerbo vino: nam & ipſum ſiccat, adſtringit, & penetrat: madefaciatis igitur ſpongiam, vel ſplenia, & tepida vulneri iam conſuto applicetis, & ſæpe immutetis, aut quotidie, aut alternis diebus: ſi autẽ nec hoc; nec illud vinum haberetis, vt ſi eſſetis Mutinæ, non niſi caſu, & paucum poſſetis habere: ſimiliter ſi eſſetis in Aemilia, & in tota Flaminia etiam non poſſetis tale vinum habere, & ſi haberetis illud, eſſet potius acidum, quale eſt omphacinum, quàm auſterum, vel acerbum (nam eſſet factum ex uuis parum maturis,) ſi inquam tale uinum auſterum non haberetis, quale habetur copioſum in his Ciuitatibus, confugiatis ad alia medicamenta, & ad alios liquores, qualis eſt ſuccus hypericonis: *Vinum auſterũ optimum eſt medicamẽtũ ſimplex.* contundatis hanc plantam, affundatiſque parum vini, & extrahatis ſuccum, quo vti poteritis loco vini auſteri: *Succus hypericonis.* Bonus etiam eſt ſuccus cupreſſi, ſuccus equiſeti, ideſt, plantæ illius, quæ dicitur etiam vulgo cauda equi: ſuccus milleſolij, quo ego ſum vſus aliquando ruri feliciſſimo cum ſucceſſu: ſuccus quinquefolij, quaecumque fuerit quinquefolium illud; *Alij ſucci.* Hippocrates tamen laudat ad agglutinanda vulnera pentaphyllon album: bonus quoque eſt ſuccus ex folijs conſolidæ mediæ, & ſuccus ex radicibus conſolidæ maioris: ſed ſi eſſet hyems, & non poſſetis habere plantas, confugiatis ad medicamenta compoſita, quæ varia proponuntur ab authoribus: inter quę eſt vnum Albucaſis in ſecundo lib. cap. 84. quod volo vobis proponere, non quidem vt ipſo vtamini, ſed vt ſciatis cauendum eſſe ab ipſo: medicamentum autem recipit thuris partem vnam, ſanguinis draconis partes duas, calcis viuæ partes tres. Fit puluis ex his omnibus, & inſpergitur ſupra iam conſutum vulnus, & hoc medicamento vtitur in vulneribus in capitis. Sed malum eſt in omnibus vulneribus, quia propter calcem ſæpe erodit: vnde caueatis ab ipſo. At ſi velletis medicamentum ſub forma pulueris faciatis hoc modo:

Sub forma pulueris.

Rec. thuris
  maſticis
  aloes
  boli Orientalis
  cornu ceruini vſti } an. ℈ i.

Cõtunduntur omnia, & fit puluis tenuiſſimus, qui excipitur vino auſtero, vel alio liquore ſimili, vt aliquo dictorum ſuccorum; vel ſucco etiam roſarum, qui ſemper habetur in officinis, & madefactis in eo ſplenijs, imponitur vulneri. Sed in omnibus pulueribus, & medicamentis, quibus vtimur pro agglutinandis vulneribus, in quibus recipitur ſanguis draconis, notate vnum magni momenti, & eſt, vt nunquam accipiatis ſanguinem illum draconis, qui paratur à ſeplaſiarijs varijs ex rebus, quoniam cauſticum aliquando, eſt medicamẽtum, & exaſperat partes, eſtque aliquando veluti venenum; *Notãdum de ſanguine draconis.* ſed accipiatis ſanguinem illum draconis, qui lachryma eſt, & deſcribitur aliquando à Dioſc. ſub nomine Cinnabaris, & habetur etiam in officinis. Habemus & alia medicamenta compoſita pro vulneribus agglutinandis propoſita à Celſo in quinto lib. quale eſt illud barbarum pro duris corporibus, baſilicum pro mollioribus, & reliqua, quæ apud ipſum videre poteſtis. ſed ſi uultis materiã ampliorem de medicamentis agglutinantibus, legatis Aetium in 15. lib. cap. 12. ubi plura proponit. *De medicamẽtis cõpoſitis agglutinãtib.*

Ego autem inter cætera medicamenta utor libentiſſimè cerato barbaro, nõ illo quidem, quod deſcribitur à Celſo, ſed ſecundum deſcriptionem Galeni traditam in ſecundo de cõpoſitione medic. per genera cap. ultimo, & optimum eſt pro mediocribus corporibus; tamẽ *Ceratũ barbarum Galeni.*

ipſo

Digitized by Google

ipſo utor ego in mollibus etiam corporibus,diſſoluto tamen cum cerato roſaceo, ne tantū ſiceet,ac adſtringat: & poſſum equidem ingenuè fateri, quòd nunquam fruſtatus ſum ab illo ſcopo,quem intendebam aſſequi ex huiuſmodi medicamento,& agglutinaui uulnera aliquando citiſſimè; aliquando non ita citò; tamen res ſemper feliciter ſucceſſit, & aliquando tanto cum ſucceſſu,ut nulla fere cicatrix remanſerit.Quare audacter utamini hoc medicamento, quod uobis deſcribam, quoniam immutanda ſunt quædam, quibus caremus.paratur igitur hoc modo:

Cerati barbari deſcriptio.

Rec.picis ſiccæ lib. viij.
cerae lib. vj. & ℥ viij.
Reſinæ pini lib. v. & ℥ iiij.
Aſpalti veri, ideſt, bituminis Iudaici lib. iiij.
olei lib. j. s.
Litargyrij, Ceruſæ, Aeruginis æris an. ℥ iij.
Thuris lib. s.
Aluminis liquidi ℥ j. s.
Aluminis ſciſſilis ℥ iij.
Opoponacis, Squammæ æris, Galbani an. ℥ j. s.
Aloes, Opij, Myrrhæ an. ℥ s.
Terebinthinæ lib. ij.
Succi mandragoræ ʒ vj.
Aceti lib. v.

Obſeruanda de quibuſdā ſimplicibus.

Sed antequam dicam de modo parandi, ſunt multa adnotanda circa ea,quæ ingrediuntur hanc deſcriptionem, quorum plurimis caremus: & primò Antiqui habebant picem ſiccam, & picem liquidam, ſicca autem caremus nos, & non habemus niſi illud piſaſpaltum: at veteres habebant etiam ſiccam, quæ fiebat ex liquida; ſed nos habemus tantùm liquidam eductam ex his montibus ex teda arbore. At nautæ ſolent parare ſibi picem ſiccam, qua vtuntur ad oblinienda nauigia, & parant hoc modo: Accipiunt vnam partem piſaſpalti,& alteram picis ſiccam,qua vtor ego loco picis ſiccæ antiquorum; nec vterer loco ipſius piſaſpalto,vt aliqui faciunt,quoniam in medicamento recipitur & bitumen: Loco igitur picis ſiccæ vtamini illo mixto medicamento ex piſaſpalto, & pice liquida: ſed quando conficitis mixtum hoc, accipiatis partes æquales vtriuſque. Aliqui utuntur pice colophonia; ſed non placet.

Circa aſpaltum, ideſt, bitumen Iudaicum animaduertatis, ne ſeplaſiarij decipiant vos: cum enim carò vendatur,ſolent ipſius loco capere piſaſpaltum,& malè faciunt, quoniam acre nimis eſt medicamentum:curate igitur,vt accipiant verum aſpaltum ſolidum,&c.

Alumine liquido caremus nos; ſed eius loco vti poſſumus alumine rochæ. Aluminis ſciſſilis pauca apud nos quantitas eſt; & ideo cum non poſſimus tantum ipſius habere, vt poſſimus facere medicamentum,eius loco caperem,vt capio, alumen rochæ combuſtum.

Verum opium non habemus ſed eius loco vti poſſumus meconio,quod eſt ſuccus concretus ex capitibus papaueris.

Loco terebinthinæ vtor ego reſina laricina humida, quam præmanibus habemus; non autem terebinthina Cypria.

Succum mandragoræ paratum in officinis non habemus; ſed habemus ex mandragoræ radicibus, quo vti poſſumus etiam ſi medicamentum non ſit ita validum. Hæc erant adnotanda.

Modus parādi medicamēti cerati.

Paratur autem medicamentum hoc duobus modis: vno quidem antiquorum, de quo Galenus egit in compoſitione ſecundi barbari, & eſt talis: Eliquantur eliquanda, ſeu eliquabilia omnia, & reliqua ponuntur in mortario,rediguntur que in puluerem:deinde ponebant acetum in mortario,& piſtillo diducebant,donec fieret veluti ſordes; poſtea inijciebant omnia in mortario,& piſtillo agitabant. Alter modus eſt officinarum, quo vtor ego, & talis eſt:Capiunt oleum lithargyrium,& ceruſam,& coquunt ſimul,quouſque acquirat mellis conſiſtentiam; poſtea accipimus aliud vas, & in ipſo ponimus bitumen Iudaicum, & vas ſupra cineres calidos collocamus, & permittimus, vt ſenſim liquetur: ſi enim poneretur

retur ſupra carbones exureretur.& dum bitumen incipit diſſolui,ſuperinfundimus aliquid vel terebinthinæ,vel olei,vel alterius humoris,ne exuratur;cumque totum eliquatum fuerit, ſuperinicimus omnia liquida, mox reliqua medicamenta; vltimò acetum, & coquimus, donec acquiſiuerit talem conſiſtentiam, vt non inquinet, & acetum ferè totum fuerit abſumptum: & hoc modo paro ego barbarum Ceratum: & cum volo vti in mollioribus corporibus, diſſoluo ipſum cerato roſaceo, accipiendo duas partes barbari, & vnam roſacei, vel tantundem vtriuſque,& ſic habeo medicamentum validius,& mitius,vt volo. *In mollioribus corporibus.*

Sed ſi corpus eſſet durum, vt ruſtici ſunt, & ſenes, non vtor barbaro; ſed aliquo alio medicamento, in quo ſit ſquamma æris præparata, vel vtor emplaſtro Iſidis Galeni, quod in robuſtis corporibus optimum ſanè eſt medicamentum, & ſolum in his regionibus, & Ciuitatibus eſt in vſu. Sed notate,quòd aliquando vocatur emplaſtrum, vel medicamentum Epigonij: nam Epigonius fuit medicus, qui cum ob homicidium teneretur in carcere, & eſſet damnatus pęna capitis, vocatus eſt ad ſanandum quendam potentiſſimum virum, qui Hermonis ſacri ſcribæ uel Hermonis ſacerdotis etiam uocabatur; cumque illum ſanaſſet hoc medicamento, inde factum eſt,ut ab ipſo medicamentum nomen acceperit: & quia ipſum ſanaſſe ægrum illum uiſum eſt ueluti miraculum, idcirco pęna, qua erat damnatus, liberatus fuit. Dictum porrò eſt emplaſtrum Iſidis, quia in templo Vulcani in Aegypto deſcriptum eſt repertũ,quemadmodum etiam emplaſtrum ſacrum. Deſcriptio autem habetur à Galeno in quinto de compoſitione medic.per genera,& talis eſt. *In robuſtis.* *Iſis,ſeu Epigonius.*

Deſcriptio emplaſtri Iſidis.

Rec.ceræ ℥ c.
colophoniæ ℥ cc.
Radicis dracunculi exſiccatæ
ſquammæ æris rubri
Aeruginis æris
Ariſtolochiæ rotundæ ſiccatæ
Thuris
ſalis ammoniaci
Ammoniaci thymiamenis
Aeris uſti
— an. ℥ j.
Aluminis rotundi ℥ vj.
Aloes
Myrrhæ
Galbani
— an. ℥ xij.
olei antiqui lib. r.ſi hyems ſit;ſi verò æſtas,lib.mediam tantùm.
Aceti quantum ſufficit.

Animaduertatis,ne loco ſalis ammoniaci capiatis ammoniacum Alchymiſtarum, ſed eius loco vtamini ſale gemmeo. loco aluminis rotundi vtamini alumine rochæ. Eliquantur eliquabilia, & omnia ſicca rediguntur in puluerem, & ſuperadditur poſtea acetum, & piſtillo agitantur optime aliquandiu:deinde alia eliquata,& piſtillo ducuntur optimè; poſtea accipitur medicamentum,& manibus etiam emollitur continuo per tres,aut quatuor horas,madidis exiſtentibus manibus aceto acerrimo;accipitur deinde vas ex ære rubro, expletur aceto,& factis ex medicamento magdaleonibus,vel orbibus,inijciuntur in vas aceto plenum;& ita relinquuntur & ſeruantur,& videbitis,quòd quando tempore vſus extraxeritis orbes, vel magdaleones, erunt rubei in ſuperficie. Hoc vtor ego in agglutinandis vulneribus in corporibus robuſtioribus.Sed animaduertatis, quòd quando ex officinis uolueritis hoc medicamentum,ſcribatis ſemper.

Rec.emplaſtri Iſidis, non autem Iſidis tantum, quia intelligerent de vnguento Iſidis, quod eſt mixtum medicamentum partim ex emplaſtro Iſidis deſcripto iam, & partim ex cerato roſaceo. Ad eundem vſum poteritis vti emplaſtro ex vua acerba, vt monet Hippocrates in lib.de vlceribus. *Emplaſtrũ Iſis,& Iſis tantum diſferunt.*

Quæ igitur medicamēta tùm ſimplicia, tùm compoſita ſint vulneri imponenda quando affectamus primum ſcopum, ſeu primam intentionem, vt ſcilicet vulnus iunctum per futuram agglutinetur,audiuiſtis: Modus autem eſt,quòd omnia medicamenta,quę imponuntur pro tali ſcopo,debent eſſe mollia,vel ſi ſint ſicca,debent eſſe illius generis,vt impoſita parti per ſe eliquentur, vt poſſint penetrare vſque ad profundum vulneris: & ideo ſi medicamenta non ſint per ſe talia, diſſoluenda ſunt aliquo liquore, vt oleo, dummodo oleum ſit ablutum,& non impediat agglutinationem,vel alio liquore.

Cumque prima vice impoſueris medicamentum, quotidie ſemel detegendum eſt vulnus, ſi videlicet æſtas ſit, & abundet in ipſo materia ichoroſa, detergendum inquam eſt, & abſter- *Deterſio vulneris.*

Digitized by Google

abſtergendus eſt ichor, ſiccandumque optime vulnus linteis ſiccis, & mundis, & eſt præceptum Hippocratis in lib. de vlceribus, vbi præcipit, vt, quando detegimus, habeamus ſtatim parata medicamenta; ſed prius monet, vt vulnus antea optimè ſiccemus: Quod fiet, ſi ſpongia molli detergamus ſæpius, atque linteolum mundum imponamus, & leuiter vulneri inculcemus; deinde auferamus, ac ſecum ſimul ſaniem; neque ſemel hoc tãtum agamus, ſed etiam ſæpius. Galenus in ſexto meth. cap. tertio in vulneribus neruorum detergebat cum lana molli madefacta ſapa, vel vino dulci; non tamen acri, & expreſſa. Poteritis & loco lanæ vti ſpongia molli madefacta vino auſtero, & valde expreſſa. Ego autem accipio goſſipium, ideſt, cotonem, inuoluo circa ſummam partem ſpecilli, & madefacto aliqualiter ſaliua, detergo ichorem, & ſicco vulnus. Si igitur tempeſtas ſit calida, & abundet ichor, detegatis quotidie ſemel, abſtergatis, & ſiccetis optimè: ſed ſi frigus ſit, & parum ichoris gignatur, ſat erit detegere ſemel, alternis diebus, & abſtergere ichorẽ, & ſiccare vulnus. Sed quotieſcunque detegetis, obſeruate diligentiſſime, an vulnus ſit conglutinatum, nec ne; & ſtatim cum videritis eſſe agglutinatum, quod vt plurimum ſolet eſſe in quarta die, aliquando in tertia, aliquando in quinta, & ſexta, ſtatim, dico, ſecate fibulas, & ſuturam per tranſuerſum, ne ſecetur vulnus.

Quō cognoſcetur eſſe agglutinatũ vulnus. Cognoſcetis autem eſſe agglutinatum primo, quia paucus aderit ichor: ſecundo, ſi parum attollas fibulas, nec magis, nec minus vnientur labra: tertiò oculis cernes, an ſuperficies illa ſit vnita, nec ne: nequeo enim ego vos ex hoc loco id melius docere.

Sectio ſuturæ. Secatur autem ſutura, & fibula aliquando forcipe tenuiſſimo, aliquando iniicimus ſpecillum ſubtus fibulas tenuiſſimum, deinde gladio ſecamus filum ſupra ſpecillum. Cum ſecueris ſuturam, non extrahas fila ſtatim, ſed ſat eſt, vt relinquas inibi relaxata, ſed altera die accedens, extrahe ita, vt in prima viſitatione ſeces fibulas; in altera extrahas fila.

Ablata ſutura quid agendum. Ablata ſutura, non eſt relinquendum vulnus ſine medicamento, ſed curandum, vt maior fiat agglutinatio in ſuperficie, & in profundo. Præterea, linea illa vulneris communis labro vtrique eſt obducenda cicatrice, quæ duo præſtabit vobis idem medicamentum ſiccans & repellens, quo vtemini à principio vſq; ad finem. Verùm aliquando, immò ſæpe non ita ſuccedit, vt curatio ita facilè ſuccedat; & ideo oportet habere rationem rerum non naturalium, quæ impediunt agglutinationem, & in hoc oportet, vt vos Phyſici aperiatis diligentiſſime oculos, præſertim, quãdo habueritis miniſtrum aliquem ex his ineptis tonſoribus, qui habent linguam ferream, & ſerpentinam: nam ſi aliquis error ſuccedat, ſtatim

Habenda ratio ſex rerum nõ naturalium. phyſico aſcribunt. Itaque primò habenda eſt ratio euacuationis: : ſecundo victus, id eſt, cibi, & potus: tertiò motus, & quietis: quartò ſomni, & vigiliæ: quintò aeris ambientis: ſextò, & vltimò paſſionum animi.

Videamus primò, an in ſimplici vulnere (de hoc enim inſtitutus eſt nobis nunc ſermo.) conueniat euacuatio totius, quæ fit duplici inſtrumento, per ſectionem venæ, & per pharmacum: Videamus primò de ſectione venæ: In hoc chirurgi & Practici medici inter ſe

Nũ in ſimplici vulnere cõueniat ſectio venæ. diſſentiunt: nam aliqui ita abhorrent ſectionem venæ in vulneribus, vt omnes errores, qui ſuccedunt aſcribant ſectioni venæ, & dicant ortum habuiſſe ex venæ ſectione, & quòd niſi fuiſſet ſecta, nullum incommodum fuiſſet inſecutum: & in hac ſententia ſunt omnes illi, qui aqua vel oleo, ſupra quod murmurarint, medentur vulneribus: Et ratio, qua mouētur, eſt, quia in vulnere eſt ſola ſoluta vnitas; & ideo ſolam vnionem indicat, quia vnum nõ indicat, niſi vnum. Cum ergo vulnus ſit morbus ſimplex, & non ſit aliquid in ipſo, quod pendeat vel ex putredine humorum, vel ex quantitate, vel ex obſtructionibus; ſed ſolum ſit ſoluta vnitas, ſequitur, non conuenire euacuationem per ſectam venam; quia in vulnere nõ indicatur imminutio quantitatis humoris, nec aliud tale. Confirmat authoritate Galeni
„ in quarto meth. cap. ſexto vbi loquens de ſectione venæ, atque purgatione, inquit: Illius in-
„ terim in omnibus his non immemor ſis, non eſſe vlceris, qua vlcus eſt, vllam huius gene-
„ ris curationem. Ecce, inquiunt, quòd admonet nos, ne ſecemus venam. Præterea adducunt Hipp. authoritatem qui in lib. de vulneribus nunquam meminit de ſectione venæ, etiam ſi loquatur de vulneribus nõ ſolum paruis, verùm etiam maximis; ſed ſolum ſinit, ut ex uulnere ipſo egrediatur ſanguis: nam maxima refrigeratio, aut ſiccatio, aut calefactio ſit intẽſiſſima quantum uoluerit, non indicant, quatenus tales, ſanguinis miſſionem, aut uacuationẽ, ſi ſine materia ſint. Idẽ dicimus de uulneribus: Ergo, cõcludũt iſti, nõ eſt ſecãda uena.

Contraria opinio. Alii contrà dicũt, in quocumq; uulnere ſecandã eſſe uenã: præterquã in leuiſſimo: nã in leuiſſimo uulnere nõ egemus, inquiũt, magno auxilio, quia morbus nõ eſt magnus; ſectio autem uenæ eſt maximum auxilium: ſed ſi ſit uulnus magnum, quantuncunque ſimplex fuerit, ſemper, inquiunt, ſecanda eſt vena, quoniam morbus eſt magnus: ualet autem cõſequentia, inquiunt, ſecundum dogma Galeni, morbus eſt magnus, ergo ſecanda eſt uena; quia magnus morbus magnum requirit auxilium: Vocant autem uulnus magnum primò ratione quantitatis, poteſt enim eſſe magnum uulnus, & tamen eſſe ſimplex, ut ſi cui

manus

manus amputetur,vel ſecetur magna pars fæmoris,vel alterius huiuſmodi partis. Secundo vocant vulnus magnum,non quia ſit facta magna ſectio,ſed ratione nobilis partis. & quāto pars eſt nobilior, tanto etiam vulnus dicitur maius: & ita ſi vulnus ſit in articulo, vocabitur magnum;maius adhuc ſi in hepate,vel pulmone, &c. Tertiò vocant magnū vulnus, quod habet aliquam malam qualitatem coniunctam, vt venenum. Sed hoc non eſt ſimplex vulnus;ideo omittamus ipſum,& dicamus de alijs duobus. Magnum ergo vulnus, cū ſit magnus morbus,indicat ſectionem venæ, quia magnus morbus magnum exigit remedium:hæc eſt iſtorum ratio.

Impugnantur duæ dictæ opiniones. Contra primam.

Verum neutra harum opinionum mihi placet:prima quidem falſa eſt,quia licet vulnus qua vulnus,non indicet ſectionem venæ,ſed vnionem tantum: tamen non ob id ſequitur, quod non ſit ſecanda vena:quia vnio fieri non poteſt,niſi abundante ſanguine ſecetur vena & imminuatur copia ſanguinis: nam abundante ſanguine, ſemper humida reddetur pars, fietque inflammatio,fluente ſanguine ad vulnus,& impedietur agglutinatio:quare licet ſectio venæ non indicetur ratione curationis,tamen indicatur ratione præſeruationis ipſius partis,vt ſcilicet pars ipſa conſeruetur in ſuo naturali habitu,& ne, fluente ſanguine ad vulnus,fiat inflammatio;& vbi timemus abundantiam humiditatis, non eſt timenda venæ ſectio: Et ideo dico,quod quamuis vulnus, vt vulnus,non indicet ſectionē venæ; tamen pars affectanda eſt ſiccanda, atque temperies eſt conſeruanda, quæ non poteſt conſeruari cum humidum copioſum in corpore contineatur, niſi & totum etiam ſiccetur, atque illud citò agatur,nam per inediam,aut purgationem, aut ſudorem, aut vrinas, ac ſimilia nimis tardè agimus. Ad illud: Hippocrates nihil meminit de ſectione venæ,&c. Dico,quod ipſe euacuabat ſanguinem per ipſum vulnus, quia ſinebat, vt ſanguis multus efflueret; & ideo non oportebat, vt ſecaret venam. Quod ſi obijciant de uulneribus illis, ex quibus non effluebat copia ſanguinis, reſpondeo, quod legere debent Celſum in quinto libro, capite 148. vbi ex Hippocratis ſententia dicit ſecandam eſſe uenā,& ſi ſanguis multus non effluxerit per vulnus:& ideo falſum eſt,quod Hippocrates non concedat venæ ſectionem,vt teſtatur Celſus qui fuit eius interpres.

Contra alteram ſententiam.

Nec altera ſententia,ſeu opinio mihi placet,quod in quocumque magno uulnere ſecanda ſit uena,quoniam conſequentia illa (morbus eſt magnus,ergo ſecāda eſt uena) apud me nō ualet;ſed ualet ſic:morbus eſt magnus,ergo indicatur magnum auxilium;ſed nō quodlibet auxilium magnum, at proprium, & accommodatum illi morbo, ut uerbi gratia, magna obſtructio indicat magnum remedium; ſed non quodcumque magnum remedium; at illud,quod maxime exobſtruat: & ita non ualebit: maxima obſtructio eſt magnus morbus,ergo indicatur uenæ ſectio,quia eſt magnum remedium:ita quoque non ualet:uulnus eſt morbus magnus,ergo indicatur magnum auxilium: Et,ut ingenuè fatear, Galenus in indicationib. de ſecanda uena, mihi nunquam ſatisfecit,licet in reliquis fuerit diuinus: & rō, qua mihi non ſatisfacit,eſt, quoniam alibi tradidit nobis methodum, qua inueniremus indicationes de ſecanda uena,q̄ methodū,ſi ſequamur,ut ſequi debemus,non poſſumus ullo modo aſſerere ſequelā illā tenere,morbus eſt magnus,ergo conuenit venæ ſectio. Quare nō valet apud me: vulnus magnū eſt morbus magnus,ergo ſecāda eſt vena;ſed indicatio de ſecanda vena,vel non ſecanda in vulnerib. ſumitur aliunde,q̄ à magnitudine. Vt igitur ſciatis quando ſit ſecanda,& quando non,debetis primo obſeruare,an in vulnerata parte ſit dolor aliquis nec ne,& an futura grauis,moleſtaq; ſit: ſecundo,an pars vulnerata ſit de ijs,quæ facilè recipiunt fluxionē: tertiò,an multū ſanguinis,vel nihil effluxerit. hæc circa partē vulneratā ſunt obſeruanda,& conſideranda diligentiſſimè. Circa totum autem corpus obſeruandum primo eſt,an corpus ſit totum humidum,& multo ſanguine refertū: ſecundo,an ſanguis ille fuerit calefactus,& tenuis valde redditus,ita vt fluere facilè poſſit: tertiò,an æger affligatur animo,& timeat,an è cōtra: quartò,an æſtiua ſit tēpeſtas,an hyemalis: & ita omnia reducentur ad quatuor capita,ex quibus elicietis certò,an ſecanda,vel non ſecanda ſit vena: primum eſt pars affecta, & vulnus ipſum: Secundum eſt habitus totius corporis, & partis vulneratæ: tertium ſunt animi paſſiones: quartum eſt aer ambiens. His ſtantibus,ſit vulnus cum futura moleſta,ita vt faciat aliquem dolorem: vulnus in parte debili, & apta recipere facilè fluentem ſanguinem: habitus totius humidus; ſanguis redditus aliqua occaſione calidus,& tenuis,non effluxerit ex vulnere ſanguis; adſit plenitudo corporis; temperies ſit calida; humores valde attenuati; adſit febris,qua humores ferueant: animus nō ſit quietus; ſed ira commotus,vel languore; & ſit æſtas; tunc dico, quod in huiuſmodi vulnere neceſſario ſecanda eſt vena, & quidem citò, alioqui fiet inflammatio: contra autem ſi vulnus non ſit in parte imbecilla; effluxerit multum ſanguinis per vulnus; & alia, quæ dicta ſunt, non adſint,non eſt ſecanda vena. Itaque ſi adſint ea,quæ minātur inflammationem,vel ſaltē adſit maior pars,ſecāda eſt ſtatim vena ex brachio,ſeruata aliqua oppoſitione, atque partium ēt rectitudine; ſed ſi nullum adſit periculum de inflammatione,non eſt ſecāda, ſiue vulnus ſit

Galenus nō ſatisfacit in indicationibus de ſecanda vena.

Quando ſecāda vena in vulnere, & quando non.

Ex quatuor capitibus mouetur ſectio venæ.

Digitized by Google

exſiccatum, accipimus fila ſe ſe reſpicientia, & ligamus, & ſic attrahuntur labra, & conſeruantur vnita. De glutine autem in hoc caſu accommodato, vt dicam, ego vtor aliquando glutine taurino: emollio, & oblinio ſupra telas; ſed hoc gluten non eſt valde opportunum. Aliquando conficio aliud ex iis, quæ glutinant, ſimul mixtis accipio ea, quæ glutinant, & ſtringunt, & diſſoluo albo oui, & pono ſupra lintea: deſcriptio eſt hæc,

Materia glutinis.

Rec. ſimilaginis triticeæ, ideſt, floris farinæ
Maſticis
Gypſi cocti
Boli Armeni
Aloes
Gummi draganti
Gummi Arabici } an. ℈ j.

Miſce omnia, & contunde optimè ita, vt fiat puluis tenuiſſimus, deinde miſceto puluerem cum albo oui optimè concuſſo, & agitato optimè, poſtea extende ſupra linteola. Sed aliquando hoc medicamentum non ſatisfacit, & ideo oportet deuenire ad aliud, quod fit hoc pacto:

Rec. maſticis ʒ ij.
bituminis Iudaici
carabe } an. ℈ i.
colophoniæ
Terebinthi Cypri } an. ʒ j.

Omnia optimè terantur, excepta terebinthina, & primùm ſimul diſſoluantur, poſtea terebinthina addatur, & duæ, aut tres guttæ olei roſacei, & dum adhuc calidū eſt medicamentum, extendatur ſupra linteola: & quando vti volueris, calefacito linteola ab ea facie, vbi illinitum eſt medicamentum, &, dum molle eſt, aptabis, & permittes, vt refrigeretur, deinde per funiculos iunges telas: His ego aliàs uſus ſum; ſed poſtea inueni aliud familiariſſimum, paratu facilimum, & optimum, quo ſemper vtor, dum datur occaſio: Fit autem hoc modo: Capio album oui, & concutio optimè, quantum fieri maximè poteſt, deinde accipio calcis viuæ puluerem puriſſimum, ac tenuiſſimum; & vt tenuior ſit, excutio cribro, & aliquam portionem pulueris huius inſpergo in album oui, & optimè concutio, & cum optimè concuſſum eſt, oblinio leniter linteola, ſtatimque ſuperimpono cuti: ſed oportet, vt citò ſuperimponatur; alioqui debilitaretur virtus illa glutinandi: præterea oportet, vt puluis calcis ſit tenuiſſimus, & optimè mixtus cum albo oui, alioqui exureret: cum exſiccatum fuerit medicamentum, ligo ſimul linteola arreptis, & ſimul copulatis funiculis: & certè optimum eſt medicamentum, & diu perdurat in loco.

Familiare, & optimũ gluten.

Verùm ego non ita faueo vſui linteolorum, quin magis probem vſum ſuturarum: nec ſi la ſecant labra, ſi poſt ſuturam vtare medicamentis valde agglutinantibus, vt ego facio, & in quarta die, vel poſt quartam ſtatim auferas fibulas: nec remanent veſtigia ſuturæ. quare ego longè magis probo coniunctionem vulnerum, & conſeruationem ipſorum in eo ſtatu per ſuturam: de qua iam ſuccedit, ut dicamus, quid ſit, quot generum ſit, & qualis ipſius vſus; qua ex materia fiat, & quibus organis; & quid agendum, vt dolor, qui ſolet fieri, dum conſuuntur labra, quantum fieri poteſt, euitetur. Quid itaque ſutura ſit patet: Eſt enim coniunctio partium hiantium facta medio acu, & filo, vel alia materia. Sed genera conſutionum non ſunt ita nota. Primum igitur genus ſuturæ eſt illius, quæ aſſumpſit ſibi nomen generis, & fit eo modo quo fit ſutura; dum pannos ſimul conſuimus unito filo adacto nodo; & incipientes ab vno principio, & deſinentes in aliud conſuendo ſemper eodem integro filo: & hac ſutura conſueuimus vti, quando palpebræ, vel genæ ſunt diſſectæ: ſimiliter in inteſtinorum vulneribus, in diſſectione præputij, & in reliquis partibus cutaneis: ſimiliter in vulnere illo, quod fit, dum educimus folliculum meliceridis, vel ſteatomatis, atque in ſuppreſſione ſanguinis. Verùm hæc ſutura eſt parum in vſu apud nos; Antiqui autem ſæpe ipſa vtebantur, ſed nos tunc ſolùm, quando conſuendæ ſunt partes cutaneæ: at ſi vulnus eſſet profundum, & opus eſſet coniungere non ſolùm partes cutaneas; verùm etiam carnoſas profundas, ipſa non vtimur. hæc itaque eſt prima ſutura, quæ abſolutè uocatur ſutura.

De ſuturis.

Genera cõſutionum.

Primũ genus.

Altera eſt, quæ uocatur ſutura per puncta ab iſtis, & eſt illa, quæ fit hoc modo: Adigimus acum, & traijcimus utrumque labrum, deinde arripimus utrumque caput fili, & modo ſimul connectimus, & ſecamus illud fili, quod ſupereſt: idem facimus bis, ter, & quo-

Secundum genus ſuturæ, per puncta, fibula, & infibulatio.

quoties opus fuerit, & hæc vocantur puncta: & ideo vocatur ſutura per puncta à Barbaris iſtis; à Latinis autem infibulatio, & fibula, ſiue ſutura per fibulas, & à Galeno varijs in locis, & præcipue in ſexto methodi, capite quarto vocantur talia puncta ἀγκτῆρες, id eſt, fibulæ: nam ſecundum Celſum libro quinto, capite vigeſimoſexto. ἀγκτὴρ à Græcis dictus, fibula vocatur à Latinis. Quando igitur legeritis apud Celſum fibulam, vel infibulationem, & apud Galenum ἀγκτῆρας, intelligatis de hac ſutura vocata à Barbaris ſutura facta per puncta. Et hæc in vſu eſt, quando corpora craſſa, & non tantùm cutanea ſunt iungenda, ita vt non ſolùm cutis cuti iungatur, verùm etiam partes profundæ, & carnoſæ. Sed ſtatim diceret aliquis, tu dicis ἀγκτὴρ apud Galenum ſignificare eandem ſuturam, quæ fibula, vel infibulatio dicitur à Latinis, & per puncta a Barbaris, tamen tu aduerſaris in hoc Guidoni, Tagaultio, & Iano Cornario viro Græcis literis valde docto in ſuis commentarijs in ſecundum librum Galeni de compoſitione medicamentorum ſecundum loca: nam iſti exiſtimant ἀγκτῆρας apud Galenum, & fibulam apud Latinos ſignificare ſuturam illam, quæ fit hamis: nam dicunt fibulas eſſe vncos quoſdam ſimiles hamis, qui ſunt in vſu apud illos, qui tondent pannos, qui iungerentur labra, nam inijciebatur hamus in vnum labrum, mox arripiebatur alterum. Sed debetis ſcire, quod ἀγκτὴρ apud Galenum, idem eſt, quod apud Latinos fibula: teſtis eſt Celſus libro quinto, capite vigeſimoſexto. *ἀγκτὴρ apud Galenũ quid ſit.*

Verum notare, quod fibula non vnicam habet ſignificationem: nam aliquando ſignificat organum quoddam, quo Antiqui vtebantur, & nunc etiam aliqui vtuntur ad coniungendas veſtes, eratque ſemicirculare, & habebat partem acutam, fiebatque ex ære, argento, ferro, auro, & alijs materiis: Figura autem, vt ego collegi ex ijs, quæ effodiuntur è terra, & reperiuntur multæ iſtarum fibularum, erat ſemicircularis: erat enim ſemicirculus, & ab ipſo ſemicirculo pendebat veluti acus, quæ acus quando erant iungendæ veſtes, aut calcei, figebatur vel in telam, & aſſumebat nodum ſuperioris, vel in calceum. hæc erat vna fibula, de qua non loquimur. Altera erat annulus quidam, quo vtebantur antiqui in pueris, & adoleſcentibus, ne vterentur Venere: Cum enim antiqui delectarentur valde Muſica, & ſcirent, quod Venus corrumpit vocem, ne hoc accideret ſuis adoleſcentibus, infibulabant ipſos: quomodo autem fieret talis infibulatio, docet Celſus libro quinto, capite ſeptimo, & inquit, quod arripiebant præputium, & trahebant extra glandem, & perforabant præputium ipſum, & imponebant medicamentum, quo induceretur cicatrix; cicatrice inducta, ponebant fibulam, quæ, vt dixi, erat annulus, in foramen, & optimè inuoluebant; & talis fibula fiebat ex materia aliqua dura, vt ex ferro; & qui imponebat fibulam, erat faber, nec ſine ipſo extrahi poterat. vnde Martialis in nono epigrammatum in Creſtum inquit: Refibulauit turgidum faber penem, quod idem eſt, ac ſi dicas auferebat fibulam, & impoſitio talis fibulæ vocatur à Celſo infibulatio; nunc autem non eſt in vſu talis infibulatio; Attamen & nos habemus his temporibus quandam infibulationem. cuius vim ſi ſcirent noſtri pueri, & adoleſcentes, profectò timerent eam plus, quàm quæ antiquorum erat: habemus enim Gallicum morbum, qui eſt peſſimum certè infibulationis genus. *Plures fibulæ ſignificationes.*

Tertia autem fibula eſt filum adactum per labra vulneris, & nodo ſimul iunctis ambobus fili capitibus, & hæc eſt, de qua loquimur nos, & de qua intellexit Galenus ita quod fibula ſecundum hoc tertium ſignificatum eſt nodus uarius, quibus aliquod uulnus conſtringitur, ἀγκτῆρας vocat Galenus. Qui verò credidere Galenum intelligere de fibula illa cum hamis facta acti ſunt authoritate quadam Galeni in tertio methodi, capite quarto, vbi inquit, quod debemus coniungere vulnera hiantia, vel deligationibus, vel ſuturis, vel fibulis, aut horum quibuſdam, aut omnibus: ſi ergo, inquiūt, Galenus per fibulam intellexiſſet eas quæ filo fiunt, non dixiſſet vtendum eſſe aut quibuſdam, aut omnibus, & non nominaſſet ſuturam, tamen mentionem facit de ſutura, veluti de re diuerſa à fibulis: igitur per fibulas intelligit hamos. Sed iſti (pace eorum dixerim) non rectè legerunt Galenum in ſecundo de compoſitione medicamentorum per loca, vbi agit de plaga ex contuſione capitis ſecūdum Archigenem inquit, quod in vulnere capitis cum vulnere pericranij ſtatim radendum eſt os, poſtea fibulis iungendum eſt vulnus, veluti fit, quando non vulneratum eſt pericraneum; & poſtea ſubiungit, quod ſi ſutura non retinet, tunc alio modo debemus curare. Ecce quod ibi vocat idem vinculum fibulam, & ſuturam.

Vegerius quoque libro ſecundo, capite trigeſimoprimo, fibulis conſuit linguam iumentorum inciſam. Præterea Celſus in loco ſupra citato inquit, quod ἀγκτὴρ eſt fibula, & dicit, quod fibulæ ſunt faciendæ ex molli acia, & non nimis torta, atque vinculum etiam vocat materiam, ex qua fit fibula, & de illa loquitur veluti de ſutura, & per aciam intelligit filum. Quomodo ergo fibulæ erunt ex materia molli, ſi fiunt ex hamis.

Digitized by Google

Tertio Galenus in ſexto methodi, capite quarto præcipit, vt in deligationibus, in glutinationibus, & ſuturis eligamus omnia mollia: quomodo ergo ſibi conſtaret, ſi per fibulas intelligeret de hamis? profectò ſi vulnus iungeretur hamis, & adderemus deligationem, comprimerentur hami, & excitaretur maximus dolor; & tamen Galenus præcipit, vt ſtringamus vulnus deligatione, aut ſutura, aut fibulis, aut omnibus ſimul; quomodo ergo poſſet aptari hæc appoſitio hamorum cum deligatione incarnatiua, vt ita dicam, ſine maximo dolore, ac faſtidio penè intolerabili? Quare non eſt dicendum fibulam eſſe hamum; ſed potius genus aliud nodi, quale noſtrum eſt, quod ſpecie differt à ſutura vera, atque communi, ſuturæ tamen ſpecies eſt. Ad authoritatem autem illam in tertio methodi, capite quarto, qua iſti moti ſunt, dico ipſum dixiſſe, quod aliquando eſt vtendum coniunctione facta per deligationem, per ſuturam, & per fibulas, quoniam ſæpe opus eſt coniungere non ſolum partes cutaneas, verum etiam carnoſas, & profundas: & ideo ad maiorem tutelam, & conſolidationem, etiam ſi iuncta ſint labra per fibulas, tamen expedit addere faſciam, & iungere per deligationem. quare valeant iſti, qui per fibulas intelligunt hamos. *Sutura definitio.* Colligatis igitur & dicatis ſuturam eſſe compoſitionem labiorum filo, vel acu, vel alia materia factam, atque collectionem, qualem videmus in pannis conſutis, hæcque ῥαφὴ vocatur à Græcis. *Suturarũ varia genera.* Suturæ iſtius varia ſunt genera apud auctores: nam alia eſt, quæ conſutatum rerum more fit, quę ab vno capite incipiens ſemper eodem integro filo percurrit, vſque ad alterum caput ſuperequitando labris, quæ in *Primum.* palpebris, genis, præputio, atque arteriarum ſectione conuenit, aut in extractione ſteatomatum, aut meliceridum, & in inteſtinorum conſutione, & in ſuppreſſione ſanguinis, vti diximus. Alia eſt, qua vnica tantum ſutura, vel vnico tranſitu, & vnico nodo *Secũdum.* vincimus labra, ſecundo alio nodo, tertio alio nodo: qui nodi licet non ſint integræ ſuturæ, ſed partes; tamen ſuturæ etiam vocantur à Galeno: vocantur etiam ἀγκτῆρες, id eſt, fibulæ: & hoc genus ſuturæ in vſu eſt apud nos; immò ſemper iſto vtimur, & appellamus puncta.

Tertium. Tertia eſt ſutura, qua ab vno labro incipientes vtrumque traijcimus, & iterum ab eo, quod vltimò perforatum eſt, incipimus, & per poſterius acum reuocamus, rurſuſque idem perforamus, & per alterum reuocamus acum, & ſic procedimus à principio ad finem vſque continuo ſemper, & integro manente filo.

Quartum. Quarta eſt ſutura, quæ nobis proponitur ab Albucaſi libro ſecundo, capite octuageſimoquinto, quæ fit duabus acubus eo modo, quo calcearij iſti conſuunt ſoleas, & calceamenta: traicitur vnum labrum, verbi gratia, dextrum, & educitur acus, & per idem foramen adigitur altera acus à latere ſiniſtro, ideſt, ab oppoſito labro, & ſic iterum perforatur vnum labrum, & in idem foramen ponitur acus altera, ſicque proceditur à principio ad finem. Sed modus hic conſuendi nullo modo placet, tùm quia nimis eſt doloroſus, tùm etiam, quia licet optimè coniungat partes intimas, aliquæ tamen partes ſummæ labrorum remanent hiantes.

Poſſumus & alios multos conſuendi modos imaginari; tamen ſciatis, quòd nullus eſt perfectior duabus illis dictis, illo ſcilicet, qui fit vno filo continuato à principio ad finem, & altero, qui fit per fibulas.

Sed animaduertatis, quòd ſutura illa, quæ fit perpetuato filo à principio ad finem, eſt neceſſaria ad conſuendas tantùm partes cutaneas: at ſi opus eſſet iungere non ſolùm cutaneas, verùm etiam partes profundas, eſt inepta; ſed opus eſt vti altera ſutura per fibulas facta. Præterea ſciatis, quod ſutura illa abſoluta, quæ fit perpetuo filo, ſolet fieri duobus modis: vnus quidem eſt traijciendo vtrumque labrum, & reducendo filum ſupra labra ipſa, & iterum perforando labrum vtrumque: alter modus proponitur à Galeno, & fit, vt diximus: traijcimus labrum vtrumque ita, vt acus exeat, verbi gratia, in labrum dextrum, deinde perforamus idem labrum, & educimus acum per ſiniſtrum; iterum perforamus vtrumque labrum, & educimus per dextrum; & ſic progredimur, vſque in finem, nunquam ſuperinducentes filum labris: ſed talis ſutura non placet, quoniam & ſi coniungantur partes labrorum profundæ, tamen partes ſummæ hiant. vnde ſi hac ſutura vti vellemus, oporteret iterum aliqua leni ſutura coniungere partes ſupremas labrorum. quare duæ tantum ſuturę mea ſententia ſunt opportunæ.

Vſus ſuturarum triplex. Vſus autem ſuturarum proponitur triplex, vnus eſt, vt coniungantur labra, & incarnentur, vt dicunt. Secũdus eſt, vt ſi non poſſimus labra adamuſſim iungere, ita vt poſſit fieri agglutinatio, ſaltem vt faciamus, ne tantum dehiſcant: nam nõ ſemper poſſumus vulnera agglutinare: & ideo tunc opus eſt ſaltem labra aliquo modo coniungere, ne, ſi valde hiantia ſint, refrigeretur vulnus. Tertius vſus eſt, vt ſupprimamus ſanguinem: aliquando enim accidit, vt maxima copia ſanguinis effluat ex vulnere, & iõ tũc opus eſt cõſuere vulnus, vt ſanguis ſiſtatur. Vnde ſutura, quæ inſeruit ad primum vſum vocatur ab iſtis, vt à Guidone, incarnatiua;

carnatiua; quæ ad ſecundum retentiua, vel ſeruatiua; quæ uerò ad tertium ſuppreſſiua, uel reſtrictiua. Tot ſunt ſuturæ, & earum uſus.

Iam ſuccedit, vt dicamus de materia inſtrumentiſve, quibus ſuturæ fiunt, & primùm de acubus, in quibus hæc omnia ſunt à chirurgo obſeruanda: magnitudo in longitudinem, atque craſſitiem, figura, numerus, & materia, ex qua factæ ſunt acus ipſæ: quo ad primum, noſtri chirurgi ſolent habere in uſu duo genera acuum, unum quidem eſt quarundam acuũ, quæ longiſſimæ ſunt; aliud verò earum, quæ non ita longæ ſunt: Verum illæ longiores ineptæ ſunt, niſi opus ſit conſuere vulnus valde profundum, & carnoſum, vt aliquando accidit in magnis illis vulneribus ſuræ, vel fæmoris, quæ vulnera ſoleo ego appellare Germanica eò, quod Germanorum proprium ferè ſit cæſim vulnerare, tamen longitudo non debet eſſe maior, quàm quatuor digitorum, vel trium: & hæc longitudo valde à me probatur. Craſſities ſit tanta, vt acus non flectatur ſtatim ita, vt non poſſit fieri ſutura. Quo ad figuram autem dico, quod debent eſſe in ſummo, vel quadrangulares, vel triangulares, vel ſaltem biangulares, ita vt ad minus habeant duas acies, ut magis perforent; illæ autem acus, quæ habent aciem rotundam, quales ſunt communes acus, malæ ſunt, quia ægrè perforant, & excitant magnum dolorem: vnde reprehenſione digni ſunt chirurgi illi, qui eis utuntur in conſuendis uulneribus. Verùm animaduertatis, quòd acies illæ debent eſſe optimè attritæ, & leuigatæ ſupra cotem, non autem debent eſſe inæquales, & aſperæ; quales ſolent eſſe illæ, quæ deferuntur Mediolano, quæ limatæ ſunt in ſuperficie, & peſſimæ ſunt, quia & ſunt duræ, & limatæ: unde ægrè penetrant: & ob duritiem nequeunt emolliri cote. Deferuntur ex Damaſco etiam, & illæ optimæ ſunt, & ſunt ex chalybe, habentque aurem rotundiſſimam, & ita æqualem, vt non incidat filum.

De acubus ad ſuendũ. *Longitudo acus.* *Figura.*

Materia autem, ex qua debent eſſe acus, ſolet eſſe argentea, & chalybea; verùm ex argento acus non valde placent, quoniam licet flectantur; tamen habent ſemper aciem obtuſam; ex chalybe autem optimè ſunt: verùm quia ſunt duriſſimæ, ita vt ſi tentes eas flectere potius frangantur, quàm quicquam flectantur; ideo melius eſt accipere eas, quæ ſunt ex chalybe contemperato, præcipuè quando opus eſt conſuere vulnus, vel in angulo oculi, vel in alia ſimili parte, & cauitate, vbi tu non poſſis aptare acus, quæ non flectantur: Nam niſi flecterentur, non poſſes talia vulnera conſuere. Vnde ſoleo ego accipere acus ex Damaſco, quas repetiets Venetijs in platea Sancti Marci, & ſi per ſe non poſſent flecti, reddo ipſas flexibiles remouendo illam duram temperiem; reddo, inquam, flexibiles in tota ſubſtantia, præterquam in ſummo, id eſt in acie ipſa hoc modo: Accipio acum, & obuoluo aciem ipſius, quam volo duram eſſe, linteolo madido aqua, vel complicato ter, vel quater linteo madido: inijcio acum in ipſum eò vſque, quò vſque volo, & illud acus, quod extat, teneo ſupra flammam candelæ donec igniatur; deinde ſino vt refrigeretur, & ita tota acus redditur flexibilis, præterquam pars illa ſumma, quæ non eſt paſſa ignem: & hæ acus optimæ ſunt in conſuendis uulneribus angulorum oculi, buccæ, & ſimilium partium. Sed ſi uulnus ſit in parte aliqua, ubi non opus ſit flexa acu, poteritis uti illis duris.

Materia acus.

De numero autem acuum dico, quod chirurgus debet habere ſemper plures & duas, uel tres, in quibus adactum ſit filum, ut poſſit, quando filum ſangu ne madidum ſiccatur, ſtatim aliam acum cum filo arripere: nam durities fili facit dolorem. Seruentur acus mundæ, & ſine ærug ne: nam ærugo illa habet, neſcio quid ueneni: præterea æruginoſæ acus difficilè perforant. Inſuper debetis animaduertere, quod ſi vos tenebitis acus in fiſtula, uel ænea, uel argentea, ut ego ſoleo, acuum acies ex agitatione, illiſioneque in operculum fiſtulæ ſolent obtundi: & ideo, ne hoc accidat, debetis & in fundo, & in operculo aptare aliquid goſſipij, uel aliquid ſimile. Hoc eſt primum inſtrumentum.

Numerus acuum.

Secundum autem eſt parua quædam fiſtula argentea, uel ex alia materia, qua chirurgi utuntur, quando conſuunt uulnera, quorum labra ſunt dura, quo poſſit utrumque labrum ex directo perforare: perforant enim unum labrum, deinde apponunt fiſtulam in altero labro per directum acui, & ita adigunt acum in aliud labrum per mediam fiſtulam, & niſi eſſet fiſtula, acus quando adigitur in oppoſitum labrum, ſemper laberetur, uel ſurſum, uel deorſum, uel in hanc, uel in illam partem ob duritiem labri, ut ſolet accidere in conſuenda cute capitis, quæ dura ualde eſt: Et re uera neceſſarius eſt uſus fiſtulæ in huiuſmodi uulneribus: Debet autem fiſtula hæc habere feneſtram, ut poſſimus videre, quando acus perforauit; & quando uidemus, quod penetrauit extra, auferimus fiſtulam, qua comprimebamus labrum, & educimus acum. Illa met fiſtula, in qua tenemus acus, ſatisfaceret huic uſui, ſi haberet feneſtram.

Secundum inſtrumentũ fiſtula argentea.

Tertium inſtrumentum eſt materia, qua conficimus fibulas, uel ſuturas, & prima eſt filum, acia uocatum à Celſo, de qua materia agit Galenus in 6. meth. cap. 4. & Celſus lib. 5. cap. 26. & inquiũt authores iſti, quod materia hæc non debet eſſe nimis intorta, nec nimis

Tertium filum.

Digitized by Google

dura,nec nimis mollis,nec nimis tenuis:ſi enim eſſet nimis dura faceret dolorem; ſi nimis tenuis,ſecaret labra,& cito corrumperentur: ideo materia debet eſſe etiam talis, vt non facile marceſcat: nam aliquando opus eſt relinquere filum vſque ad quartam, vel ſextam diem; Vnde filum ex cotone, & ex lana non eſt bonum, quia citò putreſcit; & ideo non ſolum non detinerentur vnita labra, verùm & materia illa putrefacta obeſſet vulneri. caneatis igitur ab huiuſmodi filo, etiam ſi Paulus vtatur filo laneo in conſuendis palpebris. Galenus itaque decimotertio methodi, capite vltimo in conſuendis, & illaqueandis venis, & arterijs, monet, vt eligamus filum, quod perduret, quale, inquit, eſt Gaetanum vocatum, & erat filum, quod ex Gallijs deferebatur Romam; ſed ſi hoc non habeas, ait, vtare ſericino, quod habebatur copioſum apud Nobiles Matronas Romanas; Nos re vera caremus Gaietano; ſed habemus optimum ex lino delato ex Alexandria; & ſi illud deſit, vtamini ex lino noſtrate, dummodo filum non ſit nimis lixiuio maceratum, nec crudum; ſit æquale omni ratione, vt facile ſequatur, ac ſine dolore: non ſit nimis tenue, quia ſecaret ſtatim; neque ſit ita craſſum, vt acum ingredi nequeat, aut illam ſequi, aut ne foramen nimis amplum efficiat; vel vtamini filo ſericino noſtrate, ſed ſit intortum, ac candidiſſimum non autem nigrum, vel alterius coloris:nam in nigro eſt chalcanthum, & galla, & huiuſmodi alia, quæ poſſent obeſſe vulneri.

Arabes antiquiores,vt videre eſt apud Albucaſim libro ſecundo, cap.octuageſimoquinto,vtebantur alia materia in conſuendis vulneribus,& erat capita formicarum,& his præcipuè capitibus vtebantur in vulneribus inteſtinorum,quando ſcilicet ex vulnere illato abdomini vulnerata ſunt etiam inteſtina,& foras prolabuntur: Faciebant autem hoc modo: Accipiebant formicas illas,quæ habent capita maiora, deinde ipſas proritabant, & cum videbant,quòd formicæ aperirent furculas ſuas,admouebant labris vulneris ſimul iunctis; & cum apprehenderant,amputabant caput,& relinquebant, & ita quodlibet caput formicæ fungebatur vice vnius fibulæ:hoc facto, reponebant inteſtinum in proprium locum. Sed equidem ignoro,& miror etiam,vnde orta ſit talis conſuendi ratio,niſi quia erant in regione formicarum,ubi nulla alia materia erat,qua poſſent uulnera conſuere,præter quàm formicæ,quod eſt ridiculum.

Ridiculus formicarũ vſus.

In eodem capite Albucaſis monet,vt vtamini fibris inteſtinorum pro conſuendis vulneribus, & docet etiam modum euellendi has fibras; ſed miror pariter de hoc conſuendi modo;& neſcio vnde habuerit ortum, niſi dixerimus, quia talis materia eſt ſimilis noſtro corpori, ſed ſimilitudo nihil facit ad rationem conſuendi: Fiebat autem talis ſutura, vt ſciatis,hoc modo; Inijciebant filum ex inteſtinis brutorum recentibus in aurem acus, deinde arrepto utroque labro uulneris adigebant acum,& ita una pars acus extabat in uno labro,altera in altero;arripiebant deinde filum,& circum circa utramque partem acus inuoluebant,& relinquebant ita & tot acus cum filo hoc modo imponebant, quot opus fuerat, ita ut ſingula acus eſſet ueluti fibula:& hic modus conſuendi laudatur à Guidone,& à quibuſdam alijs; Verùm doloroſa nimis eſt hæc actio, & tanto magis, quanto relinquuntur acus.

Filum ex inteſtinis.

Vnde quidam alij cum hunc modum reprobent,utuntur loco acus pennis: Capiunt enim pennas, & auferunt membranas illas, & omnia, præterquam ſpicam, ſeu haſtam illam mediam, quam inijciunt in aurem acus,& perforato utroque labro auferunt acum, & relinquunt pennam,& circumuoluunt filum modo dicto: & eſt modus ille, quo mulieres ſolent ſeruare acus in pectore circumuoluto filo, & dicunt iſti, quod modus hic conſuendi maxime conuenit, quia haſtæ illæ pennarum non ſunt duræ, ita ut non flectantur, Verùm nec hæc conſuendi ratio placet.

Penna loco acus.

Alij conſuunt hoc modo,atque hac materia:accipiunt cannulam quandam(ita dicunt) bene tortam ex ſtupa, uel ex tela, uel haſtula pennæ,deinde acu traijciunt utrumque labrũ, poſtea per eadem foramina acu recurrunt,& relinquunt anſam fili in uno latere, in quam imponunt caput alterum cannulæ,aut haſtæ,& alterum caput ligant, & comprimunt reliquo duplicato filo,atque addito nodo: & hic conſuendi modus eſt profecto melior omnibus alijs à Recentioribus traditis;hoc tamen haber incommodum,quod partes ſummæ labrorum remanent hiantes;nec ego unquam ſum hac ſutura uſus.

Alius modus conſuendi.

Quare moneo uos,ut potius ſemper utamini ſuturis illis duabus primis, ſcilicet; uel ea, quæ abſolute dicitur ſutura; uel illa, quæ fit per fibulas:& non diſcedatis à filo lineo,uel ſericino,quod habeat conditiones dictas.

His ita paratis, facienda eſt ſutura, in qua obſeruanda à chirurgo hæc ſunt, ut blande agat, ne nimis ſtringat, ne nodus fluat, ne neruos, aut chordas pungat, ne ligamenta cum cute conſuat; & ut in omnibus partibus ſuturas adhibeat, & conſolidationem tentet: Addatis, quòd non debet nimiam labrorum quantitatem in parte ſana fibulis arripere, nec nimis paucam: quia hoc inſanabile; illud uerò doloroſum eſt: Spatium

Obſeruanda in ſutura.

quoque

Digitized by Google

quoque inter fibulam, & fibulam non debet eſſe nimis magnũ, ſed ampliſſimum ſit vnius digiti minimi per tranſuerſum; ſit etiam minus, vti conuenire viſum fuerit: idem ſpatium eſt ſeruandum in perforãdis labris, vt ſcilicet in ea parte adigatis acum, quę diſtet à ſummo margine labri per ſpatium vnius digiti per tranſuerſum. Aliud circa hanc ſuturam obſeruandum eſt, ne vtamini fibulis, quando opus eſt conſuere tantum partes cutaneas; nec ſutura continuata, quando conſuendæ ſunt partes labrorum profundæ, & cutaneæ; ſed potius hæc conuenit in vulneribus cutaneis; illa verò per fibulas in profundis: & quando facietis fibulas, & volueritis facere nodum ex vtroque capite fili, circumuoluetis filum bis, & mox facite, vt ſeruus ponat digitum, vel ſpecillum ſupra, & vos iterum circumuoluetis, & facietis tres, vel quatuor nodos; poſtea amputabitis filum propè nodum; non autem relinquetis fruſta fili oblonga, vt quidam inepti faciunt, quoniam quando poſtea apponetis albumen oui, ſiccaretur ſimul cum filis; vnde, quando auferretis albumen, excitaretur magnus dolor & periculum eſſet, ne fila attracta ſecarent labra. Aliud vobis obſeruandum eſt maximi momenti, & eſt, quod in vulneribus artuum, & præcipuè crurum, digitorum, manus, ac pedis, quando effluit ſanguis, ſemper debetis ſinere, vt effluat copioſus ſanguis, dummodo non effluat totus; non autem ſtatim eſt conſuendum vulnus, & ſupprimendus ſanguis, vt iſti faciunt, & præcipuè, ſi vulnera fuerint in cruribus, & hoc eſt præceptum Hippocrat. in libro de ulceribus, & nunquam ego vidi aliquem mortuum eſſe ex magna fluxione ſanguinis per vulnus, quod certè eſt mirum. Quare ſi videritis ex vulnere copioſum ſanguinem exire, non meatis, nec ſtatim ſiſtatis, etiam ſi flueret, vſque ad defectum animi: nam ſcopus curationis, ſeu ſanationis vulnerum inquit Hippocrates eſt, vt ſiccemus, nulla autem alia ratione magis exiccamus vulnera, quàm ex fluxu ſanguinis, & hac de cauſa Hippocrates monet, vt in vulneribus partium inferiorum ſinamus multum ſanguinis effluere.

Aliud obſeruãdũ circa effluxionẽ ſãguinis

Sed in vulneribus thoracis, & ventris monet, vt ſtatim ſanguinem ſiſtamus. ſed quę nam ratio diſcriminis huius eſt, diceret aliquis? Credo rationem cur in vulneribus artuum debeamus permittere, vt copioſus ſanguis effluat, eſſe, quia ad illas partes ſemper ex ſe multa materia fluit, & quia artus ex carnes ſunt, & pauco calore donati, idcirco ſi noua materia flueret ad ipſos, non poſſet concoqui, nec gubernari, & fieret inflammatio: hoc autem inconueniens effugimus, ſi multum ſanguinis effluere ſinamus; in ventre autem, & thorace cum copioſus ſit calor, poſtea materiam etiam multam concoquere, & digerere. Altera ratio poteſt eſſe, quod artus ſuapte natura ſunt ſicci, & ideo quantum fieri poteſt eorum ſiccitas eſt ſeruanda, quod non fieret, ſi ſanguinem fluentem ſtatim ſiſteremus: Contra autem venter, & thorax ſunt ſua natura humidæ partes: & ideo earum humiditas eſt conſeruãda, alioqui plurimus calor, qui in eis redũdat, non poſſet pabulari: hac de cauſa ſiſtendus eſt in ipſis ſanguis, ne deficiat alimentum caloris; at in artubus cum paruus ſit calor pauco eget alimento, quod conſeruetur. Addatis etiam, quod omnia vulnera, in quibus intendimus agglutinationem, ſunt ſiccanda. Vltimò dicimus, quòd ſi multus ſanguis ex ventre mittatur, inteſtina, meſenterium, omentum, ac reliquæ partes nutritioni deſtinatæ refrigerari poſſent, ac valde pati.

Circa ſuturam faciendam eſt etiam obſeruandum, quæ partes conſuendæ ſint, an videlicet omnes, vel aliquot tantùm. Dico, quòd omnes, & quod omnia vulnera ſimplicia conſuenda ſunt, quorum agglutinationem ſperemus. Poſtremò non ſolùm deligatione faſciarum, & puluillorum, vel laqueorũ appoſitione, aut ſutura, ac fibulis vnita ſeruamus labra; verùm etiam medicamento appoſito, quod quidem ſubſtantia ſit valde tenax, quale eſt barbarum, aut ſimile medicamentum, quod imponimus, atque ſua tenaci ſubſtantia, labra colligit, & ita iuncta ſeruat.

Aliud obſeruãdũ in ſutura.

Quintum caput curandorum vulnerum erat conſeruatio temperiei in vulnerata parte, vt poſſit fieri agglutinatio: nam effectrix cauſa eſt ipſa natura, & per naturam intelligo habitum partis, qui habitus conſiſtit in temperatura: ergo temperatura eſt conſeruanda, & ſi caſu fuerit immutata, eſt reſtituenda: nam, vt Galenus dicit tertio methodi, capite nono, tẽperies loci habet rationem futurorum. Sed quæ nam temperies eſt affectanda, & quid agẽdum pro conſeruatione ipſius?

Quintum caput curandorum vulnerum cõſeruatio temperiei.

Dico, quod hoc patet ex Hippocrate in libro de vlceribus, vbi loquens de vulneribus inquit, ſiccum ſano vicinius eſt, humidum verò non ſano, ex quibus verbis apparet totam temperiem partis conſiſtere in hoc, vt exiccemus & vulnus ſeruemus immune ab omni humiditate ſuperflua: nam ſiccum eſt vicinius ſano.

Temperies vulneris ſita eſt in ſiccatione.

Sed ſtatim diceret aliquis, cum temperies conſiſtat in calido, & frigido, & in iſtis etiam requiratur temperies, cur Hippocrates meminit tantum de ſiccitate, & omiſit alias qualitates? Dico hoc factum eſſe ab Hippocrate, quia humiditas eſt cauſa in vulneribus omniũ malorum, ſicut etiam, vt caliditas, & frigiditas mutentur præternaturam, nam niſi ad

Dubitatio.

Solutio.

Digitized by Google

vulnus fluat copia humoris,non fit inflam matio,nec intemperies,& ſic pars non refrigeratur,nec calefit prætermodum;ſed præcipuè caliditas introducitur,quoniam ad vulnera cōfluunt ichores:aperti ſunt meatus;dolor trahit;collecti humores primò humidam reddūt partem;& hac ratione intemperatam;ſecundo putreſcentes,aut ex natura ſua reddunt calidiorem:quare ſi extranea iſta humiditas auferatur,aut prohibeatur, ſequitur & ſanitas tota ratione reliquarum qualitatum:quia igitur humor vel ſua qualitate,vel quantitate,vel per putrefactionem eſt in cauſa,vt ſequatur vel frigiditas,vel caliditas,hinc eſt quod Hippocrates meminit tantùm de humiditate , & ſiccitate, quoniam humiditas non naturalis eſt in cauſa,vt ſequantur aliæ qualitates: & ſi humiditas aduentitia in vulnere redundet, non fit bona curatio,vt experientia oſtendit,nam ſi ex vulneribus artuum euacuetur copioſus ſanguis,nihil mali ſuccedit,& facilè ſanatur vulnus: contra autem ſi remaneat multa humiditas. Itaque in vulneribus ſemper affectanda eſt ſiccitas,quia ſuum contrarium eſt cauſa omnium malorum:ergo conſeruanda eſt ſiccitas naturalis partis,& auferenda ſuperflua humiditas: nec oportet chirurgum eſſe valde ſollicitum de refrigeratione,& calefactione in vulneribus,dummodo non deſtruant habitum. Verum ſciatis,quòd licet ſit affectanda ſiccitas tamen non omnes partes æquè ſiccæ ſunt, & ſic non æqualiter ſiccitas in omnibus corporibus, & partibus erit affectanda, quoniam & corporum,& corporis partium temperaturæ

Varia corporum temperatura.

variæ ſunt:eſt enim vna temperatura communis,qua tamen maior pars hominum participat:eſt & altera temperatura,vel habitus ſpecificus,& proprius quibuſcumque indiuiduis, tertio eſt temperatura accommodata,& propria cuilibet parti corporis. Cum itaque tres

Tria obſeruāda in ſiccando.

ſint habitus,tria quoque erunt obſeruanda in vtendo ſiccantibus medicamentis, vt ſcilicet habeatur ratio temperaturæ communis,propriæ cuiuſcumque indiuidui,& propriæ cuiuſque partis corporis. Si ergo daretur corpus calidum,& humidum,vt mulier,& vulnus eſſet in parte pariter calida,& humida,vt verbi gratia in gena,vel circa maxillam; tunc pro conſeruatione temperaturæ oportebit imponere medicamenta quidem ſiccantia; ſed non valde ſiccantia: & ita conuenient ſicca in primo gradu,ſi autem imponeres ſicca in tertio, vel in quarto tu non , conſeruares habitum naturalem . igitur non oportebit recedere , ab ijs, quæ ſicca ſunt in primo,quæ optima ſunt,vt teſtatur Galenus, qualis eſt farina hordei, qua

Sicca in primo gradu,quæ cōueniunt in habitu calido, & humido.

ego vti ſoleo in vulneribus faciei lenibus, Thus,crocus,furfures triticei,chamomælum,farina fabarum,eupatorium Dioſcoridis,capilli Veneris,oryzæ ſemen,& farina, quæ omnia conueniunt in habitu calido,& humido. Sed ſi ſubiectum corpus ſit habitus ſpecifici calidi, & ſicci,vt ſi eſſet ſenex longus,ſiccus;robuſtus tamen,& vulnus eſſet pariter in parte aliqua ſicciori,vt in pede,vel in manu,& pars ipſa eſſet valde exercitata,& calloſa,vt ſolent eſſe manus fabrorum;hinc cum maxima ſit ſiccitas tum in toto, tum in parte, ſi velimus habitum naturalem conſeruare,non oportet,vt vtamur ijs,quibus vtebamur in alio ſubiecto;ſed ſiccis in ſecundo, & in tertio gradu intenſo: & ſi poſſes auferre caliditatem ab ijs, quæ ſicca ſunt in quarto,qualis eſt calx,& metallica,conuenirent;& ita omnia metallica abluta optima ſunt. Itaque habitus eſt ille, qui indicat maiorem,vel minorem ſiccitatem . Aliud quoque eſt,quod intenſiorem,vel remiſſiorem indicat ſiccitatem,& eſt fluxio ſanguinis : nam pro ſeruanda ſanitate ſat eſt vti ſiccātibus;at in agglutinationibus indicatur aliud,quia gluten,quo iunguntur labra vulneris,fit ex ſanguine illo pauco,qui labitur inter ſpatia inſenſibilia, & vertitur in carnem ; & ſic ex hoc pauco ſanguine in carnem mutato agglutinantur labra ſimul:gluten autem hoc non poteſt fieri, ſi multus ſanguis defluat in vulnus : & ideo non ſolum requiruntur ſiccantia pro conſeruando naturali habitu; verùm etiam,vt poſſit fieri agglutinatio:quæ cum citò fieri debeat,& robuſtè,requiritur maior exſiccatio, quàm quando intendimus tantùm conſeruare habitum : nam agglutinatio debet validè , & citò fieri,antequam maior fiat fluxio ad vulnus. Vnde ſi haberemus habitum temperatum, (tēperatum intelligo in ſua ſpecie) & ipſum conſeruare vellemus, ſat eſſet vti ſiccantibus in primo gradu;ſed vt fiat gluten,oportet addere aliquid aliud:& ita in habitu tùm totius corporis,tum partis vulneratæ temperato conuenient ſicca in primo gradu,& aliqualiter in ſecundo,in habitu autem robuſtiori poſſumus progredi vſque ad tertium,& quartum etiam gradum.

Indicatur & aliud:nam ratione doloris & inflammationis ſolet fluere maior copia ſanguinis , quàm opus ſit pro glutine conficiendo, qui ſanguis ſi retineatur in vulnere , putreſcit,& generat multa incommoda:& ideo,ne hoc accidat,oportet facere,vt paucus ſanguis defluat;& ita indicatur aliquod,quod repellat ipſum . quare medicamenta debent & ſiccare,& aſtringere,ſeu repellere. Colligo ergo hac methodo medicamenta debere habere vim

Medicamenti qualitas.

ſiccandi maiorem,vel minorem pro diuerſitate habitus,& aliquam facultatem aſtringentem. hac igitur methodo inueſtigabitis, quale debeat eſſe medicamentum vulneri applicandum:nam duplex rerum proponitur temperamentum : alterum æquale quodam modo,atque ſtatum in vna ſpecie,veluti temperamentum humanū,quale reperitur in maiore

parte

Digitized by Google

parte hominum, atque fœminarum; alterum eſt inæquale in ea ſpecie, quoniam ſubiectū membrum aliquantiſper excedit aut calore, aut frigiditate, aut ſiccitate, uel humiditate ab eo, quod ut plurimum reperitur, aut ab eo, quod in alijs partibus reperitur; dicitur tamen naturale, quia à natura in generatione aut longo uſu, ac conſuetudine contractum eſt. atque temperies naturalis dicitur etiam iſta reſpectu illius citæ mutationis, quæ non naturalis eſt, ſed potius intemperies. Præterea tota natura hominis reſpectu aliorum animalium plurimorum magis inclinat ad humidum, quàm ſiccū, quod in omnibus fœminis, ac pueris, & adoleſcentibus apparet. Hoc ſtante, ſi quis homo accipiat uulnus, uel fœmina, qui ſit huius habitus humidioris, quem temperatum uocamus, quia maximè congruit ſpeciei, uel aliqua ſit pars uulnerata, quæ humidior ſit, atque ad hanc temperiem tendat, ut gena, & ſimilia; tunc dico, quòd pro conſeruanda naturali ſiccitate partis, medicamenta, quæ in primo ordine ſiccant, optima erunt, ut farina hordei, thus, & alia, quæ recenſuimus: at ſi tēperies excedet, aut totius hominis, vt pote in homine robuſtiſſimo, aut ſene, aut etiam ipſius partis, vt pote articuli cuiuſdam, aut digiti, aut pedis, aut capitis, magis ſiccante vtemur medicamēnto, vt in ſecundo aut tertio gradu non intenſo; quod ſi pars illa fuerit in corpore, quod ratione etiam totius excedat ab illo æquali tunc etiam intendendum eſt medicamentum; & contra minus ſicco vtendum erit, ſi habitus totius ſit humidior. Quare colligendum eſt, quòd vt mutatur iſta temperies, ita mutantur ſicca medicamēta; & adhuc magis; ſi humida intemperies excedat. Vnum verò cōmuniſſimum colligemus, quòd in vulneribus medicamenta ſiccantia ſunt imponenda pro conſeruanda partis ipſius temperie, atque abſumenda humiditatis exerementitię copia: ſed quoniam non ſolum ichoroſa humiditas ad locum affectum fluit; ſed etiam ſanguinea, qua non egemus ad gignendam carnem; ſed ad gluten gignendum, quo partes hæreant, quodque carne ſit ſolidius, atque iſtud fit ex ſanguine ſiccato; ideo medicamenta etiam ſiccantia requiruntur glutinis efficiendi cauſa, ac ſiccandi. Tertio quoniam aliquando copioſior fluit ſanguis, & tantus, vt non poſſit diſſolui, nec à parte vinci, & abſumi, & partem nimis humidam, ac laxam reddit; eapropter requiritur, vt medicamentum præter ſiccitatem etiam adſtringentem facultatem habeat, vt partes ſtipet, atque fluentem ſanguinem cohibeat, & partes ſolidiores reddat, & ſimul gluten denſet: huiuſmodi medicamētum glutinatorium à noſtris vocatum eſt, à Græcis verò κολλητικὸν: & quoniam cruentis vulneribus imponitur, ἔναιμα etiam vocatur: differtque à ſarcotico, quia non tantum temperiem partis ſiccando ſeruat, & ichorem abſumit; ſed etiam ſanguinem ipſum, & partes ſtipat, atque adſtringit, glutenque confirmat, ac denſat: ſarcoticum autem ſiccat tantum, & detergit ichorem.

Tota natura hominis — *Temperies dico.* — *Vt mutatur temperies, ita mutanda medicamenta* — *Medicamenta præter ſiccitatem, aſtringere etiam debent.*

Stante hac methodo, quæ veriſſima eſt, ac certa, videamus an amethodi Empirici, qui curant vulnera aqua frigida, & volunt frigida aqua illa agglutinare, rectè faciant, vel ſecus: profectò non, quia ad agglutinationem indicatur ſiccatio, & prohibitio fluxionis: aqua autem id non præſtat; tamen multi ſunt, qui vtuntur hac medendi ratione: & alij vtūtur aqua frigida in vulneribus capitis tantùm; alij in omnibus; alij vtuntur aqua frigida, & quibuſdā vnguentis, & iſti omnes habent authoritatem Celſi pro ſe in quinto lib. cap. 149. qui curat vulnera ſuperimpoſita ſpongia ex aqua frigida expreſſa, atque ſtatim ſubiungit: licetque ſine peregrinis, & conquiſitis, & compoſitis medicamentis vulnus curare. Confirmant & dicunt, quòd verba illa, quæ dicunt, dum benedicunt aquam, habent maximam vim: & ita, licet aqua ſua natura poſſet obeſſe, tamen virtute illorum verborum ſanantur vulnera. Tertiò addunt experimentum, quod multi hac curandi ratione ſanātur: & ita re vera eſt, & ego etiam cum irem aliquādo Romam, ſanaui meum ſeruum aqua frigida, qui in itinere vulneratus eſt, cum alterius medicamenti copia non eſſet: ergo ratio curandi vulnera per aquā frigidam eſt bona. Ego autem dico, quòd mala, & inſpecta eſt: nam methodus ſupra poſita accepta ex fontibus Hippocratis veriſſima, & certiſſima eſt, quod videlicet conſeruatio habitus præcipuè conſiſtat in exiccatione ichoris, humoriſque ſuperflui, & in prohibendo ſāguinis defluxum: hoc ſtante, aqua cum frigida ſit, & humida, nō poteſt hæc præſtare; & quāuis ſua frigiditate actuali repellere poſſit materias, & arcere inflāmationes, hoc tamen non ſemper facit: præterea vulnera mordicat, & calorem naturalem aliquando ſuffocat: & vidi gangrænas maximas inſecutas huic generi curationis; aliquando tamen ea ſum ego vſus, quando nihil aliud habui, vt ſaltem arcerem inflammationem; ſed cum potui, ad medicamenta indicata deſcendi. De ſuſurrationibus autem, & incātationibus illis neſcio quid ſint, poſſent eſſe verba tàm bona, quàm mala: ſed ſint qualiacumque, non ſunt ad propoſitum; non nego tamen miracula, nec Dei Potentiam, nam Deus omnia poteſt; tamen hæc veſtra verba non imponunt Deo neceſſitatem. De experimento vidi ego plures ſanatos, & ſanaui, vt dixi; meum ſeruum, tamen dico, quòd ratio hæc curandi non eſt tuta, & uellem ego, ut iſti aſſignarent mihi numerum eorum, quos interfecerunt hac ſua curandi ratione, ſicut aſſignant eorum, quos ſanarunt, & uiderent longè maiorem eſſe illorum, quos iugulauere:

Nū aqua frigida poſſit agglutinari.

re:& ſi ego ſanaui meũ ſeruum,ſanaui etiam 25.& triginta,& plures,qui inciderant in gangrænam ex illa curatione aquæ frigidæ. Ad Celſum autem dico, quod ibi loquitur de leuibus vulneribus, & nullius fere momenti, & dicit, quod in ipſis poſſumus vti aqua frigida, tamen mala curandi ratio eſt, tametſi aqua in ſe ſit optimum elementum; quia habet naturam, vimque repellendi, & mundandi; & cum natura ſit ea, quæ agit, poſſumus dicere, quod iuuando naturam ſanat vulnera, prohibendo fluxionem: Et ideo in vulneribus, vbi non ſit opus ſiccatione, vt in habitu calido; ſed tantum repulſione ſanguinis,ne fluat,aqua poſſet iuuare naturam, & ſic ſanaret vulnera; & ideo Celſus cognoſcens vanitatem medicamenti muliebris,ſtatim ſubiungit:ſed ſi quis huic parum confidit,imponere medicamẽtum debet &c. Et ſi obſeruaueritis vulnera,quæ aqua ſanantur, videbitis, quòd parum ſanguinis defluit ad vulnus;ſed ſolum tantum,quantum attrahitur à parte pro ſui nutrimẽto. Cum itaque non fluat ichor, & non opus ſit in ipſis ſiccatione humoris ſuperabundantis, poteſt eſſe, quòd aqua actu frigida iuuando naturam in repellendo ſanguinem, qui poſſet fluere ad vulnus,ſanaret vulnus; ſed tamen natura eſt,quæ ſanat. Quare accuſanda ſunt illi, qui ſola aqua vulneribus medentur,& magis etiam,qui oleo tantùm,aut ſiccis linteis. Vnde cum quidam Germanus chirurgus vidiſſet hanc curandi rationem, cum ſola aqua eſſe ineptam,inuenit ipſe alium modum,cui multi atteſtantur, etiam ſi ſit abſque methodo, & modus talis eſt: Conficit medicamentum ex lapide hæmatitide, & ipſo inungit gladium, quo illatum eſt vulnus, ipſumque pannis obuoluit, tenetque in aere temperato, & habet maximam ipſius gladij curam; deinde inſpergit aquam ſupra vulnus, & multam quidem in vulnus ipſum: deinde ponit in vulnere lintea aqua frigida madida, & ſic proſequitur vſque in finem:& ita,vt videtis,iſte curat gladium,vt ſanetur vulnus. Vnde mihi videtur curatio magiſtri Grilli,qui cum aduocatus eſſet ad curandam puellam,quæ,dum comederet piſces,deglutiuit ſpinã,& retenta eſt in faucibus:magiſter Grillus acceſſit,& butyro cæpit inungere anum puellæ,vnde ipſa irrupit in magnum riſum,& ſic ſpina reiecta eſt; ita & Germanus iſte mihi videtur facere,vult ſanare vulnus,& applicat medicamentũ gladio.& ſi nõ haberetur gladius ille,quo illatum eſt vulnus mandat,vt accipiamus alium, ſiue ſit eiuſdẽ, vel diuerſæ magnitudinis,nihil refert; & vult, vt gladius inſeratur in vulnus, vt cruentetur, poſtea ita cruentum inungit,& habet maximam ſui rationem, vt dictum eſt: nam dicunt, quòd ſi gladius nimis refrigeretur,ita & vulnus refrigeraretur.ſed neniæ hæc mihi videntur. ô ſanantur plurimi,concedo immò credo, quòd ſanarentur facilius ſi medicamẽtum illud applicaretur vulneri,quia exſiccat;ſed illi,qui ſanantur,ob id ſanantur,quoniam natura eſt, quæ ſanat,& aqua illa adiuuat repellendo,& prohibendo fluxionem.

De Germano, qui curabat gladium, pro ſanãdo vulnere.

Itaque concludamus veram,ac certam curandi rationem vulnerum eſſe per methodum Hippocraticam,vt ſcilicet ſiccemus,& prohibeamus fluxionem ipſam. Quando igitur vulnus eſt agglutinandum illud natura facit adiuta à medicamentis, & adductis, conſeruatiſque labris in eo ſitu. Natura ergo eſt illa,quæ agit: & agit, ſi integra conſeruetur: conſeruatur autem integra,ſeruata ſiccitate naturali partis; & ideo oportet, vt medicus exſiccet partem,tùm pro conſeruando naturali habitu,tùm pro exſiccando ichore,atque abſumendo. Exſiccatur autem vulnus,& pars ipſa dupliciter:vel per multam ſanguinis effluxionem,vel medicamentis ſiccantibus impoſitis. Verùm quia ſanguis copioſus aliquando ad vulnus fluit,idcirco medicamenta ſiccantia debent etiam habere vim repellendi: quam vim habebunt,ſi ſint prædita aſtrictione. Debent ergo medicamenta valdè ſiccare,atque habere aſtrictionem:hæc eſt vera methodus,ex qua apparet, vt dixi, falſam eſſe illam rationem curandi ſeu agglutinandi vulnera per aquam,vel oleum,vel linamẽta: Apparet quin etiam non eſſe approbandam rationem agglutinandi vulnera traditam ab Albucaſi,& acceptam à Guidone per album oui, quo vtuntur à principio vſque ad finem, & malè faciunt, quoniam tale medicamẽtum non ſatisfacit prorſus omnibus ſcopis: nam quamuis habeat aliquam vim ſiccandi, & refrigerandi, tamen non tanta eſt, quanta requiritur. præterea non habet vim aſtringendi, quare non conuenit hoc medicamentum, cum album oui, firmato ſanguinis fluxu, indicationi non ſatisfaciat, quia frigidum eſt, ſed parum, atque ſiccum ex ſententia Galeni in 11. ſimpl. cap.de ouo;& cõſimilis facultatis eſt luteum,dicat quicquid velit Auicenna de caliditate vitelli, atque humiditate utriuſque, uerum nullam habet adſtringẽtem facultatem, mitigatoriam quidem habet; ſed non adſtringit,ut uos hodie iudices eſſe poteritis,cum oua comederis. Similiter non conueniunt illa,quæ ualidiſſimè ſiccant; & quãuis Celſus in agglutinandis uulneribus utatur ſpongijs aceto madidis, tamẽ iſtud auxilium eſt mihi ſuſpectum,quia acetum acre eſt,& ualdè exaſperat,inæqualeſq; reddit partes,& mordicat:mordicatio autem in uulneribus ſemper eſt fugienda:adſtringit quidem ualidiſſimè exſiccando, & liquefaciẽdo carnem, non autem propriè adſtringit; & ideo caueatis ab aceto: & quando Aetius dicit, quòd acetum adſtringit, non intelligatis, quòd id faciat per ſe, ſed nimium exſiccando; non autem habet facultatem illam adſtringendi, quæ percipitur guſtu.

Vulnus dupliciter exiccatur.

Qualitas medicamẽti ad vulnera.

Album oui refellitur.

Non conueniunt validiſſime ſiccantia.

Cauẽdum ab aceto.

Digitized by Google

guſtu quare opus eſt medicamentis ſiccantibus,& adſtringentibus: adſtringētibus quidem, ſed non nimis exſiccando. Verùm in huiuſmodi medicamentis opus eſt etiam obſeruare conſiſtentiam,ideſt,ſubſtantiā: nam Galenus tertio meth.cap.quarto inquit,quòd oportet obſeruare,an medicamentum poſſit penetrare uſque in fundum uulneris,ubi faciēda quoquē agglutinatio eſt, nec ne; ſi enim uis medicamenti non poſſet illucuſque peruenire, agglutinaret tantum partes ſuperficiales: nam impoſita ceruſa, lythargyrio ve, nihil agimus, niſi ſint in tenuiſſimum puluillum redacta, & aliquo humido diluta à quo ueluti uehiculo quodam in profundum ducantur. Quare conſtat, quod medicamenta debent ſiccare, adſtringere,& præterea habere aliquam humiditatem,uel actu uel poteſtate; quæ humiditas, uel humor ſit uehiculum facultatis medicamenti uſque ad profundum uulneris. & hinc habetis quod medicamenta ſub forma pulueris exiſtentia non ſunt opportuna, quia non habent uehiculum.

Acetum aſtringit exiccando.

Medicamentorum conſiſtētia.

Si itaque uelletis medicamentum ſimplex familiariſſimum, & optimum,nō diſcedatis à uino auſtero,quod re vera optimum eſt,nam ratione partium terreſtrium multarum,quas habet,ſiccat, & adſtringit; ratione poſtea humiditatis aquoſæ tenuis penetrat, quod autem auſterum vinum habeat has facultates, videatis Galenum in quarto de facultatibus ſimplicium cap.octauo;& per auſterum intelligatis illud, quod vulgo appellatur garbo: ſique auſterum non haberetis,vtamini eius loco acerbo vino: nam & ipſum ſiccat,adſtringit, & penetrat: madefaciatis igitur ſpongiam,vel ſplenia,& tepida vulneri iam conſuto applicetis,& ſæpe immutetis,aut quotidie,aut alternis diebus: ſi autē nec hoc,nec illud vinum haberetis, vt ſi eſſetis Mutinæ, non niſi caſu, & paucum poſſetis habere: ſimiliter ſi eſſetis in Aemilia,& in tota Flaminia etiam non poſſetis tale vinum habere, & ſi haberetis illud,eſſet potius acidum, quale eſt omphacinum, quàm auſterum, vel acerbum (nam eſſet factum ex uuis parum maturis,) ſi inquam tale uinum auſterum non haberetis, quale habetur copioſum in his Ciuitatibus, confugiatis ad alia medicamenta, & ad alios liquores, qualis eſt ſuccus hypericonis: contundatis hanc plantam, affundatiſque parum vini, & extrahatis ſuccum, quo vti poteritis loco vini auſteri: Bonus etiam eſt ſuccus cupreſſi, ſuccus equiſeti, ideſt, plantæ illius, quæ dicitur etiam, vulgo cauda equi: ſuccus millefolij,quo ego ſum vſus aliquando ruri feliciſſimo cum ſucceſſu: ſuccus quinquefolij,quaecumque fuerit quinquefolium illud; Hippocrates tamen laudat ad agglutinanda vulnera pentaphyllon album: bonus quoque eſt ſuccus ex folijs conſolidæ mediæ,& ſuccus ex radicibus conſolidæ maioris: ſed ſi eſſet hyems, & non poſſetis habere plantas, confugiatis ad medicamenta compoſita,quę varia proponuntur ab authoribus: inter quę eſt vnum Albucalis in ſecundo lib.cap.84. quod volo vobis proponere,non quidem vt ipſo vtamini,ſed vt ſciatis cauendam eſſe ab ipſo; medicamentum autem recipit thuris partem vnam, ſanguinis draconis partes duas, calcis viuæ partes tres. Fit puluis ex his omnibus, & inſpergitur ſupra iam conſutum vulnus,& hoc medicamento vtitur in vulneribus in capitis. Sed malum eſt in omnibus vulneribus,quia propter calcem ſæpe erodit: vnde caueatis ab ipſo. At ſi velletis medicamentum ſub forma pulueris faciatis hoc modo:

Medicamenta ſub forma pulueris non ſunt opportuna.

Vinum auſterū optimum eſt medicamētū ſimplex

Succus hypericonis.

Alij ſucci.

Sub forma pulueris.

Rec. thuris	an. ℈ i.
maſticis	
aloes	
boli Orientalis	
cornu ceruini vſti	

Cōtunduntur omnia,& fit puluis tenuiſſimus, qui excipitur vino auſtero, vel alio liquore ſimili,vt aliquo dictorum ſuccorum; vel ſucco etiam roſarum,qui ſemper habetur in officinis,& madefactis in eo ſplenijs,imponitur vulneri. Sed in omnibus pulueribus, & medicamentis, quibus vtimur pro agglutinandis vulneribus, in quibus recipitur ſanguis draconis, notate vnum magni momenti, & eſt, vt nunquam accipiatis ſanguinem illum draconis,qui paratur à ſeplaſiatijs varijs ex rebus, quoniam cauſticum aliquando,eſt medicamētum,& exaſperat partes, eſtque aliquando veluti venenum; ſed accipiatis ſanguinem illum draconis,'qui lachryma eſt,& deſcribitur aliquando à Dioſc.ſub nomine Cinnabaris,& habetur etiam in officinis. Habemus & alia medicamenta compoſita pro vulneribus agglutinandis propoſita à Celſo in quinto lib. quale eſt illud barbarum pro duris corporibus, baſilicum pro mollioribus,& reliqua,quæ apud ipſum videre poteſtis. ſed ſi uultis materiā ampliorem de medicamentis agglutinantibus, legatis Aetium in 15. lib. cap. 12. ubi plura proponit.

Notādum de ſanguine draconis.

De medicamētis cōpoſitis agglutinātib.

Ego autem inter cætera medicamenta utor libentiſſimè cerato barbaro,nō illo quidem, quod deſcribitur à Celſo, ſed ſecundum deſcriptionem Galeni traditam in ſecundo de cōpoſitione medic.per genera cap.ultimo,& optimum eſt pro mediocribus corporibus; tamē

Ceratūbarbarum Galeni.

ipſo

Digitized by Google

ipſo utor ego in mollibus etiam corporibus, diſſoluto tamen cum cerato roſaceo, ne tantū ſiccet, ac adſtringat: & poſſum equidem ingenuè fateri, quòd nunquam fruſtatus ſum ab illo ſcopo, quem intendebam aſſequi ex huiuſmodi medicamento, & agglutinaui uulnera aliquando citiſſimè; aliquando non ita citò; tamen res ſemper feliciter ſucceſſit, & aliquando tanto cum ſucceſſu, ut nulla fere cicatrix remanſerit. Quare audacter utamini hoc medicamento, quod uobis deſcribam, quoniam immutanda ſunt quædam, quibus caremus. paratur igitur hoc modo:

Cerati barbari deſcriptio.

Rec. picis ſiccæ lib. viij.
cerae lib. vj. & ℥ viij.
Reſinæ pini lib. v. & ℥ iiij.
Aſpalti veri, ideſt, bituminis Iudaici lib. iiij.
olei lib. j. s.
Litargyrij, Ceruſæ, Aeruginis æris } an. ℥ ij.
Thuris lib. s.
Aluminis liquidi ℥ j. s.
Aluminis ſciſſilis ℥ iij.
Opoponacis, Squamniæ æris, Galbani } an. ℥ j. s.
Aloes, Opij, Myrrhæ } an. ℥ s.
Terebinthinæ lib. ij.
Succi mandragoræ ℥ vj.
Aceti lib. v.

Obſeruanda de quibuſdã ſimplicibus.

Sed antequam dicam de modo parandi, ſunt multa adnotanda circa ea, quæ ingrediuntur hanc deſcriptionem, quorum plurimis caremus: & primò Antiqui habebant picem ſiccam, & picem liquidam, ſicca autem caremus nos, & non habemus niſi illud piſaſpaltum: at veteres habebant etiam ſiccam, quæ fiebat ex liquida; ſed nos habemus tantùm liquidam eductam ex his montibus ex teda arbore. At nautæ ſolent parare ſibi picem ſiccam, qua vtuntur ad obliniendа nauigia, & parant hoc modo: Accipiunt vnam partem piſaſpalti, & alteram picis ſiccam, qua vtor ego loco picis ſiccæ antiquorum; nec vterer loco ipſius piſaſpalto, vt aliqui faciunt, quoniam in medicamento recipitur & bitumen: Loco igitur picis ſiccæ vtamini illo mixto medicamento ex piſaſpalto, & pice liquida: ſed quando conficitis mixtum hoc, accipiatis partes æquales vtriuſque. Aliqui utuntur pice colophonia; ſed non placet.

Circa aſpaltum, ideſt, bitumen Iudaicum animaduertatis, ne ſeplaſiarij decipiant vos: cum enim carò vendatur, ſolent ipſius loco capere piſaſpaltum, & malè faciunt, quoniam acre nimis eſt medicamentum: curate igitur, vt accipiant verum aſpaltum ſolidum, &c.

Alumine liquido caremus nos; ſed eius loco vti poſſumus alumine rochæ. Aluminis ſciſſilis pauca apud nos quantitas eſt; & ideo cum non poſſimus tantum ipſius habere, vt poſſimus facere medicamentum, eius loco caperem, vt capio, alumen rochæ combuſtum.

Verum opium non habemus ſed eius loco vti poſſumus meconio, quod eſt ſuccus concretus ex capitibus papaueris.

Loco terebinthinæ vtor ego reſina laricina humida, quam præmanibus habemus; non autem terebinthina Cypria.

Succum mandragoræ paratum in officinis non habemus; ſed habemus ex mandragoræ radicibus, quo vti poſſumus etiam ſi medicamentum non ſit ita validum. Hæc erant adnotanda.

Modus parãdi medicamẽti cerati.

Paratur autem medicamentum hoc duobus modis: vno quidem antiquorum, de quo Galenus egit in compoſitione ſecundi barbari, & eſt talis: Eliquantur eliquanda, ſeu eliquabilia omnia, & reliqua ponuntur in mortario, rediguntur que in puluerem: deinde ponebant acetum in mortário, & piſtillo diducebant, donec fieret veluti ſordes; poſtea inijciebant omnia in mortario, & piſtillo agitabant. Alter modus eſt officinarum, quo vtor ego, & talis eſt: Capiunt oleum lithargyrium, & ceruſam, & coquunt ſimul, quouſque acquirat mellis conſiſtentiam; poſtea accipimus aliud vas, & in ipſo ponimus bitumen Iudaicum, & vas ſupra cineres calidos collocamus, & permittimus, vt ſenſim liquetur: ſi enim poneretur

Digitized by Google

retur ſupra carbones exureretur.& dum bitumen incipit diſſolui,ſuperinfundimus aliquid vel terebinthinæ,vel olei,vel alterius humoris,ne exuratur; cumque totum eliquatum fuerit, ſuperimijcimus omnia liquida, mox reliqua medicamenta; vltimò acetum, & coquimus, donec acquiſiuerit talem conſiſtentiam, vt non inquinet, & acetum ferè totum fuerit abſumptum: & hoc modo paro ego barbarum Ceratum: & cum volo vti in mollioribus corporibus, diſſoluo ipſum cerato roſaceo, accipiendo duas partes barbari, & vnam roſacei, vel tantundem vtriuſque,& ſic habeo medicamentum validius,& mitius,vt volo.

In mollioribus corporibus.

Sed ſi corpus eſſet durum, vt ruſtici ſunt, & ſenes, non vtor barbaro; ſed aliquo alio medicamento, in quo ſit ſquamma æris præparata, vel vtor emplaſtro Iſidis Galeni, quod in robuſtis corporibus optimum ſanè eſt medicamentum. & ſolum in his regionibus, & Ciuitatibus eſt in vſu. Sed notate,quòd aliquando vocatur emplaſtrum, vel medicamentum Epigonij: nam Epigonius fuit medicus, qui cum ob homicidium teneretur in carcere, & eſſet damnatus pęna capitis, vocatus eſt ad ſanandum quendam potentiſſimum virum, qui Hermonis ſacri ſcribæ uel Hermonis ſacerdotis etiam uocabatur; cumque illum ſanaſſet hoc medicamento, inde factum eſt,ut ab ipſo medicamentum nomen acceperit: & quia ipſum ſanaſſe ægrum illum uiſum eſt ueluti miraculum, idcirco pęna, qua erat damnatus, liberatus fuit. Dictum porrò eſt emplaſtrum Iſidis, quia in templo Vulcani in Aegypto deſcriptum eſt repertũ,quemadmodum etiam emplaſtrum ſacrum. Deſcriptio autem habetur à Galeno in quinto de compoſitione medic.per genera.& talis eſt.

In robuſtis.

Iſis,ſeu Epigonius.

Deſcriptio emplaſtri Iſidis.

Rec.ceræ ʒ c.
colophoniæ ʒ cc.
Radicis dracunculi exſiccatæ
ſquammæ æris rubri
Aeruginis æris
Ariſtolochiæ rotundæ ſiccatæ
Thuris
ſalis ammoniaci
Ammoniaci thymiamenis
Aeris uſti
} an. ʒ j.
Aluminis rotundi ʒ vj.
Aloes
Myrrhæ
Galbani
} an. ʒ xij.
olei antiqui lib.1.ſi hyems ſit;ſi verò æſtas,lib.mediam tantùm.
Aceti quantum ſufficit.

Animaduertatis,ne loco ſalis ammoniaci capiatis ammoniacum Alchymiſtarum, ſed eius loco vtamini ſale gemmeo. loco aluminis rotundi vtamini alumine rochæ. Eliquantur eliquabilia, & omnia ſicca rediguntur in puluerem, & ſuperadditur poſtea acetum, & piſtillo agitantur optime aliquandiu:deinde alia eliquata,& piſtillo ducuntur optimè; poſtea accipitur medicamentum,& manibus etiam emollitur continuo per tres,aut quatuor horas,madidis exiſtentibus manibus aceto acerrimo;accipitur deinde vas ex ære rubro, expletur aceto,& factis ex medicamento magdaleonibus,vel orbibus,inijciuntur in vas aceto plenum;& ita relinquuntur & ſeruantur,& videbitis,quòd quando tempore vſus extraxeritis orbes, vel magdaleones, erunt rubei in ſuperficie. Hoc vtor ego in agglutinandis vulneribus in corporibus robuſtioribus.Sed animaduertatis, quòd quando ex officinis uolueritis hoc medicamentum,ſcribatis ſemper.

Rec.emplaſtri Iſidis, non autem Iſidis tantum, quia intelligerent de vnguento Iſidis, quod eſt mixtum medicamentum partim ex emplaſtro Iſidis deſcripto iam, & partim ex cerato roſaceo. Ad eundem vſum poteritis vti emplaſtro ex vua acerba, vt monet Hippocrates in lib.de vlceribus.

Emplaſtrũ Iſis,& Iſis tantum differunt.

Quæ igitur medicamẽta tùm ſimplicia, tùm compoſita ſint vulneri imponenda quando affectamus primum ſcopum, ſeu primam intentionem, vt ſcilicet vulnus iunctum per ſuturam agglutinetur,audiuiſtis: Modus autem eſt,quòd omnia medicamenta,quę imponuntur pro tali ſcopo,debent eſſe mollia,vel ſi ſint ſicca,debent eſſe illius generis,vt impoſita parti per ſe eliquentur, vt poſſint penetrare vſque ad profundum vulneris: & ideo ſi medicamenta non ſint per ſe talia, diſſoluenda ſunt aliquo liquore, vt oleo, dummodo oleum ſit ablutum,& non impediat agglutinationem,vel alio liquore.

Cumque prima vice impoſueris medicamentum, quotidie ſemel detegendum eſt vulnus, ſi videlicet æſtas ſit, & abundet in ipſo materia ichoroſa, detergendum inquam eſt, & abſter-

Deterſio vulneris.

Digitized by Google

manus amputetur, vel ſecetur magna pars fæmoris, vel alterius huiuſmodi partis. Secundo vocant vulnus magnum, non quia ſit facta magna ſectio, ſed ratione nobilis partis & quãto pars eſt nobilior, tanto etiam vulnus dicitur maius: & ita ſi vulnus ſit in articulo, vocabitur magnum; maius adhuc ſi in hepate, vel pulmone, &c. Tertiò vocant magnũ vulnus, quod habet aliquam malam qualitatem coniunctam, vt venenum. Sed hoc non eſt ſimplex vulnus; ideo omittamus ipſum, & dicamus de alijs duobus. Magnum ergo vulnus, cũ ſit magnus morbus, indicat ſectionem venæ, quia magnus morbus magnum exigit remedium: hæc eſt iſtorum ratio.

Impugnantur duæ dictæ opiniones.

Contra primam.

Verum neutra harum opinionum mihi placet: prima quidem falſa eſt, quia licet vulnus qua vulnus, non indicet ſectionem venæ, ſed vnionem tantum: tamen non ob id ſequitur, quod non ſit ſecanda vena: quia vnio fieri non poteſt, niſi abundante ſanguine ſecetur vena & imminuatur copia ſanguinis: nam abundante ſanguine, ſemper humida reddetur pars, fiet que inflammatio, fluente ſanguine ad vulnus, & impedietur agglutinatio: quare licet ſectio venæ non indicetur ratione curationis, tamen indicatur ratione præſeruationis ipſius partis, vt ſcilicet pars ipſa conſeruetur in ſuo naturali habitu, & ne, fluente ſanguine ad vulnus, fiat inflammatio; & vbi timemus abundantiam humiditatis, non eſt timenda venæ ſectio: Et ideo dico, quod quamuis vulnus, vt vulnus, non indicet ſectionẽ venæ; tamen pars affectanda eſt ſiccanda, atque temperies eſt conſeruanda, quæ non poteſt conſeruari cum humidum copioſum in corpore contineatur, niſi & totum etiam ſiccetur, atque illud citò agatur, nam per inediam, aut purgationem, aut ſudorem, aut vrinas, ac ſimilia nimis tardè agimus. Ad illud: Hippocrates nihil meminit de ſectione venæ, &c. Dico, quod ipſe euacuabat ſanguinem per ipſum vulnus, quia ſinebat, vt ſanguis multus efflueret; & ideo non oportebat, vt ſecaret venam. Quod ſi obijciant de uulneribus illis, ex quibus non effluebat copia ſanguinis, reſpondeo, quod legere debent Celſum in quinto libro, capite 148. vbi ex Hippocratis ſententia dicit ſecandam eſſe uenã, & ſi ſanguis multus non effluxerit per vulnus: & ideo falſum eſt, quod Hippocrates non concedat venæ ſectionem, vt teſtatur Celſus qui fuit eius interpres.

Contra alteram ſententiam.

Nec altera ſententia, ſeu opinio mihi placet, quod in quocumque magno uulnere ſecanda ſit uena, quoniam conſequentia illa (morbus eſt magnus, ergo ſecãda eſt uena) apud me nõ ualet; ſed ualet ſic: morbus eſt magnus, ergo indicatur magnum auxilium; ſed nõ quodlibet auxilium magnum, at proprium, & accommodatum illi morbo, ut uerbi gratia, magna obſtructio indicat magnum remedium; ſed non quodcumque magnum remedium; at illud, quod maxime exobſtruat: & ita non ualebit: maxima obſtructio eſt magnus morbus, ergo indicatur uenæ ſectio, quia eſt magnum remedium: ita quoque non ualet: uulnus eſt morbus magnus, ergo indicatur magnum auxilium: Et, ut ingenue fatear, Galenus in indicationib. de ſecanda uena, mihi nunquam ſatisfecit, licet in reliquis fuerit diuinus: & rõ, qua mihi non ſatisfacit, eſt, quoniam alibi tradidit nobis methodum, qua inueniremus indicationes de ſecanda uena, q̃ methodũ, ſi ſequamur, ut ſequi debemus, non poſſumus ullo modo aſſerere ſequelã illã tenere, morbus eſt magnus, ergo conuenit venæ ſectio. Quare nõ valet apud me: vulnus magnũ eſt morbus magnus, ergo ſecãda eſt vena; ſed indicatio de ſecanda vena, vel non ſecanda in vulnerib. ſumitur aliunde, q̃ à magnitudine. Vt igitur ſciatis quando ſit ſecanda, & quando non, debetis primo obſeruare, an in vulnerata parte ſit dolor aliquis nec ne, & an futura grauis, moleſtaq; ſit: ſecundo, an pars vulnerata ſit de ijs, quæ facilè recipiunt fluxionẽ: tertiò, an multũ ſanguinis, vel nihil effluxerit. hæc circa partẽ vulneratã ſunt obſeruanda, & conſideranda diligentiſſimè. Circa totum autem corpus obſeruandum primo eſt, an corpus ſit totum humidum, & multo ſanguine refertũ: ſecundo, an ſanguis ille fuerit calefactus, & tenuis valde redditus, ita vt fluere facilè poſſit: tertiò, an æger affligatur animo, & timeat, an è cõtra: quartò, an æſtiua ſit tẽpeſtas, an hyemalis: & ita omnia reducentur ad quatuor capita, ex quibus elicietis certò, an ſecanda, vel non ſecanda ſit vena: primum eſt pars affecta, & vulnus ipſum: Secundum eſt habitus totius corporis, & partis vulneratæ: tertium ſunt animi paſſiones: quartum eſt aer ambiens. His ſtantibus, ſit vulnus cum futura moleſta, ita vt faciat aliquem dolorem: vulnus in parte debili, & apta recipere facilè fluentem ſanguinem: habitus totius humidus; ſanguis redditus aliqua occaſione calidus, & tenuis, non effluxerit ex vulnere ſanguis; adſit plenitudo corporis; temperies ſit calida; humores valde attenuati; adſit febris, qua humores ferueant: animus nõ ſit quietus; ſed ira commotus, vel languore; & ſit æſtas; tunc dico, quod in huiuſmodi vulnere neceſſario ſecanda eſt vena, & quidem citò, alioqui fiet inflammatio: contra autem ſi vulnus non ſit in parte imbecilla; effluxerit multum ſanguinis per vulnus; & alia, quæ dicta ſunt, non adſint, non eſt ſecanda vena. Itaque ſi adſint ea, quæ minãtur inflammationem, vel ſaltẽ adſit maior pars, ſecãda eſt ſtatim vena ex brachio, ſeruata aliqua oppoſitione, atque partium ẽt rectitudine; ſed ſi nullum adſit periculum de inflammatione, non eſt ſecãda, ſiue vulnus ſit

Galenus nõ ſatisfacit in indicationibus de ſecanda vena.

Quando ſecãda vena in vulnere, & quando non.

Ex quatuor capitibus indicatur ſectio vena.

ſimplex,ſiue non;& aut paruum,aut magnum.quare falſum eſt,ꝙ indicatio de ſecāda vena ſumatur à magnitudine vulneris,ſi enim hoc eſſet ſequeretur, quod etiam poſt ſectam venam,iterum mittendus eſſet ſanguis,nam vulnus magnum,eſt etiam magnum poſt ſectionem venæ,vt ſi ſit longa ſectio in fæmore,vocabitur ab iſtis magnum vulnus, & ita ratione magnitudinis ſecanda erit vena; ſed non poterunt dicere, quod poſt ſectam venam ſectio fuerit minor reddita;& ita erit etiam poſt ſectionem mittendus iterum ſanguis, quia morbus eſt magnus, quod non eſt dicendum. Venio modo ad euacuationem faciendam per

Num conueniat pharmacū purgans. pharmacum purgans;Sunt qui ſemper hanc conſuetudinem ſeruent in omnibos vulneribus,vt nunquam exhibeant medicamenta purgantia corpus,hac ratione moti,quia dicunt quod calefaciunt corpus.Sed hæc opinio mihi non ſatisfacit, quemadmodū non placebat ea,quæ ex toto inhibebat uenæ ſectionem.Alij ſunt,qui purgent corpus; & hi rectè agunt, quia in magnis uulneribus purgādum eſt corpus,non quidem ratione uulneris magni; ſed ratione inflammationis imminentis,nam quando corpus eſt refertum multis, & tenuibus humoribus,& excrementis,periculum eſt,ne fluant talia excremēta ad uulnus, & excitetur inflammatio;ideo indicatur euacuatio per medicamentum purgans illorum excrementorum. quare dico quod aliquando eſt purgandum corpus non ratione uulneris, aut magnitudinis;ſed morbi uel imminentis, uel qui adiungitur, uel ut conſeruemus partis temperiē

Solum in calidis, ſeroſis, tenuibus humoribus eſt euacuandū. ob corporis integritatem ab excrementis. Verum non in omnibus humoribus hæc talis datur indicatio,ut ſtatim euacuemus ipſos;ſed ſolum in calidis,ſeroſis,tenuibuſque,qui cito, & facilè poſſunt defluere; ſi quis enim humor eſt qui purgationem requirat,hoc præcipuè requirit humor tenuis,ac bilioſus,qui ut plurimum abundat,atque ſemper furit, & facillime fluit:& ideo ab ipſo timenda eſt ualde inflammatio;non ita autem ab humoribus craſſis. Si itaque in corpore redundent humores ſeroſi tenues,acres, & calidi, ſtatim ſunt pharmaco euacuandi,niſi præoccupaueris euacuationem cum ſectione uenæ:ſed quænam ſunt

Pharmaca apta ad euacuationē pharmaca iſta opportuna?Hippocrates utebatur ueratro nigro, & illo quidem copioſo qđ medicamentum tunc temporis erat tutum,& erat in uſu,quia homines ſuorum temporū, utpote minus delitioſi,ac excremētis,& obſtructionibus pleni facilius illud ferebant, ut notat Galenus in comment.de fracturis;nunc autem cum corpora,& ob cultus,& ob uictum mollia ualde ſint,non eſt tutum hoc medicamentum,nec etiam eſt in uſu.addit Hippocrates,quod nos debemus obſeruare an uulnera ſint in partibus inferioribus infra umbilicum an ſupra umbilicum in ſuperioribus; ſi in inferioribus, ipſe expurgabat per uomitum, tum ut euacuaret,tum ut diuerteret materiam à parte affecta ad ſuperiora; ſi uero uulnus fuiſſet in parte ſuperiori,expurgabat per inteſtina:ſed uomitus nunc non eſt in uſu,nec aſſueti nūc ſunt homines uomitui,ut olim erant, & ſi etiam eſſet in uſu, quoniam motus ille uomitus exagitat uentriculum,& ſeptum tranſuerſum,ad quam agitationē ſequitur,ut cōprimatur uena caua,& arteria magna, quibus uaſis compreſſis ſanguis impetuoſè illiditur parti vulneratæ,ſiue vulnus ſit in parte ſuperiori,ſiue in inferiori.Itaque caueatis ab euacuatione facta per vomitum,quia vomitus exprimit,& trudit ſanguinem ad partem læſam.quare mea ſententia ſat erit,ſi per ventrem inferiorem tantum vacuemus, quod ab Hippocrate in lib. de vlceribus confirmatur,atque per medicamenta facilia. exhibeatis igitur aliquod, quod euacuet per inteſtina,illudque ſit mite,& quod euacuet tenues,bilioſoſque humores: & ita

Euacuantia lenia. conueniet caſſia,tamarindi,ſyrupus roſaceus ſolutiuus,ſyrupus violaceus ſolutiuus,māna, & id genus reliqua, quæ leniter euacuant,& refrigerant etiam: ſcammonium quoque aliquando conueniret, non tamen ſincerum, ſed mixtum: & ideo conuenit electuarium de ſucco roſarum,& diaprunis compoſitum; in quibus duobus recipitur ſcammonium: ſed

Cauēdum a ſcammonio puro, etc. caueatis à ſcammoneo puro,uti à diabolo;ab agarico;à rabarbaro etiam,& ſimilibus. Itaque in vulneribus,quæ ſunt alicuius momenti,& in quibus timemus imminentem inflammationem exhibēda ſunt pharmaca. Sed quænam ſunt vulnera iſta,in quibus conuenit euacuatio per pharmacum?Hipp.ipſa nobis proponit,& primo ſunt omnia vulnera capitis,

In quibus vulneribus conueniat euacuatio per pharmaca. dummodo ſint alicuius momenti, nam ſi eſſet ſolum ſcarificata cutis,nō conueniret pharmaci exhibitio: ſecūdo ſunt omnia vulnera thoracis,intelligas ſemper dummodo ſint alicuius momenti:tertio omnia vulnera abdominis,& articulorum, atque illorum, quibus imminet ſphacelus.addatis vulnera compoſita,cum quibus eſt cōiuncta vel inflammatio, vel eryſipelas,& huiuſmodi alius affectus.adde omnia vulnera, quæ requirunt vel ſuturas, vel fibulas,ait Hipp.cū in his ſit aliquis dolor rōne ſuturæ; & ideo,niſi exhibeatur pharmacū,fiet inflāmatio.ergo in omnibus his,ſi ſint alicuius momēti,cōuenit exhibitio pharmaci:in reliquis aūt vulnerib.leuiſſimis non eſt exhibendū medicamētū; at ſat erit vel nihil a-

Si timeatur fluxio humoris craſſi, vel melancholici. gere,vel vti tantū cliſteribus leuioribus,vel acriorib.ſed ſi timeretis fluxionē humoris craſſi: vt pituitæ viſcidæ,vel humoris melancholici; cum iſti humores tardè fluant, poteritis ante pharmacum exhibere aliquid, quod præparet ipſos, dummodo expectetis fluxionem non citò, ſed poſt aliquod tempus, iſti enim humores non ſunt ſtatim irritandi, ſed coquendi

prius,

Digitized by Google

prius,ac poſtea vacuandi;ſed ſi timetis fluxionem humoris,vel ſeroſi,vel calidi,ſtatim exhibendum eſt medicamentum. Succedit iam ratio victus, quam non inſtituunt illi, qui medentur balſamo,vel elixire,vel aqua,vel oleo tantum;ſed dāt vinum,carnes,& reliqua,quę ſano exhiberent,præter aromata:& aliqui ſunt inter chirurgos præſtantiores,vt fuit Theodoricus,& Henricus,qui inſtituunt diętam vinoſam,ita vocant,ita vt exhibeant vinum, & omnia,& mouentur hac ratione,quoniam,inquiunt,egemus ſanguine,& glutine,quo agglutinetur vulnus:& ideo conuenit vinum,aiunt,& cibaria illa reliqua, quæ poſſunt ſanguinem multum bonum,& cito gignere, ſed errant,quoniam nos non egemus tanto ſanguine,& glutine, vt exhibēda ſint talia cibaria, immo no ita egemus ſanguine, quin maior ſit neceſſitas temperaturæ partis: atque ob hanc cuſtodiendam ſiccior ſit conſeruandus habitus totius,atque omnis fluxio prohibenda. Dico itaque cum Hippocrate, quod inſtituēdus eſt victus tenuis, & refrigerans,vt impediatur fluxio humorum;& hoc ſit vobis perpetuum & commune præceptum in omnibus vulneribus alicuius momenti: & ideo vinum nunquam eſt exhibendum,niſi eſſet magna virium imbecillitas,& vulnus eſſet leuiſſimum,ſed ſemper exhibeatis aquam puram decoctam, vel aquam,in qua decoctum ſit hordeum, vel capilli veneris,vel paſſulæ,&c.præterea omnia iura pinguia,& craſſa ſunt ſaltem vſque ad ſeptimam fugienda,niſi ſit valde labefactata virtus:ius aliquod tenue,in quo non ſit eliqua ta caro, & quod ſit ex pullo tenui, poſſetis concedere: exhibeatis panem lotum, ptiſſanam totam,cremorem ptiſſanæ,lactucam coctam,endiuiam coctam in iure:conueniunt etiam orizæ,& ſorbitio ex oriza fructus omnes ſunt fugiendi,nam licet refrigerent,& quo ad hoc viderentur conuenire,tamen mali ſunt,quia feruorem in ſanguine concitant,atq; ſanguis, qui ex eorum ſucco generatur,facilè feruet,& ſic promptè fluit. Pro extinguenda autē ſiti, & præcipuè ſi adſit febris,conuenit aqua acetoſæ,endiuię,capillorum veneris,decoctio hordei,quarum aquarum aliquam exhibebitis,vel cum ſyrupo acetoſo ſimplici,vel cum ſyrupo roſ.recenti,vel cum ſyrupo de endiuia,vel cum iuleb;& ſinite,vt æger bibat ex his quantum, & quandocumque vult:& hac ratione vltra ſeptimam procedetis. De motu autem, & quiete obſeruandum eſt,an vulnus ſit in parte ſuperiori, an inferiori; ſi in inferiori,malum eſt,inquit Hippocrates ſi æger vel ambulet,vel ſtet,vel ſedeat;ſed cubare ſemper debet, nam partes non debent laborare,quia ob motum humores agitantur,ac facilè fluunt ad locum affectum; ob ſitum verò inferiorem etiam facillimè ad locum affectum deſcendunt; ſed ſi vulnus ſit in parte ſuperiori,æger poteſt in cubiculo ambulare,ſedere,vel ſtare,dūmodo non incaleſcat corpus,& non timeas aliquod ſuperuēturum incommodum; & ad hoc caput pertinet collocatio partis affectæ, quomodo ſcilicet pars vulnerata ſit in lecto collocanda,in quo nequeo ego vobis tradere omnia præcepta, quoniam conſiſtunt & in natura partis,& in ſenſu ægri,& in quibuſdam alijs, ſunt enim quidam ita carne molles, & tanto ſenſu eorum corpus eſt præditum,vt ſtatim doleant, ſi ſupra vnum latus paruo etiam tempore in lecto ſteterint;& ideo tradam tantum quædam communia præcepta, & vnum eſt, quod ſemper affecta pars debet ſtare elatior parte ſana, vel ſaltem æque elata, vt ſi pars vulnerata ſit manus,& æger in lecto cubet,manus ſemper debet eſſe elatior, vel æquè elata cubito,nunquam autem pars ſuperior ſana debet eſſe elatior,alioqui fieret fluxio. Aliud notādum eſt,quod cum artus vulnerati ſunt faſcijs ligati,ſolemus ipſos collocare vel flexos, vel rectos;ſed hoc ſit vobis commune,& perpetuum præceptum obſeruandum in omnib. vulneribus articulorū,in quibus adeſt timor,ne proprius motus illius articuli deperdatur,præceptum inquam ſit hoc,vt ſi vulnerati ſint artus ſuperiores,ſcilicet brachia,ſemper collocetis artum ipſum flexū, vt ſi poſtea ex vulnere deperdatur motus illius articuli, vel impediatur,brachiū remaneat potius flexum,q̄ rectum,& rigidum;& ratio eſt, qm̄ nos vtimur brachijs frequentius flexis,q̄ rectis:& ideo minor noxa erit,ſi brachium ſit flexum,q̄ ſi rectum. Addatis,ꝙ ſi rigidum remaneret brachium,& extenſum, maiori eſſet impedimento:& qđ dico de brachio,idē intelligatis de digitis,quibus cum ſæpius vtamur flexis,q̄ rectis,ſemper cum ex vulnere,adeſt ſuſpicio de impedimento motus,collocandi ſunt flexi,non tamen ita flexi,vt fiat pugnus,ſed mediocriter flexi:contra autem ſi vulnerati ſint artus inferiores,crura.ſ.collocandi ſunt potius extēſi,quàm flexi,qm̄ nos vtimur crurib.frequentius extenſis, q̄ flexis;& ideo ſi motus impediatur,minus erit nocumentū,& minus claudicabit æger, ſi remaneant extēſa crura,q̄ ſi flexa. Somnus ſit moderatus,qm̄ prolixus humectat:vigilia quoque ſit moderata; in vulnerib.tamen extremarū partiū hoc peculiariter eſt obſeruandū, qđ non eſt multū dormiendū ob facilem caloris retractionem ab illis partib. De aere autē maxima habenda eſt rō,non ob id tm̄ error,& inconueniens quodq;,oportet reijcere in aerem, vt chirurgi in quibuſdam locis facere ſolent,vt puta Vincentiæ,Bononiæ,& Florentiæ, & multis alijs in locis,tantum enim aeri attribuunt, vt ſi videant aliquem recepiſſe vulnus etiam leue prænūcient mortem,& quicquid mali poſtea ſequitur,aſcribunt aeri,quod mea ſententia non eſt faciendum, & præcipuè ſi ſit aer natiuus: nam eadem eſt proportio aeris

Ratio victus.

Victus tenuis,& refrigeras in omnib. vulneribus.

Aqua exhibenda.

Iura pinguia fugiēda.

Pro extinguenda siti

Motus, & quies.

Collocatio partis affectæ.

Præceptū cōmune in omnib. vulneribus articulorum.

Collocatio brachiorū.

Aeri nō eſt adeo tribuēdum.

Magna habēda ratio ambientis.

Triplex ambientis habitus.

Florentini, verbi gratia, cum illo, qui natus eſt Florentiæ, quæ eſt aeris alicuius craſſioris ad illum, qui in ipſo natus eſt; aer autem connatus non ita lædit; magna tamen ambientis habenda eſt ratio in vulneribus. triplicem autem eſſe habitum aeris conuenientem in vulne-
» ribus colligo ex Hippocrate in libro de vlceribus, dum ait, pleriſque vlceribus tempus cali-
» dius commodius eſt hyeme, exceptis his, quæ in capite ſunt, ac ventre, magis verò æquino-
» ctij tempus. vnus habitus eſt aeris frigidi: alter eſt calidi: tertius eſt mediocris: aer autem natura frigidus eſt hyeme: calidus natura æſtate: mediocris vere. præterea colligo, quod aer tēperatus, mediocriſve eſt optimus in omnibus vulneribus; & quamuis talis aer ſit in omnibus optimus, tamen multa vulnera ſunt, quibus longè vtilior eſt aer frigidus, vel calidus, vt inquit Hippocrates, ſed quænam ſint vulnera, quibus vtilior ſit aer frigidus, & quibus calidus, quam mediocris, ipſe non declarat; ego tamen dico, quod in vulneribus articulorum, & aliarum partium frigidarum, & neruoſarum confert magis aer calidus; & ideo vulnera in huiuſmodi partibus ſunt optimè tegenda pannis, & pellibus, quia in huiuſmodi partibus paucus eſt calor: contra autem in vulneribus capitis, thoracis, & abdominis ſalubrior eſt aer frigidus, quia hæ partes abundant multo calore naturali, qui concentratus ratione frigoris conſtipantis melius concoquit. præterea in his tribus ventrib. adſunt venæ, & arteriæ magnæ, quæ ab aere calido ſolent inflammari; & ideo aer in vulneribus capitis, thoracis & abdominis debet eſſe frigidus, vel temperatus: in vulneribus autem artuum, & extremarum partium eligendus eſt aer calidus, quia partes illæ frigidæ cum ſint, fouendæ ſunt à calore: ideo tegenda ſunt optimè, & medicamenta applicanda actu calida, & vulnera tegenda erunt ſtupa, linteis, & ſimilibus; atque æſtas erit his bona, ambienſque calefaciendum erit valdè hyeme: Contrà autem vulneribus thoracis, abdominis, & capitis inimica eſt tempeſtas calida, atque ambiens calidum: nam dicebat Hippocrates. Ventres hyeme calidiores, & hac ratione vigente calore melius ſanantur vulnera. vel dicamus, & rectius, quoniam caput & ventres habent nimis magna vaſa, quæ à calore nimis accenduntur, & æſtuant, ſi ambiēs ſit calidum, quod non fit á temperato, nec tam à frigido offenduntur, cùm illa vaſa tantum caloris habeant, vt tueantur partes à frigiditate ambientis.

Vulnera articulorū, et partiū frigidarū gaudēt calido. Caput, thorax, abdomen gaudet aère frigido.

Error eorū qui caput vulneratū valde tegunt.

Hinc colligatis quam malè agant illi, qui caput vulneratum tanta ſtupa, ac pellibus tot obuoluunt, & qui teſtaceo operculo illud idem coquant præter rem: de qua re, Deo dante, breui tractabo.

De paſſionibus animi nihil addo, cum pateat perturbationes nutritionem, & carnis generationem impedire, atque alia incommoda parere. Venus omnibus modis, ac rationibus vitetur. Vnum notat noſter Guido, quod Rogerius, ac multi alij proponunt in vulneribus dandas eſſe quaſdam potiones calidas, atque ſiccas, quas non laudat immò noxias eſſe aſſerit, cum quo ego conſentio. quare vos non permittatis vſum iſtarum.

Quō fit curandū vulnus per ſecundū ſcopum, in explenda carne.

Incarnatio

Habetis, quid ſit prima intentio, & quæ ſint nobis agenda circa locum affectum, vt hanc aſſequamur; deinde, quomodo res non naturales ſint tractandæ, & quæ in vniuerſo corpore pro hoc eodem ſcopo ſint obſeruanda. Nunc videamus quomodo curandum ſit vulnus per ſecundum ſcopum, ſeu per ſecundam intentionem, & eſt, qua vulnus ipſum carne explemus, locoque agglutinationis vnimus labra, & explemus vulnus per aliquod medium, vt per carnem de nouo genitam; & huiuſmodi curatio vocatur à Galeno ἴασις & σαρκώσις, ideſt incarnatio, vt hac voce vtar: & hanc curationem vulneris non oportet tentare, niſi quando videris, quod non poſſis finem optatum aſſequi per primam intentionem. De hac ergo vulneris curatione, quæ fit per expletionem vulneris cum carne, ſuccedit, vt dicamus, Et antequam deueniam ad modum, quo vulnus carne expletur, oportet, vt vobis proponam vulnera, quæ non poſſunt curari per primum ſcopum, ideſt, quæ nequeunt agglutinari.

Quæ vulnera nō curentur per primū ſcopum, ideſt, agglutinationem.

Primū genus.

Secundum genus.

Tertiū genus.

Primo igitur omnia vulnera caua non poſſunt agglutinari: caua autem vulnera intelligatis illa, in quibus deeſt aliqua ſubſtantia ita vt ſit facta non ſolùm ſectio; ſed etiam diſſectio, per quam amputata eſt aliqua portio, verbi gratia, carnis: hæc talia vulnera nequeunt curari per primam intentionem, quia labra, ob defectum partis, nequeunt coniungi; & ſi coniungantur, deturpant partem. Igitur nullum uulnus cauum poteſt agglutinari.

Secundo omnia uulnera, quæ propter dolorem, aut propter magnitudinem, aut propter ſanguinis fluxionem nequeunt conſui, uel propter ſitum nequeunt deligari, ſunt curanda per ſecundam intentionem.

Tertiò omnia uulnera, in quibus periculum eſt de magna fluxione, & in quibus ſint puncti nerui. Addatis uulnera præter modum dolentia: nam cum curatio per primam intentionem fiat ex calidis, ualdèque ſiccantibus medicamentis, ſi tu applicares talia medicamenta vulneri dolenti, augerent dolorem; cum tamen indicetur lenitio doloris: & ideo ſunt curanda per ſecundam intentionem.

Quemadmodū & omnia illa vulnera, in qb. ſperamus, ꝙ aliquod fruſtū oſſis ſit abſceſſurum

Digitized by Google

tium:nā ſi vulnus agglutinaretur, vel os nō abſcederet, vel faceret abſceſſum peius vulnere.

Quartum genus.

Sunt aliquot, qui freti authoritate Pauli dicant, quod nullum uulnus partium neruoſarum eſt conſuendum. Ego autem dico, quod dummodo tu poſſis efficere ſine dolore magno, ſunt conſuenda, & per primam intentionem curanda, in quauis parte corporis fuerint, dummodo etiam non conſuas neruos, ſed tantùm partes carnoſas, & cutaneas. Alia omnia vulnera ab his ſunt curanda per primam intentionem; ſed ſi nequeas, confugiendum eſt ad ſecundam.

Indicatio, repletio vulneris ex carne.

Proponitur ergo vulnus in parte aliqua, quod poſſet tantùm curari per ſecundum ſcopum, quid agendum? indicatur repletio vulneris ex carne. Sed primò cum ſit cruentum, oportet firmare ſanguinem: & ideo, ſi ſit vulnus in parte aliqua, vbi non ſectus ſit ramus magnus arteriæ, vel venæ, ſat erit pro ſiſtendo ſanguine uti ſimplici potca; ſed ſi ſit ſectum vas, oportet vti ijs, quæ & ſua natura habent vim ſiſtendi ſanguinis; & præterea id faciunt obturando meatus vaſorum. Verùm, antequam deueniamus ad applicationem horum medicamentorum, conſiderare debes, an vulnus habeat aliquam cauitatem, in qua colligi poſſit ſanguis, & ſanies, & ſucceſſurus ſit abſceſſus, vt aliquando accidit, quia infliguntur quandoque vulnera, quæ ſunt anguſtiora in orificio, quam in fundo: & tunc oportet dilatare foramen. Conſidera igitur, an amplitudo foraminis ſit futura ſufficiens per totam curationem; & ſi non, dilatandum eſt; deinde ſiſtendus eſt ſanguis cum ijs, quæ ſua natura ſiſtunt ſanguinem; & præterea habeant lentorem, & facultatem aliquam leniendi aliquantulum doloris, non autem poſſint exaſperare vulnus, & ſi occurrant carni denudatæ, nequeant excitare dolorem. vnde optimè omnes ad hanc intentionem vtuntur albo oui, quod certè optimum eſt medicamentum, & non ſolum albumen, verum & totum ouum, nam ratione lentoris obſtruit meatus vaſorum, & ratione frigiditatis reprimit fluentem ſanguinem; & præterea eius ſubſtantia eſt ita æqualis, & lenis, vt, ſi occurrat carni detectæ, nullum excitet dolorem, ob quam lenitatem maximè album oui laudatur à Galeno in affectibus oculorum: addatis etiam, quod habet aliquam vim mitigatoriam ratione ſpirituum, quos habet, & magis hanc vim mitigandi doloris habet vitellum, quia habet partem aliquam oleagineam, quæ mitigat:& ideo ſi vulnus ſit in parte neruoſa, & velim magis mitigare, ego vtor albumine, & vitello ſimul,& optimum ſane eſt medicamentum.

Si vulnus habeat cauitatem, vbi colligatur ſanguis, & ſanies.

Albū oui optimè ſiſtit ſanguinem, & mitigat.

Sed quo modo imponendum eſt tale medicamentum? Tenta vocata ab iſtis Barbaris, poſtea plagellis, vel plagulis pro ratione vulneris: debetis namque ſcire, quod in vlceribus cauis, atque vulneribus nos ſolemus vti quibuſdam organis, quibus conſeruetur medicamentum in loco, ac cauitate vulneris illa à Græcis vocantur μότα vel μοτάρια vel τίλματα vel τιλμάτια, vel σπλῆνες quemadmodum ex Paulo, Galeno, & Hippocrate varijs in locis colligere poſſumus: à noſtris vero Latinis vocantur linamenta, penicilli, vel peniculi, turūdę à Varrone, plagulæ, ſplenia; & à Barbaris tētæ, atteolæ, & lichinia appellātur. Hæc nihil aliud ſunt, niſi quædā inuoluta, atq; texta corpora, quibus vtimur in vulneribus. Materia ipſorum eſt ſtupa linea, vel cannabacea; ſed præcipue linea, dummodo ſit optime pexa, ne feſtucas habeat admixtas, quæ pungant: nam iſta paratu facilis eſt, & in quacumque domo habetur, quod non eſt ita de alijs materiebus; & ideo ſtupa mollis, & optimè pexa eſt valde accommodata, cum præſertim ſit citò occurrendum. Alia materia ſunt lintea lacera, mollia, atque munda. Addatis pannos laneos molles: fila ex linteo excerpta: goſſipium optimè pexum: lanam puriſſimam, ac mundam: & vltimo ſpongiam mollem, ac puram. hæc eſt materia varia illorum inſtrumentorum.

Quō albū oui ſit imponendum.

Linamenta, et penicilli, μότα.

Figura autem ipſorum varia eſt: nam alia ſunt quæ ſunt oblonga, atque lata, quę foris ponuntur circa vulnera, ex ſtupa præcipuè, ac filis excerptis facta, & iſta vocantur σπλῆνες à Grę cis, & σπλήνια, quia ſplenis figuram habeant; Barbari atteolas vocant; Latini verò ſplenia, vel plagulas, fiant ex quacumque materia velint: at Celſus libro octauo, capite decimo, illud vocat linteum latius, quod Hippocrates σπλῆνα appellauit. Alia ſunt figuræ nuclearis oblonga, atque æqualia, quæ ſi ex ſpongia ſint, penicilli, vel peniculi vocantur; ſi ex linteo panno excerpto, ac filis, linamenta nominantur; à Græcis verò μοτάρια, μοτα. vel τίλματα, vel τιλμάτια: atque omnia iſta omnis materiæ lichinia vocantur à Guidone: turundæ vero à Varrone, quia turundarum figuram habeant: Alia ſunt inæqualia, quæ in acutum claui modo definunt, ſuntque penitus rotūda, vel quadrangula, ac depreſſa quæ ab iſtis tentæ, ex omni materia, uocantur; linamenta in longitudinem implicita vocat Celſus libro ſeptimo, capite viceſimooctauo: linamenta etiam ſimpliciter uocantur λημνίσκους μοτούς, ἐλλυχνιωτοὺς μοτοὺς στρεπτούς, aut μοτάρια ſimpliciter vocat Paulus.

Figura uariorum lichniorum.

Vſus talium inſtrumentorum eſt multiplex, ut ad dilatandum, ad conſeruandum apertum uulnus, ad cohibendum ſanguinem, ad ſiccandam carnem, & cohibendam ad ſugendam ſaniem, & ad conſeruandum medicamentum in uulnere, ne defluat per totum.

Vſus horū inſtrumentorum.

Digitized by Google

Igitur nos primum aut linamentis turundis, aut in longitudine implicitis ouo maceratis implebimus vulnus, poſtea plagulas, vel ſplenia hoc eodem madentia ſuperdabimus, & vltimo faſciam auſtero vino madentem: hoc facto, relinquitur vulnus ita per vigintiquatuor horas, & ſi timeas fluxionem ſanguinis, vſque in tertium diem; ſed ſemper teneantur omnia lintea humida cum vino auſtero affuſo, vel decocto gallarum, roſarum, & ſimiliũ: poſtea diſſoluendum eſt vulnus, & obſeruandum, an ſimplex ſit, an aliquid habet adiunctũ, vt an ſit denigratum, an crudum ſit factum, an aridum, vel liuidum, an ichoroſum, ſeu an adſint aliqua ſigna cõcoctionis: Si videritis, quòd vulnus ſit valde exſiccatum, & ad tactum perſentiatis aſperitatem, & duritiem, ſitque colore albo, vel ſubliuido, indicium eſt vulnus eſſe crudum: & ideo deſiderat concoctionem, de qua ſuo loco dicam: ſin contrà, cum tu aufers linamentum, ſtatim videas aliquid ſaniei albæ adhærere linteo, indicium eſt uulnus non eſſe crudum.

Crudi vulneris indicium.

Obſeruandum quoque eſt, an adſit dolor, nec ne; cumque uideris uulnus eſſe concoctũ, indicatur regenerandam eſſe carnem. Verùm animaduertas, quod duo requiruntur ad carnem regenerandam, materia ſcilicet, atq; efficiens cauſa: Materia eſt ſanguis opportunus: dico opportunus in quantitate, & in qualitate: quia debet eſſe benè affectus, ac talis, ut habeat analogiam ad carnem gignendam, & debet eſſe tantus, quantus requiritur: & ideo, ſi uideritis ſanguinem in corpore redundare, indicatur ſectio uenæ, quia ſi ſanguis eſſet bonus at nimis copioſus, nimis multa, laxa, & humida generaretur caro; ſi autem peccet in qualitate, alterandus eſt, alioqui aut nulla aut mala, ac liuida, & doloroſa orietur caro: & ita ratione materiæ datur indicatio corrigendarum ſex rerum non naturalium, ut cibi & potus; motus, & quietis, & reliquorum, de quibus ſupra abundè eſt dictum. Cauſa autem efficiens eſt partis ipſius temperies: hæc, ſi agere debet, conſeruanda eſt; ſi videlicet ſit præſens; ſi uerò abſit, reuocanda: Conſeruatur autem primò per conſeruationem habitus totius: ſecundo per conſeruationem in parte tantum, quæ medicamentis fiat ſiccantibus; & hinc inſurgit indicatio ſarcoticorum. Verum natura eſt, quæ agit, & debet iuuari: dicit enim Galenus, quod omne uulnus expletur per nutritionem, quia ſanguis mutatur in carnem: talis autẽ mutatio eſt nutritio. Sed in omni concoctione, & nutritione gignitur duplex excrementum, ut dicit Galenus in decimotertio methodi, capite tertio. Vnum quidem tenue, quod excernitur per cutim inſenſibiliter per halitus, & aliquando uertitur in ſudorem, quod fit propter imbecillitatem caloris, aut ob augumentum, aut ob nimiam alimenti copiam: Alterum eſt craſſum, & viſcidum, & eſt ſordes, quæ colligitur circa cutim, quæ fuliginis modo etiam inſenſibiliter excernitur. Cum itaque in uulnere gignatur caro, quæ eſt nutritio, duplex quoque fiet excrementum, unum tenue, quod uocatur ichor; alterum craſſum, & nominatur pus: & ideo utriuſque huius excrementi habenda eſt ratio: nam ſi tenue retineretur, eroderet; craſſum autem hæreret, & impediret generationem carnis. Ergo ichor eſt ſiccandus, & abſumendus: pus autem attenuandum, & abſtergendum. Iſta enim duo excrementa ſi recederent, nihil incommodi pareret; at ſi humidum retineatur, temperiem partis deſtruit; & ſi acre ſit, erodit. craſſum uero, ac ſiccius ita hæret, ut adnaſcatur, & in uulnere nutriatur, impediatque ſupercreſcere carnem, atque uulnus expleri. Ideo unum erit detergendum partim à chirurgo lana, uel goſſipio; partim à medicamento.

Ad regenerandã carnẽ duo requiruntur. Materia, & efficiẽs. Indicatio rõne materia, quæ eſt ſanguis. Cauſa efficiẽs eſt partis tẽperies. Indicatio ſarcoticorũ. In nutritione duo excremẽta gignantur.

Itaque medicamenta ſarcotica debent eſſe talia, ut conſeruent habitum naturalem partis, ſi adſit; ſi non adſit, poſſint reſtituere: ſecundo debent exſiccare ichorem: tertio debent attenuare, & detergere pus: & ita indicatur debere eſſe ſiccantia, & abſtergentia: talia autem ſunt ex Galeno in quinto de facultat. ſimplic. capite duodecimo, quæ ſiccant, & ſunt tenuium partium ſine aliqua aſtrictione: hæc vocantur abſtergentia.

Qualia debẽat eẽ medicamenta ſarcotica. Abſtergentia medicamẽta qualia debeant eſſe.

Verum detergentium medicamentorum, alia ſunt calida, alia frigida, alia erodentia, alia quæ non erodunt. Et ideo dices: quænam detergentia conueniunt in vulneribus? Dico, quod, quoad caliditatem, & frigiditatem, nihil refert, an ſint frigida, nec ne, dummodo non maxime refrigerent; ſciatis tamen, quod calida ſunt præſtantiora, quàm frigida, dummodo caliditas non ſit intenſa; ſed oportet maximè fugere ea, quæ acria ſunt: vnde quædam dulcia, quæ alioqui eſſent optima, ſunt propter acredinem fugienda, vt mel crudum, quod, quatenus ſiccat, & detergit, optimum eſt; ſed propter acredinem eſt fugiendum. Igitur eligenda ſunt ea, quæ ratione tenuitatis partium ſiccant, & detergunt; ſed expertia ſint acredinis, quia facerent dolorem, ſiue poſtea ſint calida, ſiue frigida, nihil refert. Igitur ſarcotica medicamenta ſint ſiccantia, tenuiuum partium, ſine vlla adſtrictione, atque mordicatione, ſi fieri poſſit.

Qualitas medicamẽtorum ſarcoticorum. In habitu molli.

Iam videamus modum ſiccationis. Temperies eſt conſeruanda in habitu molli, aut duro: ichor ſiccandus, qui facilè abſumitur ſanguis non eſt abſumendus: caro non eſt ſiccanda: gluten non eſt generandum. quare, vt dicebat Galenus, in corpore prædito temperie illa totius ſpeciei medicamenta ſiccantia in primo gradu, aliquando etiam intenſa, ſat erunt;

Addatis

Digitized by Google

Addatis vos, quòd in durioribus corporibus requiruntur ſiccantia in ſecundo gradu intẽſo: nam dicit Galenus: qualis eſt caro deperdita, talis requiritur gignenda: at in molli parua ſiccitas requiritur; in duris validior conducit. hinc colligimus primum ſarcoticum eſſe ſiccans in primo, & ſecundo ordine, tenuinum partium, ſine adſtrictione, atque mordicatione, differtque à glutinante: nam illud aliquando ſiccius eſt, adſtringens, & terreum.

In corporibus durioribus

Secundum, quod colligimus eſt, quòd omnia ſarcotica diſtinguuntur in tres ordines, vt fecit Galenus 13. meth. cap. tertio. Pro vt enim triplex eſt corporum habitus, ita tres erunt ordines horum medicamentorum tam ſimplicium, quàm compoſitorum: nos autẽ prius enumerabimus ſimplicia in omnibus tribus ordinibus; deinde quædam compoſita pariter in quocumque ordine. Sciatis tamen, quòd ex uaria ſimplicium mixtione poteritis efficere compoſita pro quocumque habitu volueritis. Vnde Galenus accipiebat etiam medicamenta calidiſſima, ſiccantiaque in quarto gradu, & mixto aliquo humido obtundente, ut cum cera, uel oleo, conſiciebat ſarcoticum: ſolebat enim ipſe accipere portionem æruginis æris, & miſcebat cum cerato roſaceo. Ad imitationem ipſius licebit uti præcipitato, atque metallicis ſicciſſimis, & calidiſſimis, in pauca tamen quãtitate, & mixtis cum aliquo, quod eorum uim retundat. Poteritis itaque, & uos uariè miſcere ſimplicia, & ſi miſcueritis ſicca in primo cum ſarcoticis in tertio, habebitis ſarcoticum in ſecundo gradu.

Omnia ſarcotica diſtinguũtur in tres ordines

Ex varia mixtura ſimplicium efficitur cõpoſitũ medicamentũ efficax.

Sed enumero iam ſimplicia & primò ea, quæ ſunt primi ordinis, & pro mollioribus, ut pro pueris, fœminis, & pro parte aliqua molli, ut eſt gena, & ſimilia: inter quæ primum eſt thus, farina hordei (ſiccat enim in primo gradu, & ratione partim tenuium abſtergit) farina fabacea, furfures triticei, uitellum oui: nam & oui uitellum ſiccat in primo gradu ferè intenſo, & detergit etiam ratione partium quarundam tenuium, & ſunt partes illæ unctuoſæ: unde mulieres ſolent cum uitello oui detergere ſibi capillos; detergit etiam ſordes manuum, ut uos cum eritis domi poteritis experiri. hæc ſunt ſub primo ordine.

Simplicia ſarcotica primi ordinis.

Sub ſecundo autem ſunt hæc: reſina terebinthina, laricina, abietina; ſed harum trium reſinarum mitiſſima eſt terebinthina, validiſſima abietina, in medio eſt laricina: & licet Galenus videatur dicere, quòd laricina ſit validior abietina, tamen guſtus dictat oppoſitum, nõ tamen magna eſt differẽtia inter vtramque: addatis mel coctum, & deſpumatum, ſirupum roſaceum recẽtem, mel roſaceum, farinam erui, ideſt, orobi dulcis illius ſcilicet, ex quo fit panis in aliquibus locis Italiæ, quodque recipit Galenus in componendo medicamentum ſeu confectionem illam ex ſquilla: addatis cadmiam optimè lotam, & ſpodium, ſeu pompholygem pariter diligentiſſimè ablutam.

Secundi ordinis.

Sub tertio verò ordine eſt farina orobi amari, (& eſt orobum ſyluestre, & habetur eius ſemen in officinis delatum ex Creta) Puluis rad cum Iridis, radix ariſtolochiæ, oppoponax, myrrha, ſarcocolla, mel crudum. Sed ſciatis, quòd mel crudum habet aliquam mordicationem. Hæc ſunt ſarcotica ſimplicia in omnibus ordinibus, ex quibus poteritis vobis parare compoſita; tamen enumerabo, & quædam compoſita, quæ tenentur parata in officinis.

Tertij ordinis.

In primo igitur ordine pro mollioribus eſt baſilicum minus officinarum, ſed intelligatis de illo, quod fit ex reſina terebinthina, ex colophonia, cera, & oleo; non autem intelligatis de vnguento illo, quod fit ex pice humida: quia illud ex humida pice mordicat; & hoc, de quo intelligimus nos, à Paulo vocatur tetrapharmacum: Sed poteritis, & vos ipſi parare hoc modo alia.

Compoſita ſarcotica. Primi ordinis.

Rec. terebinthinæ lotæ ʒ j.
thuris }
farinæ hordei } an. ℈ j.

Miſce optimè

Hoc optimum eſt medicamentum pro mollioribus tùm corporibus, tùm corporum partibus. Aliud parabitis hoc modo:

Rec. terebinthinæ lotæ ℥ j.
oui vitellum vnum

Miſce.

Hoc eſt ſarcoticum ad illud commune, ad quod ſtatim confugiunt omnes & chirurgi, & tonſores, & in mollioribus optimum certè eſt medicamentum, & paratu facilimum; ſed in mediocribus, & duris habitibus non conuenit: & in hoc errant iſti, quia indifferenter in omnibus corporibus hoc vtuntur: ſed valde errant, vt dixi: ſicut etiam valde errant alij, qui, vt videantur Galeniſtæ, & appareant plus ſapere, nunquam hoc vtuntur, & reprobãt ipſum, quod error eſt, quia in mollioribus, vt in pueris; & fœminis eſt præſtantiſſimum medicamen-

dicamentum; in duris autem, & mediocribus, vt dixi, malum: optimum quoque eſt in abſceſſibus apertis, quando opus eſt aliqua generatione carnis. Hæc ſunt compoſita primi ordinis.

Compoſita ſecundi ordinis. Sub ſecundo autem eſt vnguentum baſilicum maius, quod dicitur maius, quia eſt magis compoſitum, quàm baſilicum minus: nam recipit ea omnia, quæ baſilicum minus, & præterea gummas, quæ non ingrediuntur illud: ſecundum eſt vnguentum de matriſylua, quod dupliciter paratur, vno modo ex inſtituto receptariorum; altero ſecundum inſtitutum magiſtrorum medicinæ: & hinc factum eſt, vt appelletur magiſtrale, & eſt in maximo vſu, præcipuè in vulneribus capitis. dabo vobis deſcriptionem ex inſtituto receptariorum: nam alia ſecundum magiſtros eſt nota, talis ergo eſt.

Vnguentum de matriſylua.

Rec. Matriſyluæ pulueris }
Pulueris betonicæ } an. ℥ viij.
Olei roſ. completi ℥ xx.
Terebinthinæ }
Reſinæ pini } an. ℥ x.
ceræ nouæ }
Gummi elemi ℥ iiij.

Miſcentur, & ponuntur in lebete, cum duodecim lib. vini potentis craſſi, nigri, dulciſq; & bulliunt vſque ad conſumptionem tertiæ partis; deinde colatur, & permittitur, vt refrigeretur id, quod colatum eſt; cum eſt refrigeratum, colligitur vnguentum, quod aquæ ſupernatat: & hoc certè eſt præſtantiſſimum in mollioribus. Poteritis & aliud optimum parare hoc modo:

Rec. terebinthinæ non lotæ ℥ j.
ſyrupi roſ. recentis ʒ ij.
farinæ orobi ℈ ij.
Myrrhæ }
Thuris } an. ℈ j.
Miſce

Compoſita tertij ordinis. In tertio ordine nullum habetur paratum in officinis, niſi accipias vnguentum de gummi elemi, quod poſſet inſeruire in tertio ordine. Laudarem vnguentum illud de betonica, niſi adſtringeret. Parate ergo vos vnum hoc modo:

Rec. Terebinthinæ ℥ j.
Mellis roſ. ʒ iij.
Pulueris Iridis }
Oppoponacis } an. ℈ j.
Ariſtolochiæ rot. }
Thuris ℈ j. s.
Miſce

Si volueritis varias normas componendi ſarcotica, legatis Aetium in 14. lib. cap. 34. & 35. Obliniatis igitur linamenta aliquo ex his medicamentis, & expleatis uulnus; ea tamen ratione, ne uiolentia expleatis, neve calloſum fiat uulnus.

Quō cōſeruāda medicamenta in vulnere. Et quia medicamenta, quibus uulnus eſt repletum, ſæpe in uulnere non permanent, ſed egrediuntur; ideo conſeruanda ſunt in loco, quod fieri poteſt duabus rationibus, uidelicet, aut quodam alio medicamento, aut faſcia, aut utroque: Medicamentum autem illud eſt, quod à Paulo lib. ſexto cap. 62. uocatur μοτοφύλακιον, ideſt, medicamentum conſeruans linamenta in vulnere, quod medicamentum debet eſſe tenax; qualitas autem ipſius debet potius eſſe talis, vt impediat inflammationem: Itaque debet eſſe glutinoſum, aliter non hæreret, nec contineret linamenta in loco, & debet habere vim leuiter adſtringentem, & moderatè

Qualitas medicamēti conſeruantis. refrigerare, ac ſiccare: debet ergo eſſe naturæ ſiccantis, non autem calefacientis ſed potius refrigerantis, ac leniter repellentis. Tale eſt medicamentum magiſtrale vocatum, quod hic eſt maximo in vſu: Accipiatis linteum magnum, & obliniatis hoc medicamento, & ponatis ſupra vulnus repletum, & ſit linteum latum, & amplectetur circum circa partes ſanas. Opportunum eſt etiam ad hunc vſum ceratum de minio, vel vnguentum de minio, ceratum de lithargyrio; ſed optimum eſt diapalma: & ſi timebitis ipſius caliditatem, diſſoluatis ipſum aqua roſacea.

Sed

Digitized by Google

Sed notate, quòd ex vſu ſarcoticorum creſcit aliquādo caro pluſquam oporteat, & cum hoc accidit, oportet, vt medicus adſit, quia medicus eſt, qui cohibet nimiæ carnis generationem: Accidit autem, vt plus carnis generetur, quàm par ſit, aut propter malam vulneris expurgationem, vt ait Hippocrates in lib. de vlceribus, aut ob nimiam vulneris humiditatem. Et ideo cum videris, quòd caro nimis ſupercreuerit, oportet cohibere generationem carnis, & æquare vulnus, auferendo, quod nimis ſupercreuit, quod nos facimus aliquando forcipe, & permittimus vt ſanguis effluat, ut reliqua caro ſiccior reddatur, quo facto imponimus epulotica medicamenta. Sed ſciatis, quòd ego obſeruaui, quod caro, quæ in uulneribus ſupercreſcit, aliquādo eſt maximo ſenſu prædita ita, ut doleat, ſi tangatur; aliquando reperi expertem prorſus ſenſu, etiam ſi uulnus ſit in parte neruoſa: unde autem hoc diſcrimē accidat, ego non potui hucuſque ab hac difficultate me explicare; hoc tamen obſeruaui, quòd quando caro quæ ſupercreuit eſt affecta intemperie calida & humida, ualdè, ſi tangatur, dolet. Si igitur non dolet, ſecate ipſam forcipe, & poſtea imponatis linamentum ſiccū, uel medicamentum ſiccans; ſi uerò dolet, æquetis uulnus cum aliquo medicamento: aliquando imponimus alumen rochæ combuſtum; aliquando ceruſam; aliquando unguentum apoſtolorum, aliquando unguentum iſidis: Sed ego frequentius ad æquanda uulnera utor ipſo præcipitato optimè præparato, licet à multis improbetur: Poteritis etiam uti ſquamma æris præparata, uel ærugine æris præparata, & ſi neutrum horum ſufficiat, recurratis ad tractationem de ulceribus, ubi loquentes de carne ſupercreſcente, tradidimus multa medicamenta ualidiora ad auferendam ſupercreſcentem carnem. Sciatis tamen, quòd in uulneribus raro accidit, ut ſupercreſcat nimia caro ita, ut opus ſit cohibere generationem ipſius.

Aliquādo plus carnis generatur, q̄ par ſit, et quare.

Quō auferatur quod ſupercreuit.

Medicamenta auferētia carnem.

Vulnere deterſo, & carne repleto, indicatur ſuperinducendam eſſe pellem; ſed cum pellis ſit pars ſeminalis, & partes ſeminales reſectæ non regignantur, idcirco indicatur generatio alicuius loco pellis, & hoc, quod loco pellis regignitur, eſt cicatrix, quæ eſt corpus ſolidum, durumque, & ſapit naturam cutis; tamen cutis non eſt, etiam ſi habeant maximam ſimilitudinem, vt patet, quia, vt cutis eſt corpus ſolidum, & veluti neruus ſanguine repletus, ita cicatrix eſt corpus durum, calloſumque, & veluti ſanguine refertum: & vt materia carnis eſt ſanguis exſiccatus, ita materia cicatricis eſt caro ſuper exſiccata: fit enim cicatrix ex ſuperficiali parte carnis ſicciore reddita, immò eſt ipſamet ſuperficies carnis exſiccata, ſi igitur debeat vulnus cicatrice obduci, requiritur, vt ſuperficies carnis in vulnere reddatur ſiccior, & calloſa. ergo materia cicatricis eſt ſuperficies carnis.

De cicatrice inducenda, eiuſque materia.

Sed quodnam erit agens, quod carnis ſuperficiem exſiccet, & gignat cicatricem? Galenus in tertio meth. cap. quinto videtur dicere, quòd agens eſt medicamentum: & cum ipſo conſentit tota Medicorum ſchola: nam omnes dicunt quod caro ſiccatur à medicamēto tantum pro gignenda cicatrice, & ſic ſolùm medicamentum epuloticum gignit cicatricē. Verùm talis ſententia mihi dubia eſt, quoniam reperio in multis vulneribus cicatricem gigni abſque aliquo vſu medicamentorum, ſed ab alio efficiente, &, vt dimittam vulnera brutorum, quæ ſæpiſſimè conſpicimus obduci cicatrice abſque vlla ope alicuius medicamenti, videmus, quòd & in hominibus aliqua vulnera cicatrice obducuntur ſine medicamentis: Exemplo ſunt pueri, qui patiuntur vlcera illa capitis manantia, & vulgo vocantur lactumina, eò, quòd ſit lac putreſcens, quod faciat vlcera, acre redditum per putrefactionē: videmus, quod talia vlcera ſanantur, & cicatrice obducuntur: & tantum abeſt, vt mulieres applicent medicamenta, vt potius ab ipſis abſtineant, & caueant, & ex inſtituto quidem medicorum. Præterea plures curant vulnera aqua frigida, & vulnera, quæ ſanantur ex aqua cicatrice obducuntur; tamen non poſſumus dicere, quòd cicatrix ſit genita à medicamento aliquo, niſi dixeris ab aqua, quod nullo modo eſt dicendum, quoniam aqua refrigerat, & humectat: ea autem, quæ cicatricem gignunt, debent validè ſiccare, & adſtringere. quare non eſt dicendum, quòd cauſa efficiens cicatricis ſit ſolùm medicamentum. Idem dicendum eſt de vulneribus, quæ ſanantur oleo tantum putiſſimo. Præterea eſto, quòd vulnus magnum ſit in parte aliqua, vbi ſit iam genita caro, & vulnus ſit æquale, tunc indicatur generatio cicatricis: ſuperimponatur ergo medicamentum, quod habeat facultatem gignendæ cicatricis, certum eſt, quòd ſi ſolum medicamentum erit efficiens cicatricis cauſa, cicatrix incipiet generari æque in omnibus partibus vulneris, ſicut etiam æqualiter ſuperimpoſitum eſt medicamentum; ſed videmus hoc non fieri: nam primò videmus, quod incipit generari cicatrix circa margines vulneris, in ambitu ſcilicet, vbi ſunt partes cutaneæ, & ſenſim procedit circumcirca quouſque deſinat in medio vulneris: ergo aliud præter medicamentum ἐπουλωτικον requiritur ad generationem cicatricis, & illud eſt aliquod, quod ſuapte natura habeat talem vim, vt cicatricem gignat, ſine quo medicamētum nihil ageret: Nam quemadmodum non fit caro ex ſola ſiccatione ſanguinis; ſed requiritur quædam natura, quæ, dum ſanguis fuerit exſiccatus, introducat formam carnis; ita quoque in generatione cica-

Quodnam agens gignat cicatricem.

Galeni ſententia dubia videtur, q̄d ſit medicamentum.

Digitized by Google

cicatricis non ſolum requiritur exſiccatio facta à medicamento; ſed forma etiam, vel natura quædam, quæ ex carne exſiccata educat, vel introducat formam cicatricis: quod per ſe ſola poteſt efficere, & efficit; tardius tamen, neque ita feliciter, ſicuti quando adiuuatur à medicamento epulotico: Quòd hoc ſit verum patet, quia, ſi applicetur medicamētum aliquod valdè ſiccans fruſto carnis, caro quidem ſiccabitur, tamen non obducetur cicatrice: igitur efficiens cauſa cicatricis eſt natura quædam reſidens in partibus membri vulnerati, & non in qualibet parte; ſed tantum in cute ſana circumpoſita vulneri: quæ natura inibi manens per contactum tranſmutat partem carnis ſibi hærētem, & hæc aliam, & illa aliam per partem poſt partem, donec totum vulnus fuerit cicatrice obductum: Et hinc eſt quòd cicatrix ſemper incipit ab ambitu vulneris, quia natura generatrix cicatricis reſidet in parte cutanea; & ideo ſemper contendit aſſimilare ſibi carnem, quam contangit: & licet non generet cutim, tamen generat aliquid loco ipſius, quod cuti etiam aſſimilatur, & eſt cicatrix. Itaque efficiens cauſa immediata cicatricis eſt facultas in cute reſidens; adiuuatur tamen facultas illa à medicamento: & ita medicamentum non erit proxima cauſa, ſed coadiuuans, quod medicamentum dicitur epuloticum, ideſt, generans cicatricem.

Efficiēs cā cicatricis ē natura in cute reſidens.

Sed quale nam eſt medicamentum iſtud cicatricem adiuuans, quod & epuloticum vocatur? Dico, quòd patet, ſi cōſideremus naturam cicatricis, quæ eſt caro exſiccata: ergo medicamentum epuloticum debet habere vim ſiccandi: ſiccandi, dico, non ſanguinem, ſed carnem: ſecundò, quia non egemus amplius carnis generatione, quia iam genita eſt tanta caro, quanta requiritur, medicamentum debet habere vim adſtringendi, vt impediat defluxum ſanguinis: alioqui generaretur adhuc noua caro, & impediretur generatio cicatricis.

Quale ſit medicamētum epuloticum.

Sed dices: in quo nam gradu debent medicamenta epulotica adſtringere, & ſiccare? debent ne ſiccare in eodem gradu, quo agglutinantia? Dico, quòd medicamenta agglutinantia, & epulotica, quoad ſiccitatem, differunt ſolum ſecundum magis, & minus: Nā agglutinantia debent habere minorem vim ſiccandi, quàm epulotica, quia agglutinantia debēt ſiccare ſanguinem; epulotica autem debent ſiccare carnem: & ideo hæc debent eſſe ſicciora: Debent enim eſſe ſicca in tertio gradu intenſo: nam glutinatoria debent tantum humiditatem ſanguineam, atque ſuperfluam abſumere; epulotica verò debent abſumere etiam naturalem, atque inſitam carnis humiditatem, quæ difficilius cedit: ideo magis ſiccantia, atque adſtringentia ſunt epulotica, atque vſque ad tertium, vt dixi, gradum intenſum ſiccitatis aſcendunt.

Epulotica debent eſſe ſicciora glutinantibus.

Notate tamen, quòd & illa, quæ non ſunt ita ſicca, reſpectu diuerſorum habituum, poſſunt eſſe epulotica. Vnde agglutinatoria medicamenta reſpectu corporis durioris non erunt quidem epulotica; ſed reſpectu habitus mollis, vt pueri, & partis mollioris, vt genæ.

In epuloticis habēda habituū ratio.

Itaque & in epuloticis habenda eſt habituum ratio: ea propter, & ipſa diſtincta ſunt per claſſes ordinesve: tres enim ſunt ordines epuloticorum tàm ſimplicium, quàm compoſitorum, prout & triplex corporum reperitur habitus. Sed primò dicamus de ſimplicibus, & quidem primi ordinis, quæ in mollioribus ſunt opportuna. Primus ergo ordo continet iſta, aloes ſiccat & adſtringit, & optimum eſt in mollioribus habitibus, & in gena: ſecundum eſt cortex thuris: cortex pini: radix cyperi; cadmia lota; oſtrearum cinis diligentiſſimè lotus: plumbum vſtum elotum: minium officinarum, quod ſcandix uel ſandix à Plinio, & Vitruuio uocatur.

Tres ordines ſūt epuloticorum.

Simplicia epulotica primi ordinis.

In ſecundo gradu ſunt gallæ immaturæ, malicorium, balauſtium, mirabolani citrini, qui certè optimi ſunt pro mediocribus corporibus, ſuccus hypociſtidis, myrtilli, ideſt, fructus, ſeu grana illa myrti, ſanguis draconis in lachryma, rubrica ſinopica, ideſt, bolus Armenus.

Secundi ordinis.

In tertio autem ordine eſt æs vſtum præparatum, ſquamma æris præparata, myſi, chalcitis, ſori, alumen ſciſſile, & quodcunque aliud alumen: Et profectò epulotica tertij ordinis ſunt tanti momenti, vt niſi ipſa eſſent, non poſſemus cicatricem gignere in illis vulneribus, quæ aliquando difficilè cicatrice obducuntur; ſint tamen pauca, & præparata.

Tertij ordinis.

Verum in ipſis notare debetis quandam repugnantiam inter Galenum, & Aetium: Nam Galenus in tertio meth. cap. ſexto, inquit, quòd myſi, & chalcitis valentiſſima ſunt; ſquamma æris mediocriter; æs vſtum adhuc imbecillius. Aetius autem lib. 14. cap. 37. inquit, quòd chalcitis, alumen, & myſi ſunt valentiora; æs vſtum potentius: ſquamma æris valentiſſima. ſi haberemus partem illam Aetij Græcam, fortaſſe nulla eſſet contradictio, verùm ipſam non habemus, vt videre poſſimus, quomodo ſtet litera Græca; ſed ſi ſtaret, ut ſtat Latina, dicerem, quòd Galenus uult myſi, & chalcitim eſſe ualidiora alijs, quoad ſuū robur, ideſt, quo ad mordicationem, non autem quo ad gignendam cicatricem. at Aetius intelligit, quòd æs uſtum, & ſquamma ſint ualidiora alijs, intelligens non quo ad robur; ſed quo ad inducendum cicatricem. Hæc ſunt epulotica ſimplicia.

Repugnantia īter Galenum, & Aetium.

Iam de compoſitis agamus, quæ in uſu ſunt in officinis, quæ pariter diſtinguuntur per

Cōpoſita epulotica. Primi ordinis.

tres

Digitized by Google

tres ordines. Sub primo autèm ordine eſt unguentum de minio, ceratum de minio, diapompholygos primum Aetij, de quo in lib. 15. cap. 39.

Secundi ordinis.

In ſecundo ordine eſt diapalma, quo utimur in uulneribus non ualde duri habitus: diapompholygos Oribaſij, de quo Aetius loco iam iam citato: unguentum de thutia magiſtrale, quod certè optimum eſt, cuius deſcriptionem uobis tradam, quoniam, cùm magiſtrale medicamentum ſit, non habetur eius deſcriptio in receptarijs officinarum. deſcriptio ergo eſt hæc.

Vnguẽtum de tutia magiſtrale

Rec. olei roſacei, omphacini } an. ℥ vj.
olei myrtini, unguenti populeonis } an. ℥ iij.
foliorum plantaginis uiridium, ſolatri hortenſis } an. m. ij.

Inciduntur minutim herbæ, & ſimul cum oleis miſcentur in catino ex teſta, & relinquuntur ita per octo dies, & quotidie miſcentur ter, uel quater; poſt octauum diem colantur, & exprimuntur leniter manibus, & colaturæ addentur.

Ceræ albæ ℥ iiij.

Ponitur ad ignem, & cùm cera fuerit eliquata, aufertur medicamentum ab igne, & finitur, ut fiat tepidum, deinde adduntur pulueres iſti.

Lithargyrij aurei, uel argentei ℥ vj.
Tutiæ Alexandrinæ præparatæ ℥ ij.
Ceruſæ ℥ ij.
Plumbi uſti rubri ℥ vj.
Camphoræ ℥ j.

Miſce optimè baculo, deinde accipito totam maſſam, & pone in mortarium plumbeum, & ducito optimè per duas horas, & donec medicamentum fuerit refrigeratum.

Tertij ordinis.

In tertio autem ordine eſt ceratum de bolo Armeno, quod fit ex rubrica fabrili, & quibuſdam alijs, & cera, & oleo: poteritis accipere unam unciam unguenti de thutia magiſtralis, & addere unam drachmam, ſquammæ æris præparatæ, uel æris uſti ita, ut pro una uncia unguenti ſemper accipiatis unam drachmam metallorum præparatorum. Vtor ego aliquando ſquamma ipſa pura, præparata tamen, ubi ſcilicet uulnera difficilè obducuntur cicatrice: inſpergo enim ipſam ſupra uulnus, ut uidiſtis aliquando, & ſuperpono medicamẽtum aliquod: Optima quoque eſt ſquamma chalybis præparata, qua ego etiam utor felici cum ſucceſſu; & Galenus etiam utebatur his, & alumine etiam; ſed madefaciebat aciem ſpecilli ſaliua, & tangebat puluerem huius, uel illius medicamenti & ſpecillo tangebat vulnus. Si volueritis alia medicamenta epulotica, videatis Aetium lib. 14. cap. 38. & 39. & Paulum lib. quarto cap. 45.

Sed notate, quòd cicatrix aliquando introducitur nimis promineus, vel obliqua, vel nimis dura, vel caua, vel nimis mollis: & ideo oporteret, vt docerem vos modum corrigendi cicatricem; ſed hoc reſeruo ad illum locum, vbi agam de vulneribus faciei.

De Vulnere cum ſymptomatibus.
Cap. VIII.

Quæ accidentia ſoleãt ſuperuenire vulneribus.

HAbuiſtis rationẽ, qua ſimplex vulnus ſit agglutinandum, & qua cauũ ſit carne explendum, ac cicatrice obducendum, iam ſuccedit aliud caput de iis, quæ vulneribus ſolent ſuperuenire, quæ ſunt corrigenda, & omni induſtria remouenda, aliter vulnus numquam ſanaretur: ea autem, quæ ſolent ſuperuenire, ſunt varia, inter quæ eſt ſpaſmus, ideſt conuulſio; & reſolutio, ideſt, paralyſis: de quibus nunc non agã, quoniam, cùm hæc ſoleant frequentius accidere in vulneribus capitis, aptior locus erit, quando agemus de vulneribus capitis, & ideo reijcio hæc in illum locum. Solet etiam vulneribus ſuperuenire defectus animi, qui λειποθυμία à Græcis dicitur: febris: durities vulneris; ariditas; liuor; dolor maximus,

ximus; inflammatio; eryſipelas; oedema; gangræna; corruptio ſubſtantiæ; carnis malæ generatio, & ſimiles affectus, qui auferendi omnino ſunt, ſi velis vulnus ſanare.

De animi deliquio.

Sed veniamus ad deliquium animi, quod frequentiſſimè in vulneribus ſolet accidere, vt experientia ipſa oſtendit, & vt teſtatur etiam Galenus in primo ad Glauc. cap. 14. in quo loco λιποθυμίαν vocat, atq; ἔκλυσιν: interpres vertit animi defectũ, & diſſolutionẽ; Vos Dñi, legatis exolutionẽ; aliter difficultatẽ pariet vobis locus ille, cùm infrà interpres poſtea vertat διαφορησεῶν, diſſolutiones, vbi Galenus dicit animi defectum, ἔκλυσιν, ſcilicet, præcedere diſſolutiones, quaſi quod diſſolutio præcedat diſſolutionem, quòd eſt abſurdum. Quare quãdo ait Galenus: Qualia ſunt defectus animi, & diſſolutio, legatis vos, exolutio: & vbi legitur: Antecedit autem morbum attonitum, & comitialem malignum, & diſſolutiones, legatis reſolutiones: nam hac ratione exolutio idest, animi deliquium poterit præire reſolutionibus humorum, atque ſpirituum. Reuertor ad rem, λιποθυμία, uel ἔκλυσις, uel λιποψυχία ex Galeno lib. 12. meth. cap. quinto accidit in uulneribus, quæ uitanda eſt, aut præſens fuganda. Fiet autem utrumque, ſi cognoſcamus, qua ratione deliquium animi oriri ſoleat in uulneribus, & per deliquium animi intelligo ſubitam, & uiolentam ſpirituum animalium reſolutionem, uel ſubitam, & uiolentam ſpirituum animalium corruptionem in ſubſtantia cum defectu, & amiſſione ſenſus, & motus, & cum contractione totius caloris naturalis: & hæc affectio ſæpe deſinit in ſyncopem, & aliquando in mortem.

Quid intelligas per deliquium animi.

Ex quibus cauſis fiat deliquium animi.

Prima cauſa. *Secunda cauſa.* *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Fit autem deliquium animi in vulneribus varijs de cauſis; ſed ex illis præcipuè, quas proponit nobis Galenus in 12. meth. cap. quinto, & primo ad Glauconem cap. 14. & prima eſt mæror, & triſtitia. Vnde ſæpe accidit, vt æger delinquat animo ex inſpectatione proprij vulneris eruenti, vel ſanguinis effluentis, & ex cẽtum nonaginta deficiunt animo ex hac cauſa; & non ſolùm ægri ipſi, verùm etiam aſtantes. Altera cauſa eſt maxima ſanguinis fluxio, quia ſpiritus reſoluuntur. Tertia eſt reſolutio cauſata ex magno motu, vt accidit ijs, qui diu pugnant, & ijs, qui longum iter fecere, vel alio modo laborarunt. Quarta eſt malignitas vulneris, vt quando vulnus eſt illatum ex ſagitta venenata, tunc ſtatim ſolet fieri animi defectus, & quidem profundus. Quinta, & vltima eſt dolor intenſiſſimus, ex quo ſolent facilè accidere deliquia animi profunda valde.

Ad primã cauſam.

Itaque opus eſt, vt chirurgus obſeruet, & præuideat hæc omnia, & omnibus modis occurrat, ne ęger inſpiciat vulnus: pręterea cum ſibi timet de mutilatione membri, vel de alio conſimili, debet medicus ſpondere ſanitatem ſeriò, & ſeuera oratione, non autem multis verbis, quia ſi eſſet cordatus uir, cognoſceret multa illa verba dici potius ſui ſolandi gratia: quantum autem verba medici faciant ad ſuſtinendum animum ægri, iam vos potuiſtis cognoſcere: non permittatis autem, vt chirurgus ridiculè tractet vulnus, vt quidam ſolent, quia riſus illi ſolent torquere ægrum.

Ad ſecũdã cauſam.

Si autem timeatis defectum animi ex magno fluxu ſanguinis, apponatis manum ad venam, vel arteriam, & comprimatis robuſtè, comprimatis dico, vos ipſi; ſi non adſit chirurgus, & ſtatim recurratis ad mulſam, & curate, vt æger ſedeat, quietuſque maneat, & habeatis manum ad pulſum, & ſi videritis, quod virtus ſit robuſta, permittatis, vt ſanguis effluat, ſenſim tamen: neque enim concidet hoc modo in deliquium animi, & ſiccabitur pars: & cum primum ſentietis arteriam incipere langueſcere, ſupprimatis ſanguinem.

Ad tertiã cauſam.

Si autem vulnus ſit paruum, & nõ effluat ſanguis; & tamen æger ſit totus anxius, & iam facies alba ſit reddita, vel liuida, vel nigra, tunc citò occurratis, ne concidat animo, vt ſolet, cum hęc apparent, accidere, pręcipuè ſi pręceſſit longa dimicatio: & antequam quidquam agas, exhibeto offam in maluatico temperato, vel in alio vino albo dulci, odoratoque, vel in eo, quod aderit; & cum receperit vires, non timeatis etiam, ſi fluat adhuc ſanguis.

Ad quartã cauſam.

Si autem in vulnere ſit venenata qualitas ex ſagitta relicta, omnes ferè ſolent animo cadere, & ideo ſtatim fac, vt aliquis ex craſſa familia comedat rutam, caricas duas, totidem iuglandes, & ſalis aliquid, vel vnum tantum ex his, vel ſaltem comedat parum panis, & bibat potens vinum, mox abluat ſibi os oleo, vel butiro, vel alia re vnctuoſa, & cum os fuerit ablutum, expuat illud liquidum, & apponat os vulneri, & exſugat; vel loco oris, apponatis cucurbitulam, & extrahatis, quantum ſanguinis poteſt extrahi; deinde applicetis aliquod medicamentum, quod validiſſimè venenum extrahat; & non dicatis ægro uos agere id propter venenum; ſed propter extractionem ſanguinis.

Ad quintã cauſam.

At ſi ſit punctus neruus, & iam incipiat conuulſio, & immineat defectus animi ex dolore, ſtatim applicetis aliquod medicamentum, quod mitiget dolorem, de quibus infrà.

Si conciderit in deliquiũ, quid agendum.

Verùm ſæpe accidit, vt non poſſumus prohibere, quo minus æger cadat animo, & ſæpe accidit, vt concidat in manus chirurgi, dum tractat vulnus: quid igitur agendum, ſi conciderit? Dico, quòd patet ex definitione defectus animi, quæ erat, quòd eſt ſubita, & violenta ſpirituum animalium reſolutio, vel ſubita & violenta ſpirituum anima-

lium

Digitized by Google

ſium corruptio in ſubſtantia cum amiſſione ſenſus, & motus, & cum concentratione caloris naturalis, ex quo patet, indicari aliquod obiectum, & motum violentum, qui poſſit ſpiritum, & ſanguinem ad ambitum reuocare, & ad artus: & ideo requiritur aliquid, quod excitet ſummum, & ſubitum dolorem. Vnde vulgares ſolent, cum quis animo concidit, ſtatim aquam frigidam, vel acetum in faciem proiicere, & optimum eſt remedium; ſed multa debet eſſe aqua, non autem guttula, vt ipſi faciunt. proiiciatis ergo multam, & non timeatis. Conueniunt & compreſſiones extremorum artuum, atque uincula. Qua autem ratione hæc fieri debeant nullus eſt qui dicat, quod ſciam; Credo tamen hac ratione fieri, ut triſtis quædam, ac ualida ſenſatio fiat in parte, ut nerui ad ſenſum, atque facultas proritentur: Hinc frictiones doloroſæ, narium attractiones, atque artuum contorſiones optimæ ſunt, & deligationes, in quibus vnum notate ex Galeno, & eſt pulchrum, atque illud eſt, quòd ſi vulnus fuerit in partibus inferioribus, & deliquium animi naſcatur ex fluxione ſanguinis, vincula doloroſa ſunt facienda in artubus ſuperioribus; contra autem, ſi vulnus fuerit in ſuperioribus, facienda ſunt vincula in cruribus. Et quoniam in deliquio animi ſanguis totus ferè fluit ad cor, & cor ipſum ſuccumbit, idcirco opus eſt magna refrigeratione, ne ſuffocetur.

Modi excitandi à deliquio animi.
Notãdum ex Galeno.

Quod autem cor tunc non poſſit ferre illam copiam ſanguinis, patet, quia ægri longam trahunt reſpirationem:

Opus eſt refrigeratione.

Et ideo oportet, vt aer ſit frigidus; & diſſoluenda ſunt omnia veſtimenta, quæ thoracem, & abdomen comprimunt: quod duplici ratione eſt faciendum, prima quidem, quoniam omnes ſanguinei ſpiritus ſeſe in magnas, ac profundas venas receperunt, atque ibi turgent: ideo laxandæ ſunt veſtes, ne ſuffocetur calor innatus ibi compreſſis ſpiritibus.

Diſſoluēda ſunt veſtimēta duabus de cauſis.

Secunda ratio eſt, vt copioſius aer frigidus attrahi in pulmones, atque arterias poſſit: & hac de cauſa fugiatis ſemper loca calida.

Et quia in defectu animi diſſipantur etiam ſpiritus animales; idcirco & ipſorum habenda eſt ratio cum ſubminiſtratione alicuius rei odoratæ, dummodo non ſit valde calida: nam non ſolum ex bonis odoribus reſtaurantur ſpiritus animales; ſed etiam aliqui generantur, quia aliqua portio vaporum odoratorum vertitur in ſpiritus animales: atque ideo conuenit aqua roſacea, & acetum, quod naribus eſt apponendum, atque in os iniiciendum, vel vinum odoratum, aut aliquod aliud odoramentum; & tunc præcipuè habenda eſt ſpirituum animalium ratio, quando defectus animi fit, vt ait Galenus, ex mæſtitia, & mærore, aut ex ira, aut ex reſolutione, nam tunc valde patiuntur ſpiritus animales.

Odorata ſubminiſtranda.
Aqua roſacea, & acetum.
Vinū odoratum.

Sed notãdum, quòd ſæpe cauſa defectus animi eſt ratione oris ventriculi, eò quòd communicetur affectus ipſi ventriculo, quia materia excrementoſa petat os ventriculi. Cognoſcetis autem defectum animi fieri ratione oris ventriculi, quia videbitis ęgrum interim eructare, & flatus emittere.

Defectus ratione vētriculi.

Tunc igitur accipiatis pennam madefactam in ſummo oleo communi, vel alio pingui, & aperto ore, iniiciatis in fauces, & ſic mouebitur vomitus: venter quoque fricandus, & calefaciendus circa ſtomachum: euacuatis humoribus porraceis, vel alterius coloris, æger melius ſe habebit.

Sed ſi velitis experiri, an defectus animi fiat ratione ventriculi, apponatis duplicatos pannos calidos ori ventriculi, & hoc modo vidi ſæpe ægrum reſtitutum.

Si autem cum vulnere ſit febris, vos eſtis phyſici, & nouiſtis præcepta obſeruanda in febre, atque iam habuiſtis ab Excellentiſſimis his Practicis, quomodo curanda ſit febris.

Sed ſi cum vulnere ſit liuor, durities, & ariditas, quæ omnia indicant vulneris cruditatem, atque exaſperationem, tunc erit concoquendum, atque ſuppurandum, vel pus gignendum: atque vnum notat Hipp. ut quàm citiſſimè illud agamus, quoniam expurgato, atque optimè concocto uulnere faciliùs ſanatio ſuccedit. Vnde ablato medicamento ſupprimente ſanguinē, & reperto liuore, uel duritie, aut ariditate, utemini iis, quæ modicè calefaciunt, concoquunt, & detergunt, quale eſt digeſtiuum ab iſtis uocatum, & fit ex terebinthina, & luteo oui: uel addatis butyrum, thus, & oleum roſaceum, & erit medicamentum, quod concoquet, pus mouebit, & abſterget moderatè. Poteritis etiam uti tetrapharmaco uocato à Paulo libro 7. & à Celſo libro quinto, & in durioribus vti poteritis medicamento à Celſo vocato eneapharmacum, quia nouem medicamenta recipiat: Aliquando vtor emplaſtro, quod conficio ex folijs maluarum coctis, ex radice althææ cocta, farina triticea, vel hordeacea admixto butyro, vel pinguedine aliqua, & ſuperimpono; Sed in impoſitione emplaſtri notate vnum magni momenti ex Hippocrate in quo errant iſti: præceptum autem eſt,

Si vulneris cruditas adſit.
Modicè calefacientia, concoquentia, & detergentia.
Digeſtiuū.

Emplaſtrũ non eſt ponendum ſupra vulnus quòd non debemus ponere emplaſtrum ſupra vulnus, nec vulnus cataplaſmate explere; ſed circumcirca ipſum in ſanis partibus: & ratio eſt, quia emplaſtrum, uel aliud medicamentum impediret effluxionem ſaniei: & ideo expleatis uulnus linamento, uel tenta, & ponatis medicamentum ſupra labra; poſtea ſuperimponatis linteum ſupra illud, quod oblinitum eſt medicamento, & adſit foramen, quo ſanies exeat: & his medicamentis utemini, *Quando ſolet eſſe concoctum vulnus.* quouſque uulnus fuerit coctum, eritque rubicundum; ſolet autem eſſe concoctum aliquando ſecunda; aliquando tertia; aliquando quarta die, & rariſſimè excedit quartam; & ſi in quarta non ſit coctum, indicium eſt, quòd uulnus eſt malignum. Cum fuerit coctum, & ceſſarit liuor, & reliqua, imponatis ſarcotica.

De doloris correctione Inter ea quæ uulneribus ſuccedunt, & corrigenda à chirurgo ſunt, eſt etiam dolor, qui aliquando ad ſe trahit curationem, quia ſæpe efficit defectum animi, & inflammationem, quoniam aliæ partes tranſmittunt ſpiritus, & cum ipſis ſanguinem ad partem dolentem, vt foueatur uirtus, & ita ex fluxione ſanguinis ſuccedit inflammatio: non dico iam, quòd dolor attrahat; ſed quod eſt cauſa, ut fiat attractio humoris ad locum ſtimulando partes ad tranſmittendum, atque locum affectum ad recipiendum: ſed hic non eſt locus inueſtigandæ huius quæſtionis. Præſente igitur dolore uehementi, & perdurante mitigandus eſt; *Obſeruandum vnde fiat dolor.* ſed mitigari non poteſt, niſi obſeruaueris, unde fiat: Solet autem fieri ratione intemperiei; uel ratione ſolutæ unitatis; uel ratione malæ qualitatis, ut uenenoſæ in uulnere exiſtentis; vel propter extraneum aliquod corpus in vulnere contentum: Et hoc dico, vt craſſo modo proponam cauſas doloris: nam ſi exquiſitius rem iſtam examinare vellem, *Si fiat ratione intemperiei quõ occurrẽdũ.* fortè quòd eam aliàs conſtituerent. Si itaque dolor fiat ratione intemperiei, quod cognoſcetis ex proprijs ſignis cuiuſcumque intemperiei, oportet occurrere cum inunctionibus, emplaſtris, & cum fomentis, quæ ſimul, & ſemel auferent intemperiem, & lenient do- *Si ratione extranei corporis.* lorem. Si fiat ratione extranei corporis, vt eſt ſpina, pars gladij, & filum ſuturæ durius, vel nimis ſtringens, vel vitrum, extrahendum illud eſt, aliter nunquam ſanaretur vulnus. Sed notate, quòd quandoque extraneum corpus relinquitur in vulnere, donec vulnus ſit maturum, ideſt, donec faciat pus concoctum, & poſſit ſine dolore extrahi: Verum quando adeſt dolor magnus, & conſtat dolorem cauſari ab illo corpore, dico, quòd non eſt expectanda vulneris concoctio; ſed ſtatim extrahendum eſt, etiam ſi non poſſit extrahi ſine moleſtia, & dolore; alioqui perduraret dolor, & fieret inflammatio: Extracto corpore extraneo, nihil aliud ad mitigandum dolorem eſt agendum, niſi quòd vul- *Si fiat à venenoſa qualitate dolor* nus eſt fouendum pannis calidis. Si dolor fiat à uenenoſa qualitate, exſugatur venenum, vel ore, vel cucurbitula, & apponatur medicamentum, quod extrahat venenum: aliàs autem, cum agerem de tumoribus præternaturam, docui vos plura medicamenta vene- *Si fiat à ſolutione continui.* num attrahentia. Sed ſi dolor fiat à ſolutione continui, quæ ſolutio naſcatur à copia humoris defluentis, & dilatantis, ſtatim ſecate venam: Et hoc ſit uobis uniuerſale præceptum, & perpetuum, quòd quotieſcumque dolor eſt magnus, & fit à ſolutione conti- *Preceptũ vniuerſale in magno dolore.* nui, propter defluxum multi humoris diſtendentis, ſecanda eſt uena, & multum ſanguinis eſt extrahendum, ut fluxio ceſſet; deinde applicabitis fomenta; & ita capietis ſpongiam, uel lintea madida in aliquo medicamento refrigerante repellenteque: in qua re opportunum erit oleum roſaceum completum, oleum roſaceum completum lumbricatum, uel admixto pauco oleo camomelino; uel utamini oleo communi admixto luteo oui: Quòd ſi dolor prorſus non ceſſet, faciatis fomenta cum oleo nenupharino, addita aliqua portione olei papauerini, vel addita portiuncula opii, & portiuncula caſtorei (debet autem addi caſtoreum, vt corrigatur opium) vel recurratis ad illa medicamenta ſedantia dolorem, de quibus diffusè egi in profligandis cauſis tumorum anno ſuperio- *Emplaſtrũ ſedans dolorem.* ri. Recentiores vtuntur quodam emplaſtro admodum accommodato, & fit hoc modo: Accipiunt folia ſolani hortenſis, & hyoſcyami viridia, inuoluunt charta, & ſub prunis coquunt, deinde contundunt, & addito oleo roſaceo completo, vel axungia porcina, faciunt emplaſtrum, & vulneri applicant: vel vtamini emplaſtro ex medulla panis cocta in iure addito oleo roſaceo.

Si fiat ratione ſuturæ. Sed notate, quòd dolor ſæpe fit in vulneribus magnis ratione ſuturæ; & ideo, ſi videritis dolorem fieri à ſutura, ſtatim ſecate fibulas, aliter fieret inflammatio; quòd ſi ſecta ſutura ad huc perduret dolor, foueatis vulnus panno calido duplicato, vel triplicato.

Si appares inflãmatio. Cæterum ſi vulneri ſuccedat inflammatio, ſtatim, cum incipit apparere, applicetis emplaſtrum ex lacte, pane, & oleo roſaceo modo dictum; vel emplaſtrum Hippocratis, quod fit hoc modo: Accipimus lenticulas paluſtres, coquimus in vino, deinde contundimus, & addimus oleum roſaceum, & facimus emplaſtrum, applicamuſque vulneri, & ſuper ipſum ponimùs ex præcepto Hippocratis linteum madidum oenelæo,

læo, ideſt vino & oleo: Sed ſi inflammatio ſit leuis, accipiatis folia rubi canini, coquatis in vino, contundatis poſtea, & addatis oleum roſaceum, & facto emplaſtro, applicetis; & hoc etiam eſt Hippocratis: hæc in principio conueniunt. *Si inflāmatio ſit in ſtatu.* Quòd ſi inflammatio ſit iam in ſtatu, accipiatis verbaſcum ſylueſtrem, trifolium pratenſe, folia maluarum, foliaque altheæ, coquatis in aqua ſimul, & poſtea, addito oleo roſato, & pauco chamomelino, conficians emplaſtrum, & applicetis, & optimè concoquet tumorem ipſum. Quòd ſi plura volueritis medicamenta, confugiatis ad caput de inflammatione, de qua ſuperiori anno egimus. Sed ſciatis, quòd ſi benè curetur vulnus, raró ſuccedit inflammatio.

Si ſuccedat eryſipelas.

Aliquando ſuccedit eryſipelas, & tunc vulnus eſt periculoſum, præcipuè, ſi vulnus ſit in oſſe, & longè magis, ſi ſit in capite cum oſſe detecto: Si ergo cum vulnere ſit coniunctum eryſipelas, accipiatis terebinthinam, & ipſam abluatis cum aqua lactucæ, vel ſolani, vel portulacæ, vel roſacea, vel alia conſimili, & addatis farinam hordeaceam, vitellum oui, & parum olei roſacei abluti cum aqua roſacea, & facto medicamento, expleatis ipſo vulnus; & circum vulnus poſtea ſupra ipſa labra imponetis lintea duplicata, vel triplicata madefacta aliquo liquore refrigerante, vt aqua nenupharina; vel folia duplicata, ſeu triplicata, vt minus ſiccentur, folia inquam nimpheæ, vel albæ, vel luteæ, aut folia lactucarum; vel imponatis vnguentum album ex ceruſa ſine camphora, vel refrigerans Galeni vel vnguentum roſaceum Meſuæ recens. Sed animaduertatis, quòd ſemper ferè ſolet haberi rancidum; ideo faciatis, vt paretur nouum. *In declinatione inflāmationis.* In declinatione autem ex mente Hippocratis imponetis emplaſtrum, quod fit ex farina ſeminum lini, ſuccoque ſolani hortenſis; & hoc conuenit in declinatione, & in ſtatu: in principio autem, & in augumento imponetis emplaſtrum factum ex folijs plantaginis, & ſolani hortenſis.

Si adſit intēperies frigida ſine materia.

Si autem cum vulnere ſit coniuncta intemperies frigida ſine materia, foueatis vulnus cum ſpongia, vel linteo madido in vino meraco dulci, in quo ſint cocta folia lauri, menthæ, origani, hyſſopi, camomillę, & ſimilia; & expleatis vulnus medicamento ſarcotico moderatè calefaciente, & imponatis medicamentum, quod vocatur vnguentum fuſcum Nicolai, vel vnguentum de matriſylua: aliquando impono ego ſola lintea madida in oleo chamomelino rutaceo, & laurino: aliquando poteritis aſcendere vſque ad oleum de euphorbio, quando, ſcilicet, vulnera erunt valde refrigerata, vt ſolet accidere in exercitu.

Si intemperies ſit calida.

Si intemperies ſit calida, occurratis cum frigefacientibus dictis pro inflammatione, & eryſipelate.

Si adſit oedema.

Cæterum raró accidit, vt vulneribus non ſuccedat aliquod oedema, quinimmò, niſi ſuccedat aliquis leuis tumor oedematoſus, eſt malum ſignum: obſeruate igitur an oedema ſit leue, an magnum: magnum erit ſi excedet magnitudinem vulneris, nam conſideranda eſt proportio tumoris, & vulneris, & ſic cognoſcetis, an ſit magnus, vel paruus tumor: ſi itaque in paruo vulnere magnum ſit oedema, curandum eſt, & ita imponetis aliquod, quod euacuet: vel deligatione curabitis ipſum, obducendo, ſcilicet, faſciam ſupra labra, moderatè tamen ſtringatur; & hoc modo aliqua pars materiæ retrocedet, aliqua exprimetur in vulnus ipſum, vbi concoquetur: vel imponatis ſpongias nouas poſca madentes, aut aceto; ſed poſca magis placet.

Si ſuccedat fluxus ſanguinis.

Fluxus ſanguinis ſolet ſæpe vulneribus ſuccedere, & valde moleſtat; ſed de ipſo agemus, vbi loquemur de vulnere arteriæ, vel venæ.

Epilogus.

Iam habetis, quid ſit ſolutio continui; quot ſpecies, inter quas diximus eſſe vulnus, & de ipſo habuiſtis hucuſque, quid ſit, quot ſpecies, quot cauſæ, quæ ſigna, quæ prognoſtica, quid ſimplex vulnus, & quomodo duplici ratione curari poſſit, prima videlicet, & ſecunda intentione: ſimiliter patuit, quomodo compoſitum vulnus cum ſymptomatibus, ac morbis alijs ſit curandum: nunc eſſet deueniendum ad ſpecies vulnerum vt facit Guido, qui tractat de vulnere in parte carnoſa, de vulnere magno, de paruo, de cauo, de vulnere ineſſe, & ſimilibus, de quibus ego non agam, quia eorum curatio patebit infra, cum tractabo de curatione vulnerum particularium, ſicut patuiſſe etiam potuit ex iis, quæ adhuc dicta ſunt: & ideo venio ad vulnera capitis.

Digitized by Google

De Vulneribus capitis. Cap. IX.

Quæ difficiles curationes reddant.

QVæ curationes difficiles admodũ reddũt,hæc eſſe ſolẽt,nobilitas & præſtãtia partis,q̃ læſionẽ vix perferre poteſt:ſubſtãtiæ mollities: eiuſdem ſubſtantiæ durities:frigiditas cũ ſiccitate coniuncta: cõpoſitio ex contrarijs partib.aptitudo ad putredinẽ contrahendã:aptitudo ad inflãmationẽ:cauitas recipiens,retinenſq; excrementa.hæc ſunt,q̃ vulnerũ curationẽ difficillimã reddunt, p̃ter magnitudinẽ, & malignitatẽ vulneris,nã ſi & hæc aderint,lõgè difficilior curatio fuerit. Et hæc omnia in capite ſunt:nã in ipſo eſt cerebrũ,ꝙ nobiliſſima pars eſt,& facile putreſcit;eius mẽbranæ facile inflãmantur,cõpoſitũq; caput ipſum eſt ex partib. inter ſe contrarijs:nã aliæ ſunt duriſſimæ,aliæ molliſſimæ,aliæ mediæ:adſunt ẽt in capite cauitates recipiẽtes,retinẽteſq; excrementa:& deniq; oĩa in ipſo ſunt,q̃ curationẽ difficilẽ reddunt. Et hinc eſt,ꝙ oẽs capitis affectus ſunt curatu valdè difficiles:eapropter maxima requiritur diligẽtia non ſolũ in medicis ipſis curantib.ſed ẽt in docentib. taliũ affectuum curationem; & in ijs quoq;,qui diſcunt:& iõ,quemadmodum ego meis partib.non deero, ita cohortor & vos,iuuenes optimi,velim,vt veſtra diligentia,& attentione deeſſe nolitis. Et anteq̃ deueniã ad varios capitis affectus,qui requirunt chirurgicã manũ explicabo naturã quarundã partiũ capitis,q̃ ad curationẽ faciunt,non tñ iam reuocabo, & repetã anatomen capitis; ſed tñ declarabo aliquot ipſius partes,q̃ conducunt ad curationem. Et primò Caput cõſtat cute,mẽbrana os veſtiẽte,oſſe,mẽbranis duab.internis,& cerebro:& hę partes cuicũq; ẽt ex vulgaribus his chirurgis manifeſtæ ſunt: Sed aliqua ſunt circa has partes obſeruãda,q̃ non cuiq; patẽt,& niſi obſeruentur,impoſſibile eſt rectã curationẽ inſtituere. Primò itaque circa cutem hoc ſp̃ habendũ eſt ante oculos,ꝙ ipſa eſt calloſior, & durior quacũq; alia cute, in quacũq; parte fuerit,excepta cute, q̃ eſt in volis manuũ, & plantis pedũ: & ex hoc, ꝙ cutis capitis eſt valde calloſa,colligatis,ꝙ ipſa eſt admodũ ſicca: valet.n.conſequentia: hoc eſt calloſum,ergo eſt ſiccum,hoc eſt maxime calloſum, ergo eſt maxime ſiccum: Et ex hac conſequentia colligatis in oĩ affectu capitis,in quo cutis ipſa patiatur,vtẽdũ eſſe ſicciſſimis medicamẽtis.

Omnes capitis affectus ſũt curatu difficiles.

Deſcriptio natura capitis.

Cutis capitis reliquis calloſior,et frigidior.

Alterũ colligatis,& eſt,ꝙ cutis capitis eſt frigidior quacũq; alia cuti, & ratio eſt, q̃m hẽt pauciores,& minores venas quacũq; alia; & p̃terea ſp̃ referta eſt fuligine illa frigida, & ſicca,ex qua generantur capilli,qui ex Gal.ſententia ſunt frigidiores, & ſicciores oĩb. alijs partib.corporis: Ex hoc autẽ,ꝙ cutis capitis ſit frigidiſſima,habetis,fugienda in ipſius affectib. eſſe medicamenta refrigerantia,ne paucus ille calor,qui in ipſa eſt, aboleatur:noſtis.n.in frigidis partibus vtendum eſſe medicamentis calefacientib. Tertiũ obſeruãdũ circa cutim capitis eſt,ꝙ habet obtuſum ualde ſenſum,exceptis tamen quibuſdam partib.ipſius,ut ea quę eſt circa tẽpora,& circa ſuturas:nam in illis partib exquiſitum habet ſenſum: Quod autem obtuſum habeat ſenſum probatur primò ex cauſa efficiente ſenſum, nã in cute pauci ſunt diſſeminati nerui: ſecundo probatur ex conſequentib.q̃m uidemus,ꝙ ad euulſionẽ capillorũ,ad contuſionẽ,& ſimilia,paruus excitatur dolor. Hoc ſtante inferatis robuſta medicamẽta in ipſius cutis affectib.conuenire calidiſſima,& ſicciſſima,acriaq;. Quartũ notandũ circa cutim eſt,ꝙ in ipſa eſt ſubſtãtia veluti carnoſa,immo cutis capitis eſt veluti caro,ſed calloſa caro;& hæc caro diſtat ab alia carne,ſicuti cutis capitis à cute aliarũ partiũ. Quintò obſeruãdũ,ꝙ habet q̃dã loca,in quib.continẽtur muſculi t̃pales κροταφῖται à Græcis dicti, & ſunt muſculi illi tanti momenti,quorum maxima eſt habẽda rõ, quia ſunt maximorum malorum maximæ cauſa:nã ſi contundantur vel pungãtur,vel ſecẽtur,ſolet fieri delirũ,febris,cõuulſio,& mors ẽt. Igitur eorũ magnitudo eſt cognoſcenda: cognoſcetis aũt facile,ſi mãdabitis ęgro,vt trahat maxillã,& appoſueritis digitos t̃p̃ib.:nã q̃d ſub digitis ſẽtitur trahi ad tractionẽ maxillæ,t̃palis muſculus eſt. Veſtiuntur autem temporales hi muſculi membrana,& eſt tunica illa,q̃ facilè conuellitur,excitat febrem,delirium,& quãdoq; mortẽ. Sed unde hoc? Veſalius vir doctiſſimus inquit hoc fieri,q̃m membrana illa recipit neruos à 2.3.4.& 5.pari. Ego autem dico, quod ſolùm nerui à tertio pari diſſeminantur per hanc membranam; & diſſeminantur quidem ita,vt quaſi in membranam ipſam deſinant,eamque efforment, & hinc accidit,vt ex contuſione, vel punctione fiat conuulſio,febris,delirium,& ſæpe mors.

Cutis capitis requirit ſicciſſima.

In capitis affectibus fugiẽda refrigerãtia.

Cutis obtuſum habere ſẽſum in cute.

Medicamẽta in cutis affectib. medicamẽta conuenire calidiſſima & ſicciſſima.

Muſculi temporales

Vena, et arteria temporales.

Aliud eſt obſeruandum ex Hippocrate in libro de vulneribus capitis, & eſt, quod per totum ductũ temporalium muſculorũ labuntur (in ſuperficie tñ ſuperiori) duo vaſa,vena.ſ.& arteria,quæ ſi punganturr,aut vulnerentur,ſunt in cauſa maximæ hæmorrhagiæ ſanguinis: Et ideo vaſa hæc duo ſunt optimè cognoſcenda,& diſſeminantur,vt dixi,ſupra ſuperficiem extimam ipſorum muſculorum. Sed addatis & duo alia vaſa, venam ſcilicet, & arteriam, quæ diſſeminantur per internam horum muſculorum ſuperficiem,quaque puncta,vel inciſa ſit maximus fluxus ſanguinis. His ſtantibus, colligatis vulnera circa tempora non eſſe

dilatanda,

Digitized by Google

dilatanda,non pungenda, non amputandum aliquid, nec alio modo proritanda; ſed blandiſſimè, diligentiſſimèq; eſſe tractanda, aliter excitaretur maximus dolor,febris,delirium, inflammatio,& mors tandem.

Vulnera circa tēpora non eſſe dilatanda. Membrana craniū veſtiens, περικράνιον. Habet acutū ſenſum.

Poſt cutim eſt membrana cranium veſtiens, circa quam ſunt etiam aliqua obſeruanda propter curationem. Sed primo debetis ſcire, quod hæc membrana ab Arabibus vocatur propriè almocati, dico propriè: nam communiter hæc vox apud ipſos ſignificat omnem membranam; à Græcis autem appellatur περικράνιον: Vnde & nos Græcam vocem ſecuti vocabimus pericranium, circa quod obſeruandum primò eſt, quòd habet ſenſum exquiſitiſſimum :& ita, vt, ſi qua membrana acutè ſentiat, hæc vna ſit: Et ex hoc colligatis non eſſe pungendam,non deradendam,ſi fieri poſſit, non ſecandam: Secundò colligatis, quòd non ſuffert acria medicamenta, quoniam excitaretur dolor magnus, atque inflammatio. Sed vnde habuit membrana hæc tam acutum ſenſum? Dico,quòd habet ratione duræ membranæ internæ cerebri:nam pericranium ortum ducit à dura illa meninge, quoniam eſt quoddam medium, quod incipit à dura membrana, & ingreditur ſuturas; vnde tranſiens per cranium gignit pericranium: Et ex hoc colligatis, quod affecto pericranio facile cōmunicatur affectio duræ membranæ,ita,vt inflammetur,& tandem patiatur & cerebrum,& fiat mors.

Frigida & ſicca eſt.

Præterea obſeruandum, quòd hæc membrana, cum membrana ſit, neceſſariò habet naturam aliarum membranarum; ſed omnes membranæ frigidæ ſunt,& ſiccæ:ergo & hæc frigida & ſicca erit,ſed adhuc frigidior alijs, tum quia hæret oſſibus frigidiſſimis, tum quia abundat ſemper excremento fuliginoſo frigido,& ſicco. Et hinc colligatis,quòd niſi dolor, aut inflammatio impediat,ſemper in hac membrana vtendum eſt medicamentis maximè ſiccantibus, & maximè calefacientibus, non autem refrigerantibus, quoniam diſſiparetur paucus ille calor, quem habet. Verùm licet medicamenta debent eſſe valde ſiccantia, & valde calefacientia, tamen non debent eſſe acria, quia excitaretur magnus dolor, & inflammatio.

Os capitis. Cranium.

Poſt pericranium eſt os, circa quod primò obſeruandum quod conſtat pluribus partibus,quod factum eſt à natura,ne,vna parte ipſius cranij fracta, frangantur & aliæ phialæ vitreæ modo: & hic vnus eſt ſuturarum vſus: ſunt & alij ipſarum vſus, quos in præſentia omittam.

Lamina crany.

Aliud obſeruandum eſt,videlicet, quòd cranium habet duas partes, quæ ita locantur, vt vna ſit interna,altera externa,quæ partes à recentioribus vocantur laminæ,nec non vitreæ, ita vt lamina interior,& vitrea interior idem ſignificent,partem ſcilicet cranij interiorem; lamina verò exterior,& vitrea exterior ſignificant partem exteriorem:quę duæ laminæ cōiunguntur medio quodam laxo, & ſpongioſo, in quo medio corpore, licet excauatum; & ſpongioſum ſit,tamen nihil medulloſi habet:& tale medium ab Hippocrate appellatur caruncula: nam adſunt compages concreti ſanguinis, ſtatìmque aperto oſſe ſanguis concreſcit ita vt videatur totum illud medium ſcatere carunculis;concreſcit,dico,ſanguis aperto oſſe in viuenti animali; non autem in mortuo: nam ſi aperiretis cranium in medio duarum laminarum,non videretis carunculas: per carunculas igitur Hippocrates intelligit de medio illo corpore inter laminas, quod refert effigiem carunculatum, & tale medium à Græcis appellatur διπλοη ideſt duplicatio,à noſtris autem meditullium.

διπλοη, meditullium.

Aliud notandum eſt, quòd per medium hoc ſpongioſum ſunt ſparſæ plures venæ, inquit Hippocrates,addo ego,quod & venæ,& arteriæ plures ſunt per ipſum medium corpus ſpongioſum diſſeminatæ,quæ pulſant etiam,& præcipue in temporibus, nam arteriæ à tēporibus diſſeminantur per totum meditullium. Sed cogitandum eſt de quadam magna cōtradictione in dictis Hippocratis nam in libro de carnibus,ſi Hippocratis liber ille eſt,dicit, quòd per nullum os, exceptis maxillis,diſſeminatæ ſunt venæ pro illorum nutritione:in libro autem de vulneribus inquit,quod per medium ſpongioſum cranei ſunt plures diſſeminatæ venæ. Contradictio difficilima eſt,ita vt neſciam, quomodo ipſam tollere, niſi dicamus,quod liber ille de carnibus nō eſt legitimus, vel quod Hippocrates in ipſo locutus eſt ex mente anatomicorum ſui temporis:nā re vera per plura oſſa ſunt diſſeminatæ venæ nutrientes oſſa ipſa,vt patet etiam de oſſibus vertebrarum. Ex obſeruatione dicta,quod craniū habet duas partes,vel laminas, & coniungantur per meditullium,inferatis,quod poteſt frāgi vna lamina, altera illæſa manente, & quod ſi venæ per meditullium ſparſæ frangantur, poteſt inibi corrumpi ſanguis, gigni pus, & communicari affectio membranis interioribus,& cerebro.

Suturæ oſſis.

Suturæ quoque circa os ſunt cognoſcendæ, quoniam circa ipſas non eſt abradendū os, nec contundendum os ſupra ipſas;alioqui affectio, & dolor communicaretur duræ membranæ:cognoſcetis autem ſuturas,ſi cutis detecta ſit ipſis oculis, quoniā circa ſuturas apparet ligamentum illud rubeſcens,ligamentū,inq̄,ortū à dura mēbrana,& tranſiēs ꝑ ſuturas:

Digitized by Google

ſi autem cutis integra ſit, cognoſces per appoſitam manum, & diductionem ipſius cutis: nã circa ſuturas oſſa ſunt magis depreſſa, cutiſque magis hæret, & percipitur aſperitas, & inæqualitas quædam ipſius oſſis. Sed variant ne ſuturæ? dixi alias cum agerem de oſſibus, quod abolentur ex temporis diuturnitate, non autem deperduntur ex defectu prominentiarum capitis: vidi ego multa capita, in quibus deerant prominentiæ; tamen nunquam vidi aliquam ſuturam abolitam: Hippocrates dicit, quod abolentur, & Galenus confirmat; ſed ego hoc non inuenio.

Cranium nõ eſt æquè craſſum in omnib. partibus.

Vltimo circa cranium eſt obſeruandum, quod non eſt æquè craſſum in omnibus partibus, ſed in aliqua parte craſſius, in aliqua minus craſſum; & in aliqua durius, in aliqua mollius. Et primo incipiamus a parte cranij ſuperiori, anterioríque, ideſt, ab oſſibus ſincipitis: Dicit Hippocrates, quod oſſa ſincipitis ſunt infirmiora, & vulnera in ipſis perículoſiora, quàm in alia parte, quia inibi os eſt laxius debiliuſque, & magis recipit ictum, & cerebrum

Cur cerebrũ magis patiatur in parte anteriori cranij

magis patitur ex vulnere illato in ſincipite, quam in alia cranij parte. Sed cur cerebrum magis inibi patiatur, quam alibi, ipſe non affert rationem, nec ego alias referre ſciebam, nunc autem credo me eam inueniſſe, & eſt, quoniam per ſuturam communicatur affectio facilè ipſi cerebro: ſecundo, quia cerebrum in ſincipite eſt diuiſum in duas partes, in ſiniſtram ſcilicet, & dextram, & diuiſio peruenit vſque ad corpus illud album, quod dicitur callus, vel calloſum corpus cerebri. Itaque ex vulnere in ſincipite patitur ligamentum tranſiens per ſuturam coronalem; ligamento autem patiente communicatur affectio medio illi interſepienti, & diuidenti cerebrum, & tandem communicatur affectio, & inflammatio ipſi corpori

Os ſyncipitis nõ eſt factũ in generatione animalis.

calloſo. hæc igitur eſt cauſa, cur cerebrum in ſincipite magis patiatur. Eſt porro in ſincipite os tenuius, mollius, & debilius, quia non eſt factum in generatione animalis: debeus namque ſcire, quod oſſium multa non fiunt in generatione integra; ſed poſt generationem perficiuntur; quædam in generatione ſunt cartilagines; ſed poſtea fiunt oſſa; quædam ſunt oſſa in ipſa generatione, verbi gratia, mediæ partes oſſium crurium in generatione ſunt oſſa; ſed eorum capita, & appendices in generatione ſunt cartilagines; ſed poſtea fiunt oſſea: Craniũ autem in generatione eſt quidem os; ſed imperfectum; perficitur tamen poſt generationẽ: & hinc eſt, quod in pueris percipitur fouea in ſincipite, quæ fouea ab iſtis vocatur fontanella. Itaque obſeruo ego, quod omnia oſſa, quæ in generatione oſſa ſunt, duriſſima exiſtũt; & hinc eſt, quod oſſa temporum, & occipitis ſunt duriſſima; oſſa autem ſuperiora frontis non ita, quia oſſa illa frontis non ſunt oſſa in generatione. Idem dico de oſſibus ſincipitis: nam quod additur poſt generationem, non eſt ita durum: & hinc eſt, quod oſſa ſincipitis facilè patiuntur, & infirmiſſima ſunt, inquit Hippocrates. Secundo loco infirma ſunt, inquit,

Oſſa tẽporum imbecillia ſunt.

oſſa temporum non quidem, quia ſint mollia, immo duriſſima ſunt, quoniam ſunt facta oſſa in generatione, ſed ſunt infirma eò, quòd ſint tenuia, & frangibilia: Medio autem modo ſe habent oſſa ſuperioris partis frontis: At oſſa occipitis ſunt robuſtiſſima.

Sed eſt vna dubitatio, nam Hippocrates in lib. de vlceribus inquit, quòd oſſa verticis ſunt duriſſima; & tamen verticis oſſa ſunt oſſa ſincipitis: qua ratione igitur modò dicit, quòd oſſa ſincipitis ſunt omnium infirmiſſima, modò quòd duriſſima? Dico, quod per verticẽ Hippocrates non intelligit de vertice in homine (nam vertex reuera in hominibus eſt in ſincipite) ſed intelligit de vertice in brutis, præcipue iis quæ prona incedunt, in quibus verum eſt quod vertex eſt in occipite; & ita, quando dicit, quod oſſa verticis ſunt duriſſima, verum eſt in vertice brutorum; falſum autem eſt in vertice humano: intelligit igitur de oſſibus verticis brutorum: cum enim in maiori parte animalium vertex ſit in occipite, ideo Hippocrates per verticem intellexit partem poſteriorem, non autem ſuperiorem, vt intelligunt Latini.

Os eſt frizidiſſimũ, & ſicciſſimũ, & ſine ſenſu.
Sicciſſima, et robuſtiſſima medicamenta os requirit.

Aliud quoque circa os capitis eſt obſeruandum, & eſt, quod os ſua natura eſt fridiſſimum, & ſicciſſimum, & omni ſenſu expers: vnde ipſo patiente, requiruntur medicamenta ſicciſſima, & robuſtiſſima, & licet acria fuerint, non eſt timendum. igitur, quando cum oſſe eſt res vobiſcum, vtamini audacter ſicciſſimis, robuſtiſſimiſque medicamentis, & ſi fuerint acria, non ob id timeatis, quemadmodum non eſt timendum, ſi fuerint ignea, quia os nullum habet ſenſum, nullamque facultatem, quæ dolorem facere poſſit.

Membrana inuoluẽtes cerebrũ.
De dura meninge.
Cur pulſet continuè.

Succedunt iam membranæ inuoluentes cerebrum, vna exterior, & vocatur dura meninx, & dura mater ab iſtis: altera interior, quæ appellatur mollis meninx, & pia mater; ſed dicamus prius de exteriori tunica: hæc eſt neruoſa, duraque, & pulſat continuo, quemadmodum & arteriæ: pulſat autem duplici ratione: Primo, quia in partibus ſuperioribus habet tres ſinus, & plures etiam alios in partibus inferioribus, qui ignoti fuerunt omnibus anatomicis, & iam in anatome oſtendi vobis hos ſinus, qui continent in ſe ſanguinem ſpirituoſum tranſmiſſum ab arterijs: continent & facultatem demandatam ſibi à corde: & hæc eſt vna cauſa, cur hæc tunica pulſet continuo: Altera eſt, quia à partibus

Digitized by Google

tibus capitis lateralibus circa tempora diſſeminantur duæ arteriæ, vna ſcilicet in dextrò latere, altera in ſiniſtro, diſſeminantur inquam per ſubſtantiam ipſius membranæ: undè cum arteriæ pulſent, neceſſariò & membrana pulſat. hæ igitur ſunt duæ cauſæ, cur dura meninx continuò pulſet. Ex qua pulſatione colligatis vulnera in dura meninge difficilè conſolidari, & difficilè in ipſa fieri concoctionem: nam ad hoc, vt medicamentum agat, requiritur quies partis.

Aliud obſeruandum circa hanc tunicam eſt, quòd ſi vaſa in ipſa exiſtentia diſrumpantur, vel ſoluantur ſinus, ſuccedit maxima fluxio ſanguinis, ita, vt difficilimum ſit ſanguinem ſiſtere, ita copioſus, & impetuoſa erumpit: & cauſa etiam cur difficilimè ſupprimatur, eſt continuus motus ipſius membranæ: videte iam quid cognitio naturæ partis faciat in curatione.

Aliud notandum.

Aliud circa eandem hanc tunicam notandum eſt, quòd ipſa habet exquiſitiſſimum ſenſum: idcirco non eſt pungenda, non contundenda, non amputanda; ſed omnia agenda ſunt, quo minus tangatur, & lædatur. Præterea licet ſua natura frigida, & ſicca ſit, & ratione huius ſuæ naturæ requirat exſiccantia, tamen propter ſenſum, quo prædita eſt, exquiſitiſſimum, reſpuit prorſus ea, quæ acria ſunt; & ideo, ſi volueritis in ipſius affectibus vti acribus, oportet vt obtundantur: & ita acria per ſe non conueniunt; ſed refracta, alioqui excitaretur dolor, & facilè fieret inflammatio, quoniam adeſt materia parata in ſinibus ipſis.

Aliud notandum.

Inſuper notandum circa hanc membranam, quòd ab ipſa oriuntur plura vaſa, vt venæ, & ipſorum aliqua diſſeminantur per mollem meningem, & aliqua per cranium ipſum, ex quo ſuccedit, inquit Celſus lib. octauo cap. quarto, vt per contuſionem, agitationemque diſrumpantur hæc, vel illa vaſa, & ſic ſanguis in illis membranis grumeſcat, & ſequatur mors: Diſrumpuntur autem vaſa illa interna aut externa, id eſt, quæ per os diſſeminantur, quando aut propter contuſionem, aut propter agitationem aliquam dura mater ſeparatur, & diuellitur, vel ab oſſe, vel à cerebro: Et ideo diligentiſſimè obſeruandum, & conſiderandum eſt, an contuſio potuerit diuellere membranam, & diſrumpere vaſa nec ne.

Aliud notandũ circa membranam.

Succedit iam mollis membrana, quæ dicitur & pia mater, quæ neruoſa eſt, & ſentit optimè, & circa ipſam eadem ferè ſunt obſeruanda, quæ dicta ſunt circa duram meningem, ideo de ipſa nihil dicam, quia ſufficiant, quæ de altera tunica dicta ſunt.

Pia membrana.

Sub pia matre eſt cerebri ſubſtantia. quod membrum frigidiſſimum natura eſt, & humidum; & ideo primò indicat circa ipſum requirit omnia lenia, & mediocria. vnde quæ maximè ſiccant, vel maximè calefaciunt, vel frigefaciunt, mala omnia ſunt; ſed deſiderat omnia mediocria: & ideo nunquam placuit mihi vſus illorum ſummè calefacientium; ſed mediocrium omnium, quia mediocria leniunt dolorem tunicarum.

Cerebri ſubſtantia frigidiſſima, & humida.

Præterea notandum eſt circa cerebrum, quòd ipſum eſt molliſſimum: eapropter molliter, & blandè admodum eſt tractandum.

Aliud obſeruandum eſt, quod cerebrum eſt ſedes animæ ſenſitiuæ, & rationalis: idcirco maxima ſui habenda eſt ratio.

Eſt ſedes animæ cerebrum.

Obſeruandæ pariter ſunt ipſius cerebi partes, & cuiuſque partis ſubſtantia: nam aliqua pars cerebri eſt dura, & eſt cerebellum vocatum, quod non requirit tantam diligentiam: ſed cerebri pars anterior, id eſt cerebrum ipſum propriè dictum requirit diligentiam, mollitiemque maximam. Item obſeruandum, quòd affectus partis cerebri ſuperioris non ſunt ita periculoſi, ut affectus baſis cerebri: nam cum baſis affecta eſt, pronunciate mortem citam; vel ſi non ita citam, ſaltem indubitatam, & breui tempore ſuperuenturam. Obſeruandæ quoque ſunt partes intimæ: ſi enim vulnus perueniat vſque ad callum cerebri, vix poteſt æger euadere: contrà, ſi pars extima ſit vulnerata, non tam magnum imminet periculum. Obſeruanda quoque ſunt principia neruorum, quæ à cerebro deueniunt ad oculos, quæ ad aures, & quæ ad omnes alias partes. Obſeruanda etiam ſunt principia vaſorum, quæ diſſeminantur per cerebrum, vt poſſis cognoſcere, quando imminet periculum, & quando non; & quod nã ſit, & quale periculum illud, quod imminet.

Sed iam deueniamus ad affectus, quod caput pati ſolet; & non intelligo, de omnibus affectibus: neque enim de inflammatione, nec de intemperie, nec de tumore præternaturam & ſimilibus; ſed ſolum de illis, qui fiunt ab aliquo extrinſeco corpore, vel ſecante, vel pungente, vel contundente: igitur intelligo de vulneribus, contuſionibus, & ſimilibus. Solet itaque caput pati vel circa cutim, vel circa perioſtium, & os, vel circa membranas internas, uel circa cerebri ſubſtantiam; ſed primò dicamus de affectibus, quos ſolet pati corium, quorum primus eſt vulnus ſimplex: alter eſt contuſio, ſeu illiſio: tertius eſt punctura: quartus excoriatio: quintus, & vltimus eſt comminutio, ſeu amputatio alicuius portionis, & ſubſtantiæ ipſius cutis: hi ſunt affectus, qui circa cutim capitis ſolent accidere, & ſimplices ſunt: Addatis vos & compoſitos: nam iſti quinque affectus poſſunt

Quos affectus ſolet pati cutis capitis.

Sũt quinq;

varijs

Digitized by Google

variȷs modis complicari ita, ut uulnus ſit aliquando cum contuſione, uel cum excoriatione, & huiuſmodi: & quod dico de uulnere, intelligatis de aliȷs affectibus, quos cutis patitur.

Os capitis tres patitur affectus, et quos

Additur, et quartus.

Os autem capitis tres patitur affectus, teſte Galeno in ſexto meth. circa finem, & primus eſt θλάσις, ideſt, colliſio, uel contuſio; quod autem oſſa contundantur etiam ſi ſint duriſſima, non eſt dubitandum, & eſt ſpecies ſolutionis continui magni momenti: ſecundus eſt ſedes teli relicta, ideſt, rima in qua una pars oſſis ſeparatur aliquantulum ab altera: tertius eſt fractura, in qua una pars oſſis prorſus ſeparatur ab altera: at in rima ſolum oſſa dehiſcunt ita, ut in oſſe relictum ſit ueſtigium teli. His addatis & quartum, & eſt comminutio, uel amputatio alicuius partis; & neceſſariò hic affectus eſt addendus, quoniam non poteſt reduci ad aliquem trium dictorum: nam cum ſquamma aliqua aufertur, aut aliqua portio amputatur, non poteſt dici contuſio, uel illiſio; non rima, nec fractura: & ita os capitis quatuor patitur affectus ſimplices, quos poteritis ex ſententia Hippocratis, & Galeni variȷs modis componere. Recentiores & ipſi ponunt varios affectus in oſſe; ſed omnē occaſionem diſtinguendi, & enumerandi affectus accipiunt ab inſtrumēto extrinſeco, quod vel ſecat, vel pūgit, vel cōtundit. Sed vera eſt diuiſio Galeni, cui nihil aliud addi poteſt, quàm comminutio; & mala eſt diuiſio Recentiorum, quoniam non accipitur à forma affectus. Quatuor ergo ſunt affectus, quos patitur os, & nullus reperiri poteſt, qui fiat ab extrinſeco corpore, & non ſit aliquis horum quatuor.

Internarū tunicarum affectus, ſunt ſex. Aliquando omnes dictæ partes patiuntur.

Internæ autem tunicæ patiuntur primò colliſionem, ſeu contuſionem: ſecundò vulnus: tertiò lacerationem: quartò comminutionem: quintò punctionem, & quandoque patiuntur anaſtomoſin, quando ſcilicet vaſa dilacerantur, & diſrumpuntur, & fit fluxio ſanguinis, & ſanguis ille retinetur in ipſis tunicis. Sed notate vnum maximi momenti, atque illud eſt, quòd aliquando omnes iſtæ partes ſimul patiuntur, vt quando infligitur magnum vulnus, nam tunc patitur cutis, os, & membranæ; aliquando patiuntur externæ tantùm, vt ſolum corium; aliquando duntaxat internæ, & externæ nihil, vt ſolet accidere ex contuſione, vt patiantur membranæ internæ, & lacerentur vaſa: vnde ſtatim fit ſtupor, & ſuccedit mors: Et vidi ego multos mortuos, in quibus cutis nihil erat affecta; ſed affectus erat ſolùm in partibus intrinſecis: & de hoc non oportet vt petamus exempla à locis remotis: nam habuimus anno elapſo exemplum in hac vrbe de iuuene illo Romano, qui cum ſpectaret ludentes magna pila, & vellet aduenientem pilam euitare, concidit in caput, & ſtatim factus eſt ſtupor, reddituſque mutus, & inde ad quatuor dies mortuus eſt. Itaque non eſt dubitandum, quòd aliquando patiantur partes internæ illæſis externis; aliquando patiuntur mediæ tantùm, vt tantùm os: Et hoc ſolet præcipuè accidere pueris: nam ſæpe ex caſu deprimitur os: & ego plures ſanaui, quibus compreſſum erat os, & nihil patiebatur cutis, vel membranæ. Itaque hoc quoque eſt vobis obſeruandum, quòd aliquando patiuntur externæ partes tantùm; aliquando internæ tantùm; aliquando mediæ tantùm; aliquando omnes ſimul. Sed dicamus primò de uulnere externarum duntaxat, coriȷ ſcilicet.

Exemplū mortis ex contuſione in capite. Aliquādo patiūtur interna partes tātum.

De Simplicis capitis vulnere ideſt ſolius cuti.
Cap. X.

Methodus curāda cutis.

NVllum eſt vulnus capitis, quod periculum non habeat adiunctum, etiam ſi vulnus ſit leuiſſimum, inquit Hippocrates; & ideo oportet medicum eſſe diligentem. Incipiamus igitur iam à vulnere capitis leuiſſimo, ſcilicet à vulnere ſimpliciſſimo ipſius coriȷ, cutisve, in quo ſola cutis ſecta ſit, integro exiſtente pericranio, ita, vt os adhuc tectum ſit. In hoc itaque vulnere curando primum oportet abradere caput, & auferre omnes illos pilos: ſecundò oportet fluentem ſanguinem ſiſtere, vel cum poſca, vel vino auſtero, vel albo oui: tertiò cōſuenda ſunt labra, quibus conſutis, & vnitis oportet applicare aliquod medicamentum, quod faciat ad agglutinationem, nam agglutinatio eſt primus ſcopus propoſitus in hoc vulnere, ſed ſtatim obiȷceret mihi aliquis: multi iſtorum, qui praxim exercent, non conſuunt capitis vulnera; & ſi ab ipſis petas, quare non conſuant, dicunt, quia cutis capitis non coaleſcit, & ratio eſt, inquiunt, quoniam eſt calloſa: ea autem quę ſunt calloſa, non poſſunt conglutinari: & ideo pars cutis nequit cum altera parte cutis coaleſcere. Secundò dicunt, quòd non conſuenda ſunt, quoniam ſi caſu colligeretur ſanies ſub ſutura, cum non poſſent egredi, afficeret pericranium, os, & internas membranas. Tertiò dicunt, quòd non conſuunt, quia tutius eſt vulnus apertum relinquere, &

Nam conſuēda cutis Rōnes negantiū debere conſui

conco-

Digitized by Google

concoquere, & tandem cicatrice obducere. Vltimò dicunt ſe non conſuere, quoniam ſi opus ſit conglutinatione, ipſam conſequi poſſumus per faſcias, & deligationes abſque quo conſuamus. Vnde factum eſt, vt ſi vulnus ſit in parte aliqua laterali capitis, vt vel in occipitio, vel circa frontem, vel in alia ſimili parte, & vulnus ſit longum, factum (inquam) eſt, vt chirurgi, qui videntur eſſe doctiores, & exercitatiores, conſuant ipſum in parte tantum ſuperiori; in parte autem inferiori non: ſed in parte inferiori iniiciunt linamentum, vt adſit ſpiraculum, per quod egredi poſſit ſanies.

Verùm malè faciunt, quoniam protrahunt morbum, & non ſeruant veram methodum, quæ eſt, vt vulnus agglutinetur: & falſum eſt, quod dicunt vulnera capitis poſſe vniri, & agglutinari per deligationes: nam ſi vulnus ſit in parte aliqua capitis ſuperiori, certum eſt, quòd deligationibus non poſſumus labra vnire, & conglutinare: ſi etiam ſit in aliqua parte laterali, labra non poſſunt coniungi: nam opus eſſet facere deligationes admodum arctas, quæ non conueniunt in capite, ſicut in artu aliquo. Quare nos exemplo Galeni deueniemus ad conſutionem, & ita non diſcedemus etiam a ſcopo, & vera methodo curandi: exemplum autem Galeni eſt in ſecundo de compoſitione medic. per loca cap. ſecundo, & tertio vbi vulnera ſimplicia capitis conſuit. Falſum poſtea eſt illud, quòd labra vulneris in cute capitis non conglutinentur, & falſitas patet quotidie experientia. Ego enim vidi multa vulnera capitis fuiſſe conglutinata, & inter cætera exempla memini, quòd cum eſſem Piſis, puer, filius cuiuſdam docti Medici, cùm aſcenderet cumulum lapidum, ex prolapſu lapidis ſub pedibus, concidit in caput ſupra alium lapidem anguloſum, & ſecta eſt ſibi fere tota cutis in ea capitis parte, & ſtatim orta eſt lis inter medicos, & chirurgos, vtrum vulnus illud eſſet conſuendum: nec deerant, qui dicebant, quod non, quia cutis capitis cum cute non conglutinatur; tamen ego conſui magnam illam partem cutis, quæ ſeparata erat, & optimè conglutinata eſt. habeo & alia multa exempla, quæ omittam. Itaque pro confeſſo habeatis, quòd cutis etiam capitis conglutinantur, vt experientia docet, & vt ratio etiam dictat: nam cutis capitis habet ſuam carnem, habet quin etiam venas, ex quarum ſanguine poteſt caro, & medium conglutinans labra gigni.

Falſum eſt labra cutis non conglutinari.

Ad illud autem de pure dico, quòd ad conglutinationem non ſequitur generatio ſaniei, quoniam medicamenta glutinantia cum ſiccent non ſinunt ſaniem gigni. Cum igitur ſanies non generetur in curatione vulneris per primam intentionem, non egemus emiſſario, orificiove in inferiori parte vulneris: ideo ſemper integrè conſuatis vulnera cutis capitis ſimplicia, moti exemplo tùm Galeni, tum Arabum aliquorum: Nam aliqui etiam Arabum ſunt, qui vſque adeo affectant ſuturam in vulneribus capitis, vt etiam in illis, in quibus fractum eſt os, & detectæ membranæ internæ, præcipiant labra eſſe conſuenda, vt videre eſt apud Raſim in quinto continentis, vbi refert hoc de quodam medico Arabico antiquo. Serapio etiam & Auicenna mandant, vt conſuamus vulnera cutis. quare & uos audacter conſuatis.

Reſponſio ad argumenta.

Facta conſutione. Arabes antiquiores ſtatim inungunt partes circumpoſitas ſuturæ; non autem inungunt uulnus ipſum, ne oleum ingrediatur uulnus; inungunt, inquam, oleo roſaceo omphacino: deinde ſuperinſpergunt puluerem alicuius medicamenti, quod habeat vim ſiccandi & glutinandi: & quoniam cutis capitis eſt ſiccior cute aliarum partiũ; ideo Arabes inſpergunt pulueres validiſſimos: & primò Serapio cõficit puluerem hoc modo: Aſſumit aloem & ſarcocollam, æquali pondere, & addit thus, corticem thuris, & mannam thuris, an. ℥ ij. poſtea addit vnam vnciam ſanguinis draconis, & facto puluere, inſpergit ipſum ſupra totum vulnus, & ſuturam: Et eſt validum medicamentum; tñ ſi æger eſſet valdè robuſtus, eſſet debile: & ideo in ruſticis, fabris, & reliquis robuſtiſſimis confugiẽdum eſt ad medicamentum Albucaſis, quod conficit ex validis admodum medicamentis cum proprio ſanguine ęgri fluente ex vulnere, quod certè ruſticum eſt: & ideo ratione tum robuſtæ facultatis, tum modi conficiendi conuenit in robuſtis, non autem in nobilibus, & molliotibus: Medicamentum autem eſt tale; aſſumit calcem viuam, thus, & ſanguinem draconis, & facto puluere admiſcet cum proprio ſanguine, facitque emplaſtrum, quod ſuturæ applicat; mox ſupra ſuturam imponendum eſt linamentum, vel ſpongia madida vino auſtero; & tertia quaque die vulnus eſt detegendum. Habetis & aliud validum medicamentum à Raſi, non tamen eſt ita validum, vt illud Albucaſis: Medicamentum autem eſt hoc.

Puluis Serapionis circa vulnus inſpergendus.

Medicamentũ Albucaſis valdè robuſtũ.

Medicamentũ Raſis.

Rec. Aloes,
Chalcanthi,
Camphoræ,
Sanguinis draconis,
Balauſtiorum ana quantum volueris.
Miſce,

Et

Et fiat puluis, quem inſperges ſupra uulnus conſutum. Si alia medicamenta uolueritis, recurratis ad locum illum, ubi ſupra propoſuimus multa medicamenta conglutinantia, quæ etiam per gradus diſpoſuimus, & ita habebitis accomodata pro teneris habitibus, pro mediocribus, & pro robuſtiſſimis.

Si portio cutis ſit amputata, vt nõ poſſit fieri conſutio.

At ſi portio aliqua cutis ſit amputata, ita, vt non poſſit fieri conſutio, quid agendum? Dicunt Recentiores, quòd debemus uti medicamento aliquo, quod leniter detergat, cuiuſmodi, aiunt, eſt mel roſaceum ſimul cum oleo roſaceo.

Error Recentiorum. In vulneribus fugienda omnia vnctuoſa.

Sed recentiores errant, quoniam medicamentum hoc ratione olei eſt malum; & ratio eſt, quia oleum laxat partes illas, & eſt in cauſa, ut generetur tardè caro, & illa quidem mollis ita, ut ægrè poſtea uulnus conſolidetur. Et hac de cauſa Hippocrates monet in uulneribus fugienda eſſe omnia unctuoſa. Vnde miror certè de maximo illo abuſu, & errore, qui eſt in multis Ciuitatibus, & prouincijs etiam integris, quòd medeantur uulneribus capitis ſolo oleo roſaceo: peſſimum mehercle medicamentum eſt, quia laxat partes, & efficit, vt caro tardè generetur, & illa, quæ generatur, mollis admodum eſt, & impediens conſolidationem. Malum eſt & illud medicamentum, quod conficitur ex oleo roſaceo, & terebinthina, malum, inquam, eſt ratione olei. Quare vtamini vos, quæ moderatè ſiccent, habeantque vim aliquam abſtergendi, cuiuſmodi eſt medicamentum confectum ex terebinthina, & luteo oui, unguentum de matriſylua, unguentum de betonica diſſolutum; & in teneris conuenit etiam vnguentum baſilicon: Sed ſuperius habuiſtis multa alia medicamenta ſarcotica, per gradus diſpoſita: recurratis igitur ad illum locum.

Moderatè ſiccãtia, & abſtergentia.

Verùm obſeruandum eſt, quòd vulnera capitis generant carnem maximè humidam, & mollem, etiam ſi utamini ſiccantibus; & ideo coercenda, ac reprimenda eſt mollities illa carnis ſupercreſcentis; quæ autem ſint medicamenta, quæ id præſtent, ſuperius habuiſtis: ſuperata carne ſupercreſcente, & eius mollitie, ſi opus fuerit, obducetis vulnus cicatrice.

Si pars magna cutis ſeparetur, non amputata prorſus.

Cæterùm accidit ſæpe, vt in uulneribus capitis ſeparetur pars magna cutis; non tamen amputetur prorſus; ſed parua admodum ipſius portio hæret: quid igitur, ſi hoc accidat, agendum? Aliqui Recentiorum amputant ſtatim cutim illam, & ita dicunt ſemper eſſe agendum, cum hoc accidit, quoniam cutis illa non poteſt cum pericranio conglutinari, & ratio (inquiunt) eſt, quia & cutis, & pericranium calloſum eſt. Alij non amputant, ſed ſtatim reducunt cutim illam pendentem ſupra vulnus, & locum proprium; & hoc faciunt, ſiue ſperent quòd cutis illa ſit cum pericranio conglutinanda, ſiue non; & hi rectius longè faciunt: illi verò errant: nam ſemper proprium indumentum reducendum eſt ſupra partem detectam, ſi fieri poſſit. Et profecto ſi illi, qui amputant, vidiſſent Galenum, non ita agerent, nam Galenus in tertio de fracturis commento 43. dicit, quòd partes detectæ ita delectantur proprio indumento, & pelle, vt omnia vulnera melius ſuccedant: & hoc tantum apud ſe valebat, vt etiam denigratam cutim ſuperimponeret. Et ideo moneo vos, vt ſemper reducatis cutis ſupra detectum locum, etiam ſi cutis eſſet denigrata, & ſemiputrida: nam maximi refert, vt pars propria, & proprium indumentum hæreat, & tegat partem propriam: Quod ego obſeruaui ſæpius; & his etiam diebus in quodam ſcholaſtico iuuene Germanico, qui ex recepto vulnere ad hoc deuenit, vt pars minimi digiti manus eſſet ferè amputata: hærebat enim ſolum pauca pellis, reliquum erat ſeparatum prorſus: vnde, licet ego ſcirem, quòd erat impoſſibile, vt pars illa digiti conglutinaretur, tamen nolui paucam illam pellem ſecare, & prorſus digitum amputare; idque feci eo conſilio, vt pars inibi maneret, & ob id etiam conſui, vt ſcilicet pars inibi manens tegeret partem ſanam, & factum eſt, vt partes illæ oſſeæ fuerint carne tectæ ſpatio ſolum trium, aut quatuor dierum, quod mihi viſum eſt veluti miraculum: nam in alijs, vbi pars non tegitur à proprio indumento, id vix ſolet fieri ſeptem aut octo diebus. Videatis igitur quanti referat, vt pars tegatur proprio indumento. Quare ſemper ſuperinducatis pellem in vulneribus cutis capitis; nec credatis verum eſſe, quòd cutis non conglutinetur pericranio. Ratio autem, cur cutis ſit reponenda ſupra detectum locum, ſiue ſit conglutinanda ac coalitura, ſiue non, eſt primò, quia locus, ſi non ſuperponeretur cutis, refrigeraretur, & ſic communicaretur refrigeratio pericranio, oſſi, & interioribus membranis. ſecundò, cum huiuſmodi vulnera ampla ſint, ante quam vulnus totum æqualiter tegatur carne, longum tempus requiritur; & ideo ægrè poſtea cicatrice obducitur. igitur ſuperponenda eſt cutis. Quo facto, ſuperimponenda ſunt medicamenta agglutinantia: & plura vulnera ego ſanaui, in quibus tota ferè cutis erat ſeparata.

Reducẽda cutis ſupra partem ſectam.

Si adſit cõtuſio.

Atqui ſi cutis ſit ſecta, & adſit contuſio ideſt, ſi ſit vulnus cum contuſione, tunc vulnus eſt maioris momenti, quoniam contunditur & pericranium, quod facilè dolet, & communicat affectionem membranis intrinſecis: In huiuſmodi autem vulnere curando Recentio-

Digitized by Google

centiores ponunt in campum duos errores: primus quidem eſt, quoniam dicunt, quod ſi contuſio ſit magna, & vulnus paruum, oportet primò ſecare per tranſuerſum totum illud cutis, quod conſutum eſt, & ampliare vulnus, quia oportet, inquiunt, vt ſanies, quæ in pericranio gignitur, poſſit egredi; alioqui faceret abſceſſum. Sed ſi intelligerent Galenum, non dicerent hoc, nam Galenus vult, vt tegamus partem detectam, nedum vt detegamus eam, quæ proprio indumento prædita, & munita eſt. Præterea, ſi ob rationem, quam aſſignant, volunt, vt ſecetur cutis, cur eſt, quòd in genu, & in articulis, quando contunduntur nerui, vel aliæ partes, non ſecant, vt egrediatur ſanies: Profectò neſciunt aſſignare rationem diuerſitatis. Quare, ſiue contuſio ſit magna, & vulnus paruum, ſiue non, nunquam ſecetis contuſam cutim, nec amplietis vulnus, dummodo non ſit læſum pericranium.

Recentiorũ ſententia.

Refellitur ſentẽtia recentiorum.

Alter error eſt quoniam dicunt, quòd quando ex ſectione ampliatum fuerit vulnus, debemus labra explere linamentis imbutis medicamento aliquo, vt albo oui, & ita relinquere vulnus per integram diem, vt poſtea poſſimus commodius detergere vulnus. Sed errant, quoniam non egemus tanta deterſione. Sciatis igitur, quòd ex contuſione ſemper fit ſolutio quædam continui inſenſibilis, cui ſolutioni ſuccedit, vt fiat aliqua dilatatio vaſorum, & anaſtomoſis, id eſt, exultus ſanguinis ex ipſis dilatatis fibris vaſorum.

Alter error recentiorum.

Ideo in vulnere cùm contuſione indicatur, vt applicemus ea, quæ poſſint dolorem mitigare, & vaſa claudere, ne maior ſanguinis copia egrediatur; alioqui fieret ſuffuſio, & ſanguis inibi corrumperetur, & ſic poſtea opus eſſet ſecare. Statim igitur imponatis hoc medicamentum, quod mihi ſolet eſſe familiare: Accipio folia abſynthij viridia, tero, & addo ouum integrum, cum luteo ſcilicet, & albo, & addo portionem olei roſacei omphacini, vel myrtini, & facio emplaſtrum, quod ſuperimpono, & optimum ſanè eſt: ſed priuſquàm imponam emplaſtrum, expleo vulnus linamento madido albo oui; ſed ſi adſit dolor, expleo linamento non ſolum madido albumine, verùm etiam luteo oui ſimul; deinde ſuperapplico emplaſtrum, quod optimè conſtipat vaſa, & non ſinit plus ſanguinis egredi, & mitigat dolorem. At ſi fiat maior liuor in contuſa parte, tunc duas habemus indicationes, prima quidem eſt, vt uniamus labra, expleamuſque carne, & hoc indicatur à uulnere, quatenus uulnus eſt: altera uerò indicatio accipitur ab ipſa contuſione, & eſt, ut contuſam partem ſeparemus, nam contuſa pars eſt ex toto præternaturam: & ideo auferenda eſt; ſed per ſeparationem factam à natura: ipſa enim eſt, quæ ſeparat: & ſeparat duobus modis, aut ſiccitate, ut corpora, quæ ſunt ſicciſſima, qualia oſſa ſunt; aut ſeparat per concoctionem, & macerationem, ut partes molles: & hoc modo, ſcilicet per macerationem, ſeparabitur cutis contuſa. Oportet itaque primò, cum cutis non ſit pars ſicciſſima, applicare ea, quæ concoquunt, & macerant ſua qualitate, ut terebinthina eſt, qua cum uſi fueritis duobus, aut tribus diebus, miſceatis cum terebinthinæ uitellum oui, & oleum roſaceum. Purgato uulnere à contuſa parte, explendum eſt carne. Sed animaduertatis, quòd concoquentia & macerantia debent etiam habere uim aliquam detergendi: & ideo cum terebinthina, & ouo admiſceatis mel roſaceum, uel ſuccum eleoſelini, id eſt, apij.

Indicatio in vulnere cum contuſione.

Medicamentũ imponendum.

Contuſa pars eſt ex toto præter naturam.

Quòd ſi contuſio ſit ſine uulnere, imponatis emplaſtrum de abſynthio paulo ſupra deſcriptum, uel paucum ſalem cum albo oui mixtum, dummodo ſcilicet integra ſit cutis: & hoc vno medicamento ſæpe ego curaui contuſiones cutis: imponatis ergo ipſum vna, vel duabus diebus: & quia aliquid eſt extra vaſa, idcirco fouendus eſt locus cum aliquo decocto: accipio itaque ego abſynthium, chamomelum, & ſimilia, & coquo in lixiuio, quo poſtea foueo locum contuſum: nam digerit, detergitque: hoc facto, inungo locum larido ſalito vetuſto, (nam magis digerit, diſcutitque) vel vnguento alabaſtrite (nam digerit diſcutitque & conſtipat vaſa), vel vtamini vnguento alabaſtrino deſcripto in Luminari maiori.

Si contuſio ſit ſine vulnere.

De vulnere capitis cum læſione & cutis, & pericranei Cap. XI.

QVa ratione ſit curandum vulnus capitis, in quo cutis tantum ſit vulnerata, aut contuſa, in ſuperiori capite dictum eſt; ſed accidit ſæpe, vt non ſolùm cutis patiatur, verùm etiam pericranium ſit vel ſectum, vel contuſum: quid igitur tunc agendum? Recentiores ſtatim cùm vident ſectum pericranium, & detectum os, infundunt oleum roſaceum: alij oleum roſaceum ſimul cum terebinthina: alij terebinthinam ſimul cum vitello oui: alij pulueres capitales uocatos inſpergunt, firmato prius ſanguine; deinde imponunt aliquod ex modo dictis medicamentis. Galenus autem in ſecundo de compoſitione medic. per lo-

Si pericraniũ ſit ſectũ, vel contuſum, quid agendum.

ca in

ca in loco toties citato, dicit, quòd ſi capitis os ſit detectum, debemus tentare agglutinationem.

Obiectio. Sed ſtatim diceret aliquis: agglutinatio non ſuccedet, quoniam pericranium non poteſt, & veritas eſt, cum illis partibus agglutinari, ſi ſemel fuerit ab ipſis ſeparatum: Nec dubitandum eſt de hoc: nam, quoties uaſa illa minima, & fibræ paruiſſimæ, quibus pericranium ligatur, fuerint ſeparatæ ſemel tantùm, non poteſt amplius pericranium cum *Solutio.* oſſe ligari: ergo malè Galenus monet, ut tentemus agglutinationem. Dico, quòd Galenus nouit rem hanc; & ideo docet modum, quo fiat agglutinatio: uult itaque primò vt ſupprimamus ſanguinem vel cum poſca, vel cum vino auſtero, vel cum linamentis ſiccis, & huiuſmodi, dummodo ſupprimatur, nihil refert, an hoc, vel illo vtaris medica- *Abradēda cruſta ſuperior oſſis.* mento: deinde vult, ut abradamus cruſtam ſuperiorem oſſis: & non aliam ob cauſam uult, ut abradatur os, quàm ut pericranium, & os colligentur inter ſe: cum enim ſuperficies oſſis ſit ut plurimum exanguis, & arida, non poteſt in ipſo oſſe gigni caro, niſi raró, qua coniungatur ſimul pericranium, & os.

Vt igitur caro colligans poſſit inibi gigni, Galenus mandat, ut abradatur os. Et aliquando multa, aliquando pauca egemus abraſione, prout os erit durius, & craſſius, aut mollius, & tenuius, & magis, uel minus exangue: In pueris enim, cum os cranij ſit tenerum, tenue, & ſanguineo colore affectum, quia totum ſcatet ſanguine, uix ſumma ſuperficies eſt abradenda: contrà in ſenibus, cum os craſſum ſit, & durum, & non habeat *Terminus abraſionis.* ſanguinem in ſe, ſatis profundè eſt abradendum: Terminus tamen abraſionis in omnibus eſt, ut eouſque abradamus, quouſque uiderimus, quòd effluit ſanguis ex ipſo oſſe, perinde atque eſſent lachrymæ: Hoc facto, coniungenda ſunt, inquit Galenus, labra per ſuturam, vel per fibulas, & comprimenda ſunt labra ipſa ſupra ſubiectum os, & ſuperimponendum eſt aliquod medicamentum, quod habeat vim conglutinandi, hæc eſt curandi ratio Galeni optima, & amplectenda, qua ego vtor, & moneo vos, vt vtamini; & ex quo ego incidi in locum illum Galeni, nunquam alia ratione curandi talia vulnera ſum vſus, nec alia unquam vtar; antea tamen, quia hanc non noueram, vtebar illa ratione curandi recentiorum.

De Vulnere capitis cum læſione pericranei, & cranei. Cap. XII.

VErùm accidit aliquando, vt non ſolum cutis, & pericranium ſecentur, verum etiam aliqua cruſtula, & ſquammula oſſis incidatur; in reliquis autem os nihil patiatur, vt nec ſit conſutum, nec fractum; at prorſus integrum, & ſanum ſit, præterquam, quòd ſeparata eſt portiuncula. Si igitur huiuſmodi vulneri occurreremus quid eſſet agendum? Dico quòd tenacula auferenda eſt ſquamma illa oſſis, deinde abradendum eſt os, & ſi opus ſit, conſuenda labra, & imponendum medicamentum glutinans, vt dictum eſt. Quòd ſi accidat, vt non poſſitis conglutinationem conſequi, ſuſcipienda eſt curatio per ſecundam intentionem, vt tentetis generationem carnis, & repletionem vulneris, & cicatrice obducatis. Cæterum ſi os patiatur ita, vt ſit vel contuſum, vel fractum, vel ſectum, vel aliud ſimile *Si os ſit contuſum, vel fractū, vel ſectum.* patiatur, tunc affectus eſt grauior, & maioris momenti, quoniam rupta eſt galea cerebri: & ideo magna requiritur diligentia. Sed, antequam vlterius progrediar, oportet videre, quos affectus patiatur os capitis.

Os capitis tribus modis patitur. Dixi itaque ſuperius ex mente Galeni, quòd os capitis tribus modis patitur: vel enim contunditur, vel frangitur, vel vulneratur, ideſt, ſecatur: Contunditur autem vel ſecta *Quid ſit cōtuſio oſſis.* cute, vel cute integra exiſtente: verùm videamus primò, quid ſit contuſio iſta oſſis capitis, de qua loquitur Galenus in ſexto meth cap. ſexto, & vltimo, & inquit quòd eſt ſolutio continui in oſſe, & Græcè dicitur θλάσις. Paulus in ſexto lib. cap. nono exponens Galenum inquit, quòd contuſio oſſis eſt, quando os contunditur, & deprimitur ex ſuo loco, vt quando os capitis puerorum ex contuſione deprimitur. Et inquit, quod idem patiuntur tenera oſſa puerorum, quod patitur vas æneum, vel plumbeum quando contunditur: nam videmus, quod ex contuſione pars contuſa deprimitur introrſum, ſine vel fractura, vel apertione aliqua: idem fit, inquit, in oſſe capitis puerorum quando contunditur, deprimitur introrſum, abſque quo os ſit fractum, vel aliqua in parte apertum.

Aduerſus Paulum. Verùm ſi per contuſionem oſſis apud Galenum intelligamus depreſſionem hāc, quam dicit Paulus, ſequuntur incommoda, & primum eſt, quòd contuſio non erit ſolutio continui

Digitized by Google

timui in oſſe; tamen dicit Galenus, quòd oſſa capitis patiuntur tria genera ſolutionis continui, contuſionem, fracturam, & ſectionem. At illi, qui volũt tueri Paulum, reſpõdent, quòd contuſio à Galeno, & alijs medicis enumeratur quidem inter ſolutiones continui; non tamen hoc fit in capitibus puerorum, quia oſſa mollia ſunt, ſed in capitibus adultorum. Præterea, licet in pueris non fiat ſolutio oſſis manifeſta, vt fit in adultis, tamen & in oſſe puerorum fit ſolutio continui; ſed eſt ſolutio occulta, & præcipuè eſt in interna ſuperficie oſſis, quia os in ea parte laxatur. Nec dubitandum eſt, dari ſolutionem continui occultam: nam & in carne contuſa datur aliqua ſolutio continui, occulta tamẽ eſt, & ipſam cognoſcimus ex ſuffuſione ſanguinis: hoc eſt primum incommodum, quod nituntur effugere iſti, vt tueantur Paulum, & aduerſentur veritati. Alterum inconueniens eſt, quòd ſolutio continui ipſius Galeni non eſſet ſimplex affectio, ſed compoſita, quoniam Hippocrates dicit, quòd in quacumque compreſſione per contuſionem facta eſt rima, tamen de ſententia & Hippocratis, & Galeni reperitur cõtuſio ſimplex ſine depreſſione. Itaq; nõ debemus per contuſionem intelligere, vt male Paulus, depreſſionem, nam depreſſio eſt paſſio oſſis in ſitu, cum os immutet ſitum; ſed contuſio eſt paſſio oſſis pertinens ad ſubſtantiam, non autem ad figuram ſitumque oſſis.

Duplex genus contuſionis.

Dico igitur, quòd apud Hippocratem in lib. de vulneribus capitis reperitur duplex genus contuſionis, & de his generibus dicendum eſt, quòd intelligit Galenus, quoniam nequidquam recedit à doctrina Hippocratis, & cum recedit, quod rarò eſt, monet nos, in quo nam, & qua de cauſa recedat. Hippocrates igitur in loco dicto inquit, quòd os aliquando colliditur in ſua natura manens: & hoc eſt vnum genus contuſionis, quando ſcilicet os contunditur, & manet in ſua natura; Alterum verò eſt, quando os contunditur, vel colliditur, & non remanet in ſua natura: Colliſio, in qua os manet in ſua natura à Galeno vocatur θλάσις, & ab Hippocrate aliquando φλάσις, & à recentioribus vocatur colliſio: & eſt quando ſubſtantia oſſis patitur in ea occulta conſpiſſatione, & minimarum partium colligatione, quæ in ipſo oſſe eſt, quia ſcilicet partes minimæ, quæ erant ligatæ oſſi, laxantur; non tamen eſt facta aliqua manifeſta apertio, ſed eſt apertio, & ſolutio talis, qualis eſt in carne, vel neruo contuſo; & de hac contuſione loquens Hippocrates dicit, ꝙ non cognoſcitur, nec cadit ſub ſenſum: & ideo non eſt mirum, ſi ſolutio continui talis non ſit manifeſta.

Obiectio.

Sed diceret aliquis, ſi non cadit ſub ſenſum, nec cognoſcitur per analogiam ad alias cõtuſiones, vt ad illam, quæ fit in carne, vt re vera non cognoſcitur, quia in oſſe contuſo non fluunt humores, nec pars fit liuida, vel nigra, ſi, inquam, non cognoſcitur, ergo & Hippocrati ignota fuit, vel nouit ipſam quodam diuino ſpiritu inflatus, quod non eſt dicendum; & tamen contuſio hæc eſt magni momenti, ita, vt ſæpe moriantur ægri, & non moriuntur, quia os fuerit refrigeratum, vt iſti dicunt; ſed quia genita eſt mala ſanies, quæ concidit in internam membranam ob fracturam. Dico quod Hippocrates dixit non cognoſci, vt ſolum indicaret difficultatem maximam cognitionis, quæ maxima ſanè eſt; tamen ego ex me in praxi inueni rationem cognoſcendi huiuſmodi contuſionis. Inſpiciatis igitur diligenter os detectum, quod os, quando eſt in ſua natura, eſt coloris ſubrubri, non candidi prorſus, nec rubri prorſus, ſed eſt veluti color mixtus, & ex albo declinans in rubicundum, vt ſi in multo lacte, vel alio colore candido poneres parum ſanguinis, vel alterius rei rubræ, reſultabit quidam color, qui eſt ſimilis colori oſſis capitis, dum ſecundum naturam ſe habet: Si itaque tribus primis diebus videatis os detectum habere talem colorem, dicatis, quòd non eſt contuſum: ſed ſi videritis inæqualitatem coloris in ipſo oſſe detecto, ita, vt adſint veluti puncta coloris albi, & aridi oſſis, quæ aridæ particulæ aliquando ſunt maiores, aliquando minores, ſi (inquam) non videas colorem illum æqualiter in toto detecto oſſe, ſed eſſe puncta illa albicantia per ipſum os diſperſa, ita, vt ſint aliquot maculæ rubræ, aliquot albæ, ſciatis, quod os eſt contuſum: & hæc eſt ratio cognoſcendi in tribus primis diebus, an os ſit contuſum, nec ne: poſt tertium autem diem clariùs cognoſcitur, quia os fit pallidum, & aliquando nigrum. Sed animaduertatis, quòd aliquando redditur nigrum à medicamentis impoſitis. Iſti autem reddentes rationem cum os detectum fiat nigrum poſt tertium, vel quartum diem, dicunt, quòd hoc fit, quia vaſa orta à dura matre, & diſſeminata per os, ſunt ſeparata ab ipſo oſſe; & ideo os redditur veluti mortuum, quia non recipit amplius ſanguinem. Vnde cum primum vident denigratum os, abradunt ipſum vſque ad duram matrem, & ſæpe reperiunt membranam ipſam oſſi hærentem. Vnde patet ipſorum error: nam reuera errãt, quia cauſa nigritiei oſſis eſt contuſio ipſa. Prima itaque contuſio eſt, quando os in ſua natura remanet, & eſt laxatio partium minimarum ipſius oſſis; non tamen tanta eſt laxatio, vt ſeparentur: & talis contuſio primis tribus diebus cognoſcitur maculis illis albicantibus.

Reſponſio.

Ratio cognoſcẽdi os contuſum.

Hæc contuſio ſæpe reperitur, & rarò eſt, quòd in oſſe ſit fractura, vel ſectio, quin in labris oſſis fracti, vel ſecti adſit talis contuſio: & ſi obſeruaueritis, videbitis in labris oſſis

ſigna talis contuſionis: & licet ſæpe huiuſmodi cōtuſio reperiatur cum rima, fracturave, eſt aliquando eſt per ſe, & ſola reperitur; attamen ex auctoritate Hippocratis eſt cognitu admodum difficilis, & ferè impoſſibilis; non ita tamen impoſſibilis, quin ab exercitato medico cognoſcatur ex bullis, & maculis illis rubeſcentibus, & ex maculis, & veluti punctis albicantibus: quam cognitionem aſſequetur primis tribus diebus: peracta deinde tertia, vel quarta die, habebit aliud ſignum, & eſt liuor, vel nigredo oſſis contuſi: hæc contuſio leuis, vt dicebam, vt plurimum concomitatur fracturam, ita vt rarò accidat, quin in fractura adſit pars aliqua oſſis contuſi; per ſe tamen aliquando etiam reperitur, & quandoque eſt in ſumma ſuperficie tantum oſſis, id eſt, in extrinſeca lamina, quæ & extrinſeca vitrea appellatur; quandoque deuenit vſque ad meditullium; quandoque vſque ad laminam internam, ita vt totum os à ſummo ad imum ſit contuſum: & quando eſt contuſa ſola exterior lamina, contuſio eſt ſatis leuis; quando verò peruenit vſq; ad meditullium, eſt periculoſa, quoniam gignitur ſanies, quæ prolabens in membranam, duram matrem vocatam ipſam erodit.

Secundum contuſionis genus.

Secunda contuſio eſt, quando os contuſum non conſiſtit in ſua natura, & ſitu, ſed recedit à propria natura, & receſſio eſt, quod oſſa contuſa mutant ſitum, quia deprimuntur. Ergo ſecunda contuſio eſt in qua os mutat ſitum, quia deprimitur, & hæc contuſio duplex eſt: Vna Hippocratica, altera Paulina, id eſt, deſcripta à Paulo, & ea, quæ explicatur ab Hippocrate talis eſt: quòd ſemper adeſt rima, & talis contuſio vocatur à noſtris eliſio,

Cōtuſio depr mēs duplex.

quam Hippocrates dicit ſemper habere coniunctam rimam, ſi non manifeſtiſſimam, ſaltem latentem, quoniam, cùm os debeat in huiuſmodi contuſione deprimi, ſitque durum, non poteſt à ſuo loco, ſituve recedere, niſi aliquo modo frangatur: Altera verò contuſio explicata à Paulo eſt, in qua os deprimitur ſine rima, quæ fit tantum in capite puerorum, & non fit rima, quoniam puerorum oſſa mollia, & lenta ſunt, ita, vt ab obſtetricibus poſſint eo modo, quo voluerint puerorum capita efformari: Et ſæpe accidit, vt in extrahendo fœtu, ſi arripiant ipſum capite, vt caput acquirat figuram oblongam; ſed ſi exercitata fuerit, & perita obſtetrix, antequam abluat fœtum ipſum, deprimet caput, & acquiret priſtinam figuram; ſed aliquot ſunt ita ineptæ, vt aliquando reddant capita puerorum inæqualia. Cùm itaque puerulorum oſſa tenera ſint, & lenta, poſſunt ex contuſione deprimi, abſque quo fiat in ipſis aliqua fractura, ſeu rima, ſicuti videmus deprimi ænea, & plumbea vaſa.

Igitur prima affectio oſſium capitis eſt contuſio, quæ duplex eſt: vna, in qua eſt ſolutio continui compagis minimarum partium, & hęc contuſio ſubterfugit ſenſum: cognoſcitur tamen primis diebus ab exercitato medico ex immutato colore; & hæc contuſio illa Hippocratis eſt, quæ eſt morbus ſimplex: altera eſt contuſio cum depreſſione, in qua os patitur in ſua ſubſtantia, quia deprimitur à loco proprio, & hæc eſt duplex: una in oſſe duro, quæ ſemper habet rimam coniunctam; altera in oſſe molli, atque lento, quæ eſt ſine rima.

Secũda ſolutio continui fiſſura, vel fractura, vel rima.

Secunda ſolutio continui propoſita à Galeno, quæ accidit in oſſibus eſt ῥωγμὴ Græcè dicta, hoc eſt, fiſſura, vel fractura, vel rima, quod idem eſt, & hæc duplex eſt: vna, quæ à Græcis uocatur τριχοειδὴς, id eſt, capillamentum: eſt enim rima occulta, & quaſi capillaris, & admodum anguſta: altera rima eſt, quæ ſenſibus patet, & utraque habet differentias aliquot: nam alia eſt rima profunda deueniens uſque ad interiorem laminam oſſis, ita, ut totũ os à ſummo ad imum ſit fractum; aliqua uſque ad meditullium tantùm peruenit; alia eſt ſolùm in ſumma oſſis ſuperficie; aliqua eſt breuis, alia longa, alia hoc, alia illo modo facta: Et eiuſmodi rima ſolet emittere ſaniem, & uirus, quæ ſanies, ſi penetret uſque ad intrinſecam mẽbranam ueſtientem cerebrum, erodit ipſam, & inflammationis, mortiſq; periculum affert.

Duplex eſt

Tertia ſolutio, cōciſio διακοπὴ.

Tertia erat continui ſolutio in oſſe διακοπὴ ab Hippocrate vocata, & à noſtris excíſio, vel conciſio: & nihil aliud eſt, quàm vulnus oſſis: Et in ſolutione notate, quòd Paulus in 6. lib. cap. 90. inquit, quòd eſt ſemper cũ fractura coniuncta: ſed interpres eſt deceptus: neq; enim ita legitur in Codice Græco; at legimus, quòd ſemper eſt coniuncta cum illiſione, ſeu contuſione, & ita re vera lẽgẽdum eſt: Nam & Hippocrates in lib. de vulneribus capitis inquit, quòd vtplurimum cũ vulnere oſſis eſt cōiuncta cōtuſio alicuius partis oſſis: Vulnus autem oſſis dicitur, vt ſuperius etiam diximus, quando in oſſe remanet veſtigiũ efficientis, id eſt teli, vel ſecantis, vel pungentis &c. Et hæc pariter ſolutio variat: nam quandoque peruenit vſque ad meditulliũ; quandoque profundior eſt, & alia eſt cum contuſione, alia ſine; ſed rarò eſt ſine contuſione: alia longa, alia breuis, alia per tranſuerſum, &c. Et his ſolutionibus ſuccedunt fracturæ, & ſaniei generatio; & ideo requirunt maximam diligentiam, quoniam & mors ſæpe ſuccedit. Hi ſunt affectus, quos os capitis patitur.

Quartũ genus commi nutio.

Quibus additur à me comminutio, quando ſcilicet ſubſtantia, & portio aliqua oſſis penitus aufertur, & exaſciatio appellatur à Paulo: & neceſſariò talis ſolutio continui oſſis eſt

adden-

addenda,quoniam non poteſt ad aliquam dictarum trium reduci, etiam ſi Hippocrates videatur reducere ipſam ad apocopin.

Addit Hippocrates in libro de vulneribus aliud genus affectus oſſis capitis, quem affectum vocat ipſe calamitatem, quoniam non poſſumus ei opem ferre, & talis affectus non poteſt eſſe vulnus,nec exciſio; ſed ſolum contuſio, & fractura. Sed dices: quomodo contuſio,& fractura ſunt affectus pernicioſi,cum poſſimus ipſis opem ferre? Dico, quod ſunt affectus pernicioſi, quoniam aliquando ignoramus ipſos, & quia ignoramus, non poſſumus medicamentis occurrere: vnde cum neſciamus in quo nam loco os ſit fractum, aut contuſum, gignitur ibi ſanies, quæ labitur ad interiores membranas, & inducit mortem: ignoramus autem inquit Hippocrates locum contuſum, vel fractum, quoniam aliquando accidit,vt contundatur caput in vna parte, & os in ea parte nihil patiatur, ſed frangatur in parte oppoſita: vnde affectus neſcientes nullum auxilium applicamus, & ſic ſuccedit mors.

Calamitas Hippocratis.

Sed in hac re eſt difficultas,quoniam alii credunt hoc,quod dicit Hippocrates, quod ſcilicet os contuſum in vna parte non frangatur in ea parte, ſed in oppoſita. Alij autem hoc prorſus negant, & primus, qui dixit hoc fieri, fuit, vt dixi, Hippocrates in libro de vulneribus: ſecundus fuit Soranus in libro de affectibus capitis, vbi affert etiam exemplum pro confirmatione huius ſententiæ Hippocraticæ, & exemplum eſt de vaſe vitreo, quod ſæpe percuſſum in vna parte, contrahit rimam in altera parte oppoſita: quod re vera ita eſt, vt ego expertus ſum in phialis vitreis,vt & vos, cum domi eritis, poteritis experiri. Ij pariter, qui conficiunt campanas, ſi velint campanam in vna parte tantum frangere, percutiunt ipſam in oppoſita, & res ſuccedit, vt volunt. Idem dicit Soranus fit in oſſe capitis,quia durum,& fragile eſt.

Os in vna parte contũdi, in oppoſita frangi.

Addunt Recentiores etiam exemplum de cucurbita ſicca, & ſeminibus vacua, quæ ſi leniter contundatur, contrahit rimam in parte oppoſita. Ratio autem eſt, quoniam ictus, & contuſio communicatur per durum illud corpus parti oppoſitæ per partem poſt partem, & ab vtroque latere deuenit ſpiritus, vel aer internus concluſus in cauitate vaſis, & agitatus, vſque ad poſteriorem partem oppoſitam, & inibi contuſio vtraque, ſeu ſpiritus illiduntur ſimul, & ſic frangunt corpus ea in parte. Igitur aer internus agitatus, & contuſio concurrens in eodem puncto eſt illa, quæ frangit. Quod verò aer in cauitate, & poris corporis concuſſi agitatus ex concuſſione, & concurrens per corpus orbiculare in idem punctum, fit ille, qui corpus illud frangit in eo præciſè loco, vbi fit concuſſio ſpirituum, atque congreſſus, apparet ex tremore corporis contuſi, ſiue illud ſit ex vitro, ſiue ex ære, ſiue ex alia materia, dummodo corpus illud ſit continuum: Nam tremor ille non aliunde naſcitur, quàm ex halituoſo ſpiritu in cauitate vaſis contento,atque in poris eiuſdem, & agitato ex concuſſione: dum enim per orbiculare corpus vtrinque defertur, concutit etiam vas, efficitque, vt tremat, & tandem reduplicata contuſione, atque ictu in parte, vbi congreditur aer lateris ſiniſtri, cum aere, ſeu ſpiritu lateris dextri ipſius vaſis, fit, vt ea in parte vas frangatur. Accedit auctoritas Celſi in octauo libro,capite quarto,vbi inquit.

» At ſolet euenire, vt altera parte icta, altera findatur; Celſus autem fuit vir ſummæ au-
» thoritatis, & maximus imitator doctrinæ Hippocraticæ.

Addatis etiam authoritatem Nicoli Florentini medici doctiſſimi,qui fecit coaceruationem ex omnibus medicis, & certè eſt pulchrum opus: in eo igitur libro inquit ſe vidiſſe hominem, qui exercebat artem funariam, id eſt, conficiendi funes, qui receperat ictum in vna parte capitis, & factum eſt apoſtema in altera, & fractura, & tandem ſanatus homo ille eſt. Eandem opinionem confirmat Ioannes de Vigo,& omnis ferè ſchola practicantium. Et ego etiam vidi tres, vel quatuor,quibus os fuerat contuſum in vna parte, & in parte oppoſita factus eſt abſceſſus, & aliqui mortui. Vera igitur videtur eſſe ſententia Hippocratis.

Cæterum in oppoſitum eſt Galenus. Nam in commento de vſu partium inquit,quòd ſuturæ capitis factæ ſunt ad hunc vſum, ne quando vna pars capitis contunditur, & frangitur, frangatur totum os: nam niſi eſſent ſuturæ, quando os, verbi gratia, frangitur in parte anteriori, rima procederet vſque ad poſteriorem. Cum itaque os capitis non ſit integrum, non poteſt contuſa, & fracta vna parte,frangi os in parte oppoſita: quia contuſio nequit communicari parti oppoſitæ: phiala autem, campana, & cucurbita ſunt corpora integra,ideo in ipſis poteſt contuſio vnius partis eſſe in cauſa, vt fiat rima in parte oppoſita. Adeſt & auctoritas Pauli in ſexto libro, capite nonageſimo, vbi inquit, quòd errant illi, qui putant, quòd, contuſo oſſe in vna parte,frangatur in oppoſita,quoniam ſuturæ inhibent hoc.

In oppoſitũ Galenus, Paulus, & Guido.

Secundò inquit,quòd exempla non ſunt ſimilia: nam vas eſt vacuum; caput autem eſt ple-

 num,

num;ſed hoc parui refert. at ſat vobis ſit, quòd ex Pauli etiam ſententia non poteſt contuſio in vna parte frangere os in oppoſita. Addatis & authoritatem Guidonis, qui apud me tantæ authoritatis eſt, quantæ ferè eſt Hippocrates:nam fuit doctiſſimus vir,& maximæ experientiæ: Guido igitur & ipſe reprehendit illos,qui dicunt, quòd contuſo oſſe capitis in vna parte frangitur in oppoſita. Nec valet,ſi quis dicat,quòd tametſi dictum Hippocratis nō habeat veritatem in capitibus,in quibus ſunt ſuturæ, tamen locum habet in capitibus integris,quæ capita iuxta ſententiam Herodoti, & Ariſtotelis in tertio de hiſtoria dantur; non valet,inquam,quoniam non reperiuntur eiuſmodi capita ſine ſuturis : nec mirum ſi Herodotus dixerit ipſa dari,quia fuit princeps fabularum, & inuentor. Ad Ariſtotelem autem dico,quòd ipſe in hoc errat,& ſui erroris cauſa fuit,quia accepit hoc fortaſſe ab anatomicis illius temporis. De Hippocrate aliqui,vt ipſum tueantur,dicunt, quòd ipſe per partem oppoſitam intelligit partem lateralem eiuſdem oſſis : Nam accidit, vt contuſo oſſe ſincipitis in medio, frangatur in aliqua duarum partium lateralium eiuſdem oſſis : Et ratio eſt, quia os illud eſt tenuius in partibus lateralibus propè ſuturas,quàm in medio: Et hoc declarant exemplo tabulæ,quæ in medio ſit craſſa,ad latera autem tenuis, ſi enim percutiatur violenter in medio,frangetur,ſindeturve in laterali parte. Hac ratione poſſet defendi bonus ille ſenex,tamen Celſus non poteſt defendi,quia clarè locutus eſt. At Hippocrates quia & breuis fuit,& ſatis obſcurus,poſſet modo dicto defendi: Verùm ſi & ipſe clarè expoſuiſſet ſeipſum profectò credo,quod non poſſet defendi;nolo tamen,vt dicamus ipſum erraſſe.

Ariſtotelis error.

Sum tamen ego in hac ſententia,quòd impoſſibile ſit, vt oſſe capitis contuſo in vna parte,vt puta anteriori,frangatur in occipite,quoniam ſuturæ ſunt,quæ impediunt; ſed ſi eſſet integrum,vtique id poſſit fieri. Ad illum autem Florentinum,dicit Paulus,quod in dimicationibus accidit ſæpe,vt aliquis recipiat ictum in aliqua parte;& tamen ille,qui recipit ictū non percepit ipſum. Idem quoque potuiſſet accidere illi funario homini. ſed de apoſtemate,& inflammatione illa dico,& hoc notate,quòd accidit ſæpe,vt vna pars contundatur,& tamen excitetur inflammatio in parte oppoſita: ſed quænam ratio iſtius eſt? Debetis ſcire, quòd in plenilunijs,quando Luna lucet tota nocte, caluaria tota turget, & humiditate referta eſt; quando autem non eſt plenilunium, caluaria non prorſus expletur à cerebro, ſed adeſt ſpatium aliquod, & vaſa, quæ colligant, ſunt aliquantulum diſtracta : Et hoc ſciatis eſſe veriſſimum,quod ego in diſſectionibus obſeruaui. Hoc ſtante, dico, quòd ſi accidat, vt caput recipiat ictum,& contundatur,quando non adeſt plenilunium, & cerebrum non explet totam caluariam,tunc caput ex contuſione propellitur,& cerebrum etiam verſus eundem locum,cumque cerebrum reperiat cranium, illidit, & retrocedit, & ex hac reflexione fit, vt aliqua vaſa in parte oppoſita parti contuſæ frangantur ; & ſic excitetur inflammatio in parte oppoſita. Reſilitio itaque violenta cerebri eſt in cauſa, vt frangantur vaſa, & fiat inflammatio. Quòd autem fiat talis reſilitio ex motu in parte oppoſita , patet exemplo familiari : nam ſi figatis clauum aliquantulum in ligno aliquo, & percutiatis lignum in parte oppoſita aciei claui, clauus magis infigetur, quàm ſi altero clauo impelleretis ipſum, vt vos ipſi poteritis experiri. Quare non eſt dubitandum, quòd contuſa vna parte oſſis capitis, excitetur inflammatio in oppoſita parte : & hoc accidit, quando tota caluaria non expletur à cerebro,quod fit, quando non eſt plenilunium. Os igitur capitis patitur,quando eſt illiſum,contuſumve:quando eſt fractum:quando eſt vulneratū: & tandem addatis,quando affligitur comminutione:hi ſunt ſimpliciſſimi morbi, quos patitur os capitis per ſolutionem continui.

Caput variari in plenilunijs.

Quibus addatis & affectus compoſitos ex his:nam aliquando frangitur,& comminuitur in partes,& partes illæ comprimunt,vel pungunt membranam internam: Aliquando frangitur in partes ; ſed partes illæ oſſis non ita recedunt ex ſuo loco , & ita non valde comprimunt membranam:& huiuſmodi oſſis affectio vocatur hærentia,vel adhærentia oſſis membranæ;à Græcis autem vocatur ἐνέρεισμα idest inhærentia,& ἐκπίεσμα idest compreſſio: Aliquādo os frangitur,& partes oſſis recedunt ex ſuo loco;ſed non verſus interiorem membranā; at attolluntur verſus pericranium: & talis affectio dicitur à Græcis καμάρωσις, quaſi tu dixeris, concameratio, eò , quòd ex elatis partibus oſſis ſubtus remaneat fouea , veluti camera quædam. Accidit autem talis affectio, quando telum aliquod,pugio, verbi gratia, infigitur capiti,& hæret ita oſſi,vt nequeat extrahi,niſi violenta attractione. Vnde fit,vt,quando pugio auellitur,partes oſſis à pugione fractæ eleuentur. Hæ ſunt tres ſolutiones continui compoſitæ ex illis ſimplicibus ſupra dictis,quas patitur os capitis.

Herentia oſſis.

Concameratio.

Cæterum accidit,ſed rarò,quòd omnes affectiones,quas os capitis patitur veniant nobis in conſpectum,ſiue ſit contuſum,ſiue vulneratum,ſiue alio modo patiatur ; & non ſolùm cognoſcimus,quis affectus ſit,verùm etiam quantus ſit,& in quo loco: rarò tamen accidit vt certò poſſimus cognoſcere, qualis ſit oſſis affectio,quanta , & in qua parte. Si quod tamen vulnus eſt,quod requirat certam notitiam,& defatiget medicos, eſt certè vulnus oſſis, capi-

Raro accidit, vt poſſit cognoſci, quanta ſit oſſis affectio.

Digitized by Google

capitis,& præcipuè tunc defatigat,quando patitur os,& cutis eſt integra:Neque enim conuenit ſecare cutim,& ſeparare perioſtium ab oſſe,niſi ſcias, quòd os patitur: nam poſſes ſecare,& os nihil pateretur, & ſic magnus fuiſſet error cutim ſecuiſſe, & locum aperuiſſe: ſi contrà tu non ſeces, generabitur ſanies, quæ labetur ad membranam interiorem, & ſuccedet mors: Idcirco oportet aliqua coniectura, ſatis certa, cognoſcere, quando os patitur, & quando non. Hac de cauſa Medici omnes proponunt nobis quaſdam occaſiones,& locos, vnde poſſimus promere aliqua coniecturalia ſigna, quibus cognoſcamus affectus oſſis capitis:de quibus ſignis agendum nobis nunc eſt.

Signa coniecturalia circa os affectum.

Primò igitur accipiuntur ſigna à corpore contundente,vel feriente.
Secundò à loco,vnde venit ictus:
Tertiò à modo ictus.
Quartò ab agente,ſeu percutiente homine.
Quinto à parte capitis percuſſa:
Sextò à ſpatio læſionis,an ſcilicet læſio occupet magnum,vel paruum ſpatium.
Septimò à qualitate partium componentium.
Octauò à ſymptomatibus,quæ conſequuntur affectum ipſum:
Nonò à ſymptomatibus partium,quæ habent ſympathiam,& conſenſum cum cerebro & capite: ſunt enim quædam partes, quæ ita conſentiunt cum capite, vt, ipſo affecto,afficiantur.
Decimò,& vltimò ab ingenijs,vt ita dicam,quæ tentat chirurgus circa apertum vulnus. hæc ſunt loca,& occaſiones quæ ſubminiſtrant aliqua ſigna coniecturalia cognoſcēdi, fractumne ſit os,aut non,quantitatem fracturæ,vel contuſionis,& in qua parte os ſit fractum aut contuſum.

Decem ſigna.

Ad primum,quod erat corpus contundens, vel feriens, dicunt authores, quòd tria ſunt circa corpus ipſum percutiens obſeruanda,ſubſtantia,pondus,& figura, ex quibus obſeruatis colligunt,an os patiatur,& quantum, & in quo loco: Si enim corpus percutiens fuerit molle,indicatur,quòd os non patitur;ſi autem durum,vtique: & ſi fuerit corpus ponderoſum,& graue, ſignum eſt,quòd os erit maximè contuſum, ſeu fractum: ſique corpus illud fuerit retuſum,colligunt non poſſe eſſe vulneratum os ſed potius contuſum;contrà autem ſi fuerit acutum,& ſecans.

De primo ſigno.

Secunda occaſio erat,vnde venit ictus:nam obſeruandum eſt,an ictus venerit ab alto loco,vel ab æquali, vel à propinquo, vel à remoto, vel à latere:nam ictus,qui venit à loco remoto,eſt leuis;at ictus leuis non poteſt lædere os,vel parum lædit;ſi autem ictus veniat à loco ſuperiori,& propinquo,leuior eſt multò,quàm ſi venerit à ſuperiori,& remoto,quoniā brachium tametſi moueatur deorſum ſuo pondere, tamen in tam paruo ſpatio non poteſt acquirere magnum impetum. præterea muſculi mouentes brachium deorſum ſunt debiles.

Secundum ſignum,ſeu occaſio.

Tertium erat modus: nam aliquando caput percutitur à lapide, verbi gratia, per obliquum;aliquando per rectam lineam;& quando eſt per obliquum,ita vt non firmetur, ſed præterlabatur,&,vt vulgo dici ſolet, ſguitze, etiam ſi ſecta fuerit cutis, non poteſt eſſe magna læſio oſſis;contrà autem quando ictus venit per rectam lineam: ſi etiam telum intorrè lædat, vt ſolet fieri à ſagittis (nam circumuoluendo ſeſe & obliquè ueniunt) non poteſt eſſe uehemens ictus.

Tertium ſignum.

Quartum erat homo percutiens, in quo eſt obſeruandum, an, qui percuſſit, ſit corpore robuſto,muſculoſo,an debili,an exercitatus iacere tela,vel ſimilia,nec ne:& ſi noueritis aliquem fuiſſe percuſſum à robuſto homine, ſciatis, quòd ictus ſemper eſt magnus, etiam ſi percuſſerit ex longinquo ſpatio, & non dubiteris de hoc. Vnde his diebus vidi ego caſum notatu dignum. Ciuis quidam in hac Vrbe habebat puellam,quam obſeruauit ex feneſtra loquentem cum iuuene quodam,ipſe qui pater erat, interrogat filiam,quid ſibi cum iuuene illo eſſet,cumque puella non ita citò reſpondiſſet dedit illi alapam, & concuſſum, & depreſſum eſt os capitis in parte laterali:nam ciuis ille robuſtus valde eſt. itaque ſi illi,qui percuſſit,eſt validus,ſemper dicatis ictum fuiſſe magnum, & ideo os eſſe læſum: addatis maiorem ictum fuiſſe,ſi non ſolum homo percutiens ſit robuſtus,verum etiam exercitatus iacere telum, vt puta globulum plumbeum: nam exercitatus magis,& violentiùs iacit, quàm non exercitatus. Præterea obſeruandum illud, quod obſeruant Illuſtriſſimi, & Clariſſimi Domini noſtri Venetian,ſcilicet,ictus fuerit caſualis,an cogitatus: nam ictus,qui de induſtria fit,vehementior ſemper eſt, quàm qui caſu fit; tamen & qui caſu, poteſt eſſe magnus. Obſeruandum etiam circa idem caput,vel locum eſt,an ille,qui percuſſus eſt,ſit audax, vel timidus,& an quando eſt percuſſus,aufugiebat,an contendebat & dimicabatur: nam ictus, qui inter fugiendum fiunt,ſunt minores,quàm illi,quos æger recipit,dum audax reſiſtit hoſti,nec vult aufugere.

Quartum ſignum.

Caſus notatu dignus.

Quintum ſignum. Quintum erat pars percuſſa,& in hoc oportet callere,& optimè nouiſſe anatomen,vt cognoſcatur in qua parte os ſit magis munitum,& in qua minus,& vbi craſſum,& durum; & vbi tenue. Vnde, ſi percutiatur caput circa tempora, leuis etiam ictus poteſt os lædere, quia tenue admodum in illis partibus eſt: idem quoque dico de oſſe ſincipitis; contra autem in oſſe frontis, & occipitis. Obſeruandum quoque, an,qui percuſſus eſt,ſit puer, vel adultus:nam in pueris facilius læditur os,præcipuè in temporibus, & ſincipite: vnde ſi conciderent in tempora pueruli, ſicuti frequenter concidunt in occiput, & frontem, ſciatis, quòd frequenter haberent os capitis fractum.

Sextum ſignum. Sextum erat ſpatium percuſſionis: nam ſi ſit magna pars cutis capitis contuſa, adſitque nigredo,ſciatis,quòd rarò eſt,quod os non ſit paſſum: contrà autem,quando contuſio occupat paruum ſpatium.

Septimum ſignum. Septimum erat ab ijs, quæ adſunt partibus adiunctis: nam cutis in aliqua parte capitis eſt tenuis, in aliqua craſſa:ſi igitur percutiatur caput in parte poſteriori, cum inibi cutis ſit craſſa, non ita facilè patitur os,vt in aliis partibus: igitur & ab adiunctis colligetis,an os ſit percuſſum, nec ne: Et non ſolum hoc colligetis à cute ipſa adiuncta, verùm etiam ab extrinſecus adiunctis,vt ab indumentis,vt ſi æger quando ictus eſt,habebat in ea parte,qua eſt ictus:aliquod integmentum craſſum,non eſt ita timendum de percuſſo oſſe. Vnde ego his diebus,cùm haberem aliquem, qui exercebat artem conficiendi bireta, & accepiſſet ictum in capite,interrogaui,quid in capite haberet,quando ictus eſt, cumque intelligerem, quòd ipſe habebat biretum duplicatum,collegi os non eſſe percuſſum,& ita curaui contuſam cutim,& apertam etiam aliqualiter,ſicuti curatur contuſio,& res feliciter ſucceſſit.

Octauum ſignum. Octauum erant ſymptomata conſequentia læſionem capitis, & oſſis,inter quæ eſt ſtrepitus,qui editur ex percuſſione. Si itaque vel æger,vel aſtantes dicant quòd caput ex ictu ſonauit,vt ſolet cucurbita ſicca,quando percutitur,colligatis quaſi certò,paſſum eſſe os,& rariſſimè accidit,quin os ſit fractum, vel contuſum, quando percipitur talis ſtrepitus ex percuſſione. Aliud ſymptoma eſt dolor circa cranium,& partes internas:quando igitur audiueritis,quòd ęger percipit talem dolorem,colligatis os eſſe vel contuſum,vel fractum:nam dolor fit vel quia os comprimit partes internas; vel quia aliquando fruſtum oſſis pungit membranam. Addit etiam Hippocrates quædam ſymptomata, ex quibus habentur potius ſigna ictus magni, vel parui, quàm quòd os ſit paſſum nec ne: tamen & ex ictu poſtea magno,vel paruo colligetis aliquam coniecturam,an os fuerit læſum, nec ne: Vnum igitur ſymptoma eſt,ſi æger ex ictu concidat in terram,colligit os pati: ſimiliter, ſi, dum percutitur,deficiant ſibi facultates animæ,vel ſi caligent oculi, vel accidat vertigo: ex his omnibus colligit Hippocrates os pati. Sed hæc, vt dixi, indicant potius vehementiam ictus. Celſus addit, quod ſi æger obmuteſcat ex ictu, etiam ſi dimiceiut,vel ambulet, colligit os pati,quia affectio communicata eſt etiam principio neruorum deuenientium ad linguam. Addit ſecundo indicari os pati,ſi ſanguis ex palato, vel auribus, &c.egreditur ex ictu: nam hoc fit,quia laceratum eſt vas aliquod in partibus illis internis,ratione magnę contuſionis. Verùm hæc ſymptomata non ſunt ſigna affectionis oſſis, ſed potius partium internarum, & magni ictus; non ob id tamen Hippocrates eſt accuſandus,quia ipſe habuit ſemper pro ſcopo, vt cognoſceret vehementiam ictus, quod cognoſcitur ex affectibus partium internarum.

Nonum ſignum. Nonum erant ſymptomata partium illarum, quæ habent ſympathiam cum capite. Si itaque videritis, quod poſt ictum æger euomat, & vomitus non proueniat ratione magnæ debilitatis ſtomachi, colligatis affectas eſſe partes capitis internas, & inde affectum eſſe os inferetis;non tamen ſignum hoc eſt perpetuum:nam vidi ego aliquot ex ictu recepto in capite euomuiſſe,& mortuos tandem eſſe;& cum diſſecuiſſem,nullum reperi affectum oſſis: & inter cæteros vidi vnum,qui ex alapa recepta incidit ſtatim in vomitum,& mortuus tandem eſt,nullaque oſſis affectio eſt reperta. Ex his igitur locis poteritis habere aliqua ſigna; quibus cognoſcatis, an os ſit affectum, nec ne. ſciatis tamen, quod omnia hæc ſigna ſunt coniecturalia.

Decimum ſignum. Modi recentiorum. Decimum, & vltimum eſt, quòd continet modos, & ingenia,quibus Recentiores chirurgi vtuntur ad cognoſcendum, an os patiatur nec ne: dixi Recentiores, quoniam apud antiquos nullam reperietis factam mentionem de modis illis. Primus autem modus eſt talis: Mandant Recentiores,vt æger arriplat funem dentibus,& ſtringat,comprimatque; ipſi deinde accipiunt manu alterum caput funis.& trahunt validè;cumque funem tenſam eſſe vident,virga percutiunt funem ipſam,& ſi ex tali percuſſione percipiant ſtridorem aliquem dentium,tunc dubitant de caluaria ipſa fracta,vel contuſa:& ratio eſt,inquiunt.quia maxilla ſuperior optimè hæret caluariæ;ideo fit, vt cum oſſa caluariæ fracta ſunt, excitetur ſtridor ille.

Alij faciunt quidem experimentum cum fune, ſed alio modo: mandant enim, vt æger arripiat

arripiat alterum caput funis dentibus, deinde ipſi accipiunt caput alterum, & attrahũt ter quaterve, & ſi ex tali attractione caput doleat aliqua in parte, colligunt inibi os eſſe læſum, vbi dolor excitatur. Tertiò accipiunt nodum paleæ, ideſt, ex caule triticeo, & dicunt ægro, vt mandat, & comprimat ſub dentibus nodum illum; vel loco nodi accipiunt nucem iuglandem, vel aliquod ex organis chirurgicis: & ſi ad maſticationem, & compreſſionem doleat aliqua in parte caput, colligunt inibi eſſe affectum os. Vltimò accipiunt virgam, & integra exiſtente cute capitis percutiunt virga, & ſatis validè caput, & ſi edat ſonum raucum, & veluti cucurbitæ fractæ aliqua in parte, aſſerunt inibi os pati, vel contuſionem, vel rimam, vel contuſionem. & depreſſionem.

Hæc ſunt experimenta Recentiorum, quorum quædam poſſunt quidem indicare cutim contuſam in aliqua parte capitis; ſed non os contuſum, vel fractum, vt ſi contuſio ſit facta circa muſculos temporales, vtique dolor excitabitur ex compreſſione alicuius corporis ſub dentibus: at ſi contuſio ſit in partibus ſuperioribus capitis, non fiet dolor. Ideo experimenta hæc leuia admodum ſunt; tamen quia reperiuntur apud auctores, & accipiuntur ab omnibus; idcirco volui & ego ea vobis proponere, vt poſſitis etiam, ſi volueritis, reuocare in vſum.

Signa quãdo os patitur integra non exiſtente cute.

Viſis ſignis, quæ ducunt nos in aliquam notitiam oſſis læſi, cute exiſtente integra, iam deueniendum eſt ad aliqua ſigna certa ducentia nos in notitiam, quando os patitur, integra non exiſtente cuti: & quia ſigna hæc dicenda colliguntur ex ſenſu, ideo certa ſunt: & omiſſo, quòd oculis poſſimus cognoſcere, an os patiatur nec ne, venio ad alia, quæ idem nobis certò indicant: & primum eſt ſpecillum, quod eſt veluti manus mortua chirurgi, & proba vocatur ab iſtis, eò, quòd probet, an affectus adſit nec ne. Verùm circa ſpecillum notandum eſt ex Celſo in octauo lib. cap. quarto quòd non quodlibet ſpecillum eſt opportunum ad inueſtigandum, an in oſſe adſit rima, vel contuſio: ſi enim ſpecillum ſit valde acutum, non eſt idoneum, quia, cùm os capitis habeat quoſdam poros, & meatus naturales, fiet hoc, quòd ingredietur meatus illos, & ſic referet rimam naturalem, pro non naturali: & ideo non debet eſſe admodum acuta acie. Nec debet eſſe nimis obtuſum: alioqui capillares, & tenues rimas non ingrederetur. Sit itaque mediocre ſpecillum, aut ex argento, aut ex ferro, aliave materia ſit, nihil refert. Iniiciatis igitur mediocre hoc ſpecillum in vulnus, & ſi inueneritis aliquot rimas, vel puncta exaſperationes, colligatis os eſſe fractum.

Primum ſignum. Specillum.

Secundum ſignum.

Secundò, ſi vulnus apertum ſit, poteritis hoc modo inquirere: Mandate ægro, vt digitis comprimat ſibi nares, & faciat, ne flatus egrediatur, at contineat flatum valde, & tentet efflare, tunc, ſi fractum erit os, videbitis guttulam ſanguinis, vel cuiuſdam humoris emanantem per occultam rimam: & hoc eſt certiſſimum ſignum; non tamen ſemper apparet gutta illa: at cum apparet ſignum eſt veriſſimum. Sed notate, quòd ſi vulnus oſſis, ideſt, rima occulta, perueniat uſque ad membranam internam, ſat erit vna, uel altera retentio, & compreſſio flatus; ſed ſi rima deueniat uſque ad meditullium tantum, plures requiruntur: quia non ſolum requiritur, ſi debeat reſudare ſanguis, ut turgeat dura mater, uerum etiam venæ illæ, quæ ſunt diſperſæ per metullium.

Tertiũ ſignum, & vltimum.

Vltimò, quando ignoramus, an adſit rima, ſolemus ſequi experimentum Hippocraticum, ut accipiamus atramentum ſcriptorum antiquorum factum ex fuligine: uel noſtrate ex chalcanto, &, imbuto linteolo, ponimus ſupra os detectum, & inibi relinquimus uſque ad alteram diem: & ſi aderit rima, atramentum penetrabit per ipſam, & ita altera die. quando detegis, reperies lineam nigram, ſi autem os non ſit fractum, erit denigrata tantum ſuperficies oſſis, & ſi abradas; nihil nigri remanebit; ſed ſi rima adſit, etiam ſi abradas, remanebit linea nigra, & hoc experimento utor ego, & certiſſimum eſt.

Signa quædã Recẽtiorũ, ſed vana.

Recentiores utuntur & alio: capiunt maſtichem, & diſſoluunt cum albo oui, & facta ueluti paſta, ſuperimponunt oſſi, quod timent eſſe fractum, & relinquunt uſque ad alteram diem, & cum accedunt, dicunt, quòd ſi aliqua in parte medicamentum erit redditum ſiccius, ſignum erit, quòd inibi eſt rima, quoniam ſiccatur medicamentum in ea parte rõne uaporũ exeũtium per rimam: aliquando uſus ſum ego hoc experimento in oſſe, quod ſciebam eſſe fractum, ut experirer, an hoc eſſet uerum, & nunquam potui aſſequi ariditatem aliquam in una parte medicamenti maiorem, quàm in alia. Solent & aliud experimentum facere, quando cutis integra eſt: capiunt medicamentum, quod iam dicam, obliniunt, extenduntve ſupra linteum, & ponunt ſupra caput totum, abraſis capillis, & relinquunt per noctem, & dicunt, quòd ſi os erit fractum, medicamentum in ea parte erit depreſſius (quia & os fractum depreſſum eſt) erit etiam ſiccius: Medicamentum autem eſt: Capiunt Thus, Ceram, Ladanum vniuſcuiuſque vncias tres; & hęc colligunt Albo oui. Alij accipiunt medicamentum, quod iam dicam, & facta paſta, faciunt veluti ſcuffiam ex paſta illa, & toti capiti abraſo imponunt, relinquuntque totam noctem,

& di-

Digitized by Google

& dicunt, quòd vbi medicamentum altera die, quando aufertur, erit perforatum, inibi erit os fractum: nam perforatio fit à vapore, & ſpiritu egrediente per rimam. Medicamentum autem eſt hoc: capiunt Ceram, Ladanum, ana ad lib. tres, Terebinthinæ, farinæ Fabarum, Aceti ana lib. s. Diſſoluantur in aceto ad ignem, & miſceantur, poſtea emolliatur medicamentum manibus. Ego nunquam ſum auſus vti hoc medicamento, quia ponderoſum nimis eſſet; nec video, quomodo poſſet perforari medicamentum, cùm ſit ſatis craſſum. Alio autem medicamento nuper dicto uſus ſum; ſed nunquam reperi aliquam ariditatem in medicamento, etiam ſi os eſſet fractum; & ſi medicamentum aliqua in parte ſiccum reperiretur, colligerem potius inibi contuſam eſſe cutim, quàm os fractum. Quare vana ſunt hæc experimenta; volui tamen ea in medium afferre, ne quicquam tractationi huic deeſſet.

Cognita fractura in oſſe, quid agendum. De Præſagio. Caſus mirabilis.

Cognita fractura in oſſe, quid agendum eſt? Dico, quòd cum vulnera capitis, in quibus oſſa patiuntur, ſint periculoſa, antè quam manum vulneri apponatis, ſemper præſagiendum eſt, quæ poſſint ſuccedere: Nam vidi ego mira in his vulneribus, & inter cætera vidi Florentiæ quendam, qui acceperat vulnus in capite, & iam ſanatus fuerat, & quadrageſimum prætererat diem, quòd modo exierat, vulnere iam conſolidato; & tamen concidit ruri mortuus ex illo vulnere. Vidi & alios mortuos vigeſima quinta die, & multos alios caſus, quos omittam. Quare cauti eſtote in præſagiendo ea omnia, quæ poſſunt ſuccedere, & ante quam perferatis iudicium, ruminate prius omnia diligentiſſimè, nec præſagiatis, vt iſti faciunt, omnia vulnera capitis eſſe mortalia, ſed periculoſa. Quando igitur videritis os eſſe fractum, vel ſectum, vel depreſſum, non dicatis ſemper vulnus eſſe mortale; ſed periculoſum, & periculoſum non ratione ſolutionis continui; ſed ratione eorum, quæ poſſent ſuccedere. Nam ſi apertum ſit vulnus, oportet os abradere: hoc autem non poteſt fieri, niſi vulnus ſter detectum: & ideo refrigerantur partes illæ: ex qua refrigeratione ſequuntur poſtea multa incommoda. Si autem non abradas os, generatur ſanies, quæ penetrans ad membranas interiores eſt ſæpe cauſa mortis. Præterea in vulneribus, vbi os patitur, ſolet, teſte Hippocrate, vt plurimum ſuccedere eryſipelas, quod lethale frequentius eſſe ſolet. Quare cum videritis os eſſe fractum, pronunciate ſemper vulnus eſſe periculoſum; non tamen mortale.

Vulnus eſſe lethale.

Sed ſi prima, aut ſecunda die videritis labra eſſe exilia, nigraque, & corpus eſſe cacochymum, & adeſſe vigilias intenſiſſimas, ex his colligatis eſſe lethale: nam vt plurimum, cum hæc adſunt, ſolent vulnera eſſe lethalia. Addunt recentiores lotium turbulentum, & pulſus immutatos: Ego autem obſeruaui paruam immutationem virinæ, & pulſus fieri ex vulneribus capitis. Sed aliud obſeruo, & quidem magni momenti, & dignum certè ſcitu, licet iſtius Gymnaſij Excellentiſſimi Medici non credant verum eſſe hoc, quod ego obſeruaui, & vobis referam: tamen Deus teſtis eſt, an mentiar, nec ne: quod igitur obſeruaui ſæpe, eſt, quòd in vulneribus capitis dies critici potius poſtponunt per unam diem, quàm anticipent per unam horam; in alijs autem affectibus potius anticipant: quod etiam obſeruo in inflammationibus capitis: nam ſi inflammationibus capitis, ſi criſis non fiat quarta die, fiet ſeptima; & ſi non ſeptima, adhuc non eris tutus, quia criticus dies poſtponit, & ideo poterit fieri octaua. At in alijs partibus non ita, nam criſis ſi non fiat ſeptima, eris tutus; at in vulneribus capitis non ſumus tuti vſque ad decimamquartam hyeme, & æſtate uſque ad undecimam; in alijs autem morbis æſtate criſis protrahitur uſque ad ſeptimam, hyeme autem uſque ad undecimam. Et in uulneribus capitis uidi aliquot non eſſe mortuos uigeſima die, ſed vigeſima prima, aut vigeſima ſecunda. Vnde colligo criticos dies in vulneribus capitis poſtponere; in alijs autem potius anticipare. Iam ergo habetis quibus ſignis cognoſcatur an adſit oſſis ſolutio, qualis ſit, quanta, quove in loco, & quid præſagiendum ſit in vulneribus capitis cum fractura.

Obſeruatio digna ſcitu. Dies criticos poſtponere per vnam diem.

De curatione.

Nunc deueniendum eſt ad curationem, quæ habet eadem capita communia obſeruanda, quæ & curatio aliorum affectuum: & primò illud, quod continet ſub ſe res non naturales: quoniam licet ab extrinſecis non ſumatur indicatio curatiua, tamen habent magnam vim immutandi ea, quæ intrinſeca ſunt: Inter res autem non naturales primum, quod nobis occurrit agendum, & obſeruandum, eſt victus ratio, quæ debet inſtitui primò ſtatim ingreſſu, quando vulneris curationem ſuſcipitis: & licet de ratione victus non fuerim ſollicitus in curatione ſimplicis vulneris capitis, tamen in vulneribus capitis magni eſt facienda, in uulneribus dico capitis, ubi os eſt uel fractum uel contuſum.

Victus ratio.

Victus ergo debet eſſe tenuis, non tamen attenuans in qualitatibus, quoniam eſſet calefaciens, & ſic obeſſet, quia attenuando humores generaret plures ſpiritus, & uapores, qui petentes caput excitarent inflammationem: debet igitur uictus eſſe tenuis ita, ut æger parum comedat: & qualitas ciborum debet eſſe frigida, ne attollantur uapores ad caput, & fiat inflammatio. Vnde omnes exhibent cibos ſimpliciſſimos, qualis eſt panis decoctus

Digitized by Google

ctus in ſimplici iure pulli gallinacei iuuenis, & ſimilia: comedat rarò oua, rarò carnem, & ſimilia primis ſaltem tribus diebus, dum timor imminet de inflammatione; panis autem optimè coctus, & paratus exhibetur; Vinum prorſus interdicimus, quoniam uaporoſum eſt, & petens caput, etiam ſi eſſet ex genere uinorum frigidorum: quare ab ipſo abſtinendum, dummodo uires non obſtent: nam ſi virtus debilis eſſet, tunc non ſitis obſtinati, vt quidam ſunt, vt non velitis dare vinum; immò neceſſario eſt dandum, aliter vires concident; ſit tamen uinum auſterum, frigidumque; & ſtatim, poſt potum vini, exhibeatis aliquod aſtringens, quod ſupprimat uapores uini, ne petant caput, cuiuſmodi eſt ſaccharum roſaceum, diacitonite, conditum ex uiolis, & ſimilia, & exhibeatur etiam aliqua potio mane, & ueſperi. In aurora autem exhibenda eſt aliqua illarum potionum, quas ſyrupos uocamus, ut faciendo potionem ex ſyrupo roſaceo recenti, ex ſyrupo de roſis ſiccis, ex ſyrupo de endiuia, & ſimilibus refrigerantibus, & roborantibus. Exhibemus etiam aliquando decoctum ex hordeo, endiuia, & ſimilibus. Et (ut uno uerbo dicam) ſemper his ſcopus eſt ante oculos habendus, ut prohibeamus generationem inflammationis.

Motus, & quies.

Succedit iam motus, & quies, in quo notate, quòd motus partium internarum, externarumque, vt brachiorum, & crurium conueniret, quoniam attraheret humores à capite ad partes inferiores; ſed quia ex motu internarum partium agitantur ſpiritus ſuperiores, & calefiunt; idcirco in vulneribus capitis mandamus quietem, quieſcat ergo in lecto, capite aliqualiter erecto: & ſtratum ſit molle, lumen in thalamo ſit tantum, vt æger poſſit cernere, & diſcernere eos, qui accedunt: & ita thalamus debet eſſe ſuboſcurus, non autem luminoſus, quoniam lumen agitat, calefacitque ſpiritus; non tamen faciatis, vt æger maneat prorſus in obſcuro, cæcoque aere, vt quidam faciunt: nam obeſt. Ad hoc facit & illud, quòd non eſt opus viſitatione multorum, nec longis ſermonibus: Et abigantur animi moleſtiæ.

Ambiens.

Aer craſſus in vulneribus capitis ſemper bonus.

Ambientis maxima eſt habenda ratio, in quo tria ſunt obſeruanda, craſſities, ſcilicet, ipſius aeris; qualitas calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca; tertiò malignitas, ideſt, quædam mala qualitas, & contraria vulneribus capitis. Circa craſſitiem autem debetis ſcire, quòd aer craſſus in vulneribus capitis ſemper eſt bonus, quoniam non facile penetrat, & ita non communicat ſuam qualitatem frigidam, vel calidam, ſi talis ſit, partibus intrinſecis, vt membranis, & cerebro: Et ideo videbitis, quòd in Ciuitatibus illis, vbi craſſus eſt aer, vulnera capitis maxima citò, & facilè ſanabuntur: & ego vidi certè mira tum Piſis, tum Ferrariæ: addatis & aerem Venetum: nam & Venetiis vidi ſanata magna capitis vulnera, etiam ſi adhibitum fuerit purum oleum roſaceum à principio vſque ad finem, quæ curandi ratio mala, vt noſtis, eſt. Curate igitur, quantum fieri poteſt, vt aer ſit craſſus, quia tenuis penetrat facilè, & refrigerat partes internas: Vnde videbitis, quòd in Ciuitatibus illis, vbi aer ſubtilis eſt, ſunt valde periculoſa, etiam ſi ſuperficialia ſint, vt potuiſtis obſeruare de aere Vincentino, addatis Bononienſem, Florentinum, &c. in quibus locis vix pungitur os capitis, quòd ſuccedit mors. Et ideo laudo, quòd ſi quis eſſet in aere tenui, vt vehatur ad alium locum, vbi aer ſit craſſus, ſi non valde diſtet. Qualitas ſecundo loco valida, vel frigida aeris eſt obſeruanda, & præcipuè frigida, quoniam Hippocrates in quinto aphor. 18. inquit, quòd frigus præcipuè offendit cerebrum, & facit inflammationes omnium illarum partium: quam ſententiam confirmant omnes: Quod cum audierint chirurgi iſti, ſtatim nulla adhibita nec norma, nec diligentia in dignoſcendo, qualis aer ſit, calidus an frigidus, qualiſcunque fuerit, applicant ſummè calefacientes pannos capiti, & ita imponunt ſtupam, lintea, biretum ex pellicio, & tot alia, vt caput ſudet: Vnde non mirum, ſi ſæpe ſuccedat inflammatio: & certe errant: nam deberent diſcurrere, & inſpicere, an aer calidus ſit, nec ne, & ſi hyems eſſet, & maximum frigus, dubio procul & nos ſolemus tenere ignem accenſum in thalamo, vti carbonibus, dum vulnus tractamus, vt calefaciamus lintea, & continuo ſuperimpouamus vulneri, paramus tentoria (quæ padiglioni vocant vulgo) aliquando ex panno, aliquando duplicata apponimus, & circundamus lectum, & ægrum, ne frigidus aer ingrediatur, & multa alia facimus, quæ æſtiuo tempore nullo modo conueniunt. Quare oportet dignoſcere, qualis ſit aer. Solent præterea iſti calefactam teſtam capiti applicare, & non ſolum inflammant caput ægri; verùm etiam illius, qui teſtam in manu habet: & ideo nunquam mihi placuit, nec vnquam placebit vſus huiuſmodi teſtæ, & neſcio vnde habuerit ortum. Calefaciendum eſt itaque caput pro ratione ambientis magis, vel minus calidi exiſtentis. De inimicitia autem illa occulta, quam dicunt aerem habere cum vulneribus capitis, equidèm nunquam credidi eſſe verum: & quando dicunt, quòd aer, verbi gratia, Bononienſis eſt inimiciſſimus, ego dico, quòd ſi loquamur de illis, qui orti, & educati ſunt in illo aere, non video, quomodo poſſit habere talem inimicitiam: nam & ſpiritus geniti, & nutriti ſunt ab illo aere: quomodo igitur aer, qui antea generauit, & nutriuit ſpiritus, uerbi gratia, Socratis, eſt factus

Frigus offendit cerebrum.

ipſi

ipſi inimicus? ſed ſi quis altus ſit in aere craſſo, & vulneretur, maneatque ſub aere tenui, non dubium eſt, quòd aer ille offendit; ſed non ratione immutatæ naturæ; at propter tenuitatem; non quòd adſit natura inimica vulneribus capitis. At vultis ſcire, vbi nam eſt inimicitia? ſciatis, quòd eſt in ijs, qui medentur: nam ars hæc nunc exercetur tantum à nebulonibus, & pauci ſunt qui artem calleant: At ſi vulnera ſub aere etiam tenuiſſimo rectè tractentur, profectò ſanantur, & ego infinita experimenta iam vidi, & inter cætera vnum Florentiæ in quodam gerulo, qui ex ſcala admodum alta conciderat in caput, & fractum eſt totum ferè os in ſincipite, ita, vt extraxerim omnia fere oſſa ſincipitis; attamen ſanaui ipſum, exiſtente etiam tempeſtate frigida. Dico igitur, quòd aer non habet inimicitiam occultam cum vulneribus capitis; ſed lædit ſua tenuitate, ſi talis ſit; tamen, ſi ſub aere etiam tenui vulnera capitis rectè tractentur, ſanantur, & non ſunt omnia mortalia, ſeu periculoſa, vt iſti dicunt.

Somnus, et vigilia. *Animi paſsiones.*

Somnus & vigilia moderata ſint. Animi paſſionum magna, quoque habenda eſt cura: Vnde animaduertendum, quòd ſæpe accidit, vt ſint aliqui ita temerarij, qui inimici quamuis ſint ægro, tamen cum medicis thalamum ingrediuntur, vt inſpiciant vulnera, & maximè aliquando obeſt. pauci igitur admittantur, & ij ſint amici, & qui poſſint delectare; non autem affligere animum ægri.

Vacuatio, & repletio.

Succedit iam vacuatio, & repletio, & notate, quòd de euacuationibus lenibus, vt de clyſteri aliquo leni inijciendo, ſi aluus non lubrica ſit, & conſimili, nemo eſt, qui dicat, quòd non conueniunt; ſed lis eſt de euacuatione magna, quæ duobus modis fit: vno quidem ſectione venæ; altero per pharmacum purgans: de quibus duobus non eſt ita certum, quid ſit agendum. Dicunt tamen aliqui de ſectione venæ, quòd non conuenit in vulneribus capitis primò, quia intentio eſt conglutinare, vel carnem gignere. Secundò, quia inquit Hippocrates, quòd caput non facilè corripitur inflammatione, quia cum ſit in alto ſitum, non fluunt facilè ad ipſum humores. Sed dices: in vulneribus capitis ſunt detegenda oſſa, abradenda, auferenda, abradendæ aliquando membranæ, & ſimilia agenda, quæ omnia non poſſunt fieri ſine maximo dolore; ideo ſi adſit copia ſanguinis, attrahetur ratione doloris, & ſic fiet inflammatio. Dico ad hoc, quod ſi chirurgus calleat artem, ſitque ingenioſus, omnia fient ſine magno dolore: & ideo obiectio non cogit, quòd ſecanda ſit vena, etiam ſi vulnera capitis ſint magnus morbus, vt ait Galenus quarto meth. & magnus morbus indicet ſectionem venæ: nam ſectio venæ obeſſet agglutinationi, & generationi carnis. Alij, qui praxim exercent, omnes ſecant venam, nec ob id peccant; &, ſi peccant, ſolum peccant, quia neſciunt, quid agunt, & ſtolidi etiam benè agunt, vt fertur: nam, licet ſecent venam, & ſit bonum, tamen, ſi petatis ab ipſis cur id faciant, & quare conferat venæ ſectio, neſciunt reſpondere. Dico igitur ego, quòd licet ratione affectus præſentis non ſit ſecanda vena; tamen eſt ſecanda ratione ſucceſſuri. Nam ſi aer ſit frigidus, oportet vti calorificis, quæ faciunt ad attractionem. Præterea ſæpe oportet comprimere os, quod, licet non ſentiat, tamen excitat dolorem in alijs partibus ita, vt impoſſibile ferè ſit tractare vulnus, vbi patitur os, & facere, quin excitetur dolor, & ita, tùm ratione calefacientium, tùm doloris, fieri facilè poteſt inflammatio: & ideo, ne ſuccedat, ſecanda eſt vena: & quando aderit dolor, etiam ſi lenis ſit, ſemper aperienda eſt vena.

Nũ ſectio venæ conueniat. *Vena eſt ſecãda ratione futuri.*

Quæ vena ſecanda.

Vena autem, quæ ſecari debet, eſt capitalis, vel communis, nigra ab iſtis appellata, Secanda igitur eſt vena, & hoc facietis de mente Galeni in ſecundo de compoſitione medic. per loca cap. primo, & ſecundo, vbi apertè dicit, quòd in vulneribus capitis ſecanda eſt vena, & ſubiungit, quòd ſi virtus, & ætas non conſentiant, poterimus ipſam omittere; ſed quòd debemus vti clyſteribus acribus, & aliquando compreſſionibus partium extremarum. Colligo igitur in omni vulnere capitis alicuius momenti ſecandam eſſe venam; non tamen ſtatim in principio, ſed prius lenita aluo, niſi adſit maximus dolor, nam in eo caſu ſtatim erit ſecanda; ſed ſi hoc non ſit, leniatis primò aluum cum clyſteri aliquo leni, vel exhibeatis per os aliquod lene medicamentum.

De quantitate autem ſanguinis extrahenda conſiderate corpus, & ſanguinis abundantiam: & ſi adſit ſanguinis abundantia, extrahatis multum ſanguinis; ſi parua abundantia, paucum.

Si vena nõ poſſit ſecari. *Nũ conueniat medicamentum purgans.* *Aliqui dicunt nõ exhibendum, & quando.*

At quando in vulneribus capitis non poſſumus venam ſecare, aut propter ætatem, aut ob uirtutem imbecillam, opus eſt humores retrahere, quod poteſt fieri clyſteribus, uinculis, ſcarificationibus, & ſimilibus. Quæ quia aliquando ſunt debilia, idcirco oportet deuenire ad exhibitionem pharmaci. In qua re lis eſt inter auctores, nam quidam dicunt nunquam in vulneribus capitis conuenire medicamentum purgans, & ideo ipſi nũquam exhibent. Mouentur autem auctoritatibus, & rationibus: & prima authoritas eſt Guidonis, qui fuit in re chirurgica veluti alter Hippocrates. Guido igitur monet in vulneribus capitis leniendam eſſe aluum cum clyſteribus, non autem dicit, quòd exhibendum ſit medica-

dica-

dicamentum purgans. Quæ ſententia poſtea eſt accepta, & confirmata à Ioanne de Vigo, & multis alijs. Secundo auctoritas eſt Celſi, qui in octauo lib. cap. quarto loquens de curatione vulnerum capitis nullam facit mentionem de medicamẽto purgante, etiam ſi omnia alia, quæ ad curationem attinent, proponat: Signum eſt igitur, quòd ipſe non vult, vt exhibeatur ſoluens medicamentum. Tertia eſt authoritas Galeni in ſecundo de medic. ſecundum loca, vbi tantum abeſt, vt proponat in vulneribus exhibendum eſſe medicamentum purgans, vt potius vix mentionem faciat de leui clyſteri: ergo ſignum eſt, quòd ex instituto omiſit purgans medicamentum: nam ſi vidiſſet ipſe neceſſarium eſſe medicamentum purgans, non omiſiſſet ipſum, quia fuit admodum diligens. Addunt rationes. Nam purgans medicamentum non indicatur à vulnere capitis; ergo non eſt exhibendũ. Secũdò, caput facilè affligitur à malis medicamẽtis; at medicamenta purgantia oĩa habẽt aliquid mali in ſe. Et licet Hippocrates videatur cõcedere purgans medicamentũ in vulneribus capitis: tamen ipſi ſoluunt, quòd homines illius temporis erant robuſtiores, quàm corpora noſtri temporis, vt etiam teſtatur Galenus. Nam ob deſidiam & malam victus rationem corrumpitur robur in noſtris corporibus. Licet igitur Hippocrates exhiberet pharmaca; non ob id dicendum eſt, quòd & nunc ſint in vulneribus capitis exhibenda: quia corpora nunc non ſunt ita robuſta, vt antiquitùs erant: & ita concludunt in vulneribus capitis nunquam exhibendum eſſe pharmacum.

Alij in oppoſitum ſemper exhibent, & aliquando cum felici ſucceſſu, aliquando non: & dicunt, ſemper eſſe exhibendum auctoritate primò Hippocratis, qui in vulneribus capitis exhibet medicamentum ſatis forte, quod educat bilem, quando ſcilicet eſt neceſſitas; & locus eſt in lib. de vulneribus capitis. Præterea, Paulus dicit exhibendum eſſe pharmacum: idem & Auicenna in quarto lib. vbi agit de fractura caluariæ: exhibet enim medicamentum validum. Nec valet expoſitio Gentilis, qui dicit, quòd Auicenna exhibet medicamentum, quod ſemel tantum purgat, non valet, inquam, quoniam Auicenna in alio loco, vbi agit de dolore capitis ex plaga, exhibet pilulas cocchias & ſiue ſint Raſis, ſiue Galeni, certum eſt, quòd ſunt medicamentum validum, & purgant plus, quàm vna vice tantum. Iacobus poſtea de Partibus optimus expoſitor Gentilis, & alij etiam pilulas fætidas, benedictam, & ſimilia medicamenta. Habet & hæc ſecta rationes pro ſe. Nam ſi cum vulnere adſit inflammatio, certum eſt, quòd oportet euacuare materiam bilioſam; quod ſi non poſſimus facere per ſectionem venæ ob aliquod impedimentum, non eſt ob id relinquenda illa materia; idcirco neceſſariò indicatur exhibitio pharmaci: & quamuis medicamenta illa ſint calida, tamen, cum non remaneant in corpore, ſed excernantur, nõ poſſunt admodum calefacere. Præterea, maius eſt iuuamentum, quod inſequitur ratione euacuationis, quàm nocumentum ratione calefactionis. Nec exhibemus purgantia medicamenta, inquiunt iſti, vt agglutinetur vulnus, gignaturque caro, ſed vt prohibeatur inflammatio. Hæ ſunt rationes, & authoritates vtriuſque ſectæ, quæ dubiam reddunt exhibitionem pharmaci.

Aliqui dicunt exhibendum, et quando.

Sed ſolutio, & explicatio ab hac difficultate mihi videtur facilis ſi methodum rectam ſequi velimus: quæ methodus indicat, vt, ſi cum vulnere ſit coniunctus dolor, mitigemus ipſum, vel auferamus cauſam ipſius: ſi adſit intemperies, vt ipſam remoueamus: ſique cum intemperie ſit materia, vt eam euacuemus: ſi aliquod os pungat membranam, vt illud auferamus; ſi os dimotum è ſua ſede ſit, vt in priſtinum locum redigamus: & indicat etiam, vt ſemper incumbamus illi, quod magis vrget. His ſtantibus, dico, quòd ſi inflammatio immineat, vel ex parte facta ſit, opus eſt imminuere materiam, vel ſaltem ipſam retrahere ad alias partes; ſique imminutio non poſſet fieri ſectione venæ, nec clyſteri, cum clyſteria non poſſint id præſtare, neceſſe eſt deuenire ad exhibitionem pharmaci, quoniam neceſſitas vrget. Dico igitur, quòd, quando adeſt neceſſitas (quod cognoueritis ex proprijs ſignis, nam videbitis materiam eſſe in motu, & imminere inflammationem, vel factam ex parte eſſe) exhibendum eſt pharmacum, at ſi neceſſitas non vrgeat, non eſt exhibendum, quoniam medicamenta exagitant ſpiritus, & ſic calefaciunt. Itaque non conuenit pharmaci exhibitio, niſi quando timemus aliquod ſuperuenturum, & ſic intellexit Paulus, & Auicenna, & Hippocrates.

Sententia propria auctoris.

Ad Galenum autem dico, quòd fugit ſectionem venæ, quia virtus non conſtabat, & eadem de cauſa non dedit pharmacum, quoniam, ſicut in ſectione venæ requiritur virtutis fortitudo, ita etiam requiritur in exhibitione pharmaci. Cum itaque videret ſe non poſſe nec hoc, nec illud adminiſtrare, monuit, vt vteremini clyſtere. Ad Celſum autem dico, quòd ipſe non tradit vniuerſalem curationem vulnerum capitis; ſed manualem tantum, id eſt, quæ pertinet ſolùm ad chirurgum. Quoties ergo videritis imminere inflammationem, vel aliqua ex parte factam in vulneribus capitis, ſemper exhibeatis pharmacum; ſed eligatis, quoad fieri poteſt, leniſſima medicamenta, & fugiatis ſcammonium, colocynthidem,

&

& ſimilia,& vtamini vel manna, vel thamarindis, vel flore caſſiæ, vel ſyrupo roſ.ſolutiuo, vel electuario lenitiuo,& ſimilibus:hæc enim euacuabunt bilem,cuius euacuatione maximè indigemus in vulneribus capitis,& refrigerabunt: Quod ſi habueritis præ manibus corpus aliquod, in quo hæc medicamenta debilia ſint, poteritis aſcendere vſque ad electuarium de ſucco roſarum,diaprunum ſolutiuum,& ſi velitis,admiſceatis aliquid rhabarbari. Hæc de purgatione.

Lenitio alui.

Sed de lenitione alui quid dicendum? Sequamini mores huius ſcholæ,vt ſtatim leniatis aluum,quo euacuentur cruditates ventriculi ab inteſtinis,& à primis venis,ne ab illis excrementis attollantur vapores ad caput. Vnde flos caſſiæ mihi ſummè placet, quoniam habet ratione cuiuſdam humiditatis vapores quoſdam, qui ad caput elati poſſunt & ſomnum conciliare,& feruorem capitis remittere:& hæc de ſex rebus non naturalibus ſint ſatis.

Capitis vulnera quatuor modis ſolent tractari à Medicis.

Antequam autẽ imponatis medicamentum vulneri capitis, ſcire debetis, quòd capitis vulnera quatuor modis ſolent à medicis tractari,& curari: Vnum genus medicorum eſt, quod medetur pura aqua benedicta,vel oleo benedicto,vel puris linteolis benedictis. Alterum genus medetur ſolum per quaſdam potiones per os aſſumptas, abſque vſu alicuius medicamenti localis;ſed ſolum ſupra vulnus imponit folium caulis, id eſt, braſſicæ. Tertium eſt illorum,qui ſolum verſantur circa localia cum quibuſdam medicamentis pretioſis, & nullam curam habent de vniuerſalibus circa corpus ipſum totum adminiſtrandis. Quartum genus eſt illorum,qui methodo certa curant,& antiquos medicos imitantur.

Primũ genus.
Secundum genus.
Tertiũ genus.
Quartum genus.

De ijs,qui aqua,vel oleo,vel linteolis benedictis curant vulnera capitis, dixi ſuprà, quòd talis medendi ratio mihi ſemper fuit ſuſpecta,etiam ſi iam regiones integras hæc ratio medendi occuparit:nam longè plures ſunt,qui interficiuntur,quàm qui hoc modo ſanantur.

Chirurgi Hebræi curant potionibus quibuſdam.

Alij autem qui curant potionibus tantum ſunt genus Hebræorum: ſunt enim quidam medici,& chirurgi Hebræi,qui in uulneribus capitis nihil aliud faciunt,quàm quod potiones quaſdam per os exhibent ſingulo mane,& illas potiones ſeruant ſecretas:non tamen ita potuerunt ipſas tenere ſecretas,quin una ex ijs uenerit ad noſtras manus,quam uolo uobis communicare;non quidem,ut utamini in uulneribus capitis;ſed in fiſtulis illis difficilimis thoracis,quas fiſtulas uocant iſti caſſales:& reuera in illis fiſtulis optimum eſt medicamentum. Sed notate,antequam uobis tradam deſcriptionem,quomodo ad noſtras manus deuenerit: Illuſtriſſimus Alphonſus Dux Ferrarienſis pater huius Ducis, qui nunc uiuit, paſſus eſt aliquando uulnus circa thoracem, ex quo ſucceſſit fiſtula. Vnde cum quidam Hebræus Carpenſis eſſet admodum peritus in ſanandis huiuſmodi fiſtulis aduocatus eſt, cumque ueniſſet, Dux noluit,ut alius,niſi ſuus ſeplaſiarius pararet medicamenta. Vnde Hebræus ille coactus fuit deſcribere medicamentum ſeplaſiario, à quo ego habui deſcriptionem. Medicamentum autem eſt hoc.

Deſcriptio potionis Hebræi, pro fiſtulis.

Rec.radicum altheæ
foliorum mille folij
marrubij
artemiſiæ
lapatij
caulium rubeorum
Pimpinellæ
Cimarum rubi
Radicum rubiæ tinctorum cum folijs } an. m. s.
Ariſtolochiæ rot.cum folijs
Foliorum fragariæ
Matricariæ
Matriſyluæ
Betonicæ
Saluiæ
Radicum gariofillatæ
Thuris maſculi ℥ s.
Sarcocollæ ℥ j.
Seminis plantaginis
aniſorum
fœniculi
cannabis } an. ʒ s.
Croci
Rheubarbari
Rheupontici;ideſt centaurij maioris } an. ʒ j.
Vini albi odorati lib. xv.

Optimè

Digitized by Google

Optimè cõminuunt̃ gladio,& p 24.horas infundunt̃ in vino;deinde bulliãt ad cõſumptionẽ tertiæ partis, & colent;& colaturæ illi addunt̃ quatuor libræ mellis;poſtea bulliãt vnica ebullitione,& deſpumet̃ colatura ipſa;deinde aufert̃ ab igne,& ſeruat̃ ad vſũ: Et huius colaturæ quotidie mane exhibet̃ cyathus quinq; vnciarũ: Et dicũt,ꝙ exſiccat vulnus,expellit os, ſi qđ ſit expellẽdũ, gignit carnẽ, & oĩa pſtar,q̃ deſideramus in vulnere capitis. Equidẽ credo,ꝙ medicamẽtũ hoc poſſit multa in capitis vulnerib.pſtare;ſed nimis tardè,vt puta,in tertia,aut quarta die medicamẽtũ incipiet agere in vulnus: Sed ſæpe ante quartã facta eſt inflammatio ĩ uulnere capitis:& iõ oportet uti iis,q̃ antea id ꝓhibeãt: Quapp ego nõ vterer hmõi medicamẽto ĩ vulnerib.capitis;ſed utiq; ĩ fiſtulis illis thoracis malignis,exhibẽdo ſingulo mane cyathũ,ut dictũ eſt,& certè optimũ eſt: In uulnerib.aũt ego nõ ſũ ipſo uſus,nec placet talis curatio,pcipuè cũ nihil aliud imponat̃ uulneri,q̃ foliũ braſſicæ,ꝙ foliũ nihil põt facere eorũ,q̃ requirunt:neq;.n.põt inflãmationẽ ꝓhibere,nõ os extrahere,& ſimilia. quare nullo mõ mihi, placet talis curãdi rõ. Alij ſunt,q curãt uulnera capitis ſolũ cũ localib. & infundũt in uulnus medicamẽta qdã pretioſa,q̃ tñ aliqd periculi in ſe hñt.et talis curãdi rõ,apꝓbata fuit à Theodorico,& à multis alijs,& inter ceteros fuit qdã Magiſter Iuuenalis,quẽ ſecutus eſt Magiſter Ioãnes Baptiſta Romanus Chirurgus errabũdus(cãta in bãco uulgo)q utebat̃ tali curãdi rõe & adhibebat quoddã ſuũ medicamẽtũ, quo lucratus eſt ſpatio quatuor annorũ, quo tpe uagatus eſt p Italiã,incipiẽs à Pedemõtana regione,nã inde primũ diſceſſit, qñ incepit mederi, & iuit medẽdo Romã uerſus,& ante,q̃ Romã peruéniſſet,lucratus,ut dixi,eſt,20 milia aureorũ ſpatio quatuor annorũ:nã in fine quarti anni puenit Romã:medicamentũ aũt adhibebat ad oĩa genera ægritudinũ,admiſcẽdo & q̃dã alia ꝓ diuerſitate ægritudinis: Et illud ſuũ medicamẽtũ mihi vr̃,ꝙ ſit theriaca recẽtiorũ:nã vt theriaca antiquorũ faciebat ad oẽs affectus,ita & medicamẽtũ iſtius viri.pterea ſicut theriaca recipit alia medicamẽta cõpoſita,ita & hoc recipit. Et tã fæliciter Ioãnes ille Baptiſta vſus eſt illo medicamẽto,vt ſpatio quatuor,aut qnq.annorũ lucratus ſit,vt dixi,20.aut 25.millia ſcutatorũ aureorũ: Atq; ego alias,cũ iuuenis eſſem, vſus ſum medicamẽto illo,& ſatis fælici cũ ſucceſſu;qua rõe aũt poſtea ipſum omiſerim,dicam infra. Medicamentũ aũt eſt ſatis magnũ,& non facilè paratu, & eius deſcriptio eſt hæc.

Alij curãt ſolum cum localibus.

Medicamentũ Ioãnis Baptiſta Romani.

Rec. cariophyllorum
nucis muſcatæ
gingiberis
piperis nigri, longi
baccarum iuniperi
corticum citri
aranciorum
florum ſaluiæ
baſilici
roris marini
maioranæ
menthæ
baccarum lauri
florum pulegij
radicum gentianæ
florum calamenthi
ſambuci
roſarum rubearum
ſpicæ nardi
cubebarum
ligni aloes
cardamomi vtriuſque
cinnamomi
calami aromatici
capitum ſtæchadis
chamædrios
chamepyteos
nigellę, macis } an. ℥ s

thuris
aloes hepaticæ
ſeminis anethi
artemiſiæ
moſci
ambræ } an. ℥ s

 ficuum

ficuum pinguium
paſſularum
pineorum mundatorum
amygdalarum } an. ℥ iiij
mellis albi lib. vj.
ſacchari electi maderienſis lib. x.

Primò tunduntur arida, & quæ tundi poſſunt, rediguntur que in pulueram, deinde tūduntur pinguia, & omnia admiſcent cū mollib. i. cū ſaccharo, & melle, & ita mixta relinquuntur in vaſe vitreo, in loco aliquo calido, ſex, vel ſeptē dies, vt fermententur; facta fermentatione, adiunguntur 24. libræ aquæ vitæ, quæ & aqua ardens dr̄, & ſimul omnia miſcentur diligentiſſimè; & quia maſſa magna eſt, ita, vt non poſſet ſtare in vno elambico, ideo diuiditur in duas, vel tres partes, & in vaſis vitreis poſitis, deſtillantur in balneo mariæ, ideſt in duplici vaſe, & primum, quod extrahitur, eſt aereus quidam humor copioſus, & veluti aqua, & vocatur ab iſtis elixir: Secundò egreditur quoddam humidum aqueum craſſum, & album, quod eſt veluti pituita, & phlegma vocatur ab iſtis: quo phlegmate non vtuntur ad ſananda vulnera, ſed ad lentigines faciei abſtergendas, madefaciendo ſcilicet iſto humore craſſo lentigines ipſas: Et certè optimum eſt medicamentum non ſolum ad lentigines remouendas; verùm etiam ad tollendas denigrationes illas faciei à Sole relictas, atque ad totam dealbandam, purificandamque cutim: & præter hoc, quòd optime mundat cutim, eſt medicamentum optimi, & ſuauiſſimi odoris: Extracta pituita, vel phlegmate vocato, reſidet in fundo quid lutoſi, quod Magiſter Iuuenalis ſeruabat, & exhibebat ruſticis pro theriaca, & dicebat, quòd habebat eaſdem vires, quas & theriaca: ſed ego, quando confeci medicamentum, proieci lutoſam illam fecem. Ex deſtillatione igitur medicamenti primo habetur elixir, ſecundo pituitoſa; vltimò feces lutoſæ; ſed ipſi ſolo elixir vtebantur in curandis vulneribus, non tamen ipſo ſolo; at ex ipſo & alijs faciebant mixtum quendam liquorem: Nam miſcebant Matrem Balſami cum elixir. Conficiebant autem matrem balſami hoc modo.

Mater balſami. Rec. terebynthinæ optimæ
Thuris albi
Ligni aloes } an. ℥ iiij.
Maſtiches
gariofilorum
galangæ
cinnamomi
nucis muſcatæ
cubebarum
gummi elemi } an. ℥ xij.

Teruntur optimè, & cribrantur, quæ cribrari poſſunt, &, ſimul mixtis, ponuntur in vaſe vitreo, & vas collocatur in loco aliquo calido, vt fermententur, & inibi relinquitur ſeptem, aut octo dies; deinde ponitur vas iuxta cineres calidos, poſtea iuxta calidiores, donec totum illud humidum, quod ineſt, fuerit extractum, quod humidum vocatur mater balſami, & eſt, vt cyphi in theriaca. Vnde compoſitio medicamenti iſtorum videtur reſpondere ex toto cōpoſitioni theriaces. Nec mirum vobis videatur, quòd in ſecundo medicamento iamiam deſcripto recipiantur multa ex ijs, quæ recepta ſunt etiam in priori, ſicut etiam ſolet fieri in theriaca, & in compoſitis medicamentis, quæ theriacam ingrediuntur: nam medicamenta magna nullam in ſe rationem habent; ſed prorſus empirica ſunt, & experientia non autem ratione confirmata: ſi enim rationem ſequeremur, ſat eſſet augere doſim vnius illius quod in ambobus medicamentis recipitur, abſque quo reciperetur ipſum bis. Sed redeamus ad rem. Accipiunt igitur deinde Elixir, & Matrem Balſami, & ponunt in elambich, & adaucto igne colligunt quatuor. Primum eſt aqua, quam vocant aquam balſami.

Secundum eſt oleum balſami ab ipſis vocatum, & eſt humiditas quædam oleaginea, quæ aquæ illi ſupernatat: Tertiò, aucto igne, extrahunt ſubſtantiam quandam oleoſam, & nigram, quæ aſſimilatur naphtæ nigræ, & hanc vocant verum balſamum.

Quartum eſt fex, quæ reſidet in fundo vaſis, & uocatur fex balſami: Oleo balſami, & balſamo ipſo vtuntur ad affectus omnes neruorum & ad paralyſim, & optimum ſanè eſt medicamentum; Aqua autem balſami vtuntur ad omnes affectus, & ad vulnera capitis: & modus, quo utuntur, talis eſt: Si ſit uulnus, in quo ſectum ſit os, aperiunt uulnus manib. tantùm, non autem aliquo extrinſeco, & affundunt copioſam aquam balſami: mox ſuperinſpergunt puluerem quendam, cuius deſcriptionem iamiam tradam; deinde ſuperimponunt linteolum mundum, & iterum aquam affundunt ſupra linteolum, & nouos pulueres ſuperinſpergunt, & aliud linteolum ſuperimponunt, & ligant vulnus, & caput, & ita relinquunt uſque in tertiam diem; tertia die poſtea ſoluunt, & leniter mundant uulnus goſſipio, & nouam

Digitized by Google

ſtam aquam,& puluerem eodem modo affundunt,& inſpergunt, & illis diebus, quibus nõ deteguut uulnus,ſemper madefaciunt linteola,facientes ſcilicet,ut aqua concidat ſupra ipſa: Et ſi quod os eſſet,quod loco dimoueretur,uel pungeret membranam,uel in uulnere eſſent pili,uel aliquid tale,ipſi nihil auferunt,& nihil agunt,quia dicunt,quòd natura ſtimulata à tali aqua aget, & expellet, quod expellendum eſt. Et inſtituunt pleuum uictum, ita, ut concedant bonum uinum, bonas carnes, fructus, & reliqua, & uolunt, ut aer ſit apertus;& ideo mandant,ut feneſtræ thalami ſtent apertæ,nulla habita ratione aeris calidi,aut frigidi, & uolunt,ut æger ambulet per thalamum, ſi poteſt. Pulueris autem,quem inſpergunt,deſcriptio hæc eſt.

Rec.aloes lib. j.
mytrhæ } an. ℥ iij.
thuris albi }

Teruntur,& fit puluis. Sed notate,quòd,quando eſt ſecta dura mater, & timent fluxum ſanguinis, utuntur ſolo aloes puluere ſimul cum aqua balſami; ſi autem cerebrum non ſit detectum, & non ſecta membana, utuntur integro puluere ex tribus dictis medicamentis. Et hoc modo procedunt,& curant vulnera capitis ſatis cum fælici ſucceſſu.

Et iſti,qui puris pharmacis,& illis quidem uobilioribus curant vulnera capitis,accuſant illos,qui ſecant cutim,abradunt oſſa,& ſimilia agunt,quæ videntur ęgros excruciare,& prima eorum ratio eſt,quòd fruſtra fit per plura,quod poteſt fieri per pauciora;ſed noſtra medicamenta præſtant omnia.quæ deſiderant,quia ſeparant os,extrahũt ſanies,& alia præſtãtur à noſtris medicamẽtis,quæ requirunt,ergo fruſtra eſt vera curatio,& actio,quæ plura requirit inſtrũ. Secundò dicunt:noſtra medicamenta polycriſta.i. multarũ facultatũ, & vſuũ extrahunt ſaniem,ſi ſit genita,ex partib.etiam internis;ideo non eſt periculũ.dicunt,ꝙ ex retẽta ſanie fiat inflammatio:quare non eſt opus aperire os,& extrahere ſaniem:Quod aũt medicamẽta attrahãt,probant ex Gal.auctoritate in 1.de fac.nat.c.14. vbi inquit,ꝙ medicamẽta aliqua attrahunt aliqñ fortius,q̃ manus,& in 11.meth.dicit,ꝙ medicamenta attrahentia trahũt validius,q̃ cucurbitulæ. Tertio dicunt,ſi ob id vos ſecatis os in vulnerib capitis,quia timetis collectionẽ ſaniei, cur & in alijs fractis oſſib.idipſum non facitis? Nullus.n.eſt,qui fracta coſta ſecet cutim,& carnẽ,& detegat os; tñ ſanies poſſet generare empyema. Fracto ẽt oſſe coxendicis nullus eſt,qui aperiat,& detegat os pp ſaniẽ:ergo nec in capite iſtud faciẽdũ. Vltimò eſt pceptum Hipp.inquiunt,vt blandè oĩa tractẽt,vos tñ oppoſitum facitis,qa primò exhibetis lenitiuũ medicamentũ; deinde ſecatis venã, inſtituitis victus rõnẽ tenuẽ, excoriatis caput,ſeparatis pericraniũ ab oſſe,abraditis os,ſecatis,& multa alia facitis,q̃ ægrũ moleſtant,& dolorẽ pariunt: & iõ veſtra curatio eſt mala, & contra Hipp.præceptũ; noſtra aũt eſt amplectẽda,qm̃ nr̃m medicamentum nullam affert ægro moleſtiã,& eſt ſuauiſſimi odoris,ita,vt locus,vbi æger eſt,ſapiat tale medicamentum,quod certè eſt ſuauiſſimum ita, vt ex ſola detecta ampulla.in qua tale medicamentum ſit,aer repleatur tali odore. *Ratio laudantiũ medicamentũ dictum.*

Ego aliàs cum iuuenis eſſem,vſus aliqñ ſum, vt dixi,hac curandi rõe, & ſatis feliciter res mihi ſuccedebat,& medicamentum multa certè facit;non tñ ea oĩa pſtat,q̃ ipſi dicunt: Nã qñ in vulnere eſt aliquod fruſtum oſſis fracti,quod pungat membranam,vel qñ adeſt inflãmatio,tunc medicamentũ malũ eſt,& nocet;ſed ſi neutrũ iſtorũ adſit,optimum eſt. Sed dicetis:poterimus igitur illo medicamento vti in ijs ſaltem vulnerib in quib.abſunt illa duo. Dico verum eſſe;ſed eſt alia difficultas,& eſt,ꝙ medicamentũ non poteſt parari ſine expenſa quinquaginta ſcutatorũ aureorũ,non decet aũt nos,vt decet errabundos hos nebulones, dicere,volo,vt mihi ſoluas tm̃,ſi vis,vt curẽ te,& ob has cauſas ego dimiſi vſum hmõi medicamenti. His accedit,ꝙ Phyſici non approbant curationẽ cũ tali genere auxilij:& ideo,ſi voluiſſem hac rõe curandi vti,opus fuiſſet,ꝙ aut ego ipſos, aut ipſi me excluſiſſent,nõ ſine artis ignominia: & propterea omiſi penitus illã curandi rõem,vt ẽt cõſulo vobis,vt omittatis.

Iam reſpondeamus rationibus adductis contra nos,& contra veram curandi normã. Ad primam igitur dico falſum eſſe,quòd curatio ipſorũ faciat per pauciora:nam vtantur quãtum voluerint medicamento illo ſuo,nunquam auferent fruſtum oſſis,quod pungit membranam;vel reducent in proprium locum os depreſſum,& neceſſe tandem erit deuenire ad inſtrumenta ferrea, vel ad manum. Ad ſecundum, ꝙ medicamenta ipſorum attrahunt ſaniem,& ꝙ dantur medicamenta attrahentia,teſte Gal. Dico ꝙ ex ſentẽtia Galeni in primo de facultat.natur.cap.16. medicamenta attrahentia ſunt in duplici differentia: nam alia attrahunt à tota ſubſtantia,vt rhabarbarum bilem,& ſic de alijs;alia attrahunt ratione caliditatis,vel propter tenuitatem partium:tunc quæro ab ipſis, an illud ipſorum medicamentũ attrahat ſaniem,& oſſa fracta à tota ſubſtantia,an propter caliditatem,aut tenuitatem partium? ſi dicant,quòd attrahunt ſaniem à tota ſubſtantia, & ratione ſimilitudinis cuiuſdam occultæ,tunc ſequetur,ꝙ attrahent ſaniem,& non attrahent os:nam non poteſt dici,ꝙ medicamentum illud habeat duas ſubſtantias,vnam,qua aſſimiletur corpori duro.i.oſſi; alte- *Ad rationes dictas.*

ram qua ſaniei: Si igitur non attrahit os,& ſaniem, neceſſario, pro extrahendo altero ipſorum,deueniendum erit ad inſtrumenta: Nec poſſunt dicere,quod attrahat ratione caloris, & tenuium partium:quoniam illa,quæ hoc modo dicuntur attrahere,non attrahunt,vt attrahit cucurbitula;ſed eſt facultas partis, quæ expellit ſtimulata ab aliqua re; os autem per ſe non expellit; ergo,ſi quid ſit ex oſſe extrahendum, neceſſe erit deuenire ad organa, quoniam medicamenta nihil faciunt,quia os non habet facultatem expellendi: Quod hoc ſit verum,ex eo patet,quod ſi infigatur aliquid carni, aliquando expellitur; at ſi ſagitta, verbi gratia, infigatur oſſi, & non poſſit manu, & organis extrinſecis extrahi ſine ſectione oſſis, nunquam viſum eſt, quod opera medicamenti alicuius fuerit extracta, nec vnquã aliquis teſtatur hoc accidiſſe: nam os cum non habeat facultatem expellendi, non poteſt medicamentum quidquam agere. Ad illud de coſta fracta,& de coxendice fracto dico, quod, licet gignatur ſanies in illis partibus,tamen non aperimus locum illum,quia cum locus ſit in pectore calidiſſimus,ſi quid gignitur ſaniei,abſumitur, & diſcutitur à calore illo magno. Idẽ dico de coxendice:nam ſanies inibi diſcutitur ob calorem abdominis, & venarum, & arteriarum,quæ magnæ,& amplæ in illis locis ſunt.

De ſanie autem illa,quæ poteſt penetrare in cauitatem oſſis,vbi eſt medulla,dico,ꝙ non concidit,nec penetrat in illam cauitatem,quia ſanies,ſi qua gignitur,diſcutitur à calore carnis multæ,quæ eſt ſupra oſſa fæmorum,& crurium.præterea deligatio,& faſcia trudit ſaniẽ vel ad ſuperiora,vel ad inferiora,& ideo non poteſt penetrare in cauitatem oſſis.

De pietate autem,& moleſtia illa,quam videntur oſtendere,quando dicunt, ꝙ non ſunt excruciandi ægri,ſed blandè omnia tractanda: Dico,quòd verum eſt;ſed relinquere hominem perire non eſt pietas,ſed impietas:& ipſi dum id dicunt,affectant potius beneuolentiã vulgi,quàm quod re vera pietate moti aliquem eo modo,quo conſueuere,curent. Dico igitur,quòd vbi blandè omnia poſſunt tractari,impium eſt aliter facere;ſed ſi non poſſit aliter fieri,&,ſi fiat,periculum ſit de morte,tunc dico, quòd magis impia res eſt,permittere, vt æger moriatur,quam velle oſſa abradere,ſecare, & amputare aurem,ſi aliter fieri non poſſit. Vnde Hippocrates licet dixerit,quod omnia ſunt blandè tractanda; tamen videmus, quòd ipſe deſcendit ad ignem;attamen nemo diceret,quòd actio,quæ fit igne, ſit blanda: nec ob id malè fecit,quoniam non poterat aliter facere,&,ſi aliter feciſſet, periculum erat de vita, & crudelis fuiſſet,ſi ita non feciſſet,vt vitam ſeruaret.

Vulnus dilatãdũ, & quomodo.

Omittamus igitur ſentẽtiam,& curationem iſtorum,& ſequamur illam, quam ſecutus eſt Hipp.Gal.& omnes alij doctiſſimi medici,qui monent, vt quando aliquis recipit ictum in capite,obſeruemus,an cutis ſit integra,nec ne:an integrum pericranium,ſi cutis ſecta ſit: & an os ſit fractum,& detecta membrana:ſi os ſit detectum & patiatur,monet Hipp.vt ſtatim vel oculis,vel ſpecillo inquiramus,an adſit fractura oſſis, vel rima, vel ſedes teli, vel ſectio:hoc facto,cum opus fortè ſit abradere,vel ſecare os vſque ad membranam requiritur, vt uulnus ſit ita latum,ne inter agendum continuò lędantur labra uulneris:& ideo conſiderandum,an latitudo uulneris tanta ſit,quanta requiritur;quod ſi non, oportet dilatare vulnus. Vnde monet Celſus,vt dilatemus vulnus duabus ſectionibus per tranſuerſum, primò ſeruata recta ſectione, quæ eſt vulnus; deinde facta alia ſectione per tranſuerſum in vtroq; labro,ita,vt ſectio ſit quadrangularis, & vt iſti dicunt, in crucem, & ſectio debet peruenire vſque ad os,inquit Celſus. Ego autem dico,quòd non opus eſt ſecare vtrumque labrũ: ſed ſat eſt ſecare vnum ita, vt fiat ſectio triangularis, aliquando tamen requiritur ſectio quadrangularis;ſi autem ſectio longa requiratur,ſatis eſt producere vulnus.

Dilatato vulnere,prout opus fuerit,monent,vt vnguibus,aliove inſtrumento ſeparemus pericranium ab oſſe:& hinc reprehendatis tonſores iſtos,qui ſtatìm ſecant pericranium ipſum:vos igitur citò,& audacter diſiungatis pericranium ab oſſe:hoc facto,ſupprimatis ſanguinem,& modum docebo,ſi prius docuero quædam præcepta maximi momenti.

Nunquàm vulnus eſſe dilatãdum ſupra ſuturam,neque radẽdum.

Primum eſt,quòd nunquam vulnus eſt dilatandum ſupra ſututam, etiam ſi vulnus eſſet ſupra ſuturam,at tunc dilatabitis parum ſupra, vel parum infra ſuturam: Ratio autem cur non ſit dilatandum ſupra ſuturam,eſt, quia per ſuturas tranſit ligamentum ortum ab interna membrana;& ideo facilè communicaretur affectio membranis. Igitur nunquam dilatetis vulnus ſupra ſuturam;nec etiam ſupra ſuturam abradatis os.

Nunquàm vulnus dilatandũ in tẽporibus.

Alterum pręceptum eſt,quòd nunquam vulnus eſt dilatandum in temporibus:& in hoc vidi ego errare quoſdam ex præſtantioribus chirurgis huius Vrbis: nam vidi nautam recepiſſe vulnus in tempore, & cum ob fractum os oporteret aperire vulnus, quod erat in medio muſculo temporali,chirurgus ille dilatauit vulnus, de quo ego maxime ſum miratus, attamen nauta ille ſanatus eſt,fortè,quia Deus voluit tegere errorem chirurgi illius, vt ſæpe ſolet: Sed ego nunquam ſum auſus, nec auderem dilatare vulnus, ſi eſſet in medio muſculo temporali;&,ſi accideret mihi tale vulnus,quod non dum accidit,etiam ſi os inibi eſſet fractum,& opus eſſet dilatatione,tamen ego hærerem maximè,nec probè ſcirẽ,quomo

do

do explicarem me à tanta ambiguitate,quia non ſolum imminet periculum de inflammatione,& conuulſione;verùm etiam de præſentanea,& certa morte:ſæpe enim accidit, vt in manibus chirurgi moriatur æger; & non dubitetis de hoc, ideo in huiuſmodi vulneribus ſum ego valdè anceps: Aliquando mihi accidit vulnus in inferiori parte muſculi temporalis,& tunc dilataui aliquantulum in vna parte; deinde expleui optimè vulnus linamentis: & ſic dilatatum eſt, quantum opus fuerat; ſed de vulnere in medio muſculi exiſtente, ego nunquam auderem dilatare, etiam ſi ſub ipſo eſſet os fractum. Primum ergo præceptum perpetuò obſeruandum eſt,quod nunquam eſt dilatandum vulnus ſupra ſuturam: Secundum eſt,quòd non eſt dilatandum in muſculis temporalibus.

Nunquā ſecanda cutis frontis p tranſuerſum.

His addatis tertium,quòd ſi vulnus ſit in fronte, & opus ſit dilatatione, nunquam ſecanda eſt cutis frontis per tranſuerſum,ſed aut per longum à ſuperiori ad inferius,vel per obliquum: nam ſi per latitudinem ſecaretur cutis, & muſculus ille frontis, præter alia incommoda,ſequeretur hoc quod cutis, & muſculus ſemper laberetur deorſum, & clauderet alterum,vel ambos oculos:quod præter noxam,quam affert,turpem reddit hominem.

Facta dilatatione quō ſiſtendus ſanguis.

Facta dilatatione, ſiſtendus eſt ſanguis:vnde monet Celſus,vt expleamus vulnus linamētis madidis aceto,quod nullo modo placet: Paulus autem vult vt vtamur poſca: Hippocrates verò ſiccis linamentis: & horum vtrumque conuenit; tamen nos conſueuimus facere linamenta ex ſtupa,& imbibimus albo oui,&,ſi adſit dolor,albo oui cum luteo ſimul. Sed qua arte eſt hoc faciendum? Dico quòd explendum eſt ita vulnus,vt labra diſtent à ſe ipſis, quantum fieri poteſt:nam non ob aliud dilatamus vulnus,niſi vt labra aperta maneant.

Medicamentū Hippocratis ex farina hordei,& aceto.

Repleto vulnere hmōi linamētis,ſuperimponēda ſunt ſplenia imbibita albo oui,vel medicamento Hipp.quod conſtat ex farina hordei,& aceto,& eſt veluti polēta: Accipiatis hordeum,torreatis,& teratis,ut fiat farina,& farinæ addatis acetum,ut fiat ueluti polenta,& ita facto emplaſtro,ſuperimponatis uulneri iam linamentis repleto: Eſtque medicamentum pretioſiſſimum:ſiccat enim,refrigerat, & ſiſtit ſanguinem: Poteritis accipere farinam etiā hordei non toſti;at melius erit,accipere ex hordeo toſto: Et hoc medicamento poteritis vti vſque ad quintam,& ſeptimam etiam diem: Et ſi volueritis ſimul cum farina,& aceto admiſcere portiunculam olei roſacei,vt reſpiciatis dolorem,mihi non diſplicet.

Relinquatis ita plagam vſque ad alteram diem,non autem vſque ad tertiam,vt quidam inepti facere ſolent,nam firmato ſanguine, & dilatatis labris non eſt opus relinquere inibi ampliùs ſtupas illas, quæ moleſtæ aliquando ſolent valdè eſſe ipſi ægro: vnde ſi mane eſſet impoſita ſtupa,& ego crederem, quòd ſanguis fuiſſet firmatus, & labra dilatata, profectò non expectarem etiam vſque in alteram diem,ſed veſperi eiuſdem diei vulnus detegerem, & ſtupas illas auferrem.

Ablatis linamentis,leniter detergendum eſt vulnus goſſipio,vel lana, vel linamentis excerptis,quę filacia appellantur vulgo. Vulnere deterſo,obſeruate,an adſit fractura,vel rima, vel ſedes teli,vel comminutio,vel oſſis depreſſio,& qualis,quantaque ſit oſſis affectio. Nec oportet ſtatim aperire os; ſed prius contemplari, an patiatur, & ſi patiatur, quam affectionem,& quantam patiatur.

Quòd ſi non ſitis reſoluti,vt dicitur, an aperiendum ſit os, & detegenda membrana, necne, & differendum ſit tale iudicium vſque in alteram diem, non relinquatis vulnus multum detectum,ne refrigeretur,immò ſuperimponatis lintea calefacientia;deinde imponēdum eſt aliquod medicamentum vſque in alteram diem: Vnde Celſus conſueuit applicare emplaſtrum philotete ab ipſo vocatum,vel emplaſtrum viride diſſolutum aceto; Sed nullum iſtorum placet,quia valida nimis ſunt,& recipiunt multa cauſtica medicamenta, quæ poſſent exurere: Sunt,qui,antequam decretum ſit,an detegenda ſit membrana, necne,vtantur oleo roſaceo omphacino,& in ipſo perſeuerant.donec ex ſignis appareat, ꝙ ſanies detineatur inter membranam,& os:& iſti maximè errant,quoniam Hipp.in lib.de vulnerib.inquit,quòd vulnera capitis nullo humido ſunt madefacienda: vnde nec vinū approbat, etiā ſi ſiccet,propter humectationem. Vos igitur,ſi eſſet dubium, an eſſet detegenda membrana,& differenda actio vſque ad alteram diem,tegatis ſolum os linamētis ſiccis,& reliquum vulnus expleatis linamentis imbutis terebinthina, vel terebinthina ſimul cum albo oui, & partes cutaneas vulneri circumpoſitas inungatis oleo roſaceo,ſed caueatis, ne aliquid olei ingrediatur vulnus,& interim concludetur,an aperiendum ſit os,necne.

Quæ indicationes oſtendent,os eſſe aperiendum.

Conciliatoris ſententia.

Sed vndenam (dices) accipiuntur indicationes, quando aperiendum ſit os, & quando non? In hoc reperio auctores eſſe diuerſos,& primò Conciliator differentia 181.dicit,quòd quando apertum eſt vulnus,& os paſſum eſt, tres ſunt occaſiones, quæ indicant os eſſe aperiendum,& prima eſt,quando tu certò ſcis ex ſymptomatibus,quòd materia aliqua ſub oſſe continetur: ſymptomata autem ſunt delirium, inflammatio,pulſatio magna membranæ,calefactio magna,alienatio mentis,ſenſuum deperditio,ſtupor,ſopor,& ſimilia,quæ indicant vel materiam infra os contineri ſanioſam,& malam,vel læſam eſſe membranam: &

Digitized by Google

quando hæc ſigna,vel aliquod ipſorum adeſt,indicatur aperiendum eſſe os,vt illud,quod intus continetur,& obeſt,auferatur.

Secunda occaſio eſt,quando certò ſcimus,quòd ex fractura, vel rima, quæ eſt facta in oſſe,prolapſus eſt ſanguis,vel ichor intus ad membranam,& non poſſumus illum auferre,niſi os ſecemus.

Tertia eſt, quando oſſis fractura eſt capillaris, & admodum anguſta, tamen fractum eſt vſque ad membranam,& certi ſumus,quod materia aliqua intus continetur; tunc aperiendum eſt os,vt exhibeatur exitus illi materiæ.

Aliorum opinio. Alij verò dicunt, quòd ob retentam, & collectam intus materiam non aperiendum eſt os,& quòd duæ tantum ſunt occaſiones,& caſus indicantes aperiendum os eſſe: Prima eſt, quando os ita fractum eſt,vt aliquod fruſtum pungat membranam: Secunda eſt, quando os depreſſum eſt,& comprimit cerebrum,facitque ſtuporem: Et huius opinionis ſunt Lanfrancus,Nicolaus Florentinus,Gentilis, & aliquot alij, & inquiunt, quòd ſi vulnus ſit magnum,corpus robuſtum,virtus expultrix valida,& æger obediens,medicuſque doctus,nunquam detegenda eſt membrana.

Indicatio accipitur à re extrahenda. Sed iſti errant,quoniam,quotieſcumque aliquid eſt ſub oſſe, quod ſit extrahendum, & non poſſit aliter extrahi,ſemper aperiendum eſt os,ſiue illud,quod eſt extrahendum, ſit ſanies,ſiue quod vis aliud;& ita indicatio de aperiendo oſſe accipitur à re illa,quæ debet extrahi,ſiue rima oſſis ſit anguſta,ſiue lata,dummodo id,quod intus eſt, nequeat alia ratione extrahi,quàm oſſis apertione,ſemper neceſſariò aperiendum eſt os,& detegenda membrana: ea autem,quæ non poſſunt extrahi,& ſunt tamen extrahenda,ſunt aliquando fruſtum teli, gladijve:aliquãdo eſt fruſtum lapidis:addatis fruſtula oſſis fracti,ſiue pungant,ſiue nõ pungant:nam etiam ſi tunc temporis non pungant,poſſent tamen,ſi caſu membrana intumeſceret, ipſam tunc pungere.quotieſcumque igitur aliquod iſtorum erit extrahendum, neceſſariò aperiendũ eſt os. Addatis quando os eſt depreſſum,& comprimit: tunc enim aperiendũ eſt, vt poſſimus ſubiicere inſtr̃m illud, quod leua dicitur, & os depreſſum attollere.

Quando ſanies fluit ad interna, etiam os detegẽdũ eſt. Vltimò aperiendum eſt, quando ſanies defluit ad interna, vel defluxa eſt, & non poſſumus ipſam detergere: tunc enim aperiendum eſt, & detergenda membrana eſt à ſanie. Si igitur capitis corium ſit vulneratum,pericranium ſectum,os fractum,vel contuſum,& fruſtum aliquòd oſſis pungat membranam, vel oſſis pars depreſſa comprimat eandem ſine punctione,ſiue adſit rima,vel ſedes teli,vel non adſit,& ſi ſanies poſſit deſcendere ad membranam,ſemper aperiendum,ſecandumque os,quemadmodum etiam,quando vel pars teli,vel fruſtulum lapidis,vel quid ſimile eſt infixum, & nequit aliter extrahi,neceſſariò eſt aperiendum os,& dilatandum vulnus:dilatato vulnere,aperiendum eſt os.

Sed, antequam ad hanc actionem deueniatis, debetis ſcire, quòd ſæpe medici decipiuntur à fracturis:nam accidit aliquando,vt rima,ſeu fractura in ſuperficie externa ſit valde lata;in imò autem ſit anguſtiſſima: quandoque accidit oppoſitum, vt in parte interna ſit lata;in ſuperficie autem anguſta:aliquando etiam accidit, vt fractura ſit tantum in exteriori oſſis lamina;non autem in inferiori,& profunda, & tunc non aperiendum eſt os: Vnde. vt certior fieret actio,& cognoſceretur, qualis ſit fractura, & an talis in profundo, qualis eſt in ſuperficie,inuenere recentiores abraſionem. Vnde monent,vt,antequam ſeparemus os,

Semper abradendum os. ipſum abradamus,ſiue aderit fractura, ſiue rima, ſiue ſedes teli, ſemper abradenda eſt rima ipſa,vt pateat,qualis ſit in profundo.

Itaque ſi hodie dilataueritis vulnus,cras,cum acceſſeritis, detegatis vulnus, auferatiſque linamenta, &,antequam incipiatis abradere, capiatis linteola tenuiſſima, & madefaciatis

Fouẽda labra vulneris, oleo roſaceo tepido,& vnum in vno labro vulneris;alterum in reliquo apponatis; Et hoc faciendum eſt duplici de cauſa: vna quidem eſt,ne areſcant labra, recrudeſcantque humores,qui ſunt in ipſis, & ita tarde poſtea agglutinentur, & tardè gignatur caro, vt dubio procul accideret:altera eſt, ne refrigerentur nimium. his igitur de cauſis fouenda, munienda, que ſunt labra. Aliud quoque eſt faciendum ante abraſionem,& eſt,quòd oportet accipere goſſipium,vel lanam madefactam oleo roſaceo,& obturare aures ægri,& hoc faciendũ eſt,

Aures ægri obturãda ante operationem. ne ſentiat ſtrepitum,& ſtridorem illum,qui fit,dum os abraditur,quod,licet non faciat dolorem,tamen ſolet ægro eſſe moleſtum.

Scalpri raſorij duplices. His factis,abradendum eſt os ſcalpris raſorijs,qui duum ſunt generum: aliquot vocãtur recti,aliquot reflexi,& curui: Recti appellati erant in vſu temporibus ſuperioribus, videlicet,iam ſunt duodecim,aut quindecim anni,nunc autem in vſu ſunt reflexi: Igitur vel illis, vel his vtamini;præſtantiores tamen,& tutiores ſunt curui,& rotundi vocati: Neque enim, ſi cum his abradas,periculum eſt,vt pungatur membrana,vel illidatur, vel, vt inquiunt, aliquod aliud ſcandalum accidat. His igitur vtemini, & abradetis euſque ſupra rimam, quouſque videbitur eſſe opportunum,& interim,dum abraditis,madefaciatis ſæpe ſcalprum oleo roſaceo,vt melius currat.

Secundo,

Digitized by Google

Secundò, quia ſolet ex motu incaleſcere, ideo, niſi madefieret, poſſet calefacere os: Eandem ob cauſam infundendum aliquando eſt aliquid olei roſ. vel tepidi, vel frigidi ſupra os, quod abraditur, ne videlicet feruorem contrahat.

Et quoniam inter abradendum ſolet ichor quidam ſanguineus emanare (eò, quod frangantur, vel ſecentur venulæ aliquot per os diſperſæ, qui ichor impedit actionem) idcirco, cum uideritis talem ichorem, accipiatis linamenta ſicca, vel goſſipium, & ponatis in loco, unde emanat ichor, & comprimatis os, ut exugatur ichor, qui emanauit, & ita poſſitis abradere: quòd ſi hoc modo non ſiſtatur, imponatis linamenta madida poſca.

Firmato ichore, perſequamini abraſionem, & ſi inueneritis rimam latiorem, quàm eſſet in ſuperficie, non abradatis amplius; ſed ſecetis os, & detegatis membranam.

Sed animaduertatis, quod ſæpe accidit, vt licet rima ſit lata in ſuperficie; tamen eſt anguſta in profundo. Vnde fit, vt inter abradendum amittatur rima; & ideo tunc non debes ſequi abraſionem; ſed ceſſare, & accipere linamentum, & madefacere in atramento antiquorum, vel in noſtro, vel in alio liquore nigro, & imponere ſupra rimam; deinde explendum eſt vulnus vel linamentis ſiccis, vel terebinthina, vel alio medicamento opportuno, & relinquendum ita vſque ad ſequentem diem; poſtea detegendum eſt vulnus, & os: & ſi uideris lineam nigram, certus eris, quòd in ea parte eſt rima; & ita incipies abradere, & abrades euſque, quouſque apparebit rima, & linea illa; ſique rima deuenerit ſolùm vſque ad meditullium, ibi terminabis: Sed ſi rima penetraret vſque in profundum alterius laminæ, tunc ſi rima ſit lata, omnes dicunt, quod ſecandum eſt os, detegendaque membrana: At ſi rima eſſet anguſta, ſunt qui dicant, quòd pariter eſt detegenda membrana; Ego autem in hoc non ſum cum ipſis. O dicunt: ſi tu non aperias os, ſanies permeabit per rimam ad membranam, & non poterit detergi. Dico ego, quòd eſt falſum, quòd ſanies penetret: nam periculum de penetratione ſaniei eſt ob meditullium, vbi propter venas, quæ in ipſo ſunt, generatur ſanies: at patèfacto meditullio, quicquid ſaniei generabitur, extrahetur: & ita non ſinam, vt penetret per rimam: & præterea medicamentis ſiccantibus applicatis, prohibebo generationem ſaniei. Dico igitur, quòd ſi rima ſit etiam in parte interiori oſſis, ideſt, in lamina intrinſeca, dummodo ſit anguſtiſſima, non eſt ſecandum os; &, niſi vrgeat aliquod periculum, nunquam eſt detegenda membrana, quam natura vt optimè tegeret, ſuperinduxit os, pericranium, & cutim: & ideo impium eſſet detergere partem illam loco, quam natura voluit eſſe tam optimè munitam. Quando igitur rima exiſtens in interiori lamina eſt anguſtiſſima, non eſt aperiendum os, & detegenda membrana; ſed ſi eſſet lata, & periculum eſſet de deſcenſu ſaniei, vel aliquod fruſtum oſſis pungeret membranam, vel os depreſſum comprimeret; tunc omnino eſt ſecandum os.

Vſus autem ſcalprorum, & modus, quo debeamus abradere, eſt, vt primò abradamus cum ſcalpro lato, deinde cum altero minus lato, poſtremò cum anguſtiſſimo, vt minima pars, quæ fieri poteſt, membranæ detegatur: & ſi per abraſionem collegeris rimam eſſe anguſtiſſimam, imponendum eſt aliquod medicamentum, de quibus infra dicam.

At eſto quòd oporteat aperire os, & detegere membranam; ſed quando eſt hoc agendum? omnes ferè chirurgi dicunt, quòd non aperiendum eſt os; niſi quando ex ſymptomatibus conſtabit, quòd ſanies eſt prolapſa ad membranam: quę ſymptomata erunt, quòd æger incipiet delirare, vel obmuteſcere, denigrari os, & ſimilia. Sed ego non conſentio cum ipſis, quoniam occurrēdum eſt inflammationi, & aliis incommodis antequam fiant. Paulus autem inquit, quod ſi hyems ſit ſat eſt aperire os antè decimumquartum diem; æſtate autem antè ſeptimam; ratio eſt, quia æſtate non ſuccedit inflammatio, niſi in ſeptima, vel poſt ſeptimam, hyeme autem propè decimumquartum, vel poſt decimumquartum, & non explicauit determinatè tempus Paulus; Sed vtique Hippocrates, qui monet, vt ante quartam ſemper, ſiue æſtas, ſiue hyems ſit, aperiamus os, vel ſaltem ante ſeptimam, & ita vel in ſecunda, vel tertia, vel in quinta, vel in ſexta die detegenda eſt membrana: in quarta autem non, quia eſt dies indicatoria. Vult autem Hippocrates, vt aperiamus antè quartam, quia in quarta poſtea natura non habebit impedimentum, quo minus agat contra morbum, ergo nunquam excedatis ſeptimam diem, & ſi fieri poſſit, potius antè quartam aperiatis. Sed ſi non aduocaremini ante ſeptimam, ſed poſt, quid agendum? Dico quòd ſi opus ſit apertione oſſis, debetis aperire omnino ante quartam, & etiam poſt decimamquartam erit aperiendum, ſi oportebit; ſed raro oportet: & ita detegetis vel in octaua, vel in nona, vel in decima, vel in duodecima, vel in decimatertia: vndecima, & decimaquarta ſemper omittatur.

Quādo aperiendum os.

Sed quomodo aperiendum eſt os, ſtante, quòd neceſſariò ſit aperiendum? Tria ſunt obſer-

Qño aperiēdum os. Tria obſeruanda.

ſeruanda, & primum eſt, in qua parte detegenda membrana: ſecundò videndum, quantum oſſis ſit auferendum: tertiò, quo modo. *De loco.* Quo ad primum de loco, in quo aperiendum eſt os, debetis ſcire, quòd quædam ſunt partes oſſis capitis ſuperiores, quædam laterales, vt ſunt circa tempora circa frontem. & occiput. Præterea ſciendum, quod in partibus lateralibus cerebrum magis prominet, & protuberat. Vnde ſi apertum ſit os in parte laterali, cerebrum magis prominebit extra os, quàm ſi perforatum eſſet os in parte ſuperiori: Et ideo monet Galenus, vt quando volumus aperire os, ſemper aperiamus in parte ſuperiori vulneris, quoniam non ita prolabetur foras membrana, & cerebrum: Semper igitur eligenda eſt pars ſuperior: Semper tamen habenda eſt ratio exitus ſaniei: nam debet quidem aperiri os in parte ſuperiori; ſed ita, vt ſanies non retineatur intus: & hoc docet nos Galenus illo ſuo exemplo in ſexto meth. vbi inquit, quod cuidam fracta ſunt oſſa capitis in tempore, & ipſe non ſecuit oſſa fracta; at aperuit os in parte ſuperiori ita, vt foramen deſineret in vulnus, & ſanies egrederetur, vel extrahi poſſet. Igitur ſemper ſecandum eſt os in parte ſuperiori; ita tamen, vt ſanies poſſit extrahi. Secundò notandum, quòd nunquam ſecandum eſt os ſupra ſuturam, quoniam laceraretur ligamentum illud, quod egreditur per ſuturas, & excitaretur maximus dolor, qui communicaretur membranæ, & fieret inflammatio; ſed ſemper ſectio fiat propè ſuturam.

De quantitate oſſis. De quantitate autem oſſis extrahenda, & ſecanda, Hippocrates, Galenus, Paulus, & omnes dicunt, quòd tantum oſſis eſt extrahendum, & ſecandum, quantum ſat ſit ad extractionem ſaniei, & iniectionem medicamentorum: nam foramen debet eſſe ita latum, vt poſſimus detergere ſaniem, & inijcere medicamenta. Vnde, ſi vulnus, & rima oſſis eſſet longa quatuor digitos, non oportet ſecare tantum oſſis circumcirca, quanta eſt longitudo rimæ, nam eſſet maximum foramen; ſed ſufficit foramen tale, ac tantum, vt poſſimus extrahere ſaniem, & inijcere medicamenta, & ita in vulnere, & rima ita longa ſat erit aperire os in vno tantum loco.

Sed ſi plura eſſent oſſa fracta, quæ loco diducerentur, vel magnum os eſſet fractum, ſuntne omnia oſſa fracta, quæ loco dimouentur, auferenda? Galenus videtur dicere, quòd totum os fractum, quod ſuo loco diducitur, eſt auferendum. ſed poſtea eius exemplum oppoſitum docet: nam in eo, in quo oſſa temporis erant fracta, ipſe perforauit os in parte ſuperiori, os dico, quod non dimouebatur loco, vt dimouebantur illa fracta. Et ideo dico, quòd, niſi aliquod os pungat membranam, vel comprimat, nunquam eſt extrahendum, etiam ſi loco dimoueretur, & plura eſſent fracta; ſed ſat eſt, vt extrahatur portio tanta, quanta requiritur ad foramen, per quod poſſit extrahi ſanies, & inijci medicamentum: nam natura ipſa per ſe poſtea expellet fracta oſſa, quæ ſuo loco dimouentur. Ratio autem cur oſſa fracta, etiam ſi loco dimoueantur, non ſit auferenda, eſt, quia ſunt proprium, & naturale indumentum membranæ, quod indumentum, quo ad fieri poteſt, relinquendam eſt ſupra partes. Et in hoc errant valde maledicti iſti tonſores, qui cum vident oſſa fracta loco dimoueri, ſtatim auferunt, & geſtant in charta inuoluta, & gloriantur paſsim ſe extraxiſſe magna fruſta oſſis ex capite miſeri ægri: & certè eſt maximus error.

De modo. Tertium conſiderandum, & obſeruandum circa remotionem oſſis, & detectionem mēbranæ erat modus. Dico igitur, quòd ſolemus multis modis, & illis quidem propoſitis ab antiquis, membranam detegere: primus modus eſt per abraſionem oſſis: ſecundus eſt per *Quatuor modis aperitur os.* inciſionem cum ſcalpris: tertius per ſectionem cum ſerra: quartus per comminutionem cū forcipe: *Inſtrumenta.* Inſtrumenta autem, quibus vel per abraſionem, vel per inciſionem ſeparamus os, & detegimus membranam, ſunt ſcalpri, qui ſunt duum generum: aliud quidem genus, quo vtimur ad abraſionem, vocatur ξυστὴρ Græce; à noſtris autem raſorium: alterum verò, quo vtimur ad incidendum, & vocatur ἐκκοπεὺς, ideſt exciſorius: ſed primum dicamus de genere *Scalper exciſorius.* ſcalprorum exciſoriorum. Itaque vnus ſcalper exciſorius erat apud Antiquos, qui habebat aciem per rectam lineam, & vocabatur ſcalper exciſorius rectus, & iam appellatur à Celſo: alter exciſorius ſcalper erat, qui κυκλωτὸς, vel κυκλίσκος à Celſo vocatur, & à noſtris circularis eò, quòd habeat figuram ſemicirculi: Tertius exciſorius ſcalper erat, qui vocabatur φακωτὸς. ideſt, lenticularis, vel lenticulatus. Sed, vt omnia palam fiant, debetis ſcire, quòd per ſcalprum rectum, vel rectilineum nihil aliud intelligunt, quàm ſcalprum illum communem, quo vtuntur fabri lignarij, & qui lapides incidunt, & vulgo appellatur ſcalpello, & habet aciem per lineam rectam; & ideo vocatur à Celſo, & ab alijs ſcalper exciſorius rectus. Hoc autem ſcalpro ſeparabant os hoc modo: primò faciebant aliquod foramen terebra in oſſe, & illi foramini applicabāt ſcalprum, & malleolo ex plumbo, vel ex alia materia percutiebant ſcalprum, vt ſolent fabri iſti lignarij, quando cum ſcal- *Modus antiquorū reprobatur.* pro excauant, vel ſecant lignum aliquod durum. Sed modus iſte licet antiquorum ſit, tamen non probatur à Recentioribus, & mea ſententia, iure optimo, quoniam, præterquam

quòd

quòd talis actio eſt periculoſa, maximam etiam moleſtiam ægro affert, quia ex tali concuſſione excitatur magnus ſtrepitus, & ſtridor. hic erat primus ſcalper exciſorius aptus potius ad ſecandas tabulas, & lapides, quàm oſſa capitis.

Alter erat, quem vocabant κύκλισκον, vel αὐλαστὸν, ideſt circularem, quia habet figuram ſemicirculi, & hic triplex erat: vnus latus, alter anguſtus, tertius anguſtiſſimus & anguſtiſſimum vocabant μηλωτὸν, vel μηλωτὴν, eò, quod eſſet paruus, veluti auriſcalpium, ideſt, inſtrumentum illud, quo ſcalpimus, & ſorde mundamus aures. Omnes tamen iſti tres ſcalpri habebant vnam eandemque figuram, nimirum ſemirotundam, & erant veluti ſemicanales: Et his ſecabant os hoc modo: Accipiebant vnum ſcalprum, & aptabant vni parti oſſis auferendi; alterum aptabat miniſter oppoſitæ parti, & ex diametro alteri ſcalpro, & malleolo contundebat vnum ſcalprum tantum: ponebant autem alterum ſcalprum in parte oppoſita, vt reſiſteret ictu alterius, & ita minor fieret concuſſio: Et quia vtebantur duobus ſcalpris eo modo, quo dixi, ideo vocarunt ſcalpros exciſorios oppoſitos: & ſcalpri iſti antiquorum ſunt illi communes apud nos, quibus vtuntur fabri illi ad excauandum lignum figura rotunda, & ſunt ſemicanales. Quando autem antiqui ſecabant os cum huiuſmodi ſcalpris, ſeruabant hunc ordinem, vt prius vterentur lato, deinde anguſto, poſtremo anguſtiſſimo; & apertio oſſis cum his organis iam abſoleuit.

κύκλισκος circularis.

Tertium genus exciſorij ſcalpri erat illius, qui vocabatur Græcè phacois, & phacotos, ideſt, lenticularis, & erat gladiolus veluti eſt gladiolus ſcriptorius, quo vtimini ad attemperandos calamos ſcriptorios; ſed in ſumma acie habebat portiunculam ferri, quæ habebat figuram lenticulæ: vnde nomen accepit, & facta erat ad hunc vſum, ne, quando vtebantur tali gladiolo, pungeretur membrana, ſi caſu manus labaſceret. Scalper igitur iſte erat gladiolus, qui ſecabat à lateribus & habebat veluti lenticulam in ſummo, & erat in vſu ad æquandum foramen oſſis, & auferendas partes illas oſſis inæquales circumquaque relictas, & pungentes. Ex his autem tribus generibus exciſorij ſcalpri tertium tantum lenticulare eſt nobis in vſu, & videbitis, quòd omnes iſti chirurgi geſtant ipſum, ſed potius vt appareant eſſe boni chirurgi, quàm quod ipſo vtantur: ij autem, qui præſtantiores, & doctiores ſunt, geſtant, & utuntur frequentiſſimè: & re uera eſt organum, ſi quod aliud, præſtantiſſimum: & ipſo utimur, quando iam ſeparatum eſt fruſtum oſſis, & remanſere circum circa partes inæquales, utimur, inquam, ad æquandum foramen illud.

Φακωτὸς lenticularis.

Tertius eſt in vſu apud nos.

Secundum genus ſcalprorum continebat raſorios ſcalpros, qui non deſcribuntur, quod ego ſciam ab antiquis; ſed nos habemus per manus traditos, & credo antiquos eos non deſcripſiſſe eò, quod eſſent per ſe manifeſti ex organo illo, quo vtebantur in balneis ad deradendam ſordem, & ſtrigil vocatur. Scalper iſte eſt duplex, quorum vnus vocatur ſcalper raſorius rectus, & ab iſtis vocatur raſoria recta, vel raſpatoria recta, recta quidem eò, quòd pars, qua abraditur, recta ſit, & figura iſtius ſcalpri eſt ſimilis figuræ ligonis; & hoc ſcalpro vtebantur chirurgi ſuperioris ætatis: Alter ſcalper eſt ſimilis ſtrigili antiquorum: eſt enim circularis in extremo, habetque duas acies: vnam in vna parte, alterum in reliqua oppoſita: & eſt, ac ſi tu acciperes folium gladioli, & flecteres ita, vt pars parti necteretur, coniungereturque ſimul, præterquam in medio folij, vbi remaneat veluti circulus, qui habeat hinc inde aciem: talis eſt gladiolus reflexus, & vtimur nos feliciſſimo cum ſucceſſu, & citò agimus: & quando una acies obtuſa eſt, inuertimus, & utimur alia, ita, ut quilibet ſcalper ex his faciat pro duobus: hoc igitur & nos utemini in abradendo; ſed interim dum abraditis, madefaciatis ſæpe aciem oleo, uel lacte, vt minus obtundatur, & minor fiat ſtridor, & ne acies incaleſcat, & calefaciat os.

Scalpri Raſorij.

Vtebantur antiqui & ſerra in ſecando oſſe, ſicut & nos vtimur; & ſerra triplex erat medica: Vna erat ſatis longa, qua vtebantur in ſecandis oſſibus per tranſuerſum, vt quando artus aliquis eſt ſphacelatus; & hæc non eſt opportuna in ſecando oſſe capitis: Altera erat parua admodum, anguſtiſſima, & breuiſſima, & ab iſtis vocatur vulgo bandiruola, eò, quod ſit ſimilis paruo vexillo, ideſt, banderæ, vt ita dicam, & eſt dentata in ſumma ſuperficie: Vſus eius eſt ad ſecandum os inter duas rimas, vt ſi os haberet vnam rimam per rectam lineam in vna parte, & alteram in oppoſita; hac ſerrula ſecamus os in vna parte; deinde in altera; & poſtea os, quod quadratum in medio remanet ſectum, auferimus: & hanc ſerrulam credo non fuiſſe in vſu apud antiquos, præſtantiſſima tamen eſt. Tertia ſerra erat circularis, & rotunda, & erat veluti fruſtum arundinis, vel fiſtulæ, quod habebat circulum dentatum in extrema ſuperficie; & in medio fiſtulæ in parte dentata erat clauus excedens aliquantiſper circulum: qui clauus infigebatur oſſi, ne interim dum circumducitur laberetur ſerra ipſa, & exiret limites; & cum aliquantulum ſectum os, & appropinquabat ſectio membranæ, vel auferebant clauum, ſeu acum illam, vel vtebantur alia ſerra fœmina, ideſt, quæ non haberet in medio clauum: nam præ habet clauum vocatur mas. Serram hãc circularem deſcribit optimè nobis Celſus in octauo lib. cap. tertio ubi animaduertatis;

Serra, quæ triplex erat.

Digitized by Google

Molinello, trapano, neſpola.

uertatis, quòd in eo loco, vbi legitur, quòd talis ſerra, quæ ab eodem uocatur modiolus, habet extremum ferratum, legatis ſerratum: Talis ſerra à noſtris uocatur uulgo molinello, aliquando trapano, aliquando neſpola: Et hinc prouerbium illud vulgare, dedit ſibi neſpolam: Serra hæc in uſu apud nos eſt, & eſt uariorum generum, ut uobis oſtendam. Vtebantur antiqui & trapano illo, quo fabri iſti, qui reſarciunt teſtacea vaſa, perforant teſtas; & ne perforarent membranam, addebant acui illi vel circulum, vel alas, quarum alarum, vel circuli ratione vocarunt tale organum immergibile. Sed obſoleuit iam hoc organum in aperiendis oſſibus capitis, & quidem iure: quia periculoſum admodū eſt.

Vectes ad eleuãda oſſa depreſſa. Forcipes.

Habebant antiqui & vectes, quibus eleuarent depreſſa oſſa, & nos etiam habemus: habebant & forcipes ad auferenda comminuta, fractaque oſſa, quibus & nos non caremus, & habemus forcipes exciſorios, & variorum generum: aliquos rectos, aliquos inflexos, aliquos anguſtos, quibus ſecamus, aliquando fracta oſſa, vt quando tenera ſunt: quibus inſtrumentis carebant antiqui.

Detecta mēbrana quid agendum. Si nihil ſit paſſa. Bipartita Auctorum ſententia.

Ablato oſſe, & detecta membrana, primum, quod medicus agere debet, eſt, vt videat, quo modo membrana ſe habeat, an benè, vel malè, an ſecta ſit, uel contuſa, aut aliquid aliud ſit paſſa, nec ne. Si ergo uideritis, quòd membrana pulſat, dicatis, quòd ſecundum naturam ſe habet: ſed eſto, quòd nihil ſit paſſa, quid tunc agendum? Imponenda ſunt quædam medicamēta, quæ duum generum ſunt, ſicut & bipartiti ſunt auctores: nā Hippocrates præcipit, vt ſtatim, detecta membrana, & nihil ipſa patiente, ſupra ipſam imponamus medicamentum, quod ſtrenuè ſiccet, & detergat: & affert rationem, quoniam, inquit, oportet prohibere generationem ſaniei, & detergere membranam, ne putrefiat, herbeſque fiat: nam eſſet periculum de vita: Hæc eſt mens Hippocratis in lib. de vulneribus. Quam & Celſus lib. octauo cap. quarto explicat optimè, & inquit, quòd ſtatim, detecta membrana, oportet accipere ſpongiam madidam aceto & ipſam detergere: quo fiet, vt ſi ſanguis flueret, ſiſtatur, & ſi aderunt grumi ſanguinis, remouebuntur; deinde vult, vt capiamus ſuum emplaſtrum viride cephalicum, vel emplaſtrum Philote vocatum, vel emplaſtrum Iudęi, de quibus agit in quinto libr. vult, inquam, vt capiamus aliquod ex dictis emplaſtris, & diſſoluamus aceto, & madefactis linamentis, imponamus membranæ, deinde mandat, vt accipiamus lanam ſuccidam, imbuamus aceto, & ſupra linamenta ponamus: nam ratione lanæ mitigabitur, ſi aderit dolor aliquis, ratione autem aceti repelletur materia, ne fiat inflammatio: & ita vult, vt procedamus, quouſque erit generanda caro. Quare, vt videtis, Celſus habuit eandem ſententiam, quam & Hippocrates, quòd detecta membrana applicanda ſint ſiccantia, & detergentia medicamenta. Addatis, quòd & Meges Sidonius, qui fuit tantæ auctoritatis, quantæ vnquam alius apud antiquos, eiuſdem fuit opinionis. Præterea Galenus in ſexto meth. cap. vltimo, ex ſententia Eudemi Pergameni, videtur probare hanc curandi rationem: nam dicit, quod Eudemus ſuus conciuis ſtatim, detecta membrana, imponebat iſim medicamentum, quod validiſſimè ſiccat, & Galenus laudat hanc curationem, quia inquit, membrana tolerat valida medicamenta: & dicit, quòd aliàs ipſe timebat valida medicamenta in membrana illa cerebri propter ſenſum exquiſitum, quem habet; tamen cum viderim, inquit, quòd & meatus auditorius fert fortiſſima medicamenta, qui meatus deſinit in membranam cerebri, non dubitaui vti validiſſimis & in membrana cerebri: nec inibi explicat, quodnam ſit illud medicamentum fortiſſimum, quo vtitur in meatu auditorio, ſed in nono de facult. ſimplicium cap. de ſcoria ferri illud nobis manifeſtat, & eſt, quòd accipiebat ſcoriam ferri, & aceto abluebat, deinde exurebat, & admiſcebat cum aliquo alio medicamento, & ita vtebatur. Itaque & auctoritate Hippocratis, & Celſi, & Megetis doctiſſimi, & authoritate Maximi, & Galeni, & Eudemi detecta membrana, ſtatim vtendum eſt medicamentis valde ſiccantibus, & detergentibus. Addatis & experientiam: nam Galenus teſtatur ſe vidiſſe Eudemum multos ſanaſſe hac curandi ratione.

Alterā diuerſa ſententia.

Alij autem ſunt, qui prorſus ab hac curandi ratione abhorrent, & vtuntur altera curandi ratione, quæ fit per lenientia, & mitigantia, quale eſt oleum roſaceum: Vnde refert Galenus, quòd quando Romam profectus eſt, reperit omnes illos Medicos vtentes oleo roſaceo, uel ſanguine columbino ſupra detectam membranam ad ſedandum dolorem, & prohibendam inflammationem, & inquit, quòd infinitos vidit ſanatos, & in illis nihil mali ſucceſſit, in quibus ſtatim detecta membrana infuſum eſt oleum roſatum, vel ſanguis columborum. quare & hæc curandi ratio antiqua eſt, & experientiam pro ſe habet. Addatis auctoritatem Pauli, qui eſt veluti ſimia Græcorum, &, inquit, quòd, detecta membrana, ſtatim infundendum eſt oleum roſaceum tepidum, & cauendum, ne comprimas membranam.

Duplex itaque eſt curandi ratio: vna, quæ perficitur ſiccantibus ſtrenuè, & abſtergentibus, & hæc indicatur à natura partis, ideſt, membranæ, quæ ſicut ſicciſſima ſuapte natura

eſt,

Digitized by Google

eſt, ita quoque indicat ſicciſſima medicamenta. Altera verò eſt, quæ perficitur lenientibus, & mitigantibus, & hæc curatio indicatur, non quidem à natura partis, ſed a ſuperuenturis, vt ab inflammatione, & reliquis, quæ ſuccedere ſolent. Cum itaque vtraque curatio procedat per veram indicationem, credo, quòd utraque ſit bona, & quòd uel hac, uel illa poſſimus uti; ſed ſciatis, quòd quamuis membrana cerebri toleret robuſtiſſima medicamenta, & acria; tamen non ob id argumentum Galeni de meatu auditorio mihi ſatisfacit, quia eſt falſum, quòd medicamentum infuſum in meatum auditorium deueniat uſque ad membranam cerebri, ſed deuenit tantum ad membranam, quæ facit timpanum, ubi ſunt tria illa oſſicula; extra autem timpanum eſt cauitas capacitatis ferè unius digiti: & ideò longè diſtat neruus auditorius, & membrana cerebri à timpano, ad quod deuenit medicamentum: quod timpanum licet habeat maximum ſenſum, vt patet, quia percuſſum eſt in cauſa, vt excitetur tuſſis ob communicationem doloris, tamen non eſt conferendum cum neruo auditorio. Itaque non valet: in meatu auditorio conueniunt robuſtiſſima medicamenta, ergo & in membrana cerebri.

Attamen dico, quòd cum membrana ferat robuſta medicamenta, poſſumus ſupra ipſam ſtatim ponere medicamentum aliquod ſiccans: Vnde ego in primis illis annis, quibus cæpi exercere artem, vſus ſum aliquando Iſide, non emplaſtro quidem, quia eſſet nimis validum; ſed cerato: nam admiſcebam cum vnguento roſaceo, hocque modo mixtum facit quoque ad generationem carnis; & hoc video etiam fuiſſe obſeruatum à Celſo: nunc autem rariſſimè vtor tali medicamento in membrana ipſa, quoniam deuenio ad alteram curandi rationem per lenientia, & mitigantia, qua curatione vtuntur & omnes alij medici Itali doctiores. Ratio autem, cur potius curatione per lenientia, quàm per ſiccantia vtantur, eſt quia membrana facillimè inflammatur, etiam ſi ſeruetur ſuus habitus ſiccus: & ideo ne ſuccedat inflammatio, & mors, doctiſſimi medici, & chirurgi vtuntur potius mitigantibus dolorem, quam ſiccantibus, quia ſiccantia non ita reſiſtunt inflammationi. Vnde & ego non diſcedens à doctiſſimis medicis potius eligam curationem per mitigantia, quàm per ſiccantia.

Auctor vtitur ſecũda via.

Ad Hippocratem autem, qui dicit, quòd oleum roſac. eſt in cauſa vt membrana putreſcat, dico, quòd eſt veriſſimum, & ferè ſemper vbicumque ego ſum vſus oleo roſaceo, ſuperficialis pars membranæ, & aliquando etiam tota illa pars, eſt putrefacta: ſed tantum abeſt, vt, cum hoc accidit, ego timeam, vt potius habeam pro indubitato ferè indicio, quòd æger ſanabitur, & quòd non adeſt periculum mortis: nam quando membrana putreſcit, & incipit malè olere eſt indicium, quòd natura valida eſt, &, quòd concoquit, & tentat expulſionem illius partis. Dico igitur verum eſſe, quòd vt plurimum ſuccedit ex vſu olei roſ. putredo membranæ, tamen nihil mali ex ea putredine vidi vnquam ſequi, immò eſt indicium ſalutis, vt dixi, dummodo non ſit denigrata; & de hoc non dubitetis: dicatis audacter: Faloppius dixit hoc, quoniam eſt veritas, & ſcio, quòd non mentior, & ex ijs, in quibus ex vſu roſacei olei vidi putridam, & fœtentem factam eſſe membranam, nullum adhuc vidi mortuum, & vidiſtis etiam his diebus in nobiliſſimo illo iuuene Vrſato, quòd vſi ſumus ſtatim detecta membrana oleo roſaceo; putrida eſt facta membrana, & tamen ſanatus iam ferè eſt: idem credo quòd obſeruaueritis in altero, qui habitat propè Columbinos. Cum itaque videam ex vſu olei non fieri inflammationem, immò prohiberi, & ex putrefactione nihil mali ſequi, videamque doctiſſimos omnes medicos vti ſtatim, detecta membrana, oleo roſaceo, vel ſanguine columborum, non poſſum & ego non eligere potius curandi rationem per hæc lenientia, quàm per ſiccantia, & eò magis, quia video Galenum teſtantem antiquos vſos fuiſſe tali curatione, & dicit ſe vidiſſe infinitos ferè ſanatos ex vſu olei roſacei omphacini. Et ideo ego ſtatim, detecta membrana, infundo oleum roſ. omphacinum completum, ſine ſale confectum: omphacinum enim ſiccat magis, & magis adſtringit, & ita magis prohibet inflammationem; ſed ſemper pro capite petatis oleum roſ. completum omphacinum: nam res eſt maximi momenti, & ſit factum ſine ſale.

Ad Hippocratis ſententiam.

De ſanguine autem columbi, quo vtebantur antiqui, dico, quòd eſt præſtans medicamentum, ſemper tamen ego vtor libentius oleo roſaceo, quàm ſanguine, præterquam in vno caſu, & eſt quando membrana integra eſt, & ſunt in ipſa grumi ſanguinis aliquot, tunc infundo ſanguinem libentius, quàm oleum roſaceum: quia ſanguis habet maiorem vim detergendi grumos illos; roſaceum autem oleum magis ſordes aggregat; mel poſtea non conuenit, quia acre eſt: ſi autem non ſit opus detergere grumos, vtor libentius oleo roſaceo. Sed controuerſia eſt de ſanguine inter antiquos: nam aliqui volebant ſanguinem ex pullis columbinis iuuenibus, alijs placebat ex adultis, alij volebant ex teneris pennis alarum extractum, alij ex ſecta vena columbi. Ego autem dico, quòd, quando non eſt opus magna deterſione, accipiendus eſt ſanguis fluens ex ſecta uena per tranſuerſum ſub ala: ſi

De ſanguine columbino

Controuerſia circa dictum ſanguinem.

autem

autem volo magis detergere, vtor ſanguine pennarum; quia eſt tenuior, & magis abſtergit: extraho pennas illas iuuenes columbi iuuenis,& cōprimo pennas ſupra membranam: at ſi opus eſſet multo ſanguine, non oporteret expectare ſanguinem pennarum: nam longum tempus requiritur, antequam copioſus habeatur, & interim refrigerabitur vulnus; & ideo in eo caſu ſeco venam ſub ala columbi adulti, & facio, vt ſanguis decidat ſupra membranam. Colligo igitur, quòd vtraque curandi ratio eſt recta, tamen tutior eſt illa per lenitionem doloris:nec timenda eſt putrefactio membranæ,dummodo non fiat nigra.

Cum oleo roſaceo procedendum vſque ad quartā diē.

Igitur ſtatim, detecta membrana, infundatis oleum roſ. & ita cum oleo procedatis vſque ad quartam diem. Paulus tamen dicit ſolùm vſque ad tertiam, ſed tutius eſt videre, quid faciat quarta dies. Itaque detecta membrana, ſtatim infundatis oleum roſaceum purum calidum, deinde madefaciatis linteolum ex ſerico chermiſino, vel filamenta ex eodem ſerico in eodem oleo, & expleatis totum vulnus, vel loco olei infundatis ſanguinem columbi: Idem & ſecunda die facietis, & exterius circumcirca vulnus imponetis emplaſtrum Hippocratis ex farina hordei, oleo roſaceo, & poſca. Tertia die oleo roſaceo addetis portionem ſyrupi roſacei, vt aliquid detergat, quoniam in tertia die membranæ aliqua portio incipit concoqui, & corrumpi, & ideo opus eſt aliqua deterſione. Igitur accipietis tertiam partem ſyrupi, & duas olei roſacei, & infundatis ſupra membranam, & linamentis madidis eodem medicamento expleatis totum vulnus circumquaque, poſtea applicabitis emplaſtrum dictum. Tranſacta quarta die, ſi videritis, quòd gignatur pus, &

Tranſacta quarta die.

ſuperficies membranæ incipiat fieri alba, & corrumpi, accipietis oleum abietinum roſaceum, & ſyrupum roſaceum, & ſimul mixtis vtamini modo dicto, vel loco olei abietini accipiatis terebinthinam reſinam, & miſceatis cum alijs, & ita habebitis medicamentum quod deterget,concoquetque moderatè,& cum hoc procedetis vſque ad ſeptimam. Cum

Vſque ad ſeptimam.

deueneritis ad ſeptimam, quia præterijt omnis ferè occaſio inflammationis(rarò enim accidit, vt poſt ſeptimam ſuccedat inflammatio, niſi fiat ob negligentiam Medici) quia, inquam, præterijt periculum de inflammatione, redeundum ad curationem indicatam à

Poſt ſeptimā redeundum ad ſiccantia.

natura membranæ,& oſſis, videlicet per ſiccantia; valdè tamen ſiccantibus non eſt ſtatim vtendum, quia eſſet tranſitus ab extremo ad extremum, ſcilicet, à leniente medicamento ad ſtrenuè ſiccans medicamentum, & ideo non vtamini ſtatim emplaſtro Iſidis; ſed conficiatis medicamentum moderatè ſiccans ex terebinthina, aloe, & farina orobi dulcis, addito melle roſ. vel ſyrupo roſaceo, & ſupra os poſtea inſpergetis pulueres capitales: Et ſi

Medicamentū moderatè ſiccans.

mollis habitus ſit, vt puerulorum, vtamini ſupra membranam aliquo leni medicamento, quale eſt vnguentum de marcheſita, vel de gummi elemi diſſolutum cum cerato maſticino. Cum his ergo detergetis membranam, & expectabitis generationem carnis. Sed ſi videritis, quòd membrana minatur putredinem, & vult ſeparari, infundatis ſupra ipſam duas, vel tres guttas mellis roſacei puri, deinde ſuperimponetis diapalma diſſolutum cum oleo maſticino, vel vnguentum de betonica cum eodem diſſoluto, & expectabitis deſquamationem oſſis.

Alter modus pro ſiccantia.

Sed ſi velletis vti altero modo curandi, qui fit, per ſiccantia, oportet deuenire ad cephalica medicamenta arida, quæ ſunt duum generum, alia ſunt ſub forma puluerís; alia ſub forma emplaſtri, & actualis humiditatis: nam per hanc vocem (arida) intelligimus vtriuſque generis medicamenta. Verùm quia præceptum fuit Hippocratis, quòd in vulneribus capitis fugienda eſt quæcunque humiditas; ideo ego libentius vterer, quæ ſunt ſub forma pulueris, quàm quæ ſunt ſub forma emplaſtri. Arida autem medicamenta puluerulenta varia proponuntur à Galeno, & primum puluis iridis, erui amari, non autem dulcis manna thuris,ariſtolochia longa, & rotunda in puluerem redacta,panacis radix. Aetius

Pulueris ſiccantes.

& ipſe in decimoquarto lib.cap.45.recenſet multa alia, vt ariſtolochiam tenuem, & eſt illa ariſtolochia longa communis,& quæ etiam longa dicitur in officinis,& eſt etiam tenuis Andromachi, ſquamma æris præparata, radix bryoniæ albæ, filphij radix, pumex vſtus, & lapis ſpecularis vſtus, qui lapis vocatur in officinis alumen ſcariolæ, & vulgò ſpeculum aſini, eſtque ſpecies gypſi. hæc eſt materia aridorum, quæ in puluerem redacta poſſunt inſpergi ſupra membranam detectam, & oſſa, vt eorum natura conſeruetur.

Emplaſtra ſiccantia.

Materia autem emplaſtica eſt primò Iſis, emplaſtrum philote, Iudæi, & viride emplaſtrum Celſi; & alia multa poteritis videre apud Auctores. Et quia non omnes habitus eadem requirunt medicamenta,ideo diſtinxi ego medicamenta hæc arida per tres ordines; & primus ordo erit pro vulneribus capitis cum detectione membranæ in habitibus mol-

Primus gradus medicamenti ſiccantis.

lioribus: ſecundus pro mediocribus habitibus: tertius pro robuſtiſſimis. In primo ergo gradu eſt iſis vnguentum, non autem emplaſtrum, quia nimis ſiccat; at intelligo de emplaſtro iſidis temperato, & in vnguentum redacto: capiatis ergo vnam partem emplaſtri iſidis, & duas vnguenti roſ. & miſceatis, & opportunum erit medicamentum: poteritis accipere modò paulo plus vnius, modò alterius, prout habitus erit magis, vel minus mollis.

Digitized by Google

lis. Sed quomodo, diceret aliquis, imponendum eſt hoc medicamentum ſupra membranam? Aliqui iſtorum ſolent extendere medicamentum ſupra linamenta excerpta, quæ filamenta, vel filacia vocant, & linamenta illa ponunt ſupra membranam. Alii non accipiunt filamenta illa ſicca ex panno lineo, ſed accipiunt ſindonem, ideſt, telam ex ſerico, & non ex quocumque ſerico, ſed ex illo tantum, quod eſt infectum cocco, ideſt, grana, chermiſin vocant vulgo, & ſupra telam hanc extendunt medicamentum: & ratio, cur potius telam ex ſerico, quàm ex alia materia accipiant, eſt, quia medicorum ſententia eſt, quòd quando eſt detecta membrana cerebri, ſtudendum eſt, quoad fieri poteſt, vt non comprimamus mēbranam: & ideo tela ex ſerico optimè ſatisfacit, quia rigida aliquātulum eſt, & quodammodo ſeſe ſuſtentat. addatis quòd ſericum eſt materia valde ſicca, & diu putredini reſiſtit: Volunt poſtea, quod ſit grana tincta, quoniam talis color habet vim ſiccandi: & ideo laudo ego ſummopere telam, uel filamenta ex materia ſericina coloris iam dicti, quoniam, præter quam quod non comprimit membranam, habet vim aliquam ſiccandi tùm ratione naturę proprię, tùm etiam coloris; & ita ratione ſiccitatis prohibetur inflammatio, quia & membrana, & os conſeruatur in propria natura.

Quō imponendum eſt medicamētū in membrana.

Et quia incidi in ſermonem de membranæ compreſſione, quę eſt fugienda, ideo antequā vlterius procedam, velim, vt notetis, quòd quandoque magna quantitas membranæ detegitur; & ideo medicamenta ſuperimpoſita neceſſariò comprimunt. Vnde quidam vt hoc cuitent, ſolent accipere fruſtum cucurbitæ exſiccatæ, & aptant ſupra membranam detectam, ita vt à lateribus hæreat oſſi, & in medio ſui ſit totum foratum, & foramen ſit æquale foramini oſſis, & membranæ detectæ, & ita ſupra cucurbitam ponunt medicamentum. Sed hoc mihi non placet, etiam ſi cucurbitæ fruſtum ſit leue, non placet, inquam, quoniam eſt materia putreſcibilis. Et ab iſto vſu cucurbitæ ortum habuit vulgaris illa opinio, quòd aliqui habeant fruſtum cucurbitæ loco oſſis in capite, & vocant tale caput cucurbitinum. Sed ſi talis materia relinqueretur in capite, & vulnus obduceretur cicatrice, profectò citò putreſceret. Placet igitur mihi, vt tueamur, ne medicamentum comprimat membranam non cucurbita, ſed lamina ſubtiliſſima ex auro, vel ſaltèm ex argento; ſed ex auro eſt melior, quæ lamina debet eſſe perforata, vt medicamenta poſſint peruenire ad membranam, & ſanies poſſit extrahi, & debet incumbere lateribus oſſis; & reuera huiuſmodi lamina eſt neceſſaria vbi magna quantitas membranæ eſt detecta.

Ne membrana comprimatur.

Lamina ex auro.

Igitur, vt ad rem redeam, in pueris, & alijs habitibus mollibus ponetis ſupra detectam mēbranam iſim paratum eo modo, quo dixi, extenſum ſupra pannum ex ſerico; deinde ſupra os, & telam etiam inſpergēdus eſt puluis, quem modo dicam; poſtea explendum eſt totum vulnus linamentis oblinitis eodem medicamento, ſcilicet, iſide parato cum roſaceo cerato, vt dixi: Puluis autem inſpergendus eſt iſte: Accipiatis eruum amarum, mannam thuris, peucedanum, radicem iridis, & redigatis in puluerem tenuiſſimum.

Puluis inſpergendus ſupra telā cum iſide.

Si autem volueritis medicamenta validiora, eò, quòd habitus ſit robuſtior, vtamini ijs, quæ ſunt ſecundi gradus, cuiuſmodi eſt iſis vnguētum paratum pariter cum cerato roſaceo, ſed accipiendo maiorem partem iſidis, & minorem roſacei, quàm ſupra accipiebamus, vt accipiendo vnam partem iſidis, & alteram cerati roſacei, ita, vt ęquali pondere aſſumātur: & vtamini eodem modo, quo dictum eſt extenſo ſupra telam ſericam, & poſtea ſuperinſpergatis puluerem robuſtiorem, vt. Rec. pulueris ariſtolochiæ rotundæ, ariſtolochiæ tenuis, iridis, brioniæ albæ, brioniæ nigræ partes æquales, & addatis portionem pulueris radicis ari, & totū poſtea vulnus expleatis eodē medicamēto, uidelicet, ex iſide, & roſ. parato æquali pōdere.

Puluis robuſtior.

Si autem habitus eſſet robuſtiſſimus, vt ruſticus, & ſenilis, vtamini ijs, quæ ſunt in tertio gradu, & ita ſupra membranam imponetis purum iſim, vel viride, vel philote, vel iudæi emplaſtrum, & ſuperinſpergatis deinde hunc puluerem: Rec. pulueris ariſtolochiæ rotundæ, iridis, bryoniæ, ſquammæ æris, pumicis vſti ſpecularis lapidis vſti partes æquales, & à principio vſque ad finem vtemini hac eadem curatione.

Si habitus ſit robuſtiſſimus.

Sed ſi aperto oſſe reperiatur membrana nihil paſſa, referta tamē grumis ſanguineis, quid agendum? Illi, qui utuntur curatione per uiam ſiccantem, ſtatim infundunt ſupra membranam acetum, uel oxymel purum uel mel purum, quia hæc ualde detergunt, & ſiccant: Nos autem, qui utimur curatione blandiente, primò tentamus leniter, an goſſipio poſſimus grumos illos auferre: quòd ſi poſſumus, perſiſtimus; ſi non poſſumus hoc modo, deuenimus ad medicamenta, & primò affundimus ſanguinem ex uena columbi adulti, uel ex pennis innenis, & hoc primâ die, & ſecunda: utimur ad eandem intentionem ſyrupo roſ. ſimul cum ſanguine, & in hoc etiam perſiſtimus tertia die, & quarta: quinta autem die infundimus parum mellis roſacei, aliquando purum, aliquando ſimul cum ſanguine, & admiſcemus parum olei abietini cum aqua betonicæ: ſexta die, ſi grumi his non cedant, utimur reſina abietina, & oxymelite ſimul mixtis.

Si mēbrana reperta fuerit cum grumis ſāguinis.

De vulnere capitis cum denigratione membranarum cerebri. *Cap. XIII.*

Mēbrana ſit nigra duabus de cauſis. Experimētum Pauli.

CAeterum quandoque membrana, quãdo apertum eſt os, inuenitur nigra, & non habet nec grumos, nec aliud, & in hoc caſu nihil dicũt auctores quid ſit agendum. Sciatis igitur, quòd membrana fit nigra duabus de cauſis, aut ex transfuſo ſanguine per ſui ſubſtantiam, qui ſanguine ipſam denigrauit, aut fit nigra, quia ſit refrigerata propter contuſionem, aut alia de cauſa. Tunc Paulus inquit, quòd, quando inuenimus membranam nigram, debeamus experiri, an denigrata ſit ratione transfuſi ſanguinis per ſui ſubſtantiam, aut propter refrigerationem: ad hoc autem experiendum vult, vt accipiamus mel crudum ſimul cum oleo roſaceo & plus mellis, quàm olei, & infundamus: accipit autem mel, vt detergat, oleum autem, vt obtundat mellis acredinem: & ſi videritis, quòd ex infuſione huius medicamenti prima, & ſecunda die non auferatur color ille, habeatis pro certo, quòd membrana non eſt nigra per transfuſionem ſanguinis; ſed per refrigerationem: nam quando eſt per transfuſionem ſanguinis, octo vel decem horis remouetur color ille niger: ſi ergo color ille perduret, indiciũ certum eſt, quod membrana eſt facta nigra ob refrigerationem, & in hoc caſu nihil dicunt

Si propter refrigerationem. Oleum ex reſina terebinthina.

auctores, quid ſit agendum. Ego autem ſoleo ſtatim vti calefacientibus, & ita ſi æger puer ſit, infundo oleum extractum per elambich ex reſina terebinthina abluta, quod oleum in officinis vocatur reſina abietina, & eſt oleum, quod maximè penetrat, & eſt ſuauiſſimum: volo autem vt reſina, antequam ponatur in elambich, abluatur, ne poſtea oleum mordicet, & hoc facio in habitibus mollioribus. Si autem æger ſit adultus, & durioris habitus, curo vt vi ignis extrahatur oleum ex terebinthina, & ipſum infundo in mẽbranã, & hoc modo res mihi aliquoties feliciter ſucceſſit, aliqñ non, qm̃ qñ membrana eſt denigrata ex refrigeratione, ſolet ſæpe ſuccedere mors: & his vtor vſque ad ſeptimam, immò vſq; ad ſeparationẽ membranę denigratę; nam ſeparatur illa pars tota, & aliqñ ſuccedit ſanitas, aliquãdo mors.

De vulnere capitis cum inflammatione membranarum cerebri. *Cap. XIIII.*

Inflãmata mēbrana cognitio. Signa.

ACcidit ſæpe, vt membrana inflammetur aut quia ſit refrigerata, vel quia contuſa, vel quia puncta; vel ex alia occaſione, & ideo oportet videre, quid in hoc caſu ſit agendum. Oportet igitur primò cognoſcere, quando ſuperuenerit inflammatio. Cognoſcetis autem membranam inflammatam eſſe, vel incipere inflammari ex proprijs notis: & prima eſt, quòd incipiet turgere, nec in ſuo loco poterit manere, ſed exibit extra cauitatem oſſis: & aliquando ita intumeſcit, vt nõ ſolum os; ſed etiam labra vulneris excẽdat: aderit dolor in ea parte; pulſatio membranæ penitus erit abolita; æger incipiet delirare, & maximè aliquando delirare; aderit ſenſus vehementiſſimi caloris, qui calor percipietur ab ægro in parte illa læſa: hæc ſigna cũ aderunt, non eſt dubitandũ, ꝙ adſit incipiens inflammatio, vel magna ex parte ſit facta.

Inflãmata mēbrana quid agendum. Lenticula. Folia vitis. Oleum roſaceum.

Hoc cognito, cum iam fuerit ſecta vena, lenita aluus, inſtituta recta victus ratio, quid erit agendum? profectò eſt verſandum circa vulnus. Vnde Celſus monet, vt imponamus lenticulam, & intelligatis de lenticula paluſtri, quæ refrigerat, repellitque materiam, & impedit inflammationem, vel dicit imponenda eſſe folia vitis viridia, & recentia, teneraque: ſed qũo hæc ſunt imponenda? Capiatis butyrum, vel axungiam anſeris recentem, & dulcem, & cũ folijs lenticulæ, vel vitis faciatis emplaſtrum, & imponatis. Gręci autem aliter tractant inflãmationem, nam vtuntur oleo roſaceo, vt videre eſt apud Gal. in 2. de med. comp. ſecundum loca, vbi ex authoritate Apollonij, Archigenis, & ſua etiam, affundit oleum roſaceum (nam habet aliquam vim mitigandi dolorem, aſtringit, & repellit) & eodem etiam oleo fouet locum: Affundatis igitur oleum tepidum; deinde accepta ſpongia madida eodem oleo, & expreſſa, apponatur tepida loco, & foueatur membrana; ſed ſit roſatum completum factũ ex oliuis maturis, & oleum ſit ablutum, anteq̃ fiat roſaceum. i. anteq̃ in ipſum ponanẽ roſæ. Et

Cōfectio olei roſati cōpleti.

hic volo oĩno admonere & obſecrare vos (iuuenes optimi) vt qñ eritis in veſtris Ciuitatib. faciatis, vt veſter ſeplaſiarius abluat optimè aqua pura oleum illud, ex quo vult facere roſaceum oleum, deinde cum ablutũ fuerit affundat roſas, & faciat oleũ roſaceũ cõpletũ vt fieri ſolet; at habeatis in memoria, vt oleũ ſit antea ablutum: nã oleum roſaceũ cõpletũ factũ

ex

Digitized by Google

ex oleo prius abluto optimè eſt ita præſtans in vulneribus capitis, vt nihil præſtantius reperiri poſſit, & hoc vtuntur Græci, & nos in inflammatione membranæ, infundendo ipſum, & fouendo locum cum ſpongia madida eodem; & in hoc perſiſtetis prima, atque altera die; Deinde fouebitis locum cum ſpongia madida decocto ex althea, ſemine lini, fænugræco, & chamomelo, & hoc vti poteritis etiam, ſi membrana ſit tumidiſſima; Poſtea explebitis vulnus emplaſtro facto ex farina hordei, & farina ſeminum lini, æquali pondere accepta farina ipſa, & faciatis emplaſtrum cum decocto iamiam dicto: & hoc emplaſtrum maximè conuenit; nam concoquit, mitigat dolorem, & refrigerat; Vel loco huius emplaſtri vtamini terebinthina optimè abluta cum aqua maluæ; ſed aqua ſit extracta per elambich; Vel vtamini oleo abietino, quod vocatur reſina abietina in officinis, admixto luteo oui: nam & hoc concoquit, lenit dolorem, & refrigerat moderatè; & ſi volueritis, vt magis concoquat, admiſceatis parum olei roſacei, & croci.

Emplaſtrũ apponendũ vulneri.

Alia medicamenta.

De vulnere capitis cum abſceſſu tunicarum cerebri.
Cap. XV.

SEd ſi in membrana poſt inflammationem fiat abſceſſus, vt ſolet ſæpe accidere, eſt ne aperiendus abſceſſus per ſectionem membranę? Equidem nunquam hucuſque habui hunc caſum, ita, vt indicaretur ſectio: Vidi quidem bis, vel ter collectam ſaniem in membrana, & factum abſceſſum; ſed per ſe eſſe diſruptum, & egreſſam ſaniem: Tamen, ſi talis caſus mihi accideret, ſecarem omnino, & ſtatìm, quoniam mora ſaniei in membrana eſt periculoſa; nec expectarem, vt per ſe diſrumpatur abſceſſus, quoniam poſſet diſrumpi in parte interna, & tota ſanies flueret ad cerebrum. Auctores de re hac nihil dicunt; tamen, vt dixi, ego, cum primum viderem abſceſſum concoctum, ſecarem in parte ſuperiori. Sed dices: ſi tu perfores membranam, fiet conuulſio ob maximum ſenſum, quo prædita eſt. Dico, quòd in abſceſſibus eſt ſanies, ex qua eleuatur continuò vapor quidam malus, & quaſi uenenatus, qui obtundit, & quaſi aufert ſenſum membranæ: Quod hoc ſit uerum, patet experientia: nam ſæpe aduocatus ſum ego ad ſecandos abſceſſus in uariis locis, & obſeruaui, quòd quando ſeco abſceſſum, æger nullum, uel paruum ſentit inibi dolorem; ſed ſi altera die accedo, & tango cutim illam, acutiſſimus excitatur dolor: quod non alia ratione fit, niſi quia antea, cum adeſſet ſanies, uapor ex ea eleuatus obtundebat ſenſum cutis illius abſceſſus; at ſanie extracta, remanet pars illa priuata illis uaporibus. Licet igitur ex punctura membranæ cerebri excitetur maximus dolor, & conuulſio; tamen, quando eſt abſceſſus in ipſa, non eſt timendum de hoc, quia ſenſus eſt imminutus à vapore illo venenato; & ideo auderem aperire, & eò magis, quia video Antiquos in hippopio ſecare tunicas oculorum: Quando enim ſanies colligitur in oculo infra corneam, ſolent Antiqui pro extrahenda ſanie illa ſecare corneam: quod & Arabes confirmant; & tamen illa tunica habet ſenſum acutiſſimum: ideo ego auderem ſecare, aperireve abſceſſum in tunica cerebri. Poſt apertionem factam per ſe in membrana, vel ferro, infunderem aliquod, quod detergeret, & moderatè ſiccaret, vt aliquod ex iis, quæ dixi imponenda ſupra membranam, dum integra eſt: vnum tamen præter illa maximè mihi in hoc caſu placeret, quia magis, quàm illa dicta detergit, & ſeparat partes corruptas, & carnem gignit, & eſt ſarcocolla cum lacte parata, & inſperſa, deinde poteritis imponere ea, quæ valdè ſiccant, vt emplaſtrum Iſidis,

Secandam mẽbranã.

Mẽbrana ſenſum obtundi ab abſceſſu.

De vulnere capitis cum ſectione membranarum cerebri. Cap. XVI.

Quæ medicamẽta imponenda.

Si adſit fluxio ſanguinis.

Medicamẽtũ Galeni ſiſtẽs fluxũ ſanguinis.

Cohibito ſãguine, infundatur oleum roſ.

SI autem eſſet vulnerata membrana ſuperior, vel vtraque, quid agendum? Dicit Galenus, quòd indicatur agglutinatio; attamen non poſſumus glutinationi incumbere, quia neceſſitas vrget, vt mitigemus dolorem: raró enim accidit, vt, ſecta membrana, non adſit dolor magnus, & inflammatio, ad q̃ ſolet vt plurimum indubitata ferè mors ſuccedere. Quid in hoc caſu antiquiores illi, vt Hippocrates, Meges, & Eudemus faciant, non habeo perſpectum; Gal. tamen in 2. de compo. medic. per loca dicit, quòd Archigenes imponebat ſuccum calamenthi, & inſpergebat farinam milij admixtam cum axungia vetuſta: Ex quo colligo imponẽda eſſe medicamenta, quæ moderatè ſiccent, leniant, & modicè refrigerent; & ita medicamentum ab Archigene propoſitum mihi videtur opportunum, ſicut & Galeno viſum eſt: Sed ſi non poſſetis habere hoc medicamẽtũ, vt ſi hyems eſſet, & nõ poſſetis habere ſuccum calamenthi, non eſt ob id relinquendus locus ſine medicamento: ſi igitur non poſſetis tale medicamentum habere, vel ſi haberetis, & nolletis vti, quia videretur vobis nimis calidum, confugiendum eſt ad alia. Sed primò oportet videre, an adſit fluxio ſanguinis: nam ſæpe accidit, vt, detecta mẽbrana, reperiatur ipſa vel ſecta, vel fracta, & dilacerata, & reperitur quod ſanguis copioſus effluit, aut quia vas aliquod ſit vulneratum, vel laceratum, aut quia ſinus aliquis membranæ ſit diſruptus. Quando igitur, ablato oſſe, videritis ſanguinem effluere, ſtatim cohibeatis ipſum medicamento Galeni, quod conſtat aloe, thure, albo oui, & pilis leporinis: Accipimus aloem, & thus, & miſcemus cum albo oui, & maceramus ſimul, vt fiat medicamentum, quod habeat mellis conſiſtentiam; deinde addimus pilos leporinos, & ſimul miſcemus: Et notate, quòd quamuis ego in alijs vulneribus magnis, pro ſiſtendo ſanguine, ſoleam loco pilorum leporis vti goſſipio; tamen, quando volo cohibere ſanguinẽ fluentem ex membranis cerebri, libentius vtor pilis leporis, quoniam habent ſatis magnam vim ſiccandi, & ſunt etiam molliſſimi, quæ mollities eſt maximè affectanda in huiuſmodi partibus: & ideo moneo vos, vt in vulneribus membranarum cerebri ſemper cum medicamento illo admiſceatis pilos leporis potius, quàm cotonem; in alijs autem poteritis cotone vti. Dioſcorides, &, qui eum ſecuti ſunt, omnes pro ſiſtendo ſanguine fluente ex tunicis cerebri imponunt ſtibium. i. antimonium; ſed ego ſemper fugi, fugiamque talia medicamenta metallica, quia ſemper quid mali in ſe habent: & ſi ipſa abluas, non ita poſtea cohibent ſanguinem. Itaque ſemper ego vtor medicamento Galeni. Firmato ſanguine, ſi opus fuerit, vel ſi nõ effluat, ſtatim, detecta mẽbrana, ẽt ſi vulnerata, vel lacerata ſit, infundo oleum roſaceum purum; vel admiſceo ſyrupum roſaceum; vel infundo mel, ſicuti faciebam, quando non eſt ſecta, vel lacerata membrana. Ii autem, qui vtuntur curatione ſiccante, infundunt, inſperguntve ea, quæ ſtrenuè ſiccant.

De vulnere cerebri. Cap. XVII.

Indicatio.

Medicamenta illa fortia non probantur.

Oleum roſaceum.

Bolus Oriẽtalis.

Oleum ex reſina abietina.

SEd aliquã accidit, vt non ſolum dura, molliſq; membrana, verũ & cerebrum ſit vulneratum, & tunc non eſt vllo modo vtendum illa curãdi rõe quæ fit ſiccantibus, qm̃ non datur indicatio ſiccandi, niſi moderate: nam pars læſa. i. cerebrum frigidum, & humidũ eſt: ideo ſi debet cõſeruari in propria natura, non eget ſtrenuè ſiccantib. Et ideo in hoc caſu non laudo emplaſtrum Iſidis, nec præparatum cum cerato, nec emplaſtra illa cephalica: nam licet cerebrum poſſit tolerare talia medicamenta fortia, tamen mala ſunt, quia non conſeruant ſuam naturã, & ideo deteſtor talia medicamenta, etiam ſi conueniant ratione mẽbranæ. Cerebro ergo vulnerato ſoleo ego uti oleo roſaceo. Sed notate vnum, quod ego uidi Ferrariæ: ſolent illi chirurgi præſtantiores in uulnerib uti quidem oleo roſato, ſed admiſcent portionẽ boli Oriẽtalis, & vidi, quòd res feliciſſimè ſuccedit: unde & ego, motus experientia, & auctoritate ipſorum, impono micam boli Orientalis, ad impediendam inflammationem, ad dolorem leniendum, & leniter ſiccandum. Soleo etiam primis diebus infundere oleum illud extractũ ex reſina abietina: nam leniter ſiccat: &, ſi timeo caliditatem ipſius, attempero cum oleo roſaceo: & ſi æger puer ſit, capio reſinam abietinã, & abluo primò poſca optimè; deinde aqua communi; & ablutam ita pono in vaſe illo uitreo, quod uocatur retorta, & extraho oleum quod infundo; & optimum certè eſt medicamentum.

Digitized by Google

De vulnere capitis cum cerebri extuberantia. Cap.. XVIII.

ACeidit quoque aliquando, vt cerebrum intumeſcat valde, & promineat extra cauitatem, & excedat foramen factum in oſſe, & generat interdum quoddam excrementum, quod refert naturam fungi, eſtq; ſimile recocto illi, quod vulgo vocatur puina, vel recotta: In quo excremento debetis eſſe diligentiſſimi, & non facere, vt quidam iſtorũ faciunt, qui ſtatim, cum tale excrementum vident, dicunt illud eſſe cerebrum, & ipſum auferunt: vnde poſtea iactant ſe dicentes, quòd extraxere magnam cerebri quantitatem, & aliquando etiam non dignoſcentes excrementum à cerebro, ſecant, & extrahunt cerebri portionem. Vos autẽ non ita facietis, ſed, antequam quidquam agatis, oportet dignoſcatis excrementum illud à cerebro. Dignoſcetis autem ex his, quia excrementum non ita hæret, vt goſſipio non poſſit extrahi facilime; cerebrum autem etiam ſi promineat extra oſſa; tamen quia hæret venis, & alijs partibus, non cedit goſſipio. Præterea excrementum poſitum in aqua diſſoluitur: cerebri autem ſubſtãtia minime, ſed compacta manet. Si igitur cognoueritis, quòd illud, quod prominet, ſit excrementum, infundatis oleum roſaceum, vel ſyrupum roſaceum, vel aliquid mellis roſacei; & ita abſtergetis excrementum illud, & goſſipio etiã ſupra ſpecillum.

Quõ dignoſcitur excremẽtũ à cerebro.

Si prominens, ſit excrementũ.

Sed ſi illud, quod prominet vltra cauitatem oſſis, ſit cerebrum, quid agendum? Sunt, qui ſecant totam illam partem egreſſam è cauitate oſſis. Ego autem nunquam ſecaui, nec ſecarem, ſed ſemper relinquo inibi, donec vel per ſe concidat pars illa, vel retrocedat in cauitatem propriam; capio tamen linteolum molle admodum, & formo ex ipſo veluti annulũ, quo amplector totam illam cerebri partem; prius tamen madefacio annulum, ſeu circulum in oleo roſaceo: amplector autem, & munio cerebri partem illam hoc circulo, ne prolabatur in hanc, vel illam partem & laceretur, & vidi totam illam partem cerebri obductã eſſe carne, quæ licet alba eſſet, & videretur corrupta, tamen nolui vnquam eam auferre, & tandem pars illa cerebri retroceſſit in propriam ſedem, & æger ſanatus eſt. Nec dubitãdum eſt, quòd cerebri pars aliquando maxima egrediatur ex proprio loco, & extuberet ita vt excedat non ſolum os, verum etiam aliquando labra vulneris, ſuperſtite tamen vita: nam vidi ego tres, vel quatuor, vel paulo plures, ex quo exerceo hanc artem (& ſunt iam decem anni, vel duodecim) in quibus magna pars cerebri extuberabat, & tamen aliqui ſuperuixere vſq; ad nonageſimam diem: aliqui mortui ſunt in vigeſimaſecunda: aliqui in ſexageſima: & duos adhuc noſco, qui ſuperuiuunt. Itaque quantumcumque extuberet cerebrum, & ſit extra cauitatem, numquam auferatis, ſed relinquatis hoc munus naturæ: vos autem munietis ipſum eo modo, quo dixi.

Si prominens ſit cerebrum.

Annulus ex linteolo molli.

Sed ſi pars illa, quæ prominet foras, eſſet denigrata, tunc ſi poſſet auferri, ſine fluxione ſanguinis, eſſet auferenda; ſed tutius eſt eam inibi relinquere, & permittere, vt natura ipſam ſeparet, & expellat. Quòd ſi in parte illa extra prominenti abundet ſanies, infundendum eſt decoctum altheę, fænugręci, & ſeminum lini; ſed melius eſt infundere copioſum lac muliebre, vt tota illa pars abluatur, & certè nihil eſt lacte præſtantius in hoc caſu. Et hæc de vulneribus capitis, in quibus vulneratur cutis vnà cum alijs partibus, ſint ſatis.

De cranei fractura, aut depreſſione, integra exiſtente cuti. Cap. XIX.

VErùm accidit aliquando, vt frangatur os, integra manente cuti. ſi ergo hoc accidat, quid agendum? In hoc lis eſt inter medicos tum Phyſicos, tũ Chirurgos: ſunt enim aliqui, qui dicant, quòd cum conſtat ex proprijs ſignis os eſſe fractum, ſtatim ſecandam eſſe cutim, vt pateat oſſis fractura. Alij contra dicunt, quòd, quantumuis ſit fractũ os, vel compreſſum, vel fruſtum pungat, vel ſanies ſit genita, vel ſanguis extra venas egreſſus ſit, nullo modo aperienda eſt cutis, ſi integra ſit: & hi mouẽtur primò authoritate Hippocratis, qui quando loquitur de apertione oſſis, ſemper loquitur de vulneribus illis, in quibus eſt ſecta cutis, & nullam facit mentionem de apertione oſſis, in ijs, in quibus cutis eſt integra, & os fractum: ergo ſignum eſt, quòd ipſe nolebat aperiendam eſſe cutim, etiam ſi os eſſet fractum. Secundò dicunt non aperiendam eſſe cutim, quũ poſſumus agere ſine ipſius ſectione,

Controuerſia inter medicos.

Rõnes eorũ qui dicunt non aperire ſecare cutim.

quia natura, ſi aderit ſanies, quę penetret per os fractum ad partes internas, ipſam diſcutiet, expelletque, quia natura mira agit: Et confirmant, quia in lethargo, & paralyſi copioſa materia eſt in partibus circa cerebrum; tamen non ſecamus cutim, & os, vt auferamus illam, quia natura, & calor naturalis diſſipāt materiam illam: calor enim naturalis in partibus intimis maximam habet vim, vt patet exemplo adducto à Vido de Vidiis Florentino, qui in commentario ſuo edito in libro Hippocratis de vulneribus capitis, dicit, quòd illatum eſt vulnus cuidam in abdomine, & vulnus erat tale, vt ſecta eſſent inteſtina, ita, quod ſex egrediebatur per vulnus, attamen conſutum eſt abdomen à quodam celebri Chirurgo Peruſino, qui adhuc viuit, & relictum eſt inteſtinum apertum, & ſanatus eſt æger ille, quod factum eſſe dicunt, quia calor naturalis habet tantam vim in partibus illis intimis, vt potuerit inteſtinum illud conſolidare. Præterea in fracturis tibiarum, & aliorum oſſium videmus aliquando, quòd natura ab intimis illis partibus expellit ſanguinem ad cutim: ergo & in capite natura iuuabit ſe ipſam, & expellet ſaniem à cerebro vel per nares, vel per palatum, uel per aures: Et ego uidi in quodam Capitaneo Florentino, cui uſque adeo contuſum fuerat caput, ut ex contuſione ſtatim obmutuerit, uidi, inquam, antè quartam diem egreſſum fuiſſe copioſum pus per palatum, & nares, & liberatus eſt.

Vidus Vidius.

Tertiò argumentantur authoritate Galeni, qui in tertio commentario de fracturis commento quadrageſimotertio vult, vt cutis, ſi ſit ablata à loco proprio, ſuperinducatur, etiam ſi denigrata ſit, quoniam eſt proprium indumentum, quod, quantum fieri poteſt, eſt conſeruandum ſupra partes: ergo malè facitis vos, inquiunt, qui in fracturis oſſium capitis, integra exiſtente cuti, ſecatis cutim, vt videatis fracturam, &c.

Quarto Hippocrates in libro de vulneribus capitis monet, vt quando ſecuerimus os fractum in vulnere capitis, non auferamus ſectum os ſtatim, ſed relinquamus ita ſectum per aliquod ſpatium, vt, verbi gratia, ſecabimus hodie, & in craſtina viſitatione, vt ita dicam, extrahemus, & hoc faciebat Hippocrates ſtatim ne membrana refrigeraretur: ſi ergo Hippocrates non aufert ſtatim os timens refrigerationem, non eſt etiam ob eandem cauſam ſecanda cutis. Et ita concludunt, quòd, cuti exiſtente integra, non eſt aperienda, etiam ſi intus ſit ſanies, vel fruſtum oſtis pungat membranam, vel os depreſſum ſit, & comprimat, vel ſangus egreſſus ſit extra venas, quī, inquiunt, natura defendet ſeſe ab omnibus moleſtātib.

Rōnes oppoſita ſecta.

In oppoſitum eſt altera ſecta, quæ monet, vt ſemper aperiatur cutis, vt appareat, qualis fractura ſit, & quid intus ſit; & hæc etiam ſecta mouetur authoritate Hippocratis, qui in vulneribus capitis, quando aperta eſt cutis, & paſſum eſt os, ſecat os, etiam ſi non comprimat, nec pungat membranam, ne ſanies deſcendat ad membranam: ergo ſignum eſt, quòd ipſe viderat, quòd nec natura, nec medicamenta poterant hoc præſtare; & ideo aperit os: neque enim dicendum eſt, quòd Hippocrates non nouerit medicamenta attrahentia, & diſcutientia ſaniem. Nec mirum eſt, ſi Hippocrates non teſſetur, quòd in fracturis oſſis capitis, integra exiſtente cuti, ſecemus cutim ipſam, quoniam liber ille de vulneribus non eſt integer, ſed deſunt multa in principio, atque in fine; & in vltimo appoſita eſt pars ex lib. Hippocrate de aere, aquis, & locis: ſed ſi liber eſſet integer, fortaſſe Hippocrates dixiſſet, quòd aperienda eſt cutis, & dubio procul dixiſſet: Quod probo: nam Hippocrates vult, vt quando eſt maxima contuſio in carne, ſecemus cutim, vt appareat caro intus contuſa: ergo tanto magis aperienda eſt cutis capitis, contuſo, fractove oſſe. Præterea Hippocrates dicit, quòd eſt maxima calamitas, quando contuſa eſt cutis in vna parte, & fractum os in oppoſita, quoniam non poſſumus afferre opem, cum ignoremus locum affectum: hoc ſtante, quæro, de qua ope intelligat Hippocrates, profecto non de illa, quam preſtant medicamenta, quia potuiſſet ipſe apponere medicamentum toti capiti, & iuuaſſet partem læſam ſine partium ſanarum noxa: ergo intelligit de ope manu afferenda, quam non poſſumus præſtare, quia ignoramus locum: & ſi vellemus per apertionem cutis inuenire os fractum, opus eſſet ſecare cutim in tribus, & quatuor, & fortè in pluribus locis, & ægrum maximè excruciare: quod cum non ſit faciendum, & nos non ſciamus locum affectum, non poſſumus ſecare inibi cutim, & videre fracturam: & ideo Hippocrates vocat calamitatem: igitur, cùm intelligat de ope ferenda manu, indicium manifeſtum eſt, quòd volebat, vt fracto oſſe, & integra exiſtente cuti ſecaretur cutis ipſa. Addatis, quòd Celſus, Paulus, & omnes antiqui, ſed præcipuè Celſus auctor tantæ auctoritatis, & imitator maximus Hippocratis monet, vt ſi conſtet ſignis, quod os ſit fractum in parte oppoſita illi, in qua ictus receptus eſt, ſecetur cutis, ſi integra ſit, vt pateat fractura: Et ita colligetis, quòd ſi os ſit contuſum, vel fractum, vel genita ſanies, vel ſanguis ſit egreſſus extra venas, vel os comprimat, vel pungat membranam, ſemper aperienda eſt cutis, ſi integra ſit.

Determinatio Authoris.

In difficultate hac propoſita remanet iam, vt determinationē eam afferam, quæ mihi vī recta. Ego itaque non ſum ita obſtinatus, vt credam ſemper eſſe accipiendam prioris, aut poſterioris ſectæ ſententiam: video quidem, quod Natura mira facit in diſcutiendo materiā,

quæ

Digitized by Google

quæ facit lethargum, phrenitidem, & alios ſimiles affectus, & non poſſum negare, quòd adiuta à medicamentis non poſſit etiam diſcutere materiam contentam in intimis partibus capitis, & ſanare contuſionem, & fracturam oſſis ſine apertione corij; tamen non ſum ita obſtinatus, vt credam nunquam aperiendam eſſe cutim, immò dico, quòd ſi os ſit ita contuſum, vt comprimat membranas, & ita comprimat, vt vel anguſtet ſinus membranarum, vel coanguſtet ventriculos cerebri, ſemper aperienda eſt cutis: quemadmodum etiam, quando fruſtum aliquod pungit: & tertio, quando nimia quantitas ſaniei, vel ſanguinis eſſet collecta in partibus iſtis: nam licet natura & calor habeant maximam vim, tamen nunquam poterunt repellere os ita compreſſum in ſuum locum; nec id quod pungit; nec tantam materiam diſcutere: hi ſunt caſus, in quibus omnino eſt aperienda cutis: Sed ſi os eſſet cõpreſſum, at nõ ita cõpreſſum, vt immutet figurã cerebri anguſtãdo vel ſinus, vel vẽtriculos, ego nunquã aperirem, quoniã nihil incõmodi eſt ſecuturũ, ſi os tãgat membranam, & cerebrum: nam etiam, quando non eſt compreſſum, hæ partes contangunt ſeſe: Niſi ergo ex ſignis, vt ex delirio, ſtupore, & ſimilibus cognoſcam, quòd os ita comprimit, vt immutet cerebri conformationem, nunquam aperio cutim, etiam ſi os ſit fractum.

Quãdo ſecanda cutis.

Quãdo nõ aperienda cutis.

O, dices, generabitur ſanies, & petet partes internas. Dico ego, quòd medicamentis non permittam ſaniem gigni; & ſi gignetur, non erit tanta, vt medicamentis attrahentibus, & diſcutientibus non poſſimus adiuuando etiam naturam ſuperare: & ita non valet obiectio illa, quòd Hippocrates aperiebat os propter ſaniem, non valet, inquam, quia ipſe aperiebat, vbi cutis erat aperta & quia cutis deerat, non poterat ſanies, quæ gignebatur, diſcuti, & extrahi à medicamentis, quoniam, deficiente corio, medicamenta applicata non poſſunt actuari: nam cutis ea eſt, quæ actuat medicamenta. Ad alias auctoritates, & rationes ſolutio patet. Ad illud autem de abdomine ipſi afferunt exemplum, & ego habeo, habuique anno ſuperiori in contrarium, & vos eſtis iudices de muliere illa, quæ habitabat propè Eccleſiam ſancti Ioannis in Viridario.

Caſibus igitur illis exceptis, nunquam deuenio ego ad apertionem cutis, etiam ſi os ſit valde fractum, ſed ſemper tento curationem cum medicamentis. Medicamenta autem hæc ſunt: cum video, quòd aliquis eſt paſſus contuſionem oſſis; & cutis integra eſt, oſque fractum, ſtatim vtor medicamentis repellentibus, & ſiccantibus: nam ex contuſione fieri nequit, vt non ſint lacerata aliqua vaſa, & ita egreſſus ſit ſanguis, qui in pericranio retentus poſſet verti in ichorem, qui ichor poſſet penetrare ad membranas cerebri: ne igitur hoc contingat, vtor ſtatim ſiccantibus, & repellentibus, & ita accipio portionem ſalis, & miſceo cum albo oui, & applico: Et notare, quòd medicamenta, quæ applicantur ob contuſionem, & fracturam oſſis, integra cute, ſunt applicanda toti capiti. Aliquando cum albo oui, & ſale miſceo etiam portionem aceti, & relinquo per integram diem hoc medicamentum; deinde venio ad emplaſtrum illud, quod fiebat ex farina hordei, oleo roſaceo, & poſca, ideſt, aceto, & aqua, vel ex aceto tantum ſine aqua; & ita capio farinam hordei, & poſcam, facioque emplaſtrum, & addo puluerem ſquinanti, roſarum rubearum, abſynthij, myrtillorum, & oleum myrtillorum, vel roſaceum omphacinum completum: & facto emplaſtro ex his omnibus, vtor ipſo vſque ad quartam. Tranſacta quarta, admiſceo cum eodem emplaſtro ea, quæ magis digerunt, & ita loco aquæ, & aceti impono oxymel, & addo etiam farinam fabarum, & orobi, & pono eoſdem pulueres, & quoſdam alios, videlicet puluerem iridis, ariſtolochiæ, & radicis panacis: & perſeuero cum hoc emplaſtro vſque ad ſeptimam: Poſt ſeptimam, ſi non adſit ſymptoma aliquod, aufero ea, quæ refrigerant ex dicto emplaſtro, vt farinam hordei, & roſas, & vtor eodem emplaſtro. Vel, tranſacta quarta, vtor emplaſtro illo magiſtrali de betonica: accipio enim portionem ipſius, & diſſoluo cum oleo roſaceo, vel myrtino, & applico toti capiti: Tranſacta ſeptima, vtor vnguento de gummi elemi, quod ſiccat, & attrahit, &, ſi opus fuerit, venio ad validiſſima, vt ad dropacem, & ſinapiſmum, & ſimilia potius, quàm aperire velim cutim: Nam aperire corium eſt affligere mirum immodum ægrum, & præcipuè, ſi non aperiatur in principio. Medicamentum autem de betonica, quo ego vtor, & non habetur niſi in aliquot officinis, eſt tale.

Medicamẽta repellẽtia, et ſiccantia adhibenda.

Emplaſtrũ ex farina hordei, oleo roſ. & poſca.

Alia remedia in progreſſu.

Tranſacta quarta emplaſtrũ de betonica.

Poſt ſeptimam.

Rec. pimpinellæ
betonicæ
piloſellæ
agrimoniæ
ſaluię
pulegij
millefolij
conſolidæ maioris, & minoris
matriſylua — an. ℥ vij.

Deſcriptio medicamẽti de betonica.

Thuris

Thutis } an. ℥ s.
maſticis

Ircos } an. ʒ vj.
ariſtolochiæ rot.

ceræ albæ ʒ iiij.
gummi elemi ʒ ij.
reſinæ pini ℥ vj.

terebinthinæ } an. ʒ vij.
olei, vel reſinæ abietinæ

Hæc trita, quæ teri poſſunt, miſceantur cum vino, & macerentur per ſpatium octo dierum, deinde apponantur ad ignem, & bulliant ad conſumptionem duarum partium vini, poſtea colatur medicamentum, & refrigeratur, & cum eſt refrigeratum, malaxatur, vt iſti dicunt, ideſt, emollitur manibus, donec egrediatur totum vinum, deinde iterum liquatur medicamentum, mox infunduntur ſupra ipſum quatuor libræ caprini lactis, & relinquitur, vt refrigeretur, vel tepidum fiat, & iterum malaxatur, donec totum lac egreſſum fuerit, deinde formatur in paſtillos, & ſeruatur. Vnguentum autem de gummi elemi paratur hoc modo.

Vnguẽtum de gummi elemi.

Rec. gummi elemi } an. iij.
oppopanacis

bdellii ʒ s.
reſinæ pini ʒ j.
terebinthinæ ʒ iiij.

thuris } an. ʒ j.
maſticis

ceræ citrinæ } an. lib. j.
olei roſacei

Hæc miſcentur, & ſecundum artem fit vnguentum, quod non eſt valde molle, nec valde durum. His medicamentis ſanaui magnas etiam depreſſiones, & fracturas oſſium capitis, cute exiſtente integra, ſanaui, inquam, abſque apertione corij: Inter cæteros ſanaui quendam, cui depreſſum erat os in tempore ita, vt digitum imponerem: & licet aliquot vellenr, vt ego aperirem cutim; tamen ego nunquam volui id facere, timens muſculum temporalem: vnde cum placuiſſet ægro curatio à me propoſita, ſcilicet, per medicamenta abſque ſectione cutis, ego ſuſcepi curationem, & vſus ſum dictis medicamentis, & vigeſima ſecunda die ſanatus prorſus eſt: Sanaui poſtea infinitos ferè pueros, quibus compreſſum erat os, & fractum erat in fronte, vt & in alijs partibus. Itaque niſi os ſit ita compreſſum, vt compreſſio deueniat vſque ad ventriculos cerebri, & coanguſtet ipſos, vel ſinum aliquem membranarum, vel aliqua portio oſſis pungat membranam, & tertiò, niſi multa in illis partibus collecta ſit materia, nunquam aperiatis cutim; ſed tentate curationem per medicamenta: quòd ſi aperta ſit cutis, vtamini curatione ſupra propoſita.

De faciei vulneribus. Cap. XX.

Faciei duplex acceptio.

FAciem quæ affligunt vulnera iam ſuccedunt: In qua re primò ſcire debetis, quòd per faciem duo intelligimus: primò quidẽ illud, quòd πρόσωπον Græcè dicitur, & eſt totum id, quod conſpicuum eſt, conſtans fronte, oculis, naribus, genis, & reliquis partibus: ſecundò facies ſignificat aggregatum ex omnibus dictis partibus, exceptis oculis, & naribus; & in hoc ſignificatu accipitur facies à chirurgis, quando agunt de vulneribus faciei, intelligentes de vulneribus menti, buccæ, & reliquarum partium, quæ conſpicuæ ſunt, excepto naſo, & oculis, & ita per faciem, intelligſit quicquid eſt infra ſupercilium vtrunque, & tẽpus vtrunque, exceptis illis duabus partibus, naſo ſcilicet, & oculis: Et in hoc etiam ſignificatu accipiemus nos in præſentia faciem, & agemus de ipſius vulneribus: Quæ periculoſa non ſunt, inquiunt chirurgi recentiores, vt Ioannes de Vigo: Quod ego non concedo: nam aliquãdo ſunt periculoſa admodum, & mortem afferunt; raro tamen hoc accidit; ſed crebrius contingit, vt turpi obducantur cicatrice, quæ deturpat valdè faciem partem totius corporis pulchriorem; & ideo requirunt maximam diligentiam medici curantis. Sed antequam deueniatis ad curationem, opus eſt ſcire, quòd vulnera faciei non ſunt vnius generis; ſed

Differẽtia vulnerũ faciei.

alia

Digitized by Google

alia ſunt caua, & lata admodum cum ſubſtantiæ carnoſæ deperditione: & hæc ſunt magni momenti: Alia ſunt, in quibus fruſta oſſis ſunt comminuta, & amputata: Alia in quibus vulnerata eſt caro, & os fractum, ac ſectum; attamen nec caro, nec os eſt reſectum, & amputatum: Alia ſunt leuia, & curatu facilima, in quibus os nihil eſt paſſum; ſed ſola caro eſt ſecta, ſine contuſione, aut cum contuſione; hæcque magna ſunt, vel parua.

Et hæc omnia ſunt obſeruanda diligentiſſimè, vt ſciatis, quid ſit prædicendum de tempore ſanitatis, ac de ijs, quæ ad cicatricem attinent: Nam de cicatrice ſunt ægri ita moleſti, vt millies in die interrogent, qualis, & quanta futura ſit cicatrix: & ideo oportet optimè, antequam quidquam prædicatis, diſtinguere vulnera: Si enim vulnus ſit cum ablatione carnis, & oſſis, cicatrix neceſſariò erit caua, vt teſtatur Hippocrates in ſexto aphor. 45. & ideo quotieſcunque videritis partem aliquam amputatam, vel aliquid oſſis eſſe comminutum, dicatis, quòd cicatrix neceſſariò erit profunda; Idem quoque prænuncietis, quando vulnus eſt cum oſſe moto ex ſuo loco, quod os non potuit reſtitui. Præterea animaduertendum, & diligenter conſiderandum, quo nam inſtrumento illatum ſit uulnus; an uidelicet organo aliquo rubigine, fuligineve, aut re ſimili obducto: nam ſemper cicatrix reſeruabit colorem illum, ut manifeſtum eſt de ijs, qui uulnerati ſunt ex diſruptione organi illius, quod ſclopetum dicitur uulgo, uel archibuſo: accidit enim aliquando, ut tale organum ſcindatur, & uulneret hominem in facie, uel alia in parte, & quia puluis ille adigitur labris vulneris, idcirco vt plurimum cicatrix remanet nigra, niſi puluis ille optimè detergatur: Et hinc reprehendatis chirurgos iſtos, qui ob ſiſtendum ſanguinem vulneris, ſolent aliquando accipere cotonem, idest, goſſipium, & comburere, & ita combuſtum imponere, ex quo fit, vt cicatrix nigra remaneat, ita, vt æger videatur non tantum ab hoſte fuiſſe vulneratus, ſed etiam, quod peius eſt, uidetur, quòd tanquam fur, uel barbarus, & Turca aliquis fuerit inuſtus, & ſigillatus. Reliqua autem uulnera, qualiacunque illa fuerint, ſi rectè curentur, non habebunt cicatricem, aut cauam, aut denigratam, ac turpem.

Qualis futura eſt cicatrix.

Cicatrix ſeruat colorem percutientis organi.

Goſſipiũ cõbuſtũ ad ſiſtendũ ſanguinem reprobatur.

His conſideratis, ſi vulnus ſit vel in mala, vel in mento, vel in alia faciei parte, oportet primò ſanguinem ſiſtere infuſa copioſa poſca; deinde diligenter opus eſt auferre, quicquid in vulnere ipſo continetur præter naturam, ſiue illud ſit pilus barbæ, ſiue puluis, ſiue vitri fragmenta, vt ſolet ſæpe accidere mulieribus illis, quę percutiuntur phyala ſtercore repleta: tunc enim fit, vt facies vulneretur pluribus in partibus; & vbi infixa ſunt fruſta vitri, niſi auferantur, ſolent agglutinari ſimul cum carne, quod non accidit de alijs rebus ex toto præternaturam: vnde fit, vt conglutinato vulnere vitrum relictum ſemper pungat, & neceſſe ſit tandem locum aperire: & non ſolum vitrum agglutinatur in facie, verùm etiam in oculo, non dico in ſuperficie, ſed in profundo etiam, vt egò ſemel vidi in hac Ciuitate in muliere quadam, quæ fuerat percuſſa phyala vitrea, & fruſtulum vitri infixum eſt in parte intima oculi, & tandem ſanata eſt, & nulla ſibi alia noxa relicta eſt, præter quam, quòd cernit omnia obiecta duplicata magnitudine. Itaque firmato ſanguine, oportet extrahere, quicquid præter naturam in vulnere continetur: Quo facto, videndum eſt, quouſque ſectio perueniat; & ſi perueniat vſque ad os, oportet videre, an os patiatur; & ſi patiatur, an ſit ſectum tantùm, & dilatatum, an uero fractum, & ſeparatum ſit ab alio oſſe, & an hæreat parti alicui: quod ſi ſeparatum ſit, hæreat tamen carni, aut perioſtio, ſolent chirurgi recentiores ſtatim adacto forcipe amputare, ſeparareque ipſum à parte, cui hæret: & maximè errant, quoniam efficiunt uulnus cauum, & cicatrix poſtea neceſſariò caua remanet, ut teſtatur Hippocrates in ſexto aphor. 45. Quare, ſi uideritis, quòd oſſis pars ſit ſeparata ab alio oſſe, dummodo hæreat carni, tunc comprimatis ualdè, reponatisque ipſam in propriam ſedem: nam ita os agglutinabitur ſubiecto oſſi per ſuccreſcentem callum, aut carnem: Quòd hoc ſit uerum, patet, quia ſæpe franguntur oſſa crurium farinæ modo, inquit Hippocrates, ideſt, in plures partes; tamen uidemus, quòd omnes illæ partes agglutinantur ſimul medio callo oſſeo ſuperereſcente: Idem quoque fit in uulneribus faciei, & ego ſæpe hoc uidi. Quòd ſi os eſſet comminutum, & non hæreret nec perioſtio, nec carni, tunc auferendum eſt.

Vitrum agglutinatur in facie, & oculis.

Quæ conſideranda in vulnere faciei.

Error chirurgorũ recentiorum.

Oẽs particulæ oſſis fracti agglutinãtur.

Hoc facto, Recentiores dicunt labra uulneris eſſe unienda cum faſcijs, ideſt, deligationibus. Ego autem dico, quod talis tractatio eſt inutilis, quoniam facies eſt ex illis partibus, quæ non poſſunt uniri ligaturis. Guido uult, ut uniamus labra cum linteolis, & glutine illo. Sed & hæc ratio inutilis eſt, & non commoda, quoniam uniuntur tantum partes extrinſecæ, profundæ autem non. Præterea longum requiritur tempus, antequam labra uniantur hoc inſtrumento: nam oportet primò conficere gluten, & linteola, deinde applicare, & permittere, ut gluten ſiccetur: eapropter nec hanc rationem uniendi labra probo. Nihil melius eſt, quàm ut conſuatis. Recentiores autem, quo ad modum conſuendi, dicunt, & eſt Guido, quòd non eodem modo conſuenda ſunt uulnera faciei, quando ſunt in parte ſicca, & in parte mobili, & quando in immobili, immò dicit, quòd ſi

Vnitio labrorũ neq; ligaturis, neque glutine facienda.

Labra vulneris ſuẽda.

uulnus

Digitized by Google

Modus cõſuendi.

vulnus ſit in parte ſicca vt circa tempora vel in alia parte excarni, conſuendum eo modo eſt, quo conſuuntur ſacci, ſiue, vt ſuis verbis vtar, utendum eſt ſutura pelliparioꝛum: ſi in parte immobili, & fixa, ut in mento, per fibulas, quæ puncta uocantur: ſi autem in parte mobili, ut circa genam, & buccam, quæ partes ſunt mobiles, quia extenduntur inflata bucca, uult, ut conſuamus cum acubus traiectis, ſcilicet, per utrunque labrum tribus, uel quatuor acubus, & obuoluto filo circum unamquamque. Sed ex his conſuendi modis nullum alium probo, præterquam illum, qui fit per puncta, qui conſuendi modus conuenit, ubicumque fuerit uulnus, ſiue in parte faciei carnoſa, aut excarni, & ſiue in mobili, ſiue in immobili. At diceret aliquis: tu times ſummopere cicatricem in uulneribus faciei, tamen non uides, quòd ex tali conſuendi modo cicatrix reddetur ualde turpis, quoniam filum illud faciet alias cicatrices præter illam uulneris. Reſpondeo, quòd fibulæ illæ, ſi diligenter appoſitæ fuerint, non reddunt turpem cicatricem.

Modus cõſuendi per puncta probatur.
Obiectio.
Reſponſio.

Quatuor obſeruãda in cõſuẽdo.

Apponentur autem diligenter fibulæ, ſi obſeruentur iſta quatuor, ſcilicet, ſpatium inter fibulas, ſpatium labri vulneris, profunditas, & tempus, quo fibulas relinquimus in loco, quoniam fibulæ in tertia, & quarta die poſſunt auferri, & interim poſt tertiam, vel quartam poſſumus apponere linteola, & gluten illud, vt conſeruentur labra vnita. Conſuatis igitur omnia vulnera faciei, & modus conſuendi ſit per fibulas. Verùm in contuſione, vt dixi, obſeruandum eſt ſpatium: neque enim faciendum eſt, vt vidi Romæ feciſſe quendam chirurgum, qui conſuit vulnus cuidam prælato propè aurem circa ceruicem, & acu occupauit ſpatium ferè quatuor digitorum, ita, vt ſutura perueneriт ferè vſque dimidium ceruicis: quod mihi mirum viſum eſt. Itaque vos obſeruabitis ſpatium, & ita, ſi vulnus eſſet in gena, & perueniret vſque ad cauitatem buccæ, debetis perforare labra vſque ad partem intimam, & acum mox inuertere, & reducere ad exteriora, ita vt non ſolum partes externæ, verùm etiam internæ coniungantur; aliter remanerent labra hiantia in cauitate buccę, vt ego aliquando vidi in quodam, cui conſutum fuerat vulnus in parte extima tantũ.

In contuſione quid obſeruãdum.

Labra benè vniẽda.

Præterea obſeruandum eſt, vt labra benè vniantur, & ęqualiter, alioqui ſequeretur, quòd turpis admodum redderetur facies, ita, vt æger videretur ſemper facere sberleſos, vt vulgo dicitur. Si ergo volueritis rectè, & æqualiter conſuere, opus eſt, vt prius ſiſtatis ſanguinem, & non faciatis, ut iſti, qui ſtatim accelerant conſutionem, & nil aliud uidentur curare: Vnde ſæpe fit, ut cicatrix ſequatur obtorta: & ideo uos ſemper, antequam conſuatis, ſiſtatis ſanguinem; & animaduertatis ut æqualiter conſuatis labra: Et ideo ego ratò ſoleo conſuere prima die: nam nolo, ut ſanguis me impediat: ita moneo, ut uos faciatis: Et etiam ſi erit tranſacta ſecunda, & tertia dies poteritis conſuere: & Animaduertatis etiam, ut neque nimis arctè, neque nimis laxè conſuatis: Et ſemper conſuatis uulnera faciei, nec dubitetis, quin conglutinentur, etiam ſi Hippocrates in ſexto aphor. 19. dicat, quòd labra, præputium, & genæ non conglutinantur; tamen ego experior oppoſitum: Non ſolum enim video, & vidi ſæpe, conglutinari vulnera in genis, verùm etiam in pinnis narium. Vnde ſemper fui in hac opinione, quòd Hippocrates intelligat de ſiſarcoſi, ideſt, de conglutinatione, quæ fit per carnem ſuccreſcentem, quæ caro expleat ſolutionem continui, & hoc modo veriſſimum eſt, quòd nec gena, nec præputium, nec nares conglutinantur, quoniam non ſubeſt pars, quæ poſſit carnem gignere: labris enim ſubſunt dentes, in quibus non gignitur caro: idem dico de naſo, & præputio. Credo igitur, quòd Hippocrates intelligat de conglutinatione illa, quæ fit per ſuccreſcentem carnem replentem ſolutam vnitatem, non autem de conglutinatione, quæ fit medio illo glutine. Quare non dubitetis conſuere vulnera faciei, quia dubio procul conglutinantur.

Non cõſuẽdũ prima die, ob ſanguinem.
Experientia aduerſus Hippocratem.
Interpretatur Hippocratis dictum.

Sed notate, quòd licet ſupra dixerim omnia vulnera faciei eſſe conſuenda; tamen excipienda ſunt vulnera caua: & per vulnera caua intelligo illa, in quibus deeſt ſubſtantia, & pars aliqua: nam ſi huiuſmodi vulnera conſueretis, tota cutis faciei rugoſa redderetur, & faceret in parte, vbi eſt vulnus, veluti marſupium: & ideo nunquam caua vulnera, in quibus amputata eſt pars aliqua, conſuatis; & ſi reperiretis, quòd aliquis ineptus chirurgus conſuiſſet, ſtatim ſecate fibulas illas. Sed dices: ſi non conſuantur huiuſmodi vulnera, remanebit ampla cicatrix. Dico verum eſſe, ſed turpius longè eſt geſtare continuò in facie veluti marſupium, quàm cicatricem magnam. Igitur omnia vulnera faciei conſuenda ſunt, præterquam caua, ideſt, in quibus deeſt aliqua ſubſtantia vel oſſis, vel cutis.

Vulnera caua nõ ſunt conſuenda.
Obiectio.
Solutio.

Facta ſutura, veniendum eſt ſtatim ad medicamenta agglutinantia, & præcipuè ad barbarum. Aliqui tamen ſunt, qui conſuto vulnere, quotidie madefaciunt ipſum albo oui, deinde ſuperinſpergunt puluerem ex bolo armeno, aloe, thure, maſtice, & roſis, facto ſcilicet puluere ex omnibus his: poſt inſperſionem pulueris imponunt linamentum madidum albo oui, & ita procedunt vſque ad quartam, & cum vident, quòd labra incipiunt agglutinari, ſecant ſtatim fibulas. Ego uerò, conſuto uulnere, ſtatim deuenio ad barbarum ceratum, & ſi hyems ſit, utor ipſo puro, nimirum tali, quale conficitur in officinis, ſi au-

Facta ſutura veniẽdũ ad glutinãtia.
Barbarum ceratum.

Digitized by Google

ſi autem æſtas ſit, vtor diſſoluto cum oleo maſticino, vel alio conſimili, & ita extendo ceratum hoc ſupra linteolum, & impono; & ſupra hoc deinde applico ſplenium duplicatum, vel triplicatum madidum vino auſtero, poſtea ligo partem aliqua faſcia. Sed ſi vulnus penetret in cauitatem buccæ, ita, vt genæ pars externa, atque interna ſit vulnerata, tunc non ſum contentus his extrinſecus tantum applicatis; ſed foueo etiam locum intra os aliquo decocto, quod habeat vim conſolidandi. Materia autem, ex qua poteritis decoctum parare, eſt hæc: pentaphyllum, myrtilli, hypociſtis, vel eius ſuccus, radix conſolidæ maioris, gum. Arabicum optimum eſt, gummi tragacanthi: hæc omnia agglutinant, & ſiccant, & non ſunt ingrata palato, cuius rei habenda eſt etiam ratio: & ideo non deuenimus ad aloem, nec ad metallica, præter quam ad alumen, in pauca tamen quantitate, & ad bolum Armenum, qui in officinis vocatur bolus Orientalis: hæc eſt materia, ex qua poteritis facere decoctum hoc modo:

Si vulnus penetret in cauitatem buccæ.

Decoctum conſolidans

Rec. radicum pentaphylli
Tormentillæ
Conſolidæ maioris
Roſarum rubearum } an. m. j.
Myrtillorum ℥ ſ.
Gummi Arabici
Tragacanthi } an. ℥ j.
Thuris, Maſticis an. ℈ ij.
Boli Orientalis ℥ j. ſ.

Deſcriptio decocti conſolidantis.

Hæc coquuntur in ſufficienti quantitate aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, deinde colantur: & decoctum hoc colatum continuò aſſumitur in os; & ſi auſterum nimis videbitur, admiſceatis ſyrupum de roſis ſiccis, vel diamoron.

In vulneribus autem faciei hæc ſunt obſeruanda, vt æger caueat à riſu: alioqui fibulæ poſſent ſecare labra: caueat ob eandem cauſam à violenta maſticatione, & à quolibet magno oris motu: & ſi vulnus ſit alicuius momenti, à vino: ab aere calido: ab iis, quæ immutant animum, & reliquis vniuerſalibus, de quibus ſuperius eſt dictum. Euacuetur etiam, ſi vulnus ſit magnum, lenita aluo caſſia; aut clyſtere acri; ſectione venæ; vel cucurbitulis ad ſpatulas affixis; vel exhibito aliquo cholagogo frigido, vel temperato. Victus ſit tenuis, frigidus, & humidus, & liquidus etiam, ſi vulnus ſit in buccis, aut labris. Præterea medicus, cum deuenerit ad quartam diem ad ſummum, ſemper debet ſecare puncta, ideſt, fibulas. Sed dices: ſi vulnus totum in quarta die non ſit conſolidatum, ſed tantùm in vna ſit agglutinatum, ſunt ne ſecandæ fibulæ? Dico, quòd ſic; at non ſunt auferendæ, niſi altera die, & pars, quæ non eſt agglutinata poterit commodè agglutinari appoſitis linteolis illis cum glutine: præterea barbarum, quo vtimur, fungitur munere, & medicamenti, & ſuturæ: nam viſcidum, & glutinoſum eſt, ita, vt iungat labra: & ego ſæpe agglutinaui vulnera faciei ſolo barbaro. Quòd ſi agglutinatio non ſuccederet, vt ſi eſſet vulnus cauum, tunc vtendum eſt altera curandi ratione, quæ fit per repletionem, & generationem carnis, de qua curatione dictum eſt ſupra.

Obſeruanda in vulneribus faciei à patiente.

Euacuatio

Victus ratio.

Quarta die ſecāda pūcta, ideſt fibulas.

De correctione turpis cicatricis. Cap. XXI.

SVccedit iam cicatrix, quæ granis admodum ægro eſt, quando eſt turpis, & tunc eſt opus eam corrigere. Redditur autem turpis quinque de cauſis, quia vel eſt caua; vel turget, ac prominet; vel habet malum colorem; vel eſt dura, & rigida; vel eſt inæqualis, vt quando ſunt malè conſutæ partes: & ſemper videbitis, quod cicatrices turpes, ſunt turpes ob aliquam harum cauſarum: nam aliæ cicatrices ſunt cauæ, ideo turpes, & egent ob id correctione; aliæ eleuatæ & prominentes, aliæ habent colorem nigrum, aliæ rubeum nimis, aliæ liuidum; aliæ nimis duræ ſunt, ita, vt impediant motum buccarum; aliæ ſunt inæquales, ita, vt in vna parte ſint cauæ, in alia prominentes, hic craſſæ, inibi planæ: & hæ omnes cicatrices cum turpes ſunt, ſed corrigendæ: de caua igitur primò dicamus.

Quinque de cauſis fit turpis cicatrix.

Cicatricū differentiæ.

Solet caua effici cicatrix aut ob errorem medici, quando vtitur nimis citò epuloticis, ideſt, cicatricem inducentibus, & nimis validè ſiccantibus medicamentis; aut caua redditur ob defectum oſſis; & ſiue ab hac, ſiue ab illa cauſa facta ſit caua, eſt corrigenda; diuerſus tamen eſt corrigendi modus. Illa igitur, quæ caua eſt ob errorem medici, corrigitur

De caua cicatrice.

Cauſa cauæ cicatricis.

hoc

Digitized by Google

Ablatio cicatricis. hoc modo: Oportet ſcarificare, auferreque cicatricem ipſam, quod fiet admoto aliquo medicamento veſicatorio, vel applicito medicamento exedente, & cauſtico, ſed melior eſt vſus veſicatoriorum: Et ideo laudo, vt fricetis cicatricem cum nitro: excitabuntur enim veſiculæ; quibus diſruptis, remanebit cicatrix exulcerata. Scarificata cicatrice, fugiatis epulotica, ideſt, cicatricem inducentia, & vtamini ſarcoticis, ideſt, carnem gignentibus; ſed ſint ſarcotica lenia: *Sarcotica lenia.* Vnde ſoleo ego accipere terebinthinam, & miſcere cum ipſa parum olei maſticini, & impono; & hoc modo tento carnis generationem, & repletionem cauitatis. Qua expleta, tento generationem nouæ cicatricis: & quia indigemus etiam humiditate, idcirco ſoleo etiam cum terebinthina admiſcere oleum amygdalarum dulcium, & ita applico medicamentum hoc cicatrici ſcarificatæ, & ſupra deinde pono linteum illinitum tetrapharmaco, quod & baſilicum vnguentum in officinis appellatur, & hoc modo ſæpe correxi profundas admodum cicatrices. *Si cicatrix ſit caua ratione deficientis oſſis.* Si autem ſit caua ratione deficientis oſſis, aut copiæ carnis, tunc repletio eſt difficilima; aliquando tamen ſuccedit: primò igitur foueatis quotidie cicatricem aqua tepida vel ſimplici, vel quæ habeat admixtum oleum, foueatis, inquam, donec cicatrix contrahat ruborem aliquem; deinde fricate locum moderatè cum digito inuncto oleo amygdalarum dulcium, vel cum petia imbuta eodem oleo; poſtea ſuperimpono medicamentum à me vocatum de gummi elemi, quod medicamentum trahit ex alto humores, & hoc modo res mihi aliquando feliciter ſucceſſit: *Medicamentum ex gummi elemi, quod trahit ex alto valde.* Medicamentum autem, quod ego voco de gummi elemi paratur hoc modo:

Rec. gummi elemi ℥ iij.
reſinæ pini
ceræ citrinæ
propolios
ammoniaci } an. ℥ ij.
terebinthinæ ℥ iij.
olei communis antiqui
olei roſacei } an. ℥ j. ß.

Bulliunt ſimul omnia, præter ammoniacum, cum cyatho uno, & dimidio uini maluatici, uſque ad conſumptionem uini: ultimò addunt ammoniacum cum aceto diſſolutum, & malaxetur cum uino, aut aqua uitæ.

Si cicatrix ſit prominens. Si autem cicatrix turgens, prominenſque ſit, aliquando ego ipſam depreſſi pura lamina plumbea alicuius ponderis pluribus diebus ſupra cicatricem geſtata; aliquando cum lamina plumbea non pura, ſed fricata in ea parte, qua reſpicit cicatricem, fricata, inquam hidrargyro, id eſt, argento uiuo: poteritis etiam uti medicamento aliquo, quod habeat uim comprimendi cicatricem, *Vnguentum citrinum.* cuiuſmodi eſt unguentum citrinum Nicolai, quod in officinis uocatur unguentum de pomo citri Nicolai: uel capiatis radicem poligonati, ideſt, *Radices.* fraxinellæ illius, uel radicem cucumeris aſinini, uel radicem ari, uel radicem cyclaminis, vel brioniæ: capiatis, inquam, vnam, vel duas ex his radicibus, & gladio abradatis, & miſceatis raſuram radicum cum melle crudo æquis portionibus, ita, vt tantum ſit raſuræ pondus, quantum mellis, & hoc medicamento veſperi, cum æger it dormitum, illiniatis cicatricem: conuenit etiam ſapo ille Damaſcenus odoratus, ſapo Cyprius, ſapo Neapolitanus ex pinguedine cerui præſtans eſt quoque, & ſapo communis: qui ſapones diſſoluti oleo roſaceo, & ſucco limonis pauca in quantitate illiniendi ſunt ſupra cicatricem, cum æger it dormitum: vel, ſi æger nolit vti aliquo iſtorum, vtatur hoc:

Puluis.

Rec. pulueris corallorum,
pumicis,
alcyonij,
ſepiæ } an. ℥ j.

Miſce, & fiat puluis, qui admixtus cum melle erit medicamentum opportunum ſi cum eo fricetur cicatrix quotidie. Vel mandate, vt quotidie veſperi, quando it dormitum, madefaciat cicatricem hac.

Aqua.

Rec. limones num. quinque
vini maluatici lib. iij.
radicum ari viridium lib. j.
aluminis rochæ combuſti ℥ vj:

Terat-

Terantur radices, & limones incidantur gladio, & miſceantur omnia ſimul; ponanturque in elambico ex uitro, & educatur aqua: Quæ aqua optima eſt non ſolùm pro cicatrice prominente corrigenda, uerùm etiam pro auferenda nigredine illa faciei relicta à Sole, & dealbanda facie. Sed adhuc præſtantius ad vtrumque eſt lac illud Virginum Chymiſtarum, cuius parandi rationem iam docuimus. Sed nolo reticere vnum, quod apud me eſt peculiare ad deprimendas cicatrices, & colores ipſarum remouendos: Capio igitur duas drachmas argenti ſublimati, & tero optime, deinde affundo ſuccum duorum limonum, vt puta duas vncias ſucci, & pono in mortario lapideo. & duco per dimidiam, vel integram horam cum piſtillo ligneo; deinde expono ſoli in vaſe vitreo, & relinquo, donec ſiccetur ſuccus; poſtea capio medicamentum ſiccatum, & colloco in linteolo candido, & puro, & facio faſciculum; deinde capio duas vncias ſucci limonum, & totidem aquæ roſaceæ; & infundo faſciculum in aquam, & ſuccum ſimul mixta, & relinquo integram noctem; matutina poſtea hora extraho faſciculum, & vix ipſum comprimo; deinde abijcio faſciculum; & liquore illo, qui remanet, madefacio veſperi, quando æger it dormitum, cicatricem, & deprimit optime ſine moleſtia, & periculo. Iſti laudant oleum ex vitellis ouorum: ego ſum ipſo vſus; ſed res non ſucceſſit: Alij addunt balſamum, quod ego non ſum expertus.

Familiare ad deprimendas cicatrices.

Cæterùm ſi cicatrix rubea, vel nigra ſit, pariter eſt corrigenda. Debetis itaque ſcire, quòd cicatrix fit rubea ratione ſanguinis: qui ſanguis, ſi à frigore concreſcat, & conſpiſſetur, efficit colorem nigrum: Quia igitur cutis nondum eſt conſpiſſata, & exanguis reddita, ideo fit cicatrix rubea. Et ideo, pro remouendo colore illo rubicundo, oportet admouere ea, quæ moderatè ſiccent, & repellunt ſanguinem illum: in qua re conuenit ceruſa, lythargyrium aureum, lythargyrium argenteum, bolus Orientalis, terra ſigillata, gallæ immaturæ, ſuccus vuæ acerbæ. & ſimilia: Vel faciatis, vt quando æger it dormitum accipiat guttam vuæ acerbæ in vola manus, & ſupra guttam illam inſpergatis parum lythargyrij, atque parum ceruſæ elotæ, & ſimul optime mixtis illiniat cicatricem; mane poſtea abluat illam vino aliquantulum auſtero, & albo. Soleo etiam ego capere micam argenti illius ſublimati, quo utuntur mulieres ad dealbandam faciem, & parant ſub Sole cum ſaliua, & frigidum eſt medicamentum, capio, inquam, micam huius medicamenti, & diſſoluo cum ſucco limonum, vel agreſtæ, vel cum aqua roſacea, & illinio cicatricem, & pretioſum eſt medicamentum, & tutò, citòque agit. Bonum quoque eſt unguentum alabaſtrinum illud album, puluis alabaſtri, puluis gypſi crudi diſſolutus cum ſucco limonum, uel agreſtæ. Vel utamini hoc.

Si cicatrix ſit nigra, vel rubea.

Auferētia colorem rubeum.

Rec. olei ex uitellis ouorum ℥ j.
ceruſæ ʒ s.
olei myrtini ʒ ij.

Miſce, & ducito in mortario plumbeo per horam, & hoc illinito. Vel utamini iſto:

Rec. farinæ oryzæ
hordei
pulueris ceruſæ
alabaſtri
mirob. citrin. } an. q. s
ſucci agreſtæ. q. s.

Miſce, & illinatur cicatrici. Vel accipiatis lythargyrium argenteum, & ceruſam, & addito ſucco agreſtæ faciatis linimentum, & illinatis cicatrici.

Si autem cicatrix ſit nigra, opus eſt ijs, quæ diſſoluunt ſanguinem refrigeratum; & ideo ſoleo ego fouere cicatricem per dimidiam horam cum ſpongia madida aceto, aut lixiuio; vel applico vnguentum alabaſtrinum deſcriptum in luminari maiori, vel aliud ſimile; vel emplaſtrum cerine mixtum cum diachylone, & optimum eſt, quoniam attrahit, & digerit ſanguinem illum refrigeratum.

Auferētia colorem nigrum ex cicatrice.

Si cicatrix ſit dura.

Si autem cicatrix ſit dura, occurrendum eſt emollientibus: inter quæ primum locum habet oleum ex vitellis ouorum, quo iſti ſolent vti in omni cicatrice, & errant, quia nec in rubra, nec in nigra confert; in caua autem aliquid facere poteſt; ſed ſolùm in dura optimum eſt: Bonum quoque eſt oleum amygdalarum dulcium, pinguedo anſeris, gallinacea recens, vrſina. Ego autem vtor pinguedine humana, qua nihil eſt præſtantius, & ita facit in hoc, vt apud vulgum ſit iam in vſu in qualibet cicatrice; ego tamen dico, quòd ſolùm ſatisfacit in cicatrice dura ratione emollitionis, & ſimilitudinis; verùm non vtor ego ip-

Oleum ex vitellis ouorum nō oē. cicatrices corrigit.

Sic neque pinguedo humana.

ſa ſola,ſed admiſceo aliquod attenuans,ut oleum, in quo decocta ſit radix cucumeris aſinini,vel cyclaminis:nam dura cicatrix requirit etiam aliquod,quod diſſipet callum illum: & ideo miſceo pinguedinem humanam cum oleo dicto, vel cum oleo vetuſto, & in hoc medicamento valde ego fido,& accipio pinguedinem, & oleum ęquis portionibus, & veſperi. quando it dormitum,inungo cicatricem,& certè optimum eſt medicamentum. Quando nolo vti nec hoc,nec illo, & cicatrix eſt magna, ac valdè dura, vtor iſto: inungo cicatricem pinguedine aliqua,uel oleo amygdalarum dulcium;deinde accipio medullam panis,& macero in aceto;poſtea extraho,& pono medullam ſupra cicatricem,& emollitur cicatrix,ita, ut ſit mirum: nam hoc modo ſimul,& ſemel emollitur,atque attenuatur: emollitur quidem ratione olei;attenuatur autem ratione aceti.

Si cicatrix ſit rugoſa.

Si demum cicatrix ſit rugoſa eò quòd malè conſuta ſit,oportet iterum ſecare,& rectè cōſuere,& cicatricem inducere;& hoc aliquando ego feci,& optimè ſucceſſit. Sequuntur iam uulnera oculorum,de quibus in ſequenti,deinde ad alia tranſibimus.

De Oculorum Vulneribus. Cap. XXII.

Oculorum vulnera ſunt difficilia,& quare.

SEquuntur iam vulnera partis noſtri corporis pretioſiſſimæ, cuius partis merito diſtinguimus mortem à vita,ratione viſionis: pars autem hæc oculus eſt, qui ita varius in compoſitione eſt, atque tam mira eius compoſitio eſt,vt difficillimæ ſint affectiones,quas ipſe patitur, & vulnera in hac parte ſunt ita difficilia, vt in quauis alia parte non ſint ita curatu ardua,ſicut in ipſo oculo ſunt,propter exquiſitum ſenſum, quem habet, merito neruorum multorum, & propter membranas, quibus conſtat, quarum aliquæ ſunt ita ſubtiles, & tenues, vt conſui nequeant, ſi opus eſſet. Habet deinde oculus humores in ſe contentos admodum labiles, ita,vt ſi membrana,intra quam continentur,vix diſrumpatur, effluant ſtatim: tanta præterea eſt oculi,& omnium ſuarum partium puritas,vt ſi quid in ipſo præternaturam contineatur, cæcus fiat homo: quæ omnia difficilia admodum reddunt oculorum vulnera. His addatis,quòd habet tot arteriolas, & venas per ſe ipſum oculus diſſeminatas, vt etiam ſi vix ſit vulneratus,aut contuſus,fieri ferè non poſſit,quin inflammetur. Inſuper oculus habet muſculos, qui perpetuò ipſum mouent; motus autem impedit agglutinationem, & carnis ſupercreſcentis generationem. Tegitur quoque palpebra, quæ vulnerata difficilè agglutinatur:habet & cartilagines, & palpebras, ſeu genas, quæ etiam impediunt conſolidationem. Et tandem tot,& tam variis oculus componitur partibus, vt eius vulnera ſint curatu difficilima, ſi qua alia ſunt. Et quæ difficultatem faciunt, ſunt primum nobilitas partium, quas continet;nobilitas autem auget difficultatem ſanationis: Secundum eſt ipſius ſenſibilitas, & ſuarum tunicarum: nam ob maximum ſenſum non poſſumus applicare medicamenta, nec pulueres inſpergere,& ſimilia,quia ſtatim ſuccedit dolor: Tertiò addatis ex Galeno in vndecimo de vſu partium, capite tertio, quod muſculi, & membranæ oculi habent maximum conſenſum cum tunicis cerebri;ideo facilè excitatur ſummus dolor: Quartò addatis difficilima eſſe oculorum vulnera,quoniam oculus eſt magis obnoxius ad fluxiones tùm à capite, tùm à toto corpore recipiendas quacunque alia parte. his omnibus de cauſis difficilima ſunt oculorum vulnera. Ideo diligens debet eſſe medicus, vt conſtat antiquos fuiſſe, quorum aliqui,cognoſcentes difficultatem rei,profitebantur tantùm rationem curandi affectus oculorum,& Ocularij Medici vocabantur,& ex curatione affectuum oculorum tantùm non paruam laudem acquirebant: Videte iam quanta ſit affectuum oculi difficultas, vt potuerit totum hominis ſtudium ad ſe trahere.

Sed veniamus iam ad oculi vulnera,quorum alia ſunt tantum in palpebra;alia occupant partes oculi circumpoſitas,vt muſculos, non autem bulbum oculi; alia occupant corpus oculi.

De vulnere palpebrarum.

Sed dicamus primo de vulnere palpebrarum. Si igitur vulneretur palpebra ſuperior, aut inferior, & cum vulnere ſit coniuncta contuſio, vel non, primo opus eſt ſiſtere ſanguinem:verùm raro eſt opus laborare in ſanguine ſiſtendo, quia in genis palpebriſve non ſunt diſſeminata uaſa ampla; ideo non fit magnus ſanguinis fluxus. Igitur ſtatim uniendæ ſunt partes,quæ ſolent in palpebris diſtrahi in oppoſitum: unio autem eſt facienda per ſuturam.

Vniēda palpebra per ſuturam. Aduerſus Hippocratem.

Conſuatis ergo ſtatim uulnus,etiam ſi adeſſet contuſio, quæ ſæpe ſolet adeſſe, & conſuatis audacter,etiam ſi Hippocrates dicat in ſexto aphoriſm. decimono, quòd genæ, & præputiū non coeunt,& quod omne contuſum prius eſt digerendum, aliter non agglutinatur. Ego aūt uidi oppoſitum:nam ſæpe conſui uulnera palpebrarum,ubi etiam erat contuſio,& ſæpe aſſecutus ſum agglutinationem: Et aliqn̄ Florentiæ conſui palpebram in puero nobili,qui

acceperat

acceperat calcem ab equo, & proceſſu illo ferri, qui rampon dicitur vulgo, diſrupta eſt tota gena, & contuſa admodum, & quamuis viderem auctoritatem Hippocratis, quòd vulnera, vbi eſt contuſio, non agglutinantur; tamen ego conſui, quia videbam ex contuſione nullum incommodum maius poſſe ſequi, quàm ſi partes illæ palpebræ non vnirentur: ſi enim non coniunxiſſem, reliquiſſem oculum detectum, ex qua detect one cornea fit durior, & ex duritie fit cæcitas: Videns ergo hoc incommodum imminens, decreui conſuere, etiam ſi adeſſet contuſio, & res feliciſſimè ſucceſſit, quia agglutinatæ ſunt partes, & ſanatus puer, adhucque viuit. Sed non opus eſt longius exempla petere, quoniam habetis exemplum in hac Vrbe, & quidem recens de illo domitore equorum, qui quadrageſimali tempore concidit ex equo, & palpebræ, & nares ſunt ſibi dilaceratæ, & contuſæ; ego tamen conſui, vt vidiſtis, & nares, & palpebra agglutinata eſt optimè. Quare conſuatis ſtatim audacter, ſiue adſit contuſio, ſiue non adſit. Ad Hippocratem autem quid? Credo, quòd ipſe loquatur de contuſionibus, vbi eſt ſphacelus, ideſt, vbi eſt priuatio caloris naturalis, & tunc reuera, ſi vulnus in tali parte conſueretur, non agglutinaretur, quia iam membrum mortuum eſt, & calor naturalis abolitus: pars autem mortua non indicat conſutionem, ſed ſui ablationem. At in vulnere, vbi eſt contuſio, & calor naturalis viget conſuenda ſunt labra: quoniam, licet pars ſanguinis ſit extra vaſa, tamen digeretur, & reficietur à calore pars ſanguinis, quæ deficit: nam pars viuit; & ideo regenerabit ſanguinem, & carnem. Conſuatis igitur ſemper vulnera palpebrarum, etiam ſi habeant coniunctam contuſionem, dummodo non adſit ſphacelus. Poſſemus etiam dicere, quod Hippocrates non intelligit ſimpliciter, quòd non coaleſcant, ſed quod difficilius, vbi eſt contuſio.

Modus cõſuendi palpebras.

De modo autem conſutionis Albucaſis, & Recentiores, vt Guido, dicunt, quòd conſuendum eſt ſutura pellipaliorum, hoc eſt, eo modo, quo conſuuntur ſacci, quæ ſutura in hoc caſu non diſplicet, quia paruum ſpatium interponitur inter ſuturam, & ſuturam, ſiue inter punctum, & punctum, quod requiritur in palpebris; Ego tamen ſoleo conſuere per puncta, ſeu fibulas vocatas.

Materia qua conſuñtur talia vulnera.

Sericina materia eſt accommodata, cõtra aliquos.

Materia autem, qua debeamus talia vulnera conſuere, dicit Guido, quòd ſunt cauilli; ſed ignoro, quid intelligat per cauillos, an capillos, an pilos ex cauda equorum, vel aliud; hoc vnum tamen ſcio, quòd Recentiorum aliqui accuſant ſericinam materiam, quia dicunt, quòd ſecat labra; ſed ego dico verum eſſe, quòd ſecat, ſi relinquatur ſutura vſque ad ſeptimam, vt ipſi faciunt, & malè; ſed ſi relinquatur tantum vſque ad quartam, non ſuccedit hoc incommodum: & ideo ego laudo ſericum, & ipſo vtor vel filo candido: & nihil refert, an hoc, vel illo vtamini, dummodo filum habeat conditiones illas, quas ſuperius diximus: Capillos autem, ac ſetas non probo ad conſuendum, quoniam non poſſunt aptari, & ſecarent etiam labra uulneris.

Acus.

Habeatur quoque ratio acus, quæ debet eſſe inflexa in conſuendis uulneribus circa oculos: unde iſti ſolenr uti acu argentea, quod etiam faciunt ob gloriam quandam: nam uidentur aliquid ſeciſſe, quando acu argentea uulnus conſuere: Sed argenteæ acus mihi non placenr, quia ſunt acie nimis obtuſa: Et ideo ego ſemper utor acubus ex chalybe; non tamen ita duris, ut deferuntur, ſed emollitis, & diſtemperatis, ut dicitur, ita, ut flecti poſſint, emollitis, inquam, in toto, præterquam in acie.

Medicamentũ agglutinans.

Barbarum ceratum.

Obiectio.

Reſponſio.

Facta ſutura, imponatis aliquod medicamentum agglutinans, & ſi aliud ad manus non haberetis, apponatis album oui: Ego autem ſemper impono barbarum ceratum, vel per ſe ſolum, vel dilutum; & poſſum iurare, quòd nunquam à tali medicamento fruſtratus ſum ſcopo: nam ſemper agglutinatum eſt vulnus, & aliquando agglutinaui tarſum, ideſt, partem illam palpebræ extremam, vbi eſt cartilago, in qua ſunt infixi pili: Sed ſtatim dices: Hippocrates, Ariſtoteles, & omnes dicunt, quòd tarſus non agglutinatur. Reſpondeo, vt etiam ſupra reſpondi, quòd duplex eſt agglutinatio: vna, quæ fit glutine aliquo medio: altera fit per carnem ſupercreſcentem, & de hac intellexerunt auctores: nam quòd per gluten agglutinetur tarſus, naſus, & ſimiles partes, experientia quotidiana docet. Supra barbarum poſtea imponatis ſpongiolam, vel goſſipium, & melius erit, quòd ſit imbutum vino auſtero, vel alio glutinatorio medicamento. Et ſi non haberetis barbarum, vtamini aliquo alio medicamento agglutinante, de quibus ſupra dictum eſt. Nunquam verò maneat ſutura illa vltra quartam; ſed ſemper vel in tertia, vel in quarta ſecentur fibulæ: nam in quarta ſemper vidi palpebrarum vulnera agglutinata. Poſt agglutinationem nihil aliud agendum remanet, niſi vt mandetis ægro, vt omnino ſeruet partem immotam.

Si læſus ſit muſculus oculi.

Sed ſi vulnus occupet non ſolum palpebram, verùm etiam muſculos oculi, illæſo tamen manente oculo, & viſorio neruo (quod fit ſæpe ſagitta, aut ictu gladii punctim ferientis) tũc non indicatur conſutio, quia vulnus eſt aliqualiter profundum, & cauum; & ideo agglutina-

Digitized by Google

Non opus eſt ſutura.

Si chorda latẽtis muſculi ſecetur, quandoque conſuendum.

rentur partes externę, & non internę: nam fieret ſanies, & non poſſet egredi: Idcirco nunquã in tali caſu conſuendum eſt, ſed debetis ſummopere incumbere mitigationi doloris. Cæterum aliquando accidit, vt vulneretur palpebra ſuperior, & ſecetur tota chorda illius latentis muſculi, qui attollit palpebram ſuperiorem, & tunc palpebra concidit, & tegit oculum: in hoc vnico caſu neceſſariò conſuendum eſt vulnus, vt ſaltem palpebra vniatur cum cute ſupercilij, & ita ſi non totus, ſaltèm pars oculi poſſit detegi per leuationem palpebræ: & ego vidi, quòd, vnita palpebra cum cute ſupercilij, attollebatur ferè ita, quemadmodum antea, quàm eſſet ſecta chorda. Ac ſi ex conſutione timetis collectionem, & retentionem ſaniei, relinquatis canalem, vt faciunt Recentiores, relinquendo ſcilicet partem aliquam vulneris magis decliuem, & imponatis linamentum madidum albo oui, vt foramen ſtet apertum pro egreſſione ſaniei. Verum non ſemper hoc eſt faciendum, hoc eſt, non ſemper eſt conſuendum vulnus, ſed ſolum, quando eſt vulnus longum, ita, vt tota chorda ſit ſecta per tranſuerſum, quæ chorda eſt lata ſpatio ferè duorum digitorum, quantum, ſcilicet, eſt ſpatium ab vno angulo oculi ad alterum angulum: nam ſi parua etiam pars chordæ remaneret inſecta, & integra, eſt ſufficiens ad attollendam palpebram, ſi non prorſum, magna ſaltem ex parte. Ergo, ſi tota chorda ſit ſecta, conſuatis; ſi non tota, non conſuatis. Si igitur vulnus non egeat ſutura, primò ſiſtendus eſt ſanguis; altera poſtea die vtendum eſt aliquo, quod mitiget dolorem, concoquat, & digerat: & ideò ſoleo ego accipere vnam vnciam olei abietini, & vnam drachmam maſticini, & quinque grana croci, & miſceo ſimul, & hoc medicamento madefacio linamentum, & applico vulneri.

Quãdoque non.

Medicamentũ mitigans, & coquens.

Sed animaduertatis, quòd vtor hoc medicamento, quando vulnus eſt extra oculum, & medicamentum non poteſt peruenire ad medium oculi ad coniunctiuam ipſam: ſi enim non poſſet fieri, quin medicamentum deueniret ad coniunctiuam, non vterer vllo modo oleo, quoniam coniunctiua nequit perferre etiam oleum molliſſimum; vel, ſi oleo aliquo vterer, abluerem optimè. Si ergo vulnus eſſet ad medium oculi, ego loco medicamenti dicti accipio oleum abietinum, & abluo optimè cum aqua vel fæniculi, vel plantaginis, vel roſacea; deinde admiſceo multum lutei oui, & hoc vtor. Sed ſi vulnus non perueniat ad cauitatem oculi, vtor illo dicto ex oleis, & croco, & expecto concoctionem; & ſupra medicamentum pono cotonem, vel ſpongiam, vel linteum duplicatum madidum vino auſtero; deinde admiſceo aliquod cum eodem medicamento, quod faciat ad generationem carnis, qualis eſt myrrha, thus, maſtix: & ita perſeuero, & ſemper admiſceo crocum, tùm quia concoquit, tùm quia lenit dolorem: nam habet aliquam vim, licet paruam, ſtupefaciendi: Vtor etiam à principio ad finem repellentibus applicatis fronti, & temporibus, cuiuſmodi eſt oleum roſaceum, nenupharinum, & ſimilia; vel vtor albo oui à principio ad finem; vel facio medicamentum optimum ex bolo Orientali, croco, & roſaceo oleo, & applico vaſis illis temporum, ſingulis, vel alternis diebus immutando ipſum: quod etiam ſæpius eſt faciendum, ſi applicaueritis album oui: nam ſi ſiccaretur inibi, attraheret maximè materiam, quia proritat. Et hoc notate, quoniam eſt magni momenti: & ideo vt cautius agatis, poteritis facere medicamentum hoc modo: Capiatis oleum roſaceum, ſuccum plantaginis, & album oui, & concutiatis omnia ſimul, in mortario vel lapideo, vel plumbeo, per horam: & hoc applicabitis cum ſtupa temporibus, immutandò ſtupas altera quaque die, dummodo citius non incaleſcant, quia tunc ſtatim ſunt remouendæ. Demum deuenio ad epulotica, ideſt, ad ea, quæ cicatricem inducunt, & mementote, quòd oculus debet ſemper ſeruari immobilis.

Croci vires

Repellẽtia.

Medicamenta ſæpe renouãda.

Vulneratur & corpus oculi, & quidem duobus modis: vel enim ſolus oculus vulneratur; vel ſimul cum ipſo palpebra: & quandò vel ſolus, vel cum palpebra vulneratur, aliquando vulnus eſt leue, & non penetrat vſque ad alteram ſuperficiem membranarum, ita, vt potius quædam ſit ſcarificatio, quàm vulnus; aliquando autem vulnus penetrat vſque ad profundum: Dicamus primò de vulnere illo leui, quando ſcilicet eſt ſcarificata, vel exulcerata aliqua membrana in externa ſuperficie; in interna autem eſt integra: quod, etiam ſi videatur leue, tamen curatione indiget, & maxima diligentia, quia, niſi rectè curetur, pars, & lamina illa membranæ, quæ non eſt læſa, poſſet facere vel ἧλον, vel μυοκέφαλον, vel μῆλον. Et vt intelligatis rem hanc, quando externa lamina corneæ membranæ exulceratur, & remanet illæſa lamina interna, ſolet interna illa lamina foras prorumpere, & illam ſequitur uuea; & prout magis, vel minus prorumpit, & prominet, diuerſas cauſas affectiones, ac diuerſis nominibus appellatas: Nam quando parum prorumpit, vocatur μυοκέφαλον, hoc eſt, caput muſcæ, quaſi quòd prominentia illa aſſimiletur muſcæ capiti; ſi autem prorumpat magis, & in rotundam figuram, vocatur ἧλον, vel σταφύλωμα eò, quòd

Si oculus fuerit vulneratus.

De leui vulnere ſcarificata aliqua membrana tantum.

μυοκέφαλος caput muſcæ.

σταφύλωμα acinus vuæ

ſit

ſit veluti acinus vuæ; ſi autem valde prorumpat, & promineat, vocatur μῆλον, id eſt, malum, vel pomum eò, quod aſſimiletur pomo. Ne igitur aliquod horum contingat, ſcarificatio corneæ, vel duræ membranæ requirit maximam diligentiam. Si igitur ſimul cum vulnere, ſeu exulceratione ſit vulnerata palpebra, primò oportet conſuere palpebrã & ſtatim eadem die affundere pluries album oui optimè contuſum cum mica croci mixta, & præcipuè, ſi aliquis adſit dolor: Quòd ſi dolor magnus eſſet, admiſceatis etiam lac, & maiorem croci copiam; Sed ſi non adſit dolor, ſat erit affundere album oui duntaxat: Quod ſi ſcarificatio ſit aliquantiſper profunda, tunc oportet committere eã, quæ ſiccant, & agglutinant. Vnde ſoleo ego accipere mucilaginem pſyllij, & mucilaginem radicum conſolidæ maioris, & addito croco, & albo oui, miſceo, & ita facio medicamentum, quod ſanè optimum eſt. Sed aliquando opus eſt validioribus; & ideo tunc laudo ſief album ſine opio, & ſuccum foliorum oleæ ſyluestris, ideſt, oleaſtri, qui ſuccus conſolidat, & glutinat optime: ſed ego miſceo ſecum aloem, parum myrrhæ, ſed parum, & hæc miſceo cum mucilaginibus dictis, & croco. Faciatis igitur hoc modo.

μῆλον, pomum.

Si ſcarificatio ſit aliquantũ profunda.

Siccantia, & agglutinantia.

Validiora.

Rec. mucilaginis radicum conſolidæ maioris }
mucilaginis pſyllij } an. ℥ s
albi oui }
ſief albi ſine opio ʒ j.
myrrhæ }
aloes } an. ℈ j.
croci ℈ s.

Miſce hæc ſimul optimè, contuſis contundendis, deinde accipe guttam ſucci foliorum oliuaſtri, & vnam medicamenti deſcripti, & duas vel tres lactis, & plus minuſve, prout mordicationem times, & ita guttas has omnes ſimul mixtas infundas in oculum. & optimum eſt medicamentum. Quòd ſi videris, quòd vulnus, ſeu ſcarificatio non agglutinabitur, nec cicatrice obducetur, tunc deuenias ad validiora: ſoleo ego cápere lapidem hæmatitim officinarum, & ſtibium, ideſt, antimonium officinarum præparatum optimè, in quibus duobus colloco totam meam ſpem, & his vtor cum ſucco oleaſtri; vel capio lapidem hæmatitim, antimonium optimè præparatum, & tutiam Alexandrinam præparatam æquis portionibus, & addo quid croci.

Validiora.

vt Rec. lapidis hæmatitidis }
antimonij præparati } an. ℈ j
tutiæ Alexandrinę præparatę }
croci grana v.

Hæc redigantur in puluerem tenuiſſimum, ſimulque mixta ponantur in linteolum, & facto faſciculo, infundantur in medicamentum dictum; deinde, quando vultis vti, extrahatis faſciculum, & exprimatis aliquantulum, & ſuccum, qui ex faſciculo expreſſo exit, affundatis in oculum.

Notate, quòd quando exulceratur, ſcarificaturque oculus, ſolet agglutinari cum palpebra, præcipue ſi & palpebra ſit vulnerata: & ideo non eſt faciendum, vt faciunt Recentiores, qui non detegunt vulneratum oculum, niſi aliquando in tertia die: vnde reperiunt ſæpe oculum agglutinatum eſſe cum palpebra in parte interna, ſicut & mihi aliquando accidit: & ideo moneo vos, vt quotidie, ne hoc contingat, detegatis vulnus, & mandate ægro, vt ſæpe voluat oculum, non tamen debet eſſe in continuo motu: ita ſoleo ego curare huiuſmodi vulnera.

Ne oculus agglutinetur cũ palpebra.

Quòd ſi accedat magnus dolor, non timeatis vſum portionis opij, nec faciatis, vt quidam, qui ſemper opium fugiunt in affectibus oculorum; nec, vt alij empirici, qui ſemper ipſo vtuntur; ſed vos debetis ſeruare mediocritatem quandam; & ita quando medicamenta imponenda erunt acria, admiſceatis ſecum aliquid opij, vel ſief album, vel multum croci.

Si dolor accedat.

Si autem oculus ſit perforatus, & membranæ ſectæ vſque in profundum, principio proferendum eſt præſagium de maximo, & certo periculo cæcitatis, non tamen neceſſariò ſequitur cæcitas: nam aliquando accidit, vt vulneretur oculus vſque in profundum, attamen ſeruatur viſio, tamen periculum imminet de profuſione vuæ, atque humoris albuginei, quo egreſſo, ſolet ferè ſemper ſuccedere cæcitas, vt fuit ſententia Galeni in primo de ſympt. cauſis cap. ſecundo. Aliquando tamen viſio ſeruatur, etiam ſi prolapſus ſit humor albugineus, ideſt, aqueus, vt idem Galenus dicit ibidem, & affert exemplum de pue-

Si oculus ſit perforatus, & mẽbrana ſecta in profundum.

Nõ egreſſo albugineo humore ſeruetur viſio.

ro illo: Sed in hoc Galenus reprehenditur à quodam Arabico ſcriptore,& eſt Rabbi Moyſes, qui dicit impoſſibile omnino eſſe, vt, egreſſo humore albugineo, ſeruetur viſio. Sed ego ſum cum Galeno, quoniam experientia oſtendit ſuam ſententiam eſſe veram: nam in depoſitione ſuffuſionum,ideſt, cataractarum(ita etiam vocatur ab iſtis)accidit aliquando, vt cum extrahitur acus, exeat humor albugineus, & apparent rugæ in membrana; tamen non ſuccedit cæcitas: & ratio eſt, quia humor ille iterum gignitur: & ideo benè dicit Galenus, quòd prolapſo albugineo humore, aliquando non ſuccedit cæcitas; rarò tamen hoc accidit,quia ſæpe cum albugineo prorumpit etiam vitreus humor,& aliquando etiam cryſtallinus: & ideo in uulneribus corporis oculi vſque ad profundum prænuncietis ferè certam cæcitatem. Vulnera autem hæc ſolent fieri à corpore pungente, vt à ſpina, acu, & ſimilibus, quandoque etiam à gladio, ſed tunc nihil remanet in cauitate.

Si vulneratus ſit oculus quid agendum.

Si corpus aliquod ſit extrahendum.

Si igitur uulneratus ſit oculus à ſpina, uel qualibet re ſimili, uideatis an aliquid pungens relictum ſit in oculo, ut ſæpe ſolet accidere: & ſi uideritis, quòd continetur aliquid, tentate extractionem illius, ita tamen, ut fiat ſine magno dolore; Quòd ſi extractio fieri nequeat ſine magno dolore, dicunt recentiores, & præſertim Guilielmus Placentinus, applicandum eſſe uulneri aliquid, quod dolorem mitiget, & dilatandi, ac laxandi uim habeat; & ideo dicunt, affundendum eſſe per unum, aut alterum diem oleum roſaceum calidum: ſed ego probo quidem applicationem alicuius medicamenti, non tamen olei, quoniam quotieſcunque oleum debet peruenire vſque ad coniunctiuam, ego maximè timeo vſum olei; at ſi vulnus eſſet extra oculum in parte aliqua, & non eſſet periculum, quòd oleum perueniret ad coniunctiuam ipſo vterer:in hoc autem caſu maximè oleum quodque timeo.

Ad mitigandũ dolorem.

Vnde ſoleo ego vti aliis, vt lacte, fouendo cum ipſo oculum; vel capio folia maluæ, & violarum, & facio decoctum, quo foueo vulnus, admiſcendo cum decocto lac, & parum croci, nam crocus non ſolum facit ad dolorem ſedandum, verum etiam ad extractionem: placet etiam mihi valdè in hoc caſu lac ſeminum peponum, portulacæ, & cucurbitæ: nam huiuſmodi lac, ſeu ſuccus relaxat, impeditque inflammationem, & non habet vim aliquam aſtringendi.

Si medicamento, aut forcipe non poſſit extrahi.

Potius relinquẽdum corpus infixũ, quàm magnũ dolorem efficere.

Quòd ſi nec forcipe, nec medicamento aliquo poſſit corpus illud extrahi, dicunt recentiores, quòd aperiendum eſt vulnus cum vnguento apoſtolorum, aut cum ſpongia, aut eum medulla ſambuci, vel cum ariſtolochia, vel alio conſimili: quæ medicamenta nullo modo mihi placent in vulneribus oculi, licet placeant in iis, quæ ſunt extra oculum. Dico igitur ego, quòd niſi illud, quod in oculo continetur,ſit æruginoſum, vel venenatum, potius eſt in oculo relinquendum, quàm acribus medicamentis extrahendum, ſiue ſit arundo, ſiue ſpina, ſiue aliquid aliud, quia natura putrefaciet illud, ſi putreſcibile ſit, & expellet cum ſanie: Obcæcabitur quidem, non tamen fiet mors, vt fieret, ſi tentaretur contractio, quæ non poſſet fieri ſine maximo dolore: & vidi ego ex tentata extractione facta grauiſſima ſymptomata, vt delirium: Ideo ego libentius corpus illud relinquo, & eò magis, ſi ſit corpus aliquod ſolidum, vt plumbum, ferrum, vitrum, & ſimilia: nam hæc ſimul cum oculo ſæpe agglutinantur. Noui mulierem, quæ iam ſunt quinque anni, quòd habet partem acus in pollice, & aliquando pungit, tamen nolui ego adhuc eam extrahere. Noui & alteram mulierem, & credo, quòd adhuc viuat, quæ vulnerata eſt in multis partibus faciei ex vitrea phiala, & infixum eſt fruſtum uitri in oculum: ego accitus ad ipſam, quæ habitat propè pontem ſancti Proſdocimi, cum non poſſem fruſtum illud extrahere, nec forcipe, nec medicamentis,reliqui,& agglutinatum eſt cum oculo, & nihil aliud ſecutum eſt, quàm quòd mulier illo oculo cernit omnia maiora. Itaque & uos relinquetis corpus illud inibi, ſi extrahi non poſſit ſine magno dolore; ſi tamen uolueritis medicamento tentare extractionem, utamini hoc, quo ego utor, & optimum eſt medicamentum:

Medicamẽtum ad extrahendum.

Rec.olei ex vitellis ouorum ℥ ß.
olei abietini optimè abluti cum aqua violacea,vel cum decocto maluarum ℥ ij.
croci grana quinque.

Miſce,& inſtilletur ſæpe in oculum.Hoc medicamento vtor ego à principio ad finem,ſiue natura expellat id,quod infixum eſt,ſiue agglutinet,& quotidie abluo mane,& veſperi oculum decocto maluarum ſimul cum lacte muliebri, vel lacte ſolo tali, quale ex papilla exprimitur.

Si nihil remaneat in oculo,et perforatio ſit magna.

Sed ſi nihil remaneat in oculo,& perforatio ſit magna,timendum eſt de prolapſu humorum;& ideo,ne id ſuccedat, indicatur applicanda eſſe illa,quæ agglutinent, & ſtringant partes illas dilatatas, inflammationemque impediant, vt dicit Galenus in libro de oculis, ſi tamen liber ille eſt Galeni: Ego vtor hoc

Rec.

Rec. foliorum roſarum
mirobalanorum citrinorum
gallarum
myrtillorum } an. ʒ ſ.
aloes
maſticis } an. ℈ j.
aquæ { roſaceæ
plantag inis } an. q. ſ.

Agglutinās, aſtringens, & inflammationem impediens.

Miſce, & fiat decoctio.

Hac decoctione vtor ego calida, madefaciendo linteæ in ipſa, & apponendo vulneri; vel accipio ſief album ſine opio, & ſief de thure æquo pondere, & addo ipſis dictum decoctum, emollitis prius optimè ſief in mortario æneo per mediam horam, ne pungant; deinde miſceo cum decocto, & affundo hoc medicamentum in oculum: & in hoc medicamento perſiſtetis donec ceſſet ſuſpitio lapſus humorum.

Quod ſi pars pupillæ ſit ſecta, & humores incipiant iam prolabi, vtendum eſt validioribus, & ijs quidem, quæ mitigent dolorem, & copioſam generent carnem: nam prima intentio eſt generatio carnis: Ego vti ſoleo hoc. *Validiora.*

Rec. foliorum plantaginis
roſarum } an. m. ſ
foliorum meliloti manipuli quartam partem
ſeminis fenugræci ʒ ſ.
aloes
myrrhæ
maſticis
thuris } an. ʒ j.
croci ℈ ſ.
thutiæ optimè præparatæ
ceruſſæ } an. ℈ ij.
aquæ { roſaceæ
plantaginis } an. q. ſ.

Hæc miſcentur, & fit decoctum ſecundum artem: quo decocto calido foueo locum; Vel accipiatis portionem decocti, & miſceatis cum albo oui, vel cum lacte, & infundatis in oculum; ita ego facio; deinde inſpergo in vulneratum, vel exciſum oculum puluerem maſticis, vel puluerem mannæ thuris ſimul cum aloe, vel ſief de thure optimè emollitum; Vel capiatis pulueres hos, & ponatis in linteum magnum, & faciatis faſciculum laxum & faſciculum ponatis ante oculum; deinde concutiatis faſciculum pauliſper, & inſuffletis in faſciculum: nam ex commotione faſciculi excutietur puluis tenuiſſimus, qui à flatu propelletur in oculum, quo puluere fiet cruſta tenuiſſima in oculo vulnerato; quæ cruſta poſtea erit in cauſa, vt poſſitis & goſſipium, & medicamenta applicare: Et hoc modo procedetis vſque ad quartam, & tunc ſi videritis, quòd incepit generari caro, applicetis aliquod ſarcoticum, id eſt, quod carnem regignat: Ego ſoleo vti vno, quod eſt præſtantiſſimum, & eſt hoc: *Poſt quartam diem ſarcoticum*

Rec. mannæ thuris
myrrhæ
aloes
ſarcocollæ
ſagapeni } an. ʒ j.
gummi arabici ℈ ij.
ſeminis papaueris albi ʒ j.
croci ℈ j.
thutiæ
ceruſſæ } an. ʒ j.
ſacchari candidi ʒ ij.

Miſce, & fiat puluis tenuiſſimus; deinde accipio decem, vel duodecim oua, & coque ſimul cum ſua teſta, quouſque fiant dura, deinde aufero ipſis teſtam, putamenve, & ſeco oua in duas partes per tranſuerſum, & extraho luteum concretum, ita, vt remaneat ſolum album, in quo eſt cauitas; deinde expleo omnes illas cauitates ouorum alborum puluere dicto,

cto, & apto filum circa vnum quodque iſtorum, ita, vt fiant veluti lebetes, & ſuſpendi poſſint, & puluerem retinere; poſtea accipio phialam vitream, in qua ſolet fieri aqua decocta, quæ habeat orificium latum, & immitto vnum fruſtum oui puluere repletum; & cum deuenerit ad ventrem latum phialæ, firmo ipſum ſuſpenſum filo; deinde omnia alia fruſta ſenſim, & gradatim immitto vnum poſt alterum, & filis ſuſpendo, vt non contangant ſeſe, & ita omnia fruſta ſuſpenduntur in ventre, & collo phialę; quo facto, claudo optimè os phialę, & colloco phialam in caldario, & affundo aquam & adacto igne caldario, facio, vt aqua bulliat, & ita vas ſit in balneo mariæ: vnde fit, vt aqua illa calefiat, & communicetur caliditas ouis, ex quibus ſimul cum pulueribus emanat liquor quidam, qui vel concidit in fundum phialæ, vel remanet in cauitatibus ouorum: quo liquore poſtea vtor in vulnerato oculo, & optimum ſanè eſt medicamentum: quando caro incepit regigni: nam copioſam gignit carnem, & ſeparat etiam cruſtas, & cum hoc liquore procedo vſque ad ſanationem.

Liquor ex albo oui.

Si maximus adſit dolor, quid agendum.

Cæterum ſi ex abſciſſione, vel vulnere, vel exulceratione maximus fiat dolor oculi, vt ſæpe ſolet, quid agendum? Dico, quòd in eo caſu omittenda eſt curatio, & omnia alia, & incubendum ſolum doloris ſæuiſſimi & intenſiſſimi mitigationi, &, omiſſo capite illo de ſymptomatibus vulnerum, vbi etiam de dolore ſedando egimus, deueniendum eſt ad quædam peculiaria, & oculis accommodata, quorum alia ſunt magis, alia minus lenia. Inter ipſa primum locum tenet lac: mitiſſimum enim eſt leniens medicamentum: capiatis ergo ipſum, & admiſceatis ſecum parum croci, & parum ſacchari candi, & affundatis copioſum in oculum; capiatis etiam linteola mundiſſima, & ſubtiliſſima, & madefacta in ipſo applicetis oculo, & ſit lac calidum; deinde accipiatis hoc idem lac, in quo ſcilicet ſit commixtum parũ ſacchari candi, vel alterius, & parum croci, & ponatis calidum exiſtens in phiala vitrea, quæ habeat collum obtortum, ita, vt aptari oculo valeat, & recipiatur fumus ille in oculum; lac autem ſit humanum, vel caprinum, vel aſininum, vel tandem deueniatis ad bubulum, ſi aliud non poſſitis habere, nam quodlibet lac conuenit, licet aliud magis, aliud minus: Cum hoc modo fotus eſt oculus, ſoleo ego capere luteum oui, parum croci, vt medium ſcrupulum, & multam quantitatem ſief albi cum opio, pondere, verbi gratia, duorum ſcrupulorum; & ſimul mixtis oblinio oculum, Et audacter in intenſiſſimis doloribus oculorum debetis vti opio, non tantum, quia ob dolorem imminet periculum de inflammatione oculi, & de eiuſdem conſumptione, ac humorum effluxione, quantum, quia imminet periculum inflammationis membranarum cerebri.

Lenientia dolorẽ oculi.

Aliquando accidit, vt quamuis adſit dolor maximus oculi, tamen tolerat robuſta medicamenta, & tunc ſoleo ego capere carnem pomi dulcis cocti ſub prunis, & admixto croco, & ſaccharo facio emplaſtrum, & applico ſupra palpebras, vel vtor hoc alio emplaſtro, quod habet maximam vim mitigatoriam.

Valida medicamẽta. Emplaſtrũ mitigatorium.

Rec. foliorum papaueris albi coctorum ſub prunis ac cineribus }
carnis malorum dulcium coctorum ſub prunis } an. ℥ ij.
croci ʒ j.
farinæ ſeminum fenugræci ʒ ſ.
lactis muliebris ℥ 1. ſ.
olei roſ. completi optimè abluti. q. ſ.

Miſce, & fac cataplaſma, & pone ipſum ſupra palpebras, oblinitas tamen prius linimento dicto ex luteo oui, croco & ſaccharo: folia autem papaueris coquuntur hoc modo: accipiuntur folia, & inuoluuntur ſimul, vt fiat veluti pila, quam pilam obuoluimus folio chartaceo madido, & ponimus ſub cineribus calidis, & addimus carbones.

Verùm accidit, vt oculus dolens non perferat hæc valida medicamenta; & ideo tunc confugiendum eſt ad fomenta: ſoleo itaque ego capere lac, & admiſcere opium, & ſic fouere; ſed præcipuè vtor hoc decocto:

Fomenta.

Rec. ſemin. fœnugræci }
lini } an. ℥ j.
ſarcocollæ }
myrrhæ } an. ʒ j.
croci ℈ ij.
florum chamomeli. m. j.
opij ℈ j. ſ.

Miſce, & bulliant in ſufficienti quantitate aquæ tuſſilaginis, uel fœniculi, deinde coletur decoctum, & hoc decocto colato, ac calido foueatur oculus, & ponatis etiam ſupra oculum

linteola

linteola hoc eodem madida. Aliquando capio ſief album cum opio, & ipſum macero, & oblinio utrumque oculi angulum tantum.

Maxima ratio habẽda de victu

Sed notandum, quòd in quibuſcunque oculorum uulneribus, uel paruà, uel magna, uel qualiacunque fuerint, ſemper habenda eſt maxima ratio de uictu, qui debet eſſe tenuis, & refrigetans in omnibus, & fugienda ea omnia ſunt, quæ poſſuat ad caput euaporare: Ideo bibat æger aquam, cum qua admiſceat ſyrupum roſaceum recentem, uel ſyrupum roſaceum de roſis ſiccis, uel ſyrupum myrtillorum, hoc eſt ſyrupum myrtinum. Ambiens lucidus fugiendus omnino eſt, ſed ſit ſemper æger in aere obſcuro: & ideo quando inſpicitis vulnus, teneat miniſter lumen in parte poſteriori, vel ſuperiori, ne æger oculo, non dico ægro, ſed ſano etiam cernat ipſum; vel ſi vultis tenere lumen anterius, ſit obuolutum in charta ſcripta nigro colore, vel infecta colore viridi: Et hoc non eſt ſpernendum: nam vidi ex inſpectione luminis, & clari aeris maximè acutum dolorem. Motus omnis fugiendus eſt. Locus ſit frigidus. Aluus lubrica ſemper ſit, & ideo lenienda ſæpe erit cum caſſia, vel alio huiuſmodi blando medicamento. Et quantumcunque lene fuerit oculi vulnus, ſemper ſecanda eſt vena eiuſdem lateris, dummodo virtus, & ætas non prohibeant. Nec ſat eſt aliquando venam in brachio ſecare, ſed opus eſt etiam ſanguinem ex venis poſt aures extrahere: ideo ſoleo ego applicare ipſis hirudines, & extrahere copioſum ſanguinem; aliquando pono cucurbitulam in occipitij cauitate, inter ligamenta illa, deinde ſcarifico locum illum, & ſcarificationibus applico hirudines: & hoc vidi eſſe optimum auxilium, nam vidi ſpatio quartæ partis horæ ſedatum vehementiſſimum oculi dolorem.

Ambiens.

Sectio venæ.

Hirudines occipitio.

Sanato vulnere, ſolet accidere, vt circa corneam tunicam remaneat cicatrix, quæ ſæpe lædit viſionem: ſi enim ſit in ſuperiori parte oculi ſupra pupillam, æger non poterit cernere partem ſuperiorem obiecti, vt verbi gratia, videbit hominem totum, præter quam caput: ſi ſit infra pupillam, cernet hominem ſupra vmbilicum tantum: ſi autem cicatrix ſit in medio, cernet omnia diſſecta: & aliquando cicatrix impedit totam uiſionem, hoc eſt primum incommodum, quod cicatrix ſolet afferre. Secundum eſt, quòd turpem reddit oculum. quare oportet cicatricem imminuere, remouereve: Itaque præmiſſis omnibus vniuerſalibus, & curatione vulneris, ſoleo ego varijs auxilijs vti, & primum eſt collyrium ex anagallide noſtrarum regionum, & eſt mitiſſimum medicamentum: Accipio mel, & ſuccum huius herbæ, & facio collyrium detinendo ipſum ſub ſole diebus canicularibus; Vel vtor collyrio fęniculi, vel collyrio ex ruta, vel collyrio ex ſalibus, quod pretioſum eſt medicamentum, addito ſaccharo candido copioſo; Vel facio collyrium ex floribus leucoi: accipio violas illas, extrahoque ex ipſis ſuccum, quem miſceo cum melle, & facio collyrium; Vel facio collyrium ex ſagapeno: macero enim ſagapenum ipſum in aqua mellis, & cum maceratum eſt, exprimo, & vtor lacte, ſeu ſucco illo expreſſo, & optimum eſt medicamentum. Et de his omnibus videatis Galenum in quarto de compoſitione medic. per loca, vbi agit de cicatrice oculorum. Aliquando vtor medicamẽto hoc compoſito:

De impedimento a cicatrice in mẽbrana.

Medicamẽta ad cicatricẽ emẽdandã.

Rec. ſucci anagallidis illius, quæ habet florem rubeum } an. ℥ ij.
ſucci rutæ, fæniculi, eufragiæ }
mellis deſpumati ℥ iij.
fellis taurini ʒ j.

Hæc miſcentur, deinde exponuntur ſoli diebus canicularibus in vaſe vitreo, & tamdiu ſub ſole tenetur vas, donec in ſummo ipſius medicamentum clarum appareat, qua parte clara, lucidaque vtimur pro collyrio. Aliquando vtor linctu linguæ: mando, vt puella virgo ætatis teneræ, cui non fęteat halitus, & ſit boni habitus, mandat primum ſemina fæniculi: deinde perflet, anheletque in oculum ægri ter, & quater, vt oculus proritetur, & incaleſcat ex vapore illo; deinde puella abluat ſibi os vino non valde potenti; mox mandat ore, vel comam ſaluiæ, vel comam rutæ, vel comam fæniculi; deinde expuat, quod mandit, & lingua lingat cicatricem, incipiendo à parte illa, vbi percipitur maior aſperitas, & hoc faciat quotidie mane ieiuno ſtomacho: & hoc ſolo remedio, linctu ſcilicet, remoui ego oculorum cicatrices aliquando magnas.

Linctus linguæ.

De Narium vulneribus: Cap. XXIII.

NAres vulnerantur aliquando magnis, aliquando paruis vulneribus: Magna vulnera voco, in quibus non ſolum pinnæ narium ſunt ſectæ, verùm etiam partes oſſeæ, ita, vt aliquando vna pars naſi pendeat ab alia, & in his etiam, ſi adhæreret ſolum pars pendula parua pellicula, nunquam amputetis partem pendentem, dummodo (inquam) hæreat non ſolum parti alicui narium, uerum etiam labro ſuperiori (accidit enim aliquando, ut naſus totus ſecetur, & remaneat tantum appenſus labro ſuperiori) ſiue igitur hæreat labro, ſiue parti alicui naſi relicti, nunquam dubitetis, quin agglutinetur, ſiue ſectum ſit os, ſiue pinnæ tantum. In curando igitur uulnere naſi, primò oportet ſiſtere ſanguinem, ſi opus ſit, poſca, uel alio medicamento; deinde conſuere: in qua conſutione oportet uos eſſe diligentes, ut conſuatis omnes partes æqualiter, & ſeruata proportione, ne intortus poſtea remaneat naſus:

Contuſio naſi.
Si pars ſit refrigerata

Facta conſutione obſeruandum eſt an pars ea, quæ erat ſecta, ſit frigida, nec ne: facile enim eſt, ut refrigeretur, quid naſus eſt ſatis gracilis, & excarnis: Quòd ſi ſit refrigerata, & ſemimortua, ob paucitatem ſpirituum, tunc, ante impoſitionem alicuius medicamenti, oportet fouere partem illam aliquo calefaciente: Soleo ego fouere cum decocto foliorum lauri, & florum chamomeli: coquo enim hæc in vino, & madefacio linteola in hoc decocto calido, & foueo partem refrigeratam; ſed obſeruate vos antea caliditatem decocti, quia pars illa; cùm non ſentiat, poſſet aliquando exuri. Henricus inter recentiores ſolet refrigeratas partes ſectas hoc modo fouere, vt reuiuiſcant: monet, vt accipiamus pullum columbinum, vel gallinaceum, & ſecemus viuum per tranſuerſum, & ſtatim ponamus ſupra naſum, dum pullus diſſectus ſeruat caliditatem propriam. Calefacta parte ſemimortua, inſpergendus eſt agglutinans aliquis puluis ſupra ſuturam, de quibus pulueribus, & glutinantibus medicamentis dictum eſt ſuprà; Vel loco pulueris ponatis ſupra ſuturam barbarum ceratum. In cauitate etiam narium ponendum eſt aliquid, quod agglutinet: recentiores imponunt linamenta cannulata, ideſt, tentas perforatas in medio inſtar fiſtulæ alicuius, madefacta albo oui, vt agglutinentur partes illæ internæ narium: Ego cum albo oui miſceo aloem, maſticem, thus, & aliquando myrrham, & linamento hoc medicamento madido perforato, vel non perforato expleo nares: Poteritis etiam loco iſtius vti barbaro diſſoluto cum oleo maſticino, vel cum oleo myrtino, & imbuere filamenta, & nares ipſas explere. Sed notate, quòd quando naſi pars ſecta erat refrigerata, æger debet manum ad ignem calefacere, & parti illi applicare, inibique detinere aliquando per horam: idem poterit facere linteis calefactis; tamen manus eſt præſtantior.

Semper agglutinatur naſus niſi conciderit in ſolum.

Et notate, quòd niſi naſus ſit prorſus amputatus, & conciderit in ſolum, numquam debetis timere de agglutinatione: nam vidi ego aliquando naſum ita reſectum, vt hæreret ſolum pellicula, quanta eſt craſſities acus, tamen optimè agglutinatus eſt. Vnde credo, quòd etiam ſi naſus concidiſſet in ſolum, ſi ſtatim, antequàm refrigeraretur, apponeretur, & conſueretur; credo, inquam, quòd agglutinaretur: nullam enim in toto corpore partem vidi, quæ facilius agglutinetur, quàm naſus.

Si timeatur inflammatio.

Quòd ſi uulnus non ſit ita magnum, nec pars ſecta ſit refrigerata, & timeatis, ne fiat inflammatio, ab affluxum ſanguinis ad partem ſectam, poſt impoſitionem cerati barbari, applicetis linamenta, uel plumaceolos madidos uino auſtero, uel oleo roſaceo & myrtino ſimul, applicetis, inquam, partibus lateralibus: quarta poſtea die, uel tertia ſecate fibulas, & perſiſtaris in eiſdem medicamentis, quoniam non ſolum faciunt ad agglutinationem, verùm etiam ad inducendam cicatricem.

Si pars ſecta ſit refrigerata, & mortua tentanda agglutinatio.

Sed notandum; quòd, etiam ſi pars ſecta eſſet refrigerata, & mortua, tamen ſempet tentanda eſt agglutinatio: nam vidi ego & partes prorſus refrigeratas fuiſſe agglutinatas. præterea nullum incommodum eſt ſecuturum, ſi non agglutinetur, præter vnum, & eſt paruus ille dolor, qui fit in conſuendo. igitur ſemper eſt tentanda agglutinatio: quæ ſi ſuccedat, habebitur intentum; ſin minus, nullum ſequitur incommodum.

Si prorſus amputetur naſus, et cõcidat.

Si autem naſus amputetur, concidat in ſolum, & refrigeretur prorſus, vt nulla ſuperſit ſpes, quòd poſſit agglutinari, imponatis album oui, deinde, firmato ſanguine, imponatis vnguentum baſilicon minus, vel aliud lene ſarcoticum, vt tentetis generationem alicuius carnis, quæ raro ſolet generari in naſo ipſo amputato: Sunt tamen aliqui in Calabria, qui ſolent efformare nares amputatas: & exemplum habetis hic de illo aurifabro: modus autem, quo efformant eſt iſte: ſcarificant partem naſi relictam; deinde ſcarificant cutim brachij, quouſque egrediatur ſanguis, & apponunt, ligantque nares illi ſcarificatæ parti

brachij

Digitized by Google

brachij, & ita relinquunt, quouſque ſimul agglutinata fuerint; & tunc reſecant aliquid carnis à brachio, & curant vulnus, & ex carne illa relicta ad nares incipiunt efformare naſum. Verum hæc ratio reficiendi naſi excruciat nimis ægrum: nam requiritur ſpatium ſaltèm ſex menſium, & poſtea non naſus, ſed naſellus, & quid carnis apponitur, vt potuiſtis videre in illo aurifabro; tamen ego nec probo, nec improbo rationem hanc. Alij ſolent ex chartacea materia macerata, vel ex perſonarum materia, vel argentea efformare nares, & obducere aliquo pigmento coloreve ſimili colori carnis, & glutine, vel viſco aliquo apponunt, & cum eunt dormitum, auferunt, mane autem apponunt iterum.

De vulneribus auricularum. Cap. XXIIII.

AVres & ipſæ vulnerantur, ſed eodem modo eorum vulnera curantur, quo vulnera naſi. quare ſi pars aliqua auriculæ ſecetur, dummodo non ſit mortua, ſemper conſuatis, & apponatis eadem medicamenta, quæ dicta ſunt ſuprà de vulneribus naſi, & non dubitetis quin agglutinentur.

De vulneribus Colli. Cap. XXV.

SVccedunt iam vulnera Colli, quæ ſunt maximi momenti, quoniam ibi ſunt muſculi multi cutanei, interiores, poſteriores, anteriores, laterales: Adſunt nerui illi tanti momenti à ſexto pari orti, & valde craſſi; ad quorum læſionem læditur omne inteſtinum, meſenterium, os ventriculi, & cor etiam, quia ramuli ex ipſis ad cordis baſim deueniunt. Ad læſionem poſtea muſculorum, læditur vox, & motus capitis: Sunt quoque in collo vaſa illa ampla, carotides ſcilicet, ſeu ſoporariæ venæ, & arteriæ, in quibus anima continetur, vt ex eo patet, quòd lanij, cum uolunt brutum aliquod animal mactare, reſecant uaſa illa, & ſtatim euaneſcit anima: Adeſt & aſpera arteria, & gula, quæ duæ partes quanti ſint momenti, uos ipſi noſtis: Adeſt quoque ſpina, oſſa, atque medulla ſpinalis. Vnde, ſi qua pars uulnerata facit difficultatem maximam, una collum eſt, non tantum ratione partium, quibus conſtat, quantum mollitie, & laxitate partium illarum, ob quam laxitatem ſolet in collo colligi materia, & fieri abſceſſus; & ideo maxima requiritur diligentia in uulneribus colli, cum periculoſa ſint, & ut plurimum lethalia. Vulnera autem, quæ in collo ſolent fieri, uel ſunt leuia ita, ut occupent tantùm muſculos, uel cutaneos, uel etiam profundiores, uel ſunt uulnera magna, & profunda ita, ut ſecta ſit arteria, uel gula, uel uas aliquod: agamus primò de leui uulnere, quando ſcilicet ſunt uulnerati ſolùm muſculi exteriores, uel interiores. Itaque primò ſiſtendus eſt ſanguis poſca, uel albo oui, uel alio medicamento, deinde conſuendum eſt vulnus, nec relinquenda eſt hyporrhiſis, vt recentiores dicunt, quoniam ſi rectè curetur vulnus, non colligitur ſanies. Conſuatis igitur totum vulnus, conſuatis, dico, etiam ſi muſculi eſſent ſecti per tranſuerſum: nam vidi ego ſectos per tranſuerſum prorſus, & conſutos fuiſſe, atque agglutinatos, & ſuum munus, vt antea, obijſſe. Itaque ſi videritis muſculos per tranſuerſum ſectos, inquiratis capita illa ſecta, & ſimul conſuatis, conſuatiſque cutim, & non dubitetis de agglutinatione. Facta conſutione, ponatis ſupra ſuturam puluerem aliquem agglutinantem, vel ceratum barbarum; deinde, quia in collo ſunt partes laxæ, & uaſa illa ampſa, per quæ ſolet fluere copioſa materia, & ſpiritus, & ita ſolet facilè ſuccedere inflammatio; idcirco, ne id contingat (quia ſuccedente inflammatione, ſanitas per difficilis admodum redditur) oportet circumquaque uulnus in partibus ſuperioribus, inferioribus, & lateralibus applicare aliquod. Vnde ſoleo ego partes omnes circumpoſitas inungere oleo roſaceo, vel myrtino, vel vtroque ſimul mixtis (& cum oleis aliquando miſceo parum vini auſteri) deinde inſpergere puluerem, quem deſcribam in multa quantitate: Puluis ergo eſt iſte.

Colli vulnera difficilia valde.

Si tantum vulnerati ſint muſculi.

Conſuendum vulnus.

Supra ſuturā quid ponēdum.

Ne inflammatio oriatur.

Puluis ſuperinſpergendus.

Rec. Pulueris { Roſarum rubearum, Myrtillorum, Sandalorum alborum, Gallarum, Boli Orientalis } an. ℥ s.

Miſce, & copioſus hic puluis inſpergatur ſupra partes inunctas. Cæterùm aliud animaduerta-

maduertatis, & eſt, quòd ſi qua pars in corpore eſt, quæ uulnerata citò intumeſcat, ea collum eſt, quia copioſi ſpiritus, & humores tranſmittuntur ad magna illa uaſa; unde ſolet citò tumor, & inflammatio magna fieri, & abſceſſus, cum præſertim adſint in collo multæ laxitates, & cauitates muſculorum; & ideo moneo uos, ut poſt inſperſionem pulueris accipiatis plumaceolos, uel linteola ex lana, uel lino triplicata, uel quadruplicata, & madefaciatis in uino auſtero, addito oleo roſaceo, atque myrtino, & ponatis ſupra inunctas partes, maximè ubi ſunt uaſa, & ligetis, ſtringatisque aliqualiter, dummodo non fiat dolor: nam hoc modo ſtipabitur laxitas illa, & repelletur humor, & ſpiritus, qui ad uulnus fluebat: & hoc modo debetis procedere vſque ad ſeptimam in omnibus, præterquam in vno, & eſt, quòd in quarta ſecandæ ſunt fibulæ. Poſt ſeptimam tentanda eſt cicatrix cum barbaro, vel alio medicamento, quod habeat maiorē vim ſiccandi, & cicatricis generandæ.

Si profundius ſit vulnus, & perforetur arteria aſpera.

Quòd ſi vulnus occupet non ſolum cutim, & muſculos, ſed etiam interiores, & profundas partes, ita, vt perforata ſit arteria aſpera, vel gula, vt ſolet accidere, ſæpius tamen accidit, vt vulneretur, & perforetur aſpera arteria, quàm oeſophagus, quæ vulnera ſunt difficilia, & periculoſa admodum, primò, quia tunica veſtiens aſperam arteriam in parte intrinſeca eſt exquiſitiſſimi ſenſus: gula quoque habet ſenſum acutiſſimum ita, vt medicus ne goſſipio quidem vulnera queat in his partibus exiſtentia detergere; & ideo difficilima ſunt, & eò magis, quia partes iſtæ ſunt facilè inflammantur: Alia cauſa difficultatis eſt, quòd ſi tunica veſtiens arteriam aſperam interius caſu intumeſcat, impeditur reſpiratio; ſimiliter ſi gula tumida reddatur, impeditur deglutitio, & cibi deſcenſus; & ſi tumor ſit magnus, comprimit aſperam arteriam, & difficilem reddit reſpirationem: Tertiò aſpera arteria ægrè conſolidatur, quia habet duram cartilagineamque ſubſtantiam; durities autem impedit agglutinationem, teſte Galeno in quinto meth. cap. ſeptimo. Addatis, quòd pars hæc eſt in continuo ferè motu: nam & dum deglutimus, & dum reſpiramus, & inter loquendum ſemper aſpera arteria mouetur: motus autem impedit agglutinationem. Quare quoties videritis vulneratum eſſe oeſophagum, vel aſperam arteriam, ſemper prænunciate difficultatem, & periculum magnum, & quidem tale, vt facilè ſucceſſura ſit fiſtula ipſi vulneri, præcipuè, ſi fiat, vt ſolet, vlcus quoddam paruum in membrana veſtiente internam ſuperficiem arteriæ aſperæ, quod vlcus poſtea reddit longè difficilius vulnus.

Difficilè curatur, et qua cauſa.

Præſagiū.

Propoſito præſagio difficili, & periculoſo, ſi aduocati fueritis in principio, & fluat ſanguis, firmate primò ipſum poſca, vel alio medicamento, deinde conſuatis vulnus. Recentiores volunt, & in vulneribus, in quibus vulnerata eſt aſpera arteria, relinquamus ſpiraculum. Ego autem dico, quòd totum vulnus eſt conſuendum, & nullum ſpiraculum relinquendum, at omnes partes ſunt vniendæ, aliter colligeretur intus ſanies, & facilè fieret vlcus in membrana intrinſeca veſtiente arteriam aſperam. Conſuto toto vulnere, imponendum eſt medicamentum aliquod agglutinans, ſiue illud ſit puluis, ſiue ceratum barbarum, nihil refert; poſtea imbuendum eſt totum collum vino auſtero ſimul cum oleo roſaceo, madefactis ſcilicet in his ſtupis, vel linamentis, & impoſitis; & circum circa inſpergatis pulueres, & apponatis puluillos, plumaceolos vocatos, madidos eodem liquore, vino ſcilicet auſtero, & oleo roſaceo, & comprimatis partes illas. Sed ſciatis, quòd non ſolùm extrinſecus, verum etiam intrinſecus requiruntur medicamenta, quæ poſſint agglutinare, conſolidareque: intrinſecus autem ſolum ſub duabus formis vti poſſumus medicamentis talibus, nimirum ſub forma gargariſmatis, & ſub forma eclegmatis, ideſt, lambitiui: Pro gargariſmate igitur faciatis decoctum hoc modo:

Conſuendū vulnus.

Medicamentū imponendū cō ſuto vulneri.

Gargariſmata, & eclegmata.

Gargariſmus glutinans.

Rec. radicum conſolidæ maioris m. ij.
foliorum { conſolidæ minoris m. j. s.
betonicæ
roſarum } an. m. j.
cimarum rubi
radicum tormentillæ
pentaphili
gummi tragacanthi ℥ j s.
iuiubas num. xx.
ſeminis hordei m. j. s.
ſyrupi de roſis ſiccis ℥ iiij.
aquæ q. s.

Miſce, & coque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde colentur: & ex hoc decocto crebrò abluat æger ſibi fauces: nam ex omnibus, quæ bibuntur, & detinentur in ore, ſemper aliquid labitur in aſperam arteriam, vt Galenus oſtendebat exemplo brutorum, qui exhu-

Digitized by Google

exhibitus fuerat liquor aliquis coloratus, nam dum mactabantur, reperiebant aſperam arteriam colore illo tinctam. Eclegma autem conficietis hac ratione. *Eclegma.*

Rec. radicum conſolidæ maioris ſub prunis coctarum ℥ iij.
pulueris tragacanthi }
gummi arabici } an. ℥ j.
boli Orientalis ʒ ij.
ſpecierum diatragacanthi frigidi ℥ j.
ſyrupi de roſis ſiccis, vel myrtini. q. s.

Tritis terendis, & optimè leuigatis, fiat eclegma, quod coquatur ad ignem aliqualiter, & ex ipſo accipiat æger quantitatem vnius grani fabæ, & ſemper detineat in ore: nam prolabitur aliquid in aſperam arteriam. Quibus vulnerata eſt arteria aſpera, & *Potus.* gula debent pro potu accipere aquam chalybeatam ſimul cum hordeacea: nam potus hic habet aliquam vim aſtringendi, detergendi, & impediendi inflammationem: ſed ſemper in hoc liquore ſit decoctum fruſtum conſolidæ maioris, & addatis ſyrupum de roſis ſiccis, vel myrtinum: Quod ſi æger nequeat ferre talem potum, bibat aquam, in *Radix pimpinellæ glutinans optimum.* qua ſit decocta, vel ſaltem conſeruata ſex, vel octo horas, radix pimpinellæ virentis: nam præſtantiſſima eſt ad agglutinanda vulnera interna oeſophagi, & arteriæ aſperæ. In aqua chalybeata coquantur omnia cibaria, & ex ipſa fiant etiam iura, & in ipſa coquatur caro, & reliqua, incoquendo ſemper aliquid conſolidæ. Leniatur aluus, & ſecetur ſemper uena in principio, dummodo non effluxerit copioſus ſanguis, non loquatur, nec quicquam craſſum deglutiat, ſed ſolùm fercula liquida cum conſolida parata.

De ſanguinis hæmorrhagia, ſeu de vulnere venæ, arteriæve. Cap. XXVI.

ALiquando non ſolum uulnerantur muſculi colli, uerum etiam uenæ, aut arteriæ illæ magnæ, quæ in ipſo ſunt. unde ſuccedit maximus fluxus ſanguinis, & aliquando animæ egreſſio. Et ideo ſemper oportet uos intentos eſſe ad ſanguinis fluxum, ne homo iuguletur. Quia igitur de uulneribus uenarum, & arteriarum, ſiue de ſanguinis fluxu nihil eſt hucuſque à nobis dictum, tractemus iam de ipſis hoc loco. Itaque ſanguinis fluxus à Græcis uocatur αἱμοῤῥαγία; à noſtris autem ſanguinis effluxio. Fit multis modis: nam uel emanando, uel fluendo egreditur omnis ſanguis ex uaſis: ef- *Quot modis effluit ſanguis a vena.* fluit quidem manando, & quaſi per reſudationem, quando, verbi gratia, apponuntur hirudines alicui parti: tunc enim non exit ſanguis per venam, & ſaliendo, ſed perinde, atque reſudaret: & noui ego hominem mechanicum, quem expectabam, vt curarem hac hyeme, qui quotannis Maio menſe patiebatur in hypochondrio dextro circa regionem hepatis ſanguinis emanationem ſatis magnam, ita, vt egrederetur libra vna, vel vna cum dimidia ſanguinis, & tamen cutis integra erat, & talis exitus ſanguinis dicitur emanatio. Fluendo autem dicitur egredi ſanguis, quando continuato fluxu, vel ſaliendo effluit. Tot ergo ſunt ſpecies fluxus ſanguinis. Cuius fluxus cauſæ ſolent eſſe tres, vna quarum vocatur ἀναστόμωσις vaſorum, id eſt, venarum, vel arteriarum: altera eſt tunicarum vaſorum diuiſio: tertia eſt διαπήδησις, hoc eſt, rarefactio tunicarum vaſorum. *Tres cauſæ fluxus ſanguinis. Anaſtomoſis.* Anaſtomoſis eſt quando dilatantur oſcula vaſorum: nam vt in anatome didiciſtis, venæ, & arteriæ deſinunt in capillamenta quædam extrema, quæ clauſa ſunt, tamen aliquando dilatantur oſcula illa, & fit fluxus ſanguinis; & talis dilatatio ab Hippocrate appellatur ναυτία, id eſt, vomitus, ſeu nauſea: nam quemadmodum in vomitu dilatatur os uentriculi, & egreditur illud, quod erat in fundo uentriculi, ita, dilatatis orificijs uaſorum, egreditur ſanguis. hæc igitur eſt una cauſa fluxus ſanguinis, quæ uocatur anaſtomoſis, id eſt, dilatatio, vel apertio. Altera eſt, quando pars aliqua tunicæ vaſorum, quæ vnita eſt, diuiditur. Tertia, diapedeſis Græcè vocata eſt, quando tunicæ vaſorum rareſiunt, integra manente tunica, vt ſi acciperes telam, fiſſam dictam vulgo, ſeu ſpiſſam, quæ *Diuiſio. Diapedeſis.* poſſit dilatari integra ipſa manente, talis dilatatio vocaretur rarefactio. Iam videamus cauſas cuiuſcumque, & primò anaſtomoſis: dico igitur, quòd oſcula vaſorum aliquando *Cauſa anaſtomoſis. Prima.* aperiuntur propter debilitatem ipſorum vaſorum, voco imbecillitatem hic intemperiem oſculorum vaſorum: nam redduntur aliquãdo imbecilla oſcula vaſorum ob contractam

Digitized by Google

intemperiem frigidam,& humidam,vel calidam,& humidam:calida autem,& ſicca,& fri gida,& ſicca intemperies potius conſtringunt,quàm poſſint dilatare aperireve; igitur prima cauſa anaſtomoſis eſt imbecillitas oſculorum·imbecillitas autem prouenit ex contracta in temperie,uel calida,& humida,uel frigida,& humida.

Secunda cauſa.

Altera cauſa eſt copia, & impetus ſanguinis in uaſis contenti: quando enim copioſus ſanguis continetur in uaſis, & impetu fertur ad locum, illidit oſcula, & ſic aperit oſcula uaſorum: & hæc dilatatio à tali cauſa ſolet accidere in hæmorrhoidibus: nam retinetur ſanguis ille pluribus aliquando diebus: unde, repletis uenis, natura propellit magno impetu ſanguinem illum uerſus orificia, & ſic aperit illa; & hinc eſt, quòd uidebitis accidere fluxum ſanguinis per hæmorrhoides, abſque quo præceſſerit loci illius dolor, uel inflammatio. accidit etiam fluxus ſanguinis à tali cauſa in naribus, quia à toto corpore tranſmittitur ſanguis ad orificia illorum uaſorum, & copioſi etiam ſpiritus ſimul cum ſanguine; unde facta illiſione, aperiuntur oſcula, abſque quo præceſſerit affectio aliqua in naribus: & de hoc exemplum habuiſtis anno elapſo de Reuerendo Theologo noſtro Magiſtro Hieronymo, Monacho doctiſſimo, & Ordinis Sancti Dominici: nam, facta anaſtomoſi in thorace, expuit tres & plures etiam libras ſanguinis, & ſanatus etiam eſt. Sunt etiam aliqui, qui ſtatis quibuſdam temporibus expuunt ſanguinem, quia ſanguis colligitur copioſus,& accepto impetu aperit capillamenta vaſorum.

Tertia cauſa.

Tertia cauſa anaſtomoſis eſt tenuitas,acredoque ſanguinis acquiſita extrinſecus: nam ob ſuam tenuitatem permeat oſcula vaſorum. Ergo primæ cauſæ fluxionis ſanguinis,quæ erat anaſtomoſis,tres ſunt cauſæ.

Prima eſt imbecillitas oſculorum arteriarum,& venarum.

Secunda eſt copia,& impetus ſanguinis.

Tertia eſt tenuitas ſanguinis.

Cauſæ diuiſionis tunicarum.

Altera cauſa fluxionis ſanguinis erat diuiſio tunicarum vaſorum, quæ & ipſa habet cauſas,& quidem plures.

Prima eſt extrinſeca,vt corpus aliquod ſecans,gladius,verbi gratia.

Secunda eſt contuſio ab aliquo graui,vel duro corpore;& ideo in contuſionibus accidit fluxus ſanguinis, quia lacerantur tunicæ vaſorum, vt ſæpe accidit in capitibus puerorum, qui frequenter concidunt in caput,& ex contuſione lacerantur tunicæ vaſorum,& exiens ſanguis colligitur inter cutim, & pericranium; vnde cogimur locum aperire, & extrahimus ſanguinem putrefactum.

Tertia cauſa eſt interna,& eſt ruptio à tendente humore: quæ ruptio fit vel à vehementia actionis(tunc enim extenduntur vaſorum tunicæ,& lacerantur,vt accidit etiam aliquãdo,quando nimis validè quis continet ſpiritum)vel fit ex abundantia ſucci mali,aut boni; & ideo habitus athletarum periculoſus eſt,quia cum adſit plethora, periculum imminet, ne diſrumpatur vas aliquod,& fiat hæmorrhagia ſanguinis; & mors, vel fit diſruptio tunicarum vaſorum ex caſu ex alto,vt diebus ſuperioribus potuiſtis obſeruare in Columbino illo,qui ex accepto vulnere in capite,& in vtroque crure concidit,& emiſit per aluum quatuor,vel quinque libras ſanguinis:vnde,cum illum non prouenire ex hęmorrhoidibus certò ſciremus,ſuſpicati ſumus,quòd ex caſu illo lacerata eſſet tunica vaſis alicuius in aliquo viſcere,& eò magis,quia in cute nulla erat contuſio.

Tertia cauſa diuiſionis tunicarum vaſorum eſt eroſio,nam aliquando laceratur mẽbrana vaſorum ab humore aliquo,vel liquore erodente,ſiue ſit externus,ſiue internus.

Cauſa diapedeſis.

Tertia cauſa principalis fluxus ſanguinis erat diapedeſis,ideſt,rarefactio,quæ fit,quando ob retentum copioſum ſanguinem non dilacerantur tunicæ vaſorum,ſed dilatantur,& rareſiunt: Fit autem rarefactio hæc aliquando à tenuitate ſanguinis (nam ſua tenuitate rarefacit texturam)non tamen ſanguis eſt ita tenuis,& acris,vt erodat: Aliquando fit ex ſuctu, ſiue ex valido attractu; vidiſtis ſugillata,quæ relinquuntur in facie ex oſculo aliquo, & potuiſtis obſeruare, poteritiſque quotidie, quod exoſculata pars illa contrahit primò colorem rubeum,deinde nigrum:& huiuſmodi ſugillatum vulgares vocant diaboli morſum: nam quando quis dormierit cum amaſia,mane,cum ſurgit,ſi vident faciem ſugillis plenã, dicunt mulieres facta eſſe ex morſibus diaboli; ſed deberent potius dicere ex morſibus inferni,quia mulieres ſunt infernum & iuuenes ſunt diaboli: ſugillum ergo illud fit, quia ex ſuctu attrahitur primò tenuis humiditas, quam conſequitur ſanguis, qui in venis eſt, & quantò magis exit ſanguis,tantò rarior redditur tunica vaſis: & ita ſecunda cauſa raritatis eſt validus ſuctus,vt patet etiam de hirudinibus applicatis,quæ,quia validè ſugunt,ideo attrahunt ſanguinem non ſolùm extra venas, verùm etiam extra cutim: at ſi ſuctus non ſit vehemens,attrahitur tantùm extra vas,& ſic fit color ille in cute.

Fluxio

Digitized by Google

Fluxio igitur ſanguinis fit vel apertis oſculis vaſorum, vel diſſolutis eorum tunicis; vel rarefactis; & ita ſanguis effluit uel ob anaſtomoſin; uel ob ſolutionem continui in uaſis; uel propter rarefactionem.

Curatio.

Curatio autem eſt, ut ſi præſens cauſa apertionis oſculorum, uel lacerationis, uel rarefactionis adſit, eam remoueamus; ſi vero non ſit præſens, vt incumbamus cohibitioni ſanguinis fluentis, & vt vniamus partem vaſis ſolutam, vel apertam, uel rarefactam, & ita tres ſunt indicationes; ſi cauſa præſens ſit. Prima eſt cauſæ ablatio: Secunda ſanguinis cohibitio. Tertia unio. Fingamus iam quòd ſanguis effluat ob diſruptionem uaſis, & cauſa diſruptionis ſit copia ſanguinis, tunc pro curatione indicatur ablatio cauſæ, & ſic imminuenda eſt ſanguinis quantitas. Vnde ſecanda eſt vena in parte oppoſita, & extrahendus ſanguis, uſque ad animi defectum, dummodo uires conſtent, quod cognoſcetis appoſita manu carpo. Præter ſectionem uenæ debet æger uti uictu tenui, ac refrigerante, & plures ſanaui hoc modo, quibus ſanguis effluebat uel ex naribus, uel ex pulmonibus, uel ex alijs partibus. nam ſectio uenæ eſt maximum in hoc caſu remedium.

Si cauſa pſens ſit, tres indicationes.

Exemplũ, ſi cauſa ſit diſruptio.

Si autem ſanguis effluat, quia tunicæ uaſis ſint eroſæ, tunc uidendum eſt, quænam fuerit eroſionis cauſa, an ſanguinis acredo, quia ſcilicet habeat admixtum humorem aliquem acrem, & malum; an fiat ex ſanie collecta in vulnere in ea parte, vbi vaſa ſunt; an verò ſanies defluat ex aliquo abſceſſu in vulnus ipſum, vel in alium locum, vbi vaſa ſint, vt ſi ex capite deſcendat humor acris, & ſalſus: Tertiò an eroſio proueniat ex vlcere ſerpente.

Si tunicæ ſint eroſæ.

Si igitur eroſio fiat propter acredinem ſanguinis, qui redditus ſit acris per admixtionem (nam acredo nequit cum ſolo ſanguine ſtare) ſi, inquam, fluxus ſanguinis fiat propter eroſionem tunicarum vaſis ratione acredinis ſanguinis, vt ſæpe ſolet accidere, tunc medicamento purgante oportet maſſam ſanguineam mundare, & ita exhibebitis rhabarbarum cum caſſia, vel ſyrupum roſaceum ſolutiuum, vel ſyrupum violaceum ſolutiuum, vel confectionem Hamech, vel electuarium lenitiuum, vel aliud ſimile: Facta euacuatione, craſſefaciendus, refrigerandusque eſt ſanguis, quod fiet, ſi æger continuo bibat aquam hordei, in qua decoctæ ſint iuiubæ, vel myrtilli, vel ſemina ſumach, vel cimæ, i. ſummitates rubi: vel bibat iuleb roſaceum, vel ſyrupum myrtinum, vel ſyrupum de roſis ſiccis, vel ſyrupum de agreſta: omnia enim hæc bona ſunt; & vtatur victu refrigerante, & tenui, dico tenui in quantitate, non autem attenuante in qualitate. Si autem eroſio fiat propter ſaniem fluentem ex aliquo apoſtemate, vel alia ex parte, vel collectam in parte, vnde ſanguis effluit, vt aliquando ſolet accidere, ſputum ſanguinis ex defluxu ſaniei ex capite ad thoracem, tunc incumbendum eſt cauſæ, vt citò ſupprimas defluxum ſaniei, quod facietis reuellendo, deriuandoque fluxum illum ſaniei, parandoque exitum conuenientem ipſi ſaniei, & ſiccando, abſumendoque ſaniem ipſam: quòd ſi à capite talis materia erodens deſcendat, euacuabitis, & ſiccabitis caput, & alia adminiſtrabitis, quæ habuiſtis hoc anno ab Excellentiſſimis his Practicis de ſputo ſanguinis ex catarrho acti. Si verò corroſio facta ſit propter corruptelam vlceris, vt ſolet aliquando accidere, quando vlcus ſerpens eſt, vel gangrænam contraxit, tunc conuenit curatio gangrænæ, vel ſerpentis vlceris, de qua curatione habuiſtis altero anno, & habebitis anno ſequenti; ſat erit nunc dicere, quòd conuenit magna exſiccatio, atque adſtrictio; & ideo proponam vobis medicamenta ſimplicia, ex quibus poteritis varia parare, & ſunt hæc:

Si eroſio fiat ab acredine ſanguinis.

Si eroſio fiat à ſanie.

Si propter corruptelã vlceris.

Scabioſa, conſolida vtraque, tormentilla, ſemina lupini, eruum, lolium, vel eius farina, roſæ, plantago, ſabina, beronica, pentaphyllum, agrimonia, ariſtolochia rotunda, cornu ceruinum vſtum, bolus Orientalis, mel roſatum, ſyrupus roſaceus recens; hæc & ſimilia erunt vobis materia, ex quibus poteritis varia componere medicamenta.

Exiccantia, & aſtringẽtia.

Sed inter omnia primum locum obtinet præcipitatum, quod eſt certè diuinum in hoc caſu: nam coercet ſerpens vlcus, & phagedænam, & vnit vas ſolutum, quia habet aliquam vim aſtringentem. Si autem caſu fiat abſceſſus aliqua in parte, & ſuppuretur, diſrumpaturque, & ſuppurauerit, diſruperitque vas aliquod, imponatis præcipitatum, quod certè eſt optimum, vel vtamini medicamento, quo vtor ego cum felici ſucceſſu, & vſus ſum etiam non ſunt multi menſes in quodam Iuuene Mediolanenſi, qui patiebatur tumores magnos in dorſo, qui fiebant ex materia frigida deſcendente à capite:

Præcipitatum.

Ego, vt tumores aperirem, appoſui cauterium, à quo excitata eſt cruſta; qua emollita, & ablata, incipit effluere copioſus ſanguis, qui tandem firmatus eſt; ſed crebrò redibat fluxio ſanguinis, & quidem tanta, vt me ſæpe, ac multum exagitarit; cumque infinitis ferè fuiſſem vſus, nullum reperi præſtantius, quam medicamentum ex chalcanto, & præcipitato hoc modo paratum:

Digitized by Google

Optimum medicamē tū ex chalcanto, et præcipuato.

Rec. præcipitati ℥ j.
vitrioli rubrificati (ita enim uocant, quia ex combuſtione factum eſt rubeum) uitrioli igitur iſtius ℥ ſ.
thuris, maſticis, aloes, ſarcocollæ — an. ℈ ſ.

Miſce, & fiat puluis, quem puluerem inijciatis in uas eroſum; uel inſpergatis ſupra linamentum, & applicetis linamentum uaſi, & hoc medicamentum bis, uel ter applicitum, ſolet optimè ſanguinem firmare. Hæc agenda ſunt, quando cauſæ uel ruptionis, uel dilatationis, uel apertionis uaſorum ſunt præſentes.

Si nulla cā adſit. *Prohibitio fluxionis quo fiat.*

Quòd ſi nulla cauſa adſit, ſed tantùm fluxio ſanguinis, quid ſit agendum docet Galenus in quinto methodi, capite quinto, vbi inquit, quòd prohibenda eſt fluxio, quod fit, inquit, duobus modis, aut per obſtructionem obturationemve vaſorum, aut per prohibitionem materiæ, ideſt ſanguinis fluentis, faciendo ſcilicet, ne ſanguis fluat ad vas illud, quia etiam ſi ſit apertum, non effluet ſanguis, quia non aderit: prohibetur autem, vt ipſe dicit, fluxus materiæ ad vas deriuatione ad partem oppoſitam, vt ſi ſanguis effluat ex nare dextra, cucurbitula appoſita hypochondrio dextro ſiſtit fluxionem; ſi ex ſiniſtra, in ſiniſtro: prohibetur etiam fluxio materiei reuulſione, firmatione, & vltimò per ablationem eorum, quæ proritant. Secundo modo ſiſtitur ſanguis per obturationem vaſis, quæ obturatio fit, vel adductione labrorum vulneris, vel obſtructione oſculi ipſius venæ: labrorum autem coniunctio fiet vel manuum opera, ſi digitis committi, atque adſtringi labra poſſint, vel deligatura, ἐνδέσει vel ſutura: Sed ratio illa ſiſtendi ſanguinis, quæ fit per obturationem, eſt, quæ pertinet ad nos, & præcipua eſt in vulneribus. Galenus itaque inquit, quod poteſt vas obſtrui tribus modis, vt diximus, uno quidem modo per obturationem uaſis, ideſt, cum iis, quæ obturant; ſecundus eſt per uincula, & ligaturas; tertius eſt per unionem labrorum uulneris, quæ unio labrorum fit uel manu, uel ſutura, uel faſcijs ligaturiſque. Sed de ligatura, & ſutura dictum ſupra eſt. Itaque cum uideritis in uulnere ſectum eſſe uas aliquod magnum, & pro firmando ſanguine uſi eſtis multis remedijs, & res non ſucceſſit, apponatis primò ſtatim digitum uaſi, deinde uniatis labra uulneris, uel ſutura, uel uinculis, & eſt auxilium optimum, ita, ut chirurgi iſti nihil aliud ſciant facere, quàm imponere album oui, & uti hoc remedio, quod licet bonum in ſe ſit; apud ipſos tamen malum eſt, quia neſciunt ipſo uti. In hoc igitur remedio primò ſciatis, quòd quando uultis uulnus conſuere, ob firmandum ſanguinem, ſutura debet eſſe profunda, ita, ut labra perforentur acu, uſque in profundum, alioqui nihil faceret; Secundò, antè quàm conſuatis, facite, ut miniſter apponat digitum ſupra uas apertum, uel diſruptum, & comprimat, & uos interim detergatis optimè uulnus à ſanguine illo, ne inibi remaneat, & grumeſcat; deinde accipiatis organum aliquod ex argento, uel ferro, & ſi aliud non adſit, capiatis uolſellam, ideſt, ſpatulam, & remoto miniſtri digito, ponatis ſpatulam in eius locum, & comprimat ipſe miniſter vas, donec ſiſtatur ſanguis; vos poſtea incipiatis conſuere labra vulneris, & ſensim procedatis conſuendo, nec interim vnquam auferat ſpatulam miniſter, niſi eodem ferè inſtanti, quo vos attraxeritis filum: nam maxima habenda eſt ratio, ne ſanguis remaneat in vulnere, & grumeſcat; & ideo oportet ſolum tunc temporis momento auferre ſpatulam, quando vos attraxeritis filum, vt caro ſuccedat in locum ſpatulæ, & comprimat vas. Conſuto, vel deligato vulnere, (ſed conſutio tenet primum locum) apponatis vulneri aliquod, quod aſtringat, & glutinet.

Vnitio labrorū, vel ſutura, vel vinculis.

Rō ſiſtendi ſanguinis per obturationem.

Alter modus ſiſtendi fluxum ſanguinis erat per obſtructionem vaſis: quod fit duobus modis, ait Galenus, vel extrinſecus, vel intrinſecus; & intrinſecus rurſus duobus modis, quorum vnum reperio apud Galenum loco citato ſuprà, & eſt, vt imponatur digitus vaſi, vnde effluit ſanguinis, & inibi ſeruetur leniter, ac placidè comprimendo per quartam partem horæ, tunc fiet, vt ſanguis, qui eſt in extremo vaſis, incraſſetur, & grumeſcat, & ita à ſanguine grumoſo obſtruetur vas.

Bucellatus Auic.

Alter modus eſt Auicennæ in quarta quarti capite de curatione fluentis ſanguinis, & talis ratio ſiſtendi ſanguinis, quam ipſe docet, vocatur bucellatus; vel bucellatio, & eſt talis: Vult, vt faciamus linamentum, tentam vocant iſti, longum, & acutum, vt ſit veluti clauis, & tenta ſit ex pilis leporis, vel tela aranea, quæ etiam bona eſt, & præcipuè illa, quæ eſt in loco, vbi volitat farina, quia habet puluiſculum illum farinæ, qui obſtruit optimè; bonum eſt etiam goſſipium: facta tenta, vult, vt imbuatur albo oui; vel aliquo, quod habeat vim aſtringendi, & inijciatur in foramen. Sed hæc ratio ſiſtendi

ſanguinis

Digitized by Google

ſanguinis per bucellatum vocata, vel bucellationem, non placet, & credo, quòd res non ſuccederet, quoniam ſanguis effluit, & impedit actionem; nec præterea vena, & arteria manent ita aperta, ſicuti ſi eſſet fiſtula ex arundine, vt poſſit tenta inijci: primus autem modus Galeni placet magis, & ſum aliquando vſus cum ſucceſſu. his modis obſtruitur cauitas, vel meatus vaſis intrinſecus.

Extrinſecus obſtruitur ſex modis.

Extrinſecus autem fit primò per grumos ſanguinis, faciendo ſcilicet, vt totum vulnus expleatur grumis ſanguinis.

Secundò fit medicamentis explendo vulnus.

Tertiò appoſito aliquo medicamento ſarcotico extrinſecus, quod obturet.

Quartò vinculo.

Quintò per ſectionem integram vaſis.

Sextò per obductionem cruſtæ. hi ſunt ſex modi, quibus ſanguis in vulnere firmatur per obturationem extrinſecus factam. Sed horum modorum primus eſt peſſimus, & fugiendus ſemper, & quæſo, Iuuenes, nunquam tentetis firmare ſanguinem per expletionem vulneris cum grumis ſanguinis: nam præter quam, quòd crebrò effluet eliquato grumo, vt hodie, verbi gratia, firmabitis, cras, vel tertia die iterum effluet, & iterum firmabitis, iterumque effluet, ſequetur aliud incommodum, & eſt, quòd fiet gangræna, & fortaſſe mors, ſi præſertim magnum fuerit vulnus, & grumis valdè repletum, quia grumus putreſcit, & eſt in cauſa, vt gangræna oriatur. vnde ſi quando ego aduocor ad vulneratum, cui iam vulnus fuerit conſutum, firmatuſque ſanguis, ſi aduocor, inquam, ad firmandum ſanguinem, qui inceperit effluere, ſi, cum ſum propè ægrum, reperio, quòd ſanguis non amplius fluat, & multus effluxerit, non facio, vt iſti, qui dicunt ſanguis non amplius fluit, ergo non eſt ſoluendum, nec detegendum vulnus; ſed ego ſoluo vt videam, an adſint grumi, nec ne; alioqui, ſi eſſent grumi, iterum efflueret ſanguis, & præterea poſſit fieri gangræna, & mors: & aliàs vidiſtis mecum Iuuenem illum, qui habitabat ad plateam illam, quæ eſt prope caſtellum, qui Iuuenis paſſus fuerat fluxum ſanguinis ex ſecta arteria in manu, & conſutum vulnus eſt, in quo facti ſunt grumi, & firmatus ſanguis, & crebrò etiam effluebat & firmabatur, & nunquam medicus ille voluit vulnus aperire, & facta eſt gangræna: vnde aduocati nos poſtea Dei ope Iuuenem ſanauimus: exemplum adduxi, vt memores ſemper eſſetis, vt nunquam permittatis veſtros chirurgos vti hac ratione ſiſtendi ſanguinis per grumos, & vt, ſi accideret, quòd ex vulnere conſuto efflueret ſanguis, & iam, cum acceditis, firmatus eſſet, ſemper detegatis vulnus, & videatis, an adſint grumi nec ne.

Secundus modus.

Alter modus erat per repletionem vulneris cum aliquo extrinſeco: nam vel explemus linamentis ſiccis, vel pilis leporinis, vel ſtupa, vel linteo excerpto, vel tela aranea, vel cotone exuſto, aut non combuſta, aut ſpongia: vulnere hac, vel illa materia expleto, comprimimus, & ligamus.

Tertius modus optimus.

Tertius modus fit per conſtrictionem ſubſtantiæ, atque coniunctionem, quando ſcilicet explemus vulnus aliquo extrinſeco, quod habeat vim vel gignendæ carnis, vel conſtipandi, & adſtringendi, & hæc eſt legitima, & optima ratio ſiſtendi ſanguinis, qua ego vtor, & ſemper feliciter ſucceſſit in vaſis etiam craſſiſſimis ſectis. Sed ſciatis, quòd non quodlibet medicamentum ſarcoticum eſt in hoc caſu opportunum; ſed illud tantum, quod habet ſubſtantiam emplaſticam, & habet facultatem aliquam adſtringentem: duo enim, vt ſciatis, ſunt genera medicamentorum ſarcoticorum, quæ ora vaſorum conſtipant, & ſimul inungunt: nam alia ſunt emplaſtica, ac lento corpore conſtantia, & quæ carnem gignunt in loco atque ea ratione obſtruunt venæ oſculum: alia ſunt adſtringentia, atque ſiccantia; ſed inter emplaſtica præſtantiſſimum eſt illud medicamentum Galeni, quod proponit in quinto methodi, capite quarto, & conſtat vna parte thuris, & media aloes, quibus additur album oui, & miſcentur concutiunturque, & tantum album oui additur, vt medicamentum acquirat mellis conſiſtentiam; deinde admiſcentur pili leporis; & hoc medicamento expletur vulnus: quod ſanè medicamentum eſt pretioſum, nam viſcidum, emplaſticumque eſt, habet vim gignendæ carnis, & aliqualiter adſtringit. Sed circa hunc modum vtendi hoc medicamento debetis ſcire, quòd non eſt properandum in impoſitione ipſius, nec feſtinanda eſt operatio, vt quidam ſtolidi faciunt; ſed prius vas vinculo intercipiendum eſt, ſi poteſt; aut, ſi non poteſt, primò radicem venæ altero digito, aut manu comprimimus, altera medicamentum vulneri imponimus, ac blandè comprimimus, atque tamdiu, donec concretum medicamentum hæreat; poſtea totum vulnus liberaliter explemus.

Duo genera ſarcoticorum.

Emplaſticũ Galeni pretioſum.

Modus vtẽdi medicamento dicto.

Doſis mixturæ.

Verùm circa mixtionem notandum eſt, quòd cum in ipſo recipiantur thus, aloes, & album oui, omitto iam pilos, non tamen in omnibus habitibus ſeruanda eſt eadem proportio illorum duorum, ſed in pueris vſque ad decimumquartum annum, & in fœminis vſque ad trigeſimum, debetis accipere duas partes thuris, & vnam aloes, quia cum habitus mollis ſit, non egemus tanta ſiccatione: at vltra decimumquartum annum vſque ad trigeſimum

Digitized by Google

in maſculis, & in fœminis à trigeſimo, vſque ad quadrageſimum capiatis æquali pondere aloem, & thus: atque vltra trigeſimum in maſculis, & vltra quadrageſimum in fœminis capiatis duas partes aloes, & vnam thuris: nam tunc medicamentum debet magis ſiccare. Similiter notate, quòd aliquando loco thuris vtimur manna thuris, eò, quòd thus ſit nimis emplaſticum. Proportio autem albuminis oui ad aloem, & thus eſt, quòd debet tantum albuminis accipi in omnibus habitibus, quantum eliquet aloem, atque thus, ad mellis conſiſtentiam, ac recipiat leporinos pilos. Parato medicamento ad mellis conſiſtentiam, applicetis, & modus eſt, vt accipiatis floccos paruos pilorum, vel cotonis, & faciatis linamenta, ſeu tentas paruas, molles, ac latas, & compreſſo vaſe ponatis vnum ex his linamentis ſupra vas ipſum; antea tamen inſpergatis puluerem aloes ſupra linamentum: vno impoſito linamento, comprimatis, & detineatis inibi digitum per quartam partem horæ, poſtea addatis alia linamenta plura, quouſque expletum fuerit vulnus. Sed ſemper eſtote memores, quòd linamenta debent eſſe parua, non autem debent eſſe vnum tantum, ac magnum, ita, vt expleat totum vulnus: nam vidi aliquot mortuos ex fluxu ſanguinis ob ignoratam rationem imponendi horum linamentorum, quæ eſt Galeni: nam cum oporteat altera quaque die, vel de tertia in tertiam remouere linamenta, & renouare, ſi eſſet vnum tantum, vas apertum vel diſruptum, ſingula vice iterum aperiretur, & flueret ſanguis, at ſi parua, & plura erunt, ſemper poteritis ſaltem relinquere vnum, vt ſemper eſt faciendum, niſi per ſe conciderit: Impoſitis linamentis, & expleto vulnere ipſis, ligate vulnus molliſſima faſcia, & non ſtringatis validiſſimè, vt quidam faciunt, ſed moderatè, & primò obuoluatis faſciam ter, & quater ſupra vulnus, deinde aſcendatis, vel deſcendatis, ita tamen, vt ſemper faſcia eat verſus principium venarum, vt fluens humor reprimatur: vnde ſi vulnus ſit in brachio procedetis cum faſcia, vſque ad humerum; ſi in crure, vſque ad inguina; ſi autem vulnus erit in collo, deſcendetis cum faſcia, & ſemper faſcia madeat vino auſtero, vel decocto aliquo adſtringente; ſed nihil melius eſt vino auſtero, quia habet præter alia ſimilitudinem cum natura humana: & ſtet ligatum vulnus, vſque in alteram diem, vel vſque ad tertiam, tunc ſoluetis membrum, & videbitis, an medicamentum uaſi hæreat: ſi hæret, inibi relinquendum, ac nouum ſuperaddendum; ſi non hæret ac ſua ſponte deciderit, tunc impoſita manu ſupra radicem uenæ, ne ſanguis fluat, nouum imponimus medicamentum, ut prius fecimus, uſque in tertium, atque toties illud repetimus, donec carnem creſcentem oſtium uaſis expleuiſſe cognouerimus. Ego utor ſæpe hac curandi ratione, uſque ad conſolidationem uulneris, dummodo caro non gignatur nimis mollis, quia tunc opus eſt curationem immutare.

Verum ſciatis, quòd deligatio, quam diximus eſſe faciendam poſt impoſitionem medicamenti, non conuenit in omnibus partibus: non enim in capite, ac ſimilibus, nec etiam quando à pudendis, aut naribus fluit ſanguis. Quòd ſi non habueritis præ manibus medicamentum dictum, poteritis uti alio genere medicamenti emplaſtici, quod pariter proponitur à Galeno in quinto methodi, capite tertio, & conſtat ex reſina frixa, quæ colophonia, uel Græca uocatur in officinis, ex polline farinæ triticeæ, ideſt, ex flore farinæ tritici, & gypſo vſto, atque albo oui, quod admiſcetur tanta in quantitate, ut fiat medicamentum ad mellis conſiſtentiam: hoc igitur poteritis etiam uti eodem modo, quo dictum eſt de illo; ſed illud eſt præſtantius, & ipſo utor ego, feliciſſimo ſemper cum ſucceſſu. At aliquando fortaſſe nolueritis, uel non poteritis aliquo iſtorum uti, & tunc opus eſt iis, quæ ſine carnis generatione adſtringant uas, ne ſanguis effluat: hæc autem ſunt, quæ ſummè refrigerant, ſiccant, & adſtringunt, & talia ſunt nobis propoſita etiam à Galeno, & ſunt hæc, balauſtium, hypociſtis, hypociſtidis ſuccus, rhus obſoniorum, quod ſumach vocatur in officinis; omphacium, & per omphacium non intelligo omphacitidem, id eſt, vinum ex vua acerba, quæ vulgo vocatur agreſta; ſed intelligo illud, quod fit ex ſucco vuæ immaturæ in uaſe æneo ſub Sole: omphacium igitur hoc, acaciæ ſuccus, & ſuccus etiam ille, qui eſt in officinis, & eſt ſuccus prunorum quorundam, & vocatur acaciæ ſuccus, licet falsò, tamen bonus eſt, gallæ immaturæ, malicorium officinarum, aloes, pini cortex, terra ſigillata officinarum, rubrica ſinopica, quæ bolus Orientalis uocatur in officinis, lapis hæmatites, qui ſimpliciter etiam lapis in officinis appellatur, gypſum crudum, gypſum exuſtum, corallium, & præcipuè combuſtum, cinnabaris Dioſcoridis, & eſt ſanguis draconis in lachryma officinarum, ſanguis etiam draconis communis (ſed eo non utor libenter) plantago, polygonon, myrtus, ſolanum, cimæ rubi, lentiſcus, cupreſſi folia, & foliorum etiam cupreſſi ſuccus, hedera, lyſimachia vtraque, porri folia, hippuris, ideſt, equiſetum; iſta & ſimilia ſint materia medicamentorum: quorum unum ſi deerit, alio uti poteritis, & ex ipſis componere etiam uaria medicamenta, admixto albo oui, & accipiendo unum, uel alterum ex dictis, uel in puluerem, uel in ſuccum redactis, & ita facto medicamento applicabitis uaſi aperto, & comprimetis. Soleo ego hoc modo componere medicamentum præſtantiſſimum.

Aliud genus medicamenti emplaſtici.

Medicamenta ſine carnis generatione. Refrigerantia, ſiccantia, et aſtringentia.

Medicamentũ præſtantiſſimũ Authoris.

Rec.

Rec. conſolidæ maioris
polygoni maſculi
Equiſeti } an. ℥ ß.
Succi foliorum porri ℥ j.

Miſce: & ex hoc imbuo cotonem, & expleo totum vulnus, & feliciſſimè res mihi ſuccedit, & hoc vno firmaui aliquando ſanguinem copioſè, & impetuoſè fluentem ex loculis mulierum, & ex naribus, vt mirum viſum ſit. & inter alia medicamenta foliorum porri ſuccus eſt præſtantiſſimus; tamen ego non vtor ſolo, ſed mixto eo modo, quo dixi: Aliquando capio eandem materiam, ſcilicet conſolidam, polygonum, equiſitum, & folia porri, & ex ipſa extraho aquam in balneo Mariæ, qua aqua vtor in fluxu ſanguinis è naribus, mandando ægro, vt attrahat per narem vnum, vel alterum cochleare ipſius aquæ, & vidi ex hac aqua tantùm firmatum eſſe maximum ſanguinis fluxum. talis igitur erit materia, qua poteritis vulnus explere, vt comprimatur, agglutineturque vas, & ſiſtatur ſanguinis fluxus.

Quarta ratio ſiſtendi ſanguinis per deligationem, aut vinculum.

Quarta ratio ſiſtendi ſanguinis fluxum erat per vinculum, deligationemve: nam aliquando vas apertum, vel diſruptum eſt ita magnum, vt nulla ſit pro ſanguine ſiſtendo ſpes ponenda in vſu aſtringentium, & refrigerantium, nec in generatione carnis: multa enim quantitas carnis requiritur; & tanto minor ſpes collocanda eſt in firmatione ſanguinis per carnem ſupergenitam, quando vas apertum eſt non vena, ſed arteria, quia cum arteriæ continuò pulſent, non poteſt ob motum gigni caro; & ideo in eo caſu neceſſe eſt vti vinculo. Quo ego prima vice vſus ſum in mea patria in quodam mechanico, qui acceperat vulnus in poplite, & ſectæ ſunt venæ, & arteriæ illæ in cauitate, quæ poples dicitur, non tamen ſectæ ſunt ex toto, & ſectio erat per tranſuerſum, & iam omnia experti fueramus, vt ſanguinem ſiſteremus, & nihil factum: vnde fuit neceſſe, deuenire ad vinculum; alioqui mortuus fuiſſet miſer ille. Quotieſcunque igitur uideritis vas eſſe magnum, & ſanguinem non poſſe ſiſti aut cum aſtringentibus, & ſiccantibus, aut cum carnem gignentibus, vtamini audacter vinculo hoc modo: primò deligabitis artum in parte ſuperiori, verſus ſcilicet principium vaſis, vinculo valido, & ſtringenti optimè, vt ex vinculo comprimatur vas apertum, ſectumve, & firmetur fluxus, mox aperiatis vulnus. & leniter minorique cum dolore, quo fieri poterit, ſeparabitis, vt docet Galenus 13. metho. cap. vltimo, vas ſectum à neruo, membranis, aliiſque partibus, quibus adhærebit; ſeparatum cum fuerit vas ſubijcietis filum, & ligabitis adacto vno, vel duobus modis: Verum animaduertatis ex Galeno eodem loco, quòd ſi liganda ſit arteria, filum debet eſſe ex robuſtiori materia, quàm quando liganda eſt vena: nam ſi liganda ſit vena, poteritis vti filo putreſcibili, dummodo duret uſque ad tertium, uel ad quartum diem, quia in tribus quatuorve diebus erit ſupergenita caro ipſi uenæ, quæ claudet uas, & non imminebit ampliùs periculũ de fluxione, etiam ſi filum ſit putridum iam redditum: in arteria autem nec in quarta, nec in ſexta, nec in ſeptima ſolet eſſe ſupergenita caro, quæ ſanguinem ſupprimat; & ideo in ipſis requiritur filum ex materia robuſta, & durabili. Itaque in deliganda uena erit bonum filum commune, quo vtuntur mulieres ad ſuendum, & refo vocatur vulgo, ſiue illud ſit coctum, ſiue crudum, ſiue candidum, ſiue non, nihil refert; dummodo non ſit nimis craſſum, nec nimis tenue, quia poſſet ſecare venam per tranſuerſum; in arteria autem liganda filum hoc non eſt bonum, ſed illud ſericum, ſeta vulgo, ſed ſit album, & intortum, & non ſit nimis tenue, nec nimis craſſum. Omne præterea filum eſt cera muniendum, tum quia difficilius putreſit, tùm quia lubricum redditur, & facilius currit, & penetrat: Primum igitur obuoluetis vas filo; deinde ligabitis adacto ſimplici, vel duplici modo; poſtea explebitis vulnus medicamento aliquo emplaſtico, quod uim habeat gignendæ carnis; & ſi vas ligatum erit vena, ſtatim cum in tertia, vel quarta die videritis carnem ſupercreuiſſe, & ſanguinem eſſe firmatum, ſecare vos filum, & nunquam ſinatis, vt per ſe concidat: ſed ſi fuerit arteria, ſemper permittatis, vt filum per ſe concidat, etiam ſi videritis, quòd filum ſecaret arteriam per tranſuerſum: arteriæ etenim non ſunt proritandæ; alioqui poſſet fieri aneuriſma. Ac quæſo à vobis hoc vnum, vt non timeatis actionem hanc, ſcilicet ligare vaſa, quando aliter nequit ſiſti ſanguis, non timeatis, inquam, quamuis talis deligatio non ſit in vſu (nam eſt præſtantiſſima ratio ſiſtendi ſanguinis fluxus) & ego vſus ſum, vtraque audacter, quoties occaſio ſe ſe mihi obtulerit: Et ago gratias Deo, quòd mihi tantam audaciam dederit, ut non timeam talem actionem edere: & prima uice uſus ſum in mea patria in iuuene quodam nobili, qui acceperat uulnus in capite, & ſecta eſt arteria, factuſque maximus ſanguinis fluxus: unde aduocati ſunt medici, & chirurgi non ſolum Ciuitatis, uerùm & alieni, & multa fuerant tentata, biſque arteria fuerat ferro exuſta, & tamen non potuerat

Hiſtoria.

Modus vtend: vinculo.

Laus ligatura.

Hiſtoria pulchra.

fuerat firmari ſanguis; ego uolebam arteriam ligare, ſed medici alij renitebantur, nec ego illis multum reſiſtere audebam, quia adhuc iuuenis, & parum exercitatus in arte eram: factum tamen eſt, ut medici & chirurgi nos omnes profecti ſimus in thalamum alium, ut conſultaretur, an iterum eſſet exurendum uas ferro ignito, ut quibuſdam faciundum uidebatur; & interim, dum medici loquebantur, ego exiui foras ad ægrum, & impoſita manu uulneri, caſu poſui digitum ſupra pulſ.ntem arteriam ſectam; unde ego ſtatim, accepto filo, arteriam ligaui, & firmatus eſt ſanguis; deinde acceſſi ad medicos, & dixi, uenia tis, nam ego ligaui arteriam, & firmatus eſt ſanguis; tunc ipſi cæperant de me conqueri, quòd non commonefeciſſem ipſos ad uidendum, qua ratione uſus fuiſſem in ligando. Itaque moneo & hortor uos, ut non timeatis operationem hanc ullo modo.

Quintus modus. Si non poſſit fieri deligatio. Conſilium Galeni.

Cæterum aliquando accidit, ut locus ſit talis, ut non ſit facultas aptandi uinculum, quia ſcilicet uulnus ſit nimis anguſtum, uel profundum, & ita nequeat per deligationem ſupprimi ſanguinis fluxio, quæ tunc præcipuè rebellis, & difficilima eſt, quando uena, uel arteria eſt per tranſuerſum ſemiſecta: In quo caſu vnum præcipuum præſidium antiqui nos docent, & præſertim Galenus in quinto meth. cap. tertio, & eſt vt quando videmus vas ſemiſectum, ſecemus ipſum prorſus, ex quo fiet, vt extrema vaſis ſecti retrahant ſe ſtatim ad proprium principium ſub carnem, & ita caro comprimet extrema vaſis, & non ſinet ſanguinem egredi. Igitur & vos ſecabitis prorſus vas ſemiſectum, ſi alio modo non poteritis ſanguinem firmare: nam incommodum quidem eſt vas aliquando ſecare, quia pars inferior non benè poſtea nutritur, tamen maius incommodum eſt vitam peſſundare, & hic eſt quintus modus firmandi ſanguinis, quem non debetis timere, quia certus eſt, vt ego aliàs expertus ſum in ſura cruris, & aliàs etiam, & ſemper res mihi feliciter ſucceſſit: Sed, ſi poſſet fieri vnum, quod monet Galenus, eſſet adhuc certior ratio: dicit enim, quòd, antequam ſecemus, debemus hamo apprehendere vnum extremum vaſis, & altero hamo alterum, & firmos tenere hamos, ne extrema vaſorum ſtatim, cum ſectum in medio eſt vas, retrahantur, vt ſolent, & quidem citiſſimè, atque validiſſimè: ſecto vaſe in medio, vult, vt attollamus, & modicè intorqueamus hamum vtrumque, vt ſimul cum ipſis obuoluantur extrema illa vaſis, deinde extrahamus hamos, & ſinamus extrema vaſis recurrere ſub carnem, nam ob intortionem illam non ita facilè poterit ſanguis egredi: facta extorſione, & remotis hamis, applicabitis emplaſticum medicamentum ex pilis leporinis. Aliquando etiam vaſa ſunt ita magna, vt opus ſit vinculo, & ſectione, veluti ſi fuerint aliquantiſper dilatata.

Sexta ratio firmandi ſanguinis per inductionem cruſtæ. Incōmoda inducendi cruſtam.

Sexta ratio firniandi ſanguinis eſt per inductionem cruſtæ in vaſe ipſo aperto: aliquando enim non poſſumus vti deligatione, neque inciſione, quia in latere adeſt neruus, qui poſſet ſecari, & præcipuè, ſi vas ſit arteria, quam ſemper neruus ſolet concomitari; & ideo in eo caſu opus eſt excitare cruſtam, quæ claudat. Verùm notate, ne ſitis præcipites in hoc modo ſiſtendi ſanguinis, vt ſunt Recentiores quidã, qui cum prima, aut ſecunda vice nequeunt ſiſtere ſanguinem medicamentis, ſtatim veniunt ad inductionem cruſtæ: vnde fit, ut ſi cruſta non ſatisfacit, non ſuperſit poſtea aliud auxilium. præterea non eſt ſatis commoda inductio cruſtæ, quia facta cruſta, non gignitur poſtea ita bona, & cita caro, quæ operiat. præterea ſi caſu concidat cruſta, fit maior ſolutio continui in vaſe, quia ſemper vritur aliqua pars non vulnerata, & ita augetur fluxio. Quia igitur ex cruſta inducta non ſupergignitur facilè bona caro, & augetur ſolutio continui in vaſe, & fluxio ſanguinis; ideo non debetis eſſe præcipites in hoc auxilio vtendo; tamen aliquando eſt neceſſe vti, etiam ſi præuideamus incommoda dicta, vt ſaltem per tres, aut quatuor dies ſuperuiuat æger. Tunc autem præcipue utendum eſt tali auxilio, quando ex eroſione uaſis ob materiam putreſcentem oritur profluuium in ulceribus pudendorum, aut ſedis. Solet autem cruſta induci aut ferro, aut medicamento: dicamus primò de ferro: Itaque ferramenta ſint uel ex argento, uel ferro, uel ex alio metallo, nihil refert, dum modo illud organum, quo utimini, in anguſto uulnere non ſit latum: nam non debet exuri niſi pars illa uaſis, ex qua exit ſanguis: in quo ſolent errare iſti chirurgi (loquor ſemper de ineptioribus, non autem de peritis, quorum aliqui etiam adſunt) ſicut & in alio, & eſt, quòd ſi ſemel, uel bis combuſſerint, ſolent & tertiò, & quartò renouare ferrum ignitum, & exurere, etiam ſi prima, & ſecunda impoſitione firmatus ſit ſanguis, & eſt magnus error, quia fit magna cruſta, quæ fieri nequit ſine exuſtione partium adiacentium. unde, cadente poſtea cruſta illa magna, ſuccedunt cauitates, & latibula quædam, quæ poſtea fugiunt ſenſum, & ita non poſſumus deinde applicare medicamenta gignentia carnem, & illas cauitates replentia. Eapropter moneo uos, ut apponatis ferrum, & moderatè comprimatis uas, & cum uideritis extinctum ferrum, firmatumque ſanguinem, non procedatis ulterius exurendo; ſed ſtatim extrahatis ferrum, ſiue magna, ſiue parua fuerit facta cruſta. Notandum etiam, quòd accidit aliquando, ut uulnus ſit ſanguine grumoſo repletum; & tunc iſti ſolent ferrum ignitum ſan-

Cruſta ex ferro.

guini

Digitized by Google

guini grumoſo applicare, & exurere ipſum, & ita fit cruſta in illo ſanguine, & firmatur ſanguis. unde fit, ut nocte poſtea, uel altera die, concidat cruſta, & iterum fluat ſanguis, & anima aliquando egrediatur. Ideo moneo, rogoque uos, ut ſitis animo fortiſſimo, & audaciſſimo, & extrahatis totum illum ſanguinem grumoſum, & non timeatis tres, uel quatuor uncias ſanguinis, qui exibit remoto illo grumoſo ſanguine, qui claudebat, & extractis illis omnibus grumis, ponatis ferrum ad uas in parte, in qua eſt uulneratum. Et hoc modo inducitur cruſta cum ferro cadente. Iam dicamus de medicamentis, quæ multiplicia ſunt: ſolent iſti uti caligine, quæ licet cauſticum ſit, tamen non placet, quia relinquit ſemper infecta labra uulneris. Galenus utebatur chalcitide, myſi, & chalcanto modò uſto, modò crudo; ita & uos poteritis his uti, nec non alumine rochæ combuſto, uel non combuſto, unguento Aegyptiaco cum chalcantho parato, & eſt medicamentum Auicennæ, & cauſticum: Sed ego ſi poſſim habere oleum vitrioli, ideſt, chalcanthi, libentius ipſo vtor; ſin minus, accipio aquam erodentem, da partir vulgo dictam, & vtor hoc modo: obuoluo cotonem in acie ſpecilli; deinde imbuo cotonem illam oleo, vel aqua dictis, & appono vaſi, & comprimo ipſum, & detineo, donec putem obductum eſſe foramen cruſta. Sed ſi vulnus ſit profundum, tunc ſoleo accipere chalcanthum Pannonicum, vel Germanicum, quia eſt robuſtius, & magis aſtringit, & in olla poſitum liquo ad ignem; deinde capio duo, vel tria internodia arundinis, vel alias fiſtulas, nihil refert, ſed melius eſt accipere ex arundinibus, & ſint craſſitudinis vnius digiti, & infundo chalcanthum illud liquidum in fiſtulas illas, & ſino, vt refrigeretur, & concreſcat, deinde accipio vnam ex illis fiſtulis, & in altero extremo ipſius aufero portiunculam fiſtulæ gladiolo, vt detegatur portio chalcanthi; deinde, quando vas vulneratum eſt in loco profundo, vt nequeam digitum apponere, inijcio fiſtulam, & applico partem chalcanthi detectam vaſi vulnerato, & comprimo, conſeruoque inibi per dimidiam ferè horam, quia tunc nequit chalcanthum ita facile eliquari, vt ſolet, quia eſt ſemicoctum; & licet eliquetur pars aliqua, tamen ſemper noua portio ſubminiſtratur ab eo latitante in fiſtula, & ita inducitur cruſta: & ego ſemper vtor hoc optimo cum ſucceſſu, vtarque ſemper, quoties ſe ſe obtulerit occaſio, & optimum certè eſt medicamentum præter omnia alia: & ago gratias Deo Optimo Maximo, quod hoc me docuerit.

Cruſta ex medicamētis.

De vulneribus medullæ ſpinalis. *Cap. XXVII.*

IN collo accidit, vt non ſolùm vulneretur aſpera arteria, gula, venæ, & arteriæ molles, verùm etiam ſpinalis medulla, quæ aliquando vulneratur in altera parte tantùm vel dextra, vel ſiniſtra, & tunc fit reſolutio omnium ferè partium illius lateris: aliquando ſecatur tota per tranſuerſum, & tunc totum corpus reſoluitur, & vita etiam amittitur: nam ſtatim, medulla per tranſuerſum ſecta, concidit motus thoracis, & omnium ferè partium, & ſic aboletur vita: aliquando medulla pungitur tantùm, & fit reſolutio internarum partium illius lateris: & quemadmodum, quando medulla vulneratur in vna parte, ſequitur reſolutio omnium partium illius lateris; & quando ſecatur per tranſuerſum, nulla eſt ſpes ſalutis (neque enim reſolutis omnibus partibus vtriuſque lateris eſt ſperandum, quod paralyſis illa poſſit auferri) ita quando medulla eſt ſolum modo puncta, contuſaque, & reſolutæ partes internæ in illo latere, ſpes aliqua ſupereſt ſanitatis, & ego ſemel, vel bis ſanaui huiuſmodi vulnera.

1 Eſto igitur, quòd medulla ſit aliqualiter ſecta, uel puncta, quid agendum? Recentiores, ut Ioannes de Vigo, ſtatim medentur uulneri cum iis, quæ conueniunt in uulneratis neruis, de quibus infrà dicemus, cùm tractabimus de uulneribus neruorum, & medicamenta ſunt, quæ habent uim calefacientem, ſiccantemque, & ſunt tenuia, & penetrant; & ita ſtatim in principio, firmato ſanguine, infundunt oleum de terebinthina, uel oleum lumbricatum, ſiue ſit liliorum alborum, ſiue chamomelinum, vel infundunt oleum hypericonis completum, quod oleum in officinis huius Vrbis uocatur oleum rubeum; in alijs autem oleum de perforata; uel infundunt aliud, quod habeat ſimiles uires. Ego autem in hac re ſum cum Guidone, qui dicit, quòd ſi medulla uulneretur in parte, ubi ſimilis eſt cerebro, curandum eſt uulnus ſicut curantur uulnera cerebri; ſi autem uulneretur, ubi eſt ſimilis neruo, curanda eſt, ut curantur uulnera neruorum: Debetis enim ſcire, quòd medulla ſpinalis infra duodecimam uertebram thoracis uſque ad extremum eſt dura potius, & ueluti neruoſæ ſubſtantiæ; ſupra autem duodecimam uertebram thoracis uſque ad cerebrum eſt mollis tota, & ſubſtantiæ cerebri ſimilis. Quoties ergo uulnerata eſt infra duo-

decimam

Digitized by Google

decimam vertebram, curatio neruorum vtenda eſt, de qua infra dicam; ſed nunc ſat verbis erit ſcire, quòd medicamenta, debent eſſe calefacientia, ſiccantia, tenuia, & penetrantia: indicationes autem medicamentorum patebunt, quando de vulneribus neruorum agam. Sed ſi medulla vulneretur ſupra duodecimam vertebram, curanda eſt, vt curantur cerebri vulnera. Dixi autem ſuperius, quòd medemur cerebro duplici ratione, vna quidem magis legitima, & eſt per ſiccantia, cuius curationis indicatio accipitur à membranis cerebri: altera curandi ratio eſt, cuius indicatio accipitur à ſymptomatibus, quæ poſſunt ſuperuenire, & à ſubſtantia cerebri, quæ cum humida ſit, non indicat valde ſiccantia; & hanc eurandi rationem dixi mihi magis placere, & ſi non ſit ita legitima, quoniam approbatur à maiori parte medicorum; & ideo curabam vulnera cerebri vel cum ſanguine columbi; vel cum oleo roſato omphacino completo. Itaque in vulneribus medullæ ſupra duodecimam vertebram firmato ſanguine infundatis vſque ad quartam, vel vſque ad ſeptimam oleum roſ. completum; peracta quarta, vel ſeptima etiam infundetis reſinam abietinam, quæ oleum abietinum vocatur in officinis, vel admiſceatis aquam de betonica, & aquam hypericonis, & potiunculam ſyrupi roſacei recentis: Tranſacta ſeptima, vtamini terebinthina pura, vel oleo de tereb nthina, oleo abietino, vel alio ex ijs cephalicis, quæ dicta ſunt in vulneribus capitis, & cerebri, nam in ſeptima incipit gigni caro. Sed notate, quòd nunquam debetis permittere, vt vulnus ſpinalis medullæ ſit cæcum, vt ſolet, nam vt plurimum uulneratur per puncturam, rarò autem per inciſionem: & ideo ſolent vt plurimum vulnera eſſe anguſta: quare vos cum videritis vulnus anguſtum, dilatetis ipſum ſenſim, & minori cum moleſtia, qua fieri poſſit, vt medicamenti vis, & copioſum medicamentum poſſit penetrare. Secundò notate, quòd cùm medulla ſpinæ ſit valdè longa (protrahitur enim à cerebro ad os ſacrum) facilè patitur per conſenſum, ita, vt percuſſa vna parte medullæ, facilè communicetur affectio toti medullæ, & ideo monent recentiores, vt, cùm impoſueris medicamentum vulneratæ parti, vtare etiam aliquo medicamento in toto dorſo, quod habeat vim roborandi: & ideo poteritis inungere totam ſpinam cum oleo maſticino, vel cum oleo de hypericone ſimplici, vel cum oleo liliorum alborum; nam hæc ſiccant, roborant, & aliqualiter aſtringunt. Sed opus aliquando eſt maiori calefactione: & ideo ego tunc admiſceo portiunculam caſtorei cum aliquo dictorum oleorum, & inungo totum dorſum, & partes illas, vbi ſunt copioſi, & magni nerui, & alas & bubones, ideſt, inguina; ſed non admiſceo caſtoreum in principio, at peracta tertia: & non ſolum tunc admiſceo caſtoreum, verum etiam ad dandam penetrationem parum olei reſolutiui, quod conſtat oleo antiquo, & radice vel bryoniæ, vel cyclaminis, vel alterius ſimilis: Aliquando vtor pinguedine gallinacea vetuſta admixta cum oleo maſticino; & ſi timeo inflammationem, addo oleum roſ. vel myrtinum, vel aliud ſimile hoc modo curantur vulnera medullæ ſpinalis ſupra duodecimam vertebram thoracis, non omiſſa ſectione venæ in principio, recta victus ratione, & alijs vniuerſalibus, quæ ſunt facienda, ſicuti dictum eſt in vulneribus cerebri. quomodo autem curanda ſint, quando ſunt infra duodecimam vertebram dicam infra, quando agam de vulneribus neruorum.

De vulneribus Thoracis. Cap. XXVIII.

Vulnera thoracis quare periculoſa.

POſt vulnera colli ſuccedunt vulnera thoracis, quæ grauia ſunt admodum, & curatu difficilima, primò quia ob cauitatem, quæ in thorace eſt, ſunt valde apta, & apta etiam eſt cauitas ad recipiendum ſanguinem, qui poſtea concreſcit in grumos: Adſunt deinde intra thoracem partes nobiles, vt cor, eius capſula, pulmones laxi, arteria aorta, uena caua, ut ſi alicubi, in thorace maximè propter has partes, ſi uulnerentur, ſolet ſuccedere uel maximum periculum, uel mors: Addatis, quòd in thorace ſunt membranæ, ut membrana ſuccingens coſtas, & membrana interſepiens, quæ ſi uix etiam pungantur, excitant inflammationem, uſque adeo ſunt doloroſæ: adſunt in thorace & partes oſſeæ, quæ ſi uel ſecentur, uel frangantur, difficilè poro oſſeo agglutinantur ſimul. Addatis ſpatia media coſtarum, vbi ſunt muſculi illi intercoſtales vocati, qui habent venas, & arterias per ſe diſſeminatas, quorum aliqua, ſi quando vulneretur, multa copia ſanguinis penetrat in cauitatem thoracis, & copioſus etiam effluit extra. Præterea thorax eſt in continuo motu: nam & cor continuò mouetur; corde moto; mouetur membrana interſepiens, nec non arteria magna, & uena caua, & pulmones, quæ partes omnes cum mouentur, neceſſe eſt, ut & thorax moueatur totus; motus autem facit ad inflammationem, quia attrahit, & impedit etiam carnis generationem. Addo, quòd ſolus thorax eſt magis,

gis, quàm omnes aliæ partes, expoſitus injurijs aeris ambientis, nam continuò aer attrahitur, ſiue ſit frigidus, ſiue calidus; aer autem frigidus attractus obeſt uulneri, calidus pariter facit ad inflammationem. Addo quoque quòd thorax, omiſſo motu continuo, eſt aptior omnibus alijs partibus inflammationi, quoniam habet focum caloris, ideſt, cor intra ſe, quo fit, ut ſemper æſtuet. His omnibus de cauſis uulnera thoracis ſunt curatu difficilima. Omitto quod habet in parte exteriori muſculos, mammillas, & corium ualde durum, quod facile non poteſt conglutinari. His ſtantibus, ſequitur, quòd maxima requiritur diligentia in curandis thoracis uulneribus, quoniam ut plurimum uel iugulant, uel declinant in fiſtulam, uel in empyema; & re uera ita eſt, quòd uulnera thoracis aut interficiunt immediatè, ita, ut agere Deo gratias debeat ille, qui poteſt ad cœlum manus prius, quàm moriatur, attollere; uel deſinunt in empyema, deinde moriuntur; uel poſt empyema ſuccedit fiſtula.

Quid ſequitur ex vulnere thoracis.

Loquamur itaque primò de uulnere leni, quando uulnerati ſunt muſculi, & peruenit uulnus uſque ad coſtas, & non penetrat in cauitatem thoracis. Curatio huiuſmodi uulneris eſt communis, quæ fit primo ſuppreſſione ſanguinis, deinde conſuitur, poſtea applicatur aliquod medicamentum conglutinans, & ita perfecta erit curatio. Sed notate, quod, cum recentiores uideant uulnera thoracis eſſe maximi momenti, & ipſi non calleant anatomen, ſemper tractant thoracis uulnera, qualiacunque fuerint, cum timore, & timent continuò in quocunque uulnere ne penetret in cauitatem. unde ſemper ferè aperiunt, ideſt dilatant omnia thoracis vulnera. Quod nullo modo eſt faciendum; ſed obſeruandum, an penetret in cauitatem thoracis, nec ne; quòd ſi non penetret, nunquam dilatetis: cognoſcetis autem an penetret, nec ne, his ſignis, primò ex iniecto ſtylo, ſpecillove; deinde ex alijs, quæ dicam infra. Sed primò ſciatis, quòd aliquando accidit, vt uulnus penetret in cauitatem thoracis, & tunc periculoſum, uel lethale eſt, quia periculum eſt, quòd vulneratum ſit cor, uel pulmo, uel uena caua, uel arteria aorta, quibus partibus uulneratis, uel aliqua ipſarum, ſuccedit mors, ut inquit Celſus lib. quinto, & Galenus in quinto meth. cap. nono, & Hippocrates in ſexto aphoriſm. decimooctauo: ideo, ne vos decipiamini, & ſimul decipiatis ægrum, videatis diligentiſſimè, an vulnus penetret, nec ne: & ſi penetret, quouſque perueniat, an in cor, an in aliam dictarum partium; nam magis, & minus periculoſum vulnus eſt, prout magis, minuſve penetrat: Inueſtigabitis autem, an penetret, nec ne, primò ſpecillo iniecto: ſecundò cognito, & conſiderato ferro, gladiove quo illatum eſt vulnus, inſpiciendo an ſit gladius admodum acutus, & quouſque ſit cruentus: & ex ſolo feriente gladio deueni ego aliquando in notitiam, an vulnus penetraret; ſed ſpecillum eſt indicium præcipuum. at vulnus aliquando eſt cæcum, vt nequeas ſpecillo peruenire in cauitatem, licet vulnus eouſque penetret, nequeas, inquam, peruenire, vel quia æger non ſit in eo ſitu, in quo erat, quando accepit vulnus; vel quia muſculi intercoſtales non ſinunt ob magnum dolorem te meatum inquirere; vel quia coſta ſit impedimento: nam accidit aliquando, vt telum incurrat coſtam, illamque trudat vſque in cauitatem thoracis, & frangat etiam, deinde, extracto telo, fruſta coſtæ recurrunt in locum proprium, & ita licet vulnus penetret vſque in cauitatem, tamen fruſta coſtæ non ſinunt ſpecillum eouſque peruenire; & ideo tunc recurrendum eſt ad tertium ſignum, & eſt magna reſpirationis difficultas, penetrante enim vulnere in cauitatem adeſt reſpirationis difficultas magna: Sed nec hæc ſufficiunt; at videndum eſt, an aer per inſpirationem attractus egrediatur per vulnus, dum æger expirat: quòd ſi egrediatur, certò ſcias vulnus penetrare in cauitatem: Cognoſces autem, an aer exeat per vulnus, nec ne, primò impoſito digito in vulnus, & compreſſo vulnere: nam ex attracto multo aere dilatabitur thorax, & tunc obſerua, quantum dilatetur, deinde auferas digitum, & altera vice, dum æger inſpirat, & attrahit multum aerem, obſerua pariter, an eodem modo dilatetur thorax: quòd ſi minus dilatetur, digito ablato, quam iniecto, & compreſſo uulnere, indicatur uulnus penetrare in cauitatem: nam aer, qui per uulnus egreditur, eſt in cauſa, ut minus dilatetur thorax. Præterea, ſi penetret, dum comprimis uulnus digito iniecto, & attracto aere, perſenties circa uulnus rugitum quendam, Cognoſces autem, an penetret, accepta candela parua, & accenſa, appoſitaque uulneri; uel ſi non adſit candela, accipiatis floccos lanæ, uel goſſipij, uel filamenta ſubtiliſſima: nam ſi uulnus penetret, uidebitis, quòd, dum æger expirat, uel uentilabit, & mouebitur flamma, uel floccus cotonis, ratione aeris exeuntis per vulnus: Sed, ſi caſu vulnus eſſet inæquale, & muſculi non ſinerent aerem egredi, etiam ſi penetret, tunc accipiatis fiſtulam acuminatam in ſummo, cuiuſmodi acuminatus eſt calamus ſcriptorius, & ſenſim iniiciatis, & ſi vulnus penetrabit, videbitis aerem exeuntem per fiſtulam: nam aer mouebit flammam, vel cotonem appoſitum, & ſi aliam fiſtulam non haberetis, accipiatis calamum ſcriptorium, totum tamen perforatum, & acuminatum in altero extremo.

Curatio.

De vulnere leni, cum peruenit uſque ad coſtas.

Signa oſtendentia num vulnus tendat in cauitatem.

Cognito

Cognito ex ſignis dictis, quòd vulnus penetret in cauitatem thoracis, timendum eſt, quòd vulneratum ſit vel cor, vel pulmones, vel vena caua, vel arteria magna, a eliahi, ex illis partibus: quod cognoſcendum eſt certis, & proprijs ſignis: Primò igitur dicamus de corde, de cuius vulnere recentiores proponunt aliquot ſigna, & primum eſt, quòd quando uulneratum eſt cor, effluit ſanguis ater, & craſſus, quando ſcilicet uulnus peruenit vſque ad ventriculos cordis. Sed hoc ſignum non demonſtrat, quoniam ſi vulneratum ſit cor vſque in ventriculum ſiniſtrum, ſanguis, qui effluet, erit floridiſſimus, & tenuis: præterea, ſi vulneretur vena caua, ſanguis effluet niger, & craſſus; tamen non erit dicendum quòd vulneratum ſit cor. quare ſignum eſt fallax admodum, cum præſertim poſſit uulnerari cor, uulnere non penetrante ad ventriculos eius. Secundum ſignum propoſitum accipitur à loco: nam quoties, inquiunt, uulnus eſt profundum, & eſt in ſiniſtra thoracis parte, indicium eſt, quòd uulneratum eſt cor, quia cor, aiunt, eſt in ſiniſtro. ſed dico quòd cor eſt in medio; & licet in mortuo animali reperiatur declinare ad ſiniſtrum, tamen in uiuente eſt in medio. Igitur ſignum nullum eſt. Vos igitur aſſumetis ſigna vulneratis cordis ex ſymptomatibus ſæuis, quæ conſequi ſolent læſam cordis actionem, ac naturam, & primum eſt ſudor frigidiſſimus; quoties igitur uideritis uulnus penetrare in cauitatem thoracis, & ſuccedit ſudor frigidiſſimus, dicatis vulneratum eſſe cor. Secundum eſt magna frigiditas extremorum artuum; & ita, quoties videritis ſummè refrigerari extremos artus, & ſudorem eſſe frigidiſſimum, dicatis, quòd vulnus penetrat vſque ad ſubſtantiam cordis, vel ꝙ vulneratæ ſunt partes illæ neruoſæ ueſtientes cor. Tertium eſt ſyncope minuta. & minuta ſyncope dicitur, quæ parum durat, ſed crebrò, & citò repetit: ſi ergo cum dictis duobus ſignis videritis, quòd æger octies, vel decies in ſpatio unius horæ cadit in ſyncopem minutam, dicatis audacter, neceſſariò vulneratum eſt cor. Quartum eſt retractio pulſus, & omnium virium: ergo videntes, quòd pulſus deſinit, vel quòd eſt formicularis, & languidus, & quòd uires eo omnes deficiunt, indicium eſt uulneratū eſſe cor. Quintò addatis unum, quod non attinet ad Medicum, & eſt mors repentina ſine magno ſanguinis fluxu: nam ut plurimum, uulnerato corde, accidit repentina mors: aliquando tamen fit, ut uulneretur cor, & non accidat ſubita mors, ut ego uidi in quodam, qui ſuperuixit una die cum dimidia, tamen uulneratum erat cor in ſumma parte, & uulnus non perueniebat ad uentriculum ſiniſtrum, in qua parte uulnus erat, & cum mortuus fuiſſet, reperi ego cor uulneratum, nam diſſecui cadauer: ut plurimum tamen accidit, ut, uulnerato corde, ſequatur mors repentina, quia cor non tolerat ſolutionem continui. Si præterea cum his ſignis uideretis effluere ſanguinem uel nigrum, uel rubicundum, prout uulnus erit in dextro, aut in ſiniſtro, certiores adhuc eritis, quòd uulneratum eſt cor in dextro, aut ſiniſtro uentriculo, & ex his ſcietis quid ſit prædicendum.

Symptomata conſequētia vulnus cordis.

Dignotio vulneris pulmonis.

Aliquando uulneratur pulmo, quod dignoſcetis ex proprijs ſignis, & primum ſumitur ab exeuntibus: nam quoties videritis, quòd æger tuſſiendo expuit ſanguinem ſpumoſum, ac tenuem atque rubicundum valdè, eſt maximum indicium, & quaſi certum, quòd uulneratus eſt pulmo, uel aliquod ex ijs ligamentis, quibus pulmo alligatur thoraci; uti quando ſanguis tenuis, & ſpumoſus egreditur etiam per uulnus. Secundum, ſi continua, & magna tuſſi agitetur æger, & tuſſis ſit ſicca ſtante, quòd non ſit uulneratum ſeptum tranſuerſum, dicatis pulmones eſſe uulneratos; ſed uulnus non eſſe magnum. Tertium ſignum uulnerati pulmonis eſt, quando æger inæqualiter incaleſcit: uidebitis enim quòd inflammabitur facies, & citò ceſſabit inflammatio; deinde iterum incaleſcet, inflammabiturque: hoc cum videritis, dicatis pulmonem eſſe vulneratum: nam propter vulnus pulmo inflammatur, & communicat calorem cordi; & quia vapor ille calidus eſt purus, hinc eſt, quòd non diu durat in corde, nec in facie. Quartum ſunt dolores maximi, qui ſuccedunt circa latera thoracis, & pulmonis, & præcipuè in eo latere, vbi eſt vulnus. Quintum eſt pallor faciei, qui poſt illam inflammationem ſuccedit, qui pallor eſt veluti mortui hominis, cum tamen nihil, vel parum patiatur æger circa pulſum: fit autem pallor ille, quia eſt maximus conſenſus inter faciem, & pulmones: vnde in affectibus pulmonis accipiuntur etiam ſigna à facie. Sextum eſt anhelitus maxima difficultas. Hæc ſunt ſigna, quibus cognouentis vulnus penetrare vſque in pulmones.

Signa vulnerati diaphragmatis.

Poteſt vulnerari & diaphragma, quod cognoſcetis his ſignis: primum quidem à ſitu, nam ſi vulnus ſit circa cartilagines mendoſarum coſtarum, & penetret in cauitatem thoracis, dicatis perforatam eſſe carnoſam ſubſtantiam diaphragmatis: ſi pariter uulnus ſit in ſuperiori parte, & deſinat deorſum verſus, indicatur perforatum eſſe diaphragma. Secundo, ſi adſit difficultas maxima anhelitus, & frequentia, dicatis vulneratum eſſe diaphragma, præcipuè in parte neruoſa. Tertiò ſi adſit tuſſis doloroſa, reſonanſque, aſpera, & veluti rauca, vt videatur, quòd thorax reſonet, indicium eſt, quòd vulneratum eſt diaphragma, quia eſt tam valida conuulſio illius muſculi vulnerati, vt agitet totum thoracem. Quartò

ſunt

Digitized by Google

ſunt dolores punctiones,& grauitates circa coſtas mendoſas. Quintũ ſignum eſt febris acuta valdè,quæ ſtatim ferè ſuccedit, præcipuè ſi vulneratum ſit diaphragma in parte neruoſa, quoniam nulla eſt pars,ore ventriculi excepto,quæ magis conſentiat cum corde,quam diaphragma. Sextum ſignum vulnerati diaphragmatis eſt mentis alienatio, deliriumve præcipuè,ſi vulnus ſit in parte neruoſa:nam diaphragma habet tantum conſenſum cum mente, vt ipſo læſo lædatur mens. vnde antiqui merito diaphragma vocarunt phrenas, id eſt, mentem. Vltimum eſt cibi faſtidium, & quidèm tale, vt æger nequeat cibum aſſumere, & ſi capiat delinquit animo propter maximum conſenſum,qui eſt inter diaphragma,& os ventriculi. vnde patiente diaphragmate patitur ſtatim & os ventriculi.

Signa vulnerata vena, et arteria magna

Vulnerantur & venæ,& arteriæ magnæ,quod cognoſcetis ex fluxu ſanguinis maximo,& ſi vulnus fuerit in latere dextro,& non adſint ſigna vulnerati cordis,dicatis, quòd vulnerata eſt vena caua,& quòd morietur æger:ſi autem in ſiniſtro, & defecerit pulſus, ſanguiſque effluens ſit tenuis, rubicunduſque, dicatis, quòd vulnerata eſt arteria aorta, & quòd æger morietur.

Sanguinis grumoſi in cauitate dignotio.

Aliquando colligitur ſanguis in cauitate thoracis,& grumeſcit,qui ſanguis grumoſus cognoſcendus eſt:Cognoſcitur autem ex tribus, videlicet ex motu, ex grauitate,& ex rugitu:ex motu quidem,quoniam,quando æger anhelat,& dum æger mouet ſeſe, percipitur inundatio in thorace,& dum mouetur de latere in latus,percipit grauitatem, & dolorem, & percipit grauitatem in toto thorace:hæc cum videritis, dicatis, quòd ſanguis grumoſus continetur in thoracis cauitate:& adhuc certiores eritis,ſi videbitis, quòd ex iniecta fiſtula nõ exeat ſanguis, ſed ichor quidam, & portio aliqua remaneat in ſummo fiſtulæ, & non ceſſet ob id grauitas quibus addatis,ſi percipiatur ſtrepitus,& murmur quoddam, dum æger mouetur, tunc certi eritis ſanguinem grumoſum contineri in thoracis cauitate.

Cognitio ſaniei collecta in cauitate, & empyematis.

Aliquando id,quod in cauitate thoracis continetur,non eſt grumoſus ſanguis,ſed ſanies, quam cognoſcetis ex rugitu, ex pondere,& grauitate,ex difficultate reſpirationis,ex febre,& ex fætore,qui percipitur vel in ſanie,quæ egreditur aliquando vel in linamentis impoſitis. hæc cum videritis,dicatis ægrum factum eſſe empyematicum. His ſignis cognoſcetis an vulneratum ſit cor, an pulmo, an vena caua, an aorta arteria, an diaphragma, & an in cauitate thoracis contineatur ſanguis grumoſus,an ſanies.

Curatio. Aliquorũ opinio de cõſuendo vulnere.

Itaque ſi vulnus ſit in thorace,& penetret in cauitatem,lęſuſque ſit pulmo,vel illęſus,aut ſit cuiuſcumque generis voluerit,dummodo penetret,ſtatìm Recentiores monent,vt firmato ſanguine,vel etiam non firmato,conſuamus vulnus: Ratio,inquiunt,eſt,quoniam niſi conſueretur,& clauderetur,aer exterior ingrederetur vulnus, & refrigeraret pulmones, qui refrigerati marceſcerent, & ita non amplius poſſet conſolidari vulnus; ſed ſi conſuatur, inquiunt,ſequitur hoc,quòd conſeruatur calor innatus,à quo fiunt miræ actiones;& ita conſolidabit etiam pulmones, ſi vulnerati fuerint, & alias partes. Præterea, ſi ſanguis concretus continebitur in cauitate thoracis, concoquetur, attenuabiturque à calore naturali,& ita abſorbebitur à pulmonibus,& expelletur per ſputum,quod etiam in empyemate,inquiunt, videmus fieri; & ideo concludunt omnia vulnera thoracis eſſe conſuenda. Adeſt porrò experientia, quia multis fuit conſutum vulnus thoracis,& ſanati ſunt. Alij ſunt,qui in oppoſitã prorſus abeunt ſententiam,vt dicant nullum thoracis vulnus,dummodo penetret in cauitatem,eſſe conſuendum,ſiue læſus,ſiue non læſus ſit pulmo. Ratio,inquiunt,eſt,quia timẽdus eſt fluxus ſanguinis, in cauitatem; & inquiunt, ꝙ ſi in empyemate ſecamus inter ſextam,& quintam,vel inter quintam,& quartam coſtas,id facimus,vt ſanies egrediatur,quoniam nequit à natura expelli:ſi igitur hoc facimus in empyemate, ad quid volumus claudere vulnus,& prohibere exitum ſanguinis,& ſaniei,quæ colligetur in cauitate?profectò nõ eſt hoc faciendum; alioqui cogeremur poſtea ſecare, vt facimus in empyemate. Præterea, licet ex conſutione vulneris conſeruetur calor naturalis, tamen non ita conſeruatur, quin magis corrumpatur à ſanguine concreto, & grumoſo, qui non ſolùm corrumpet calorem, & ſpiritus; verum etiam erodere poterit pulmones, & facere phthiſim. Ad illud autem, quod dicunt, quòd, conſuto vulnere, conſeruabitur calor naturalis totius, & pulmonis, & ſic pulmo, ſi vulneratus ſit, conſolidabitur; Reſpondent, & dicunt hoc eſſe falſum, & quòd potius pulmo conſolidabitur relicto vulnere aperto: & ratio eſt, quia, vulnere exiſtente aperto, aer per os attractus exibit per vulnus, & ita non agitabitur pulmo in expellendo ipſum; at ſi vulnus conſuatur, pulmo maximè agitabitur: nemini autem dubium eſt,quòd motus impedit maximè conſolidationem.

Alij in oppoſitum.

Nec obſtat, inquiunt, quòd vos dicitis, nempe, quòd niſi conſueretur vulnus, aer extrinſecus deſtrueret temperiem pulmonis, non obſtat, inquam, quia potero detinere ægrum in aere temperato, & alterare aerem, ita, vt non poſſit lædere, immutando ſcilicet aerem ipſum aliquo, quod conſeruandi caloris naturalis vim habeat, atque conglutinandi. Et ita duplex opinio eſt: vna, quæ vult, vt ſemper conſuamus thoracis vulnera

Google

in cauitatem penetrantia; altera verò, quæ nunquam vult, vt conſuamus.

Sententia propria au ctoris.

Ego autem in hac diſſenſione ſequor Guidonem, qui cum nulla dictarum opinionum contentus; ſed vult, quod alia vulnera ſint conſuenda, alia non: ſi enim vulnus penetret in cauitatem, & non ſit vulneratus pulmo, nec ſectum vas aliquod illorum, quæ ſunt in ſpatijs coſtarum, & non contineatur ſanguis in cauitate, vel parum quid; conſuendũ omnino vulnus eſt, ne refrigeretur thorax, & quia citius vulnus ſanabitur, & imponẽdum aliquid, quod glutinet, vt eſt barbarum, & ſimilia, quia hac ratione ſiccante impediemus, ne ſanies gignat, atque deſcendat in profundum: exhibenda etiam ſunt illa, quæ glutinare, & ſiccare poſſunt. At ſi aduocati fueritis ad vulnus thoracis, quod penetret in cauitatem, & vulnus ſit illatũ telo aliquo anguſto, & timeatis, quod ex vaſe aliquo defluat, defluxeritque multus ſanguis in cauitatem, ampliate audacter vulnus ſecando cutim, & muſculos, & non timeatis: At ſemper notate vaſa ſubiacentia, & vaſa illa ſatis inſignia, quæ ſunt in ſpatijs medijs coſtarũ: quæ vaſa, vt in anatome potuiſtis obſeruare, licet diſſeminata ſint per muſculos illos intercoſtales; tamen magis ſemper hærent parti coſtæ ſuperioris, quàm inferioris; non tamen in parte ſuperiori coſtæ, ſed inferiori: & ideo ſemper, quando vobis eſt facienda ſectio in ſpatio medio coſtarum, incipiatis ſectionem à medio ſpatij, & non aſcendatis verſus coſtam ſuperiorem, quoniam ſecaretis vas, quod parti illi ſemper hæret, & hoc eſt perpetuum, ſed deſcendatis verſus coſtam inferiorem: & hoc, quæſo, obſeruate diligentiſſime, quoniam faciet vos acquirere maximum honorem, & pecuniam etiam, ſi res vobiſcum erit cum diuitibus: faciet, dico, acquirere honorem non ſolum in dilatandis vulneribus thoracis, verùm etiam in empyemate, quando ſcilicet, fit ſectio illa in ſpatio medio coſtarum, vt egrediatur ſanies:

Vbi facienda ſit dilatatio vulneris.

quæ ſectio eodem loco dicto obſeruato eſt facienda, vt ſcilicet incipiat ſectio à media parte ſpatij, & deſcendat, non autem aſcendat, alioqui ſecaretur vas, quod ſemper hæret parti coſtę ſuperioris, ut dixi. Dilatato igitur uulnere, ſi materia aliqua erit in cauitate, quę educi poſſit, educatur, antequam corrumpatur, & faciat febrem, & imponatis linamenta imbuta albo oui: ſed linamenta ſint molliſſima, quia muſculi illi habent exquiſitiſſimum ſenſum. Altera die detegetis uulnus, & faciatis periculum, an aliquid ſit in cauitate, & an poſſit egredi

Quãdo ſit conſuẽdũ, & quid poſtea agendum.

inuertendo ægrum ſupra uulnus. Verum ſi uideritis, quòd nihil effluat, non percipiatur ab ægro grauitas aliqua, & nullum aliud ſignum adſit ex ijs dictis ſupra, quæ indicant ſanguinem; uel aliam materiam contineri in cauitate, tunc uos conſuatis uulnus, & conſutio ſit ſatis profunda, & ſi etiam in tertia, uel quarta die uideritis, quod exeat aliquid ichoris, vel ſaniei, non timeatis, quia natura poterit paucam illam ſaniem concoquere, & digerere. Facta conſutione imponatis barbarum ceratum, vel aliud ex ijs medicamentis, quæ habent vim conſolidandi, mox inungatis totum dorſum, & alias partes circumſtantes oleo roſaceo vel myrtino, ſed melius erit imbuere linamenta in his, & applicare; ſed crebrò immutetis linamenta ipſa iterum madefacta debètis etiam aliqualiter thoracem conſtringere, ne in attractione aeris valdè dilatetur: conſtringatis igitur. vt reſpiratio ſit crebrior, ſed non ita lata. Exhibebitis & per os aliquod, quod habeat vim conglutinandi partes illas internas. Sed ſi fluat, fluxeritque materia copioſa in cauitatem, vel ob ſectionem alicuius vaſorum, quæ ſunt in muſculis intercoſtalibus, vel quia vulneratus ſit pulmo; in tali caſu non debetis, vt dixi, conſuere vulnus, alioqui interficeretis ægrum: & licet aliqui, quibus talia uulnera fuerint conſuta, ſint ſanati; tamen plures ſunt, qui moriuntur, ſi conſuatur uulnus tale, quàm qui ſanentur.

Si ergo uideritis, quod fluxerit ſanguis, & fluat etiam adhuc in cauitatem, ſtatim dilatate, ſi opus ſit, uulnus ea ratione, qua dictum eſt; mox injiciatis aliquod, quod habeat uim cohibendi ſtatim ſanguinem, cuiuſmodi eſt, ſi acceperitis album oui contuſum ſimul cum aqua roſacea, & deficiente aqua roſacea, ſolum album oui, & injiciatis cum cliſtere, vel, ſi non adſit tale organum, abluatis vobis os cum vino, vel aqua, deinde accepto medicamento in ore, inſuffletis vos ipſum in vulnus: bona etiam eſt in hoc caſu aqua roſacea, decoctum pimpinellæ, pentaphylli, conſolidæ, & ſimilium, quæ poteritis cum albo etiam oui injicere: Sed ſi habebitis bolum Armenum, miſceatis cum albo oui, & nihil eſt præſtantius. Hoc facto, explebitis vulnus linamentis madidis albo oui; & relinquetis ita per ſpatium vigintiquatuor horarum: requiritur enim longum tempus, antè quam capillamenta illa vaſorum conſolidentur. Expleto orificio vulneris medicamẽto dicto, imbuatur thorax medicamẽto, quod cõſtet oleo roſaceo, albo oui, & aqua roſacea, quæ ſimul concutiantur, deinde imbuantur linamenta & thoraci applicentur: nã medicamentũ hoc frigefaciet, roborabit, cõſtipabit, firmabitq; magis fluxũ ſãguinis, ſed ſępe renouate linamenta. Altera die accedetis; & extrahetis illud, quod in cauitate thoracis continetur, tùm. ſ. album oui iniectum, tum etiam ſanguinem grumoſum: ſed album oui facilè educitur, quoniam eliquatur; & ideo inuerſo ęgro ſupra vulnus per ſe effluet: ſed grumus nunquã egrederetur, niſi dilataretur vulnus maximè, vt fieret veluti feneſtra; & ideo oportet infundere in

ciuita-

Digitized by Google

cauitatem aliquod,quod attenuet,diſſoluatque grumos illos:poſſent quidem diſſolui à natura per putrefactionem;ſed hoc longo nimis tempore fieret : eapropter non oportet expectare diſſolutionem,& attenuationem factam à natura, ſed recurrendum eſt ad medicamẽta. Gal.itaque in 5.meth.cap.8.inijciebat melicratum,ita & vos poteritis facere,capiendo uinum non ſatis potens,& temperando ipſum cum melle admixto, deinde coquetis, & cocta cum ſimul optimè fuerint , inijcietis , vel infundatis mulſam optimè coctam, quia quanto magis erit cocta,tantò plus attenuabit,digeretque,& minus mordicabit: placet mihi magis in hoc caſu mel roſaceum,quia attenuat, & habet etiam aliquam aſtrictionem , ſed addatis melli roſaceo parum aquæ betonicæ,vel ſymphyti;& inijciatis cum clyſtere,vel cum fiſtula adacta veſicæ tullæ , vel bubalæ ; & ſi non aderit inflammatio , nec imminebit periculum, quòd fiat,vtamini hoc medicamento:

Rec. decoctionem { hordei / lupinorum / furfurum } æquis portionibus.

Miſceatur cum melle roſacco,& inijciatur,vel ſolum etiam: Quod ſi pulmo non ſit vulneratus,loco mellis roſacei,admiſceatis oxymel ſimplex, vel ſyrupum acetoſum; ſed ſi pulmo ſit vulneratus, caueatis ab oxymelite, quia nimis mordicaret, & poſſet facere exulcerationem pulmonis,ex qua excitaretur tuſſis,& ex tuſſi ſanguinis fluxus: Iniecto medicamento,faciatis,vt maneat in loco affecto per vnam,duas,& tres aliquando horas, & renouetis etiam,ſi opus fuerit,atque,dum medicamentum eſt in cauitate,agitetur leniter æger, tuſſiatque,vt decoctum optimè abluat totam cauitatem,grumoſque diſcutiat. Hic moneo vos,rogoque,vt in omnibus vulneribus magni momenti non faciatis, vt iſti ſolent, qui ſtatim applicatis medicamentis recedunt;ſed quieſcatis, & maneatis ibi, relictis ea die alijs negocijs, & viſitationibus , & toleretis, vt medicamentum iniectum maneat diu in loco, renouando etiam ipſum duabus,& tribus vicibus,ſi opus fuerit: deinde extrahendum eſt id, quod in cauitate continetur per organum,quod pyulcum vocatur à Galeno,& erat organum factum ad extrahendam ſaniem ex loco cauo,quod inſtrumentum non eſt nunc in vſu;ſed vos poteritis extrahere cum clyſtere,organo ſcilicet illo,quo inijciuntur medicamenta in inteſtina; aliquando inuerſo ægro.& hic eſt melior modus,& educetur vel per ſe,vel aperto vulnere,& iniecta fiſtula breui,craſſitudine tanta,quanta eſt latitudo vulneris,quæ fiſtula debet habere plura foramina:inijciatur ergo,vt deueniat vſque in cauitatem thoracis, & ita egredietur per ipſam fiſtulam medicamentum iniectum, atque ſanguis, vel alia materia intus contenta. Facta ablutione,deueniendum eſt ad alia medicamenta:nam in vulneribus thoracis, & pulmonum etiam ſolemus triplici genere medicamentorum vti: vnum eſt, quod per os aſſumitur ſub forma eclegmatis,vel potionis,& permittimus,vt ſenſim,ac paulatim deſcendat:ſecundum ſolemus inijcere in cauitatem thoracis:tertium circũponere vulneri. Medicamenta autem ſimplicia,quæ ſunt horum materia,debent ſtrenuè ſiccare , agglutinare, & ſtringere. Sed in his vnum notat Galenus, & eſt, quòd licet ob omnes has intentiones metallica ſint pretioſiſſima , tamen in vulneribus thoracis non ſunt opportuna ; nec vt per os exhibeantur,nec vt inijciantur: Ratio eſt,quoniam præterquam,quòd difficilè alterantur à calore interno,& inſito,habent etiam in ſe aliquam qualitatem venenoſam,qua cor, & alias internas partes maximè lædunt: Ideo æs vſtum, ærugo, ſandarcha, lythargyrium, pompholyx,& ſimilia,ſunt fugienda;& confugiendum ad illa, quæ aſſumuntur ex materia animata, nimirum ex plantis; & inter ipſa primum eſt gummi tragacanthi, quod dragante dicitur in officinis,gummi commune,quod gummi Arabicum in officinis appellatur, hypocyſtis, balauſtia, citini, galla, malicorium,lemnia terra, rhus obſoniorum, roſæ, acacia, bolus Armenus, bolus Orientalis: hæc omnia optima ſunt diluta cum decocto citoniorum,vel decocto lentium,vel foliorum rubi,vel foliorum vitis; & hæc decocta debent fieri in vino auſtero;& ita optimum erit medicmentum,quo poteritis vti per os,atque inijcere. Recentiores addunt quædam , quæ etiam ſunt pretioſa, & ſunt tormentilla, ſanicula , quæ certè eſt pretioſa,piloſella,conſolida,& maior,& minor,cariophyllatæ radix: optima etiam eſt pimpinella,cimæ,ſeu germina tenera oleæ,ideſt,oliuæ arboris: ex his cum decocto dicto poteritis facere potionem,quæ conſolidabit,& ſiccabit ſaniem: & cum his ego ferè ſemper habui ſucceſſum feliciſſimum. Galenus vtebatur duobus medicamentis,quorum vnum vocatur diaſpermaton,ideſt,ex ſeminibus,alterũ diacaſſias, hoc eſt ex caſſia,de quo gloriatur: Sed quænam ſint medicamenta iſta,non conſtat, licet Guido, & Interpretes Auicennæ per diaſpermaton exponant diacodion,vel diaſymphytum,vel diatragacanthum;per diacaſſias autem ea,quæ foris applicantur,vel applicationem extrinſecorum,quaſi tu dixeris curationem diacaſſalem,ideſt pectoris;ſed errant,quoniam nondum conſtat quid Galenus intelligat: Ego reperio in ſeptimo de compoſitione medi.per loca Galenum deſcribere ex Andromacho vnum medicamentum quod vocat diaſpermaton,& deſcriptio talis eſt.

Si pulmo ſit vulneratus.

In vulneribus thoracis triplicia medicamenta.

Rec.ſeminis apij ℥ j.
opij ʒ ij.
ſeminis { amios ʒ viij. / aniſorum ʒ iiij. / fœniculi ʒ iiij.
Caſſiæ ʒ ij

Cum aqua fiunt paſtilli, qui cum aqua etiam exhibentur. Sed licet hæc ſit vna deſcriptio diaſpermaton; tamen non video medicamentum hoc habere vim illam glutinandi, quam Galenus in quinto methodi, attribuit diaſpermaton: & ideo credo non eſſe illud diaſpermaton, de quo loquitur in quinto methodi. Malagma diaſpermaton deſcribitur à Paulo libro ſeptimo. Diaſpermaton Archigenis reperio apud Aetium libro nono, cap. trigeſimoquarto, & in libro decimo, capite nono, meminit diaſpermaton Aſclepiadis; tamen nullum aſſimilatur illi, quod ita laudat Galenus, & inquit, quod ipſe vtebatur à principio vſque ad finem in uulneribus thoracis. Reperio apud Nicolaum Alexandrinum ſectione decima, emplaſtrum ex ſeminibus; ſimiliter in antidoto 108. diaſpermaton quoddam, quod eſt pretioſum, quo ſoleo ego uti loco illius Galeni feliciſſimo cum ſucceſſu: ita & uos poſſetis ipſo uti: nam mitigat dolorem, ſiſtit ſanguinem, agglutinat, & ſiccat pus: Eius autem deſcriptio eſt hæc.

Medicamentũ diaſpermaton pretioſum.

Rec. ameos / hyoſcyami / opij / aniſi } an. gr. vj
ſeminum fœniculi gr. vij.
ſeminum apij gr. v.
radicum conſolidæ maioris gr. iiij.
malicorij / balauſtiorum } an. gr. iij. s.
maceris gr. iij.
ligni aloes gr. iij.
boli Orientalis / boli Armeni ueri } gr. ij.

Si deficeret uerus bolus Armenus, capiatis eius loco duplicatam quantitatem boli Orientalis.

myrtillorum gr. ix.
mellis vel ſacchari / aquæ roſaceæ } an. q. s.

Contuſis, & tritis optimè terendis, miſce, & fiat electuarium, cuius pars dimidia exhibetur in vna vice, ita, vt totum hoc medicamentum exhibeatur duabus vicibus, & ſi corpus eſſet robuſtum, & valdè exiccatum, poſſet etiam exhiberi totum vnica vice. Hoc eſt medicamentum diaſpermaton Nicolai, quod abſque periculo, & magno cum ſucceſſu poteritis exhibere, & habet eaſdem ferè vires, quas diaſpermaton Galeni, & fortaſſe eſt idem. De altero medicamento diacaſſias vocato non habeo quid dicam, quoniam nullam de ipſo nec apud Galenum, nec apud Paulum, nec apud Aetium reperi mentionem, & ideo poteritis exhibere aliquod prędictorum, vel etiam aliquod ex ijs, quę proponunt recentiores, qui ſecunda viſitatione pro diſſoluendis grumis, & ſtringendis venis exhibent hoc.

Potio poſt primã viſitationem

Rec. rhabarbari electi ʒ s.
rubiæ tinctorum / mumiæ } an. ℈ j.

Et notate, quòd vſus mumiæ apud ipſos præcipuè eſt in vulneribus caſſalibus, ut ipſi dicunt, ideſt, thoracis.

terræ ſigillatæ ℈ s.
aquæ ſcabioſæ / bugloſſi / vini granatorum } an. ℥ j

Tritis

Tritis terendis, optimè miſce: & hanc potionem exhibeatis poſt primam viſitationem, quæ potio tunc præcipuè optima eſt, quando grumus aliquis eſt in pulmone, & nequit diſſecari, & extrahi, & quando eſt timor de fluxione ſanguinis, nam attenuat grumos, & agglutinat. Hæc ſunt, quæ per os exhibentur.

Inijciuntur & quædam in cauitatem thoracis, quæ abluant, detergant, & conglutinent, cuiuſmodi eſt hoc.

Inijcienda in cauitatē Thoracis.

Rec. radicum { tormentillæ, ſaniculæ, cariophyllatæ, conſolidæ maioris }
foliorum { plantaginis, roſarum } an. m. ſ.
ſeminum ſumach, myrtillorum } an. ℥ ij.
ſarcocollæ, aloes } an. ℥ ſ.
aquæ plantaginis q. ſ.

Miſce, & fiat decoctio; deinde
Rec. prædictæ decoctionis lib. j.
ſyrupi de roſis ſiccis ℥ ij. vel eius loco capiatis ſyrupum myrtinum, aut roſatum recentem.

Miſce, & inijciatur: ſyrupus additur loco mellis cocti, quod dicebat Galenus requiri in detergendis vlceribus inteſtinorum, ac internarum partium. Sed notate, quòd prima vice debet iniici tepidum, deinde inuoluatur æger ſupra vulnus, vt egrediatur totum id, quod eſt iniectum: ſecunda vice poſtea inijcitur, & relinquitur in cauitate portio huius medicamenti iniecti ad maiorem conſolidationem: nam prima vice inijcitur, vt abluat, & detergat; ſecunda autem vice, vt conſolidet. Igitur cum iniectum fuerit medicamentum ſecunda vice, & relicta eius portio, claudatis vulnus linamento oblōgo, & craſſo ad latitudinem orificij, & omnia linamenta, quæ inijcitis in vulneribus thoracis, quæ penetrent in cauitatem, habeant filum duplicatum, & veluti habenam adactum, quod filum remaneat foris iniecto linamento, ne, ſi caſu concideret in cauitatem, faceſſeret & ægro, & vobis magnum negocium: inijciatis igitur linamentum, quod habeat filum adactum; & linamentum ſit imbutum hoc medicamento.

Rec. terebinthinæ lotæ ℥ j.
ſyrupi roſ. recentis ℥ ij.
farinæ { fenugræci, hordei } an. ℥ ſ.
myrrhæ, thuris, ſarcocollæ } an. ℈ ſ.
Miſce.

Clauſo vulnere cum medicamento iniecto, ponetis circum circa aliquid, quod detineat linamentum in loco, vt linteum oblinitum cerato de minio, vel diapalma diſſolutum oleo maſticino, ſi hyems fuerit; ſi verò æſtas, cum oleo roſaceo; deinde inungantur omnes partes ſanæ tàm poſteriores, quàm anteriores medicamento, quod faciliorem reſpirationem reddat, & inflammationem impediat, quale eſt hoc.

Rec. olei { amygd. dulc., roſacei, maſticini } an. ℥ ſ.

Et quando vrget calor, oleum roſaceum accipiatur in maiori quantitate, quàm alia duo olea: quando autem eſt frigus, accipiantur omnia æquali pondere, & ita procedetis à principio vſque ad finem, vel ſaltem vſque ad ſeptimam, dummodo videlicet nihil saniei egrediatur; ſed ſolum illa minima portio iniecti medicamenti: donec enim ita ſe habuerit vulnus, nihil eſt innouandum. Quòd ſi colligatur copioſa ſanies in cauitate, extrahatis ſaniem, quanto celerius fieri poteſt, & detergendus, ſiccanduſque locus erit: & ita aliquan-

do ipſam ſemel extrahetis; aliquando bis viſitabitis ægrum, & ſingula vice extrahetis, ſi opus fuerit, & abluatis cauitatem thoracis cum aliquo, quòd ſiccet, & detergat, cuiuſmodi eſt hoc:

Rec. foliorum betonicæ
rosarum
cimarum rubi
germinum oleæ } an. m. j
ſeminum hordei
lentium
furfuris tritici } an. ℥ j.
thuris ℥ ij.
croci ℈ s.
mellis roſ. ℥ iiij.

Miſce, & cum s. q. aquæ agrimoniæ fiat decoctio, quæ inijciatur: nam deterget, & ſiccabit magis: & quotidie etiam, ſi colligeretur copioſum pus, exhibeatur aliquid: in reliquis autem agatis ea omnia vſque ad ſanationem, quæ dicta ſunt, & inter cætera exhibeatis aliquid diaſpermaton. Recentiores aliqui in vulneribus caſſalibus, ideſt thoracis, exhibent quotidie loco diaſpermaton ſyrupum quendam, quem non laudo antè ſeptimam, nec vnquam donec aderit dolor, & ſuſpicio inflammationis, quia medicamentum eſt nimis calidum, & eius deſcriptio talis eſt.

Rec. radicum { conſolidæ maioris, tormentillæ
Foliorum { piloſellæ, roſarum, oliuarum recentiũ, plantaginis
capillorum veneris } an. m. s.
ſumach ℥ j.
radicum liquiritiæ ℥ j. s.
hordei
paſſularum } an. ℥ s
mellis optimi lib. j.
aquæ q. s.

Miſce, & fiat decoctio, cuius cyathus quotidie exhibetur in aurora; Sed mihi magis placet diaſpermaton, quia magis mitigat: at placeret, niſi adeſſet dolor. Aliqui vtuntur iſto.

Rec. radicum eariophyllatæ.
ſeminum cannabis
foliorum artemiſiæ
florum chamomillæ
radicum rubiç tinctorum } an. ℥ j.
centaurij maioris
coſti
Nepetæ
mellis lib. ij.
aquæ q. s. Vel loco aquæ vini auſteri albi quant. ſuff.

Fit decoctio ſecundum artem, & quotidie exhibent cyathum: Sed ego dico, quòd quando copioſum pus eſt in cauitate collectum, & adeſt adhuc timor de inflammatione, & præſertim eſt dolor, tunc iſtud non conuenit, quia eſt nimis calidum.

Aliquando ſanies deſcendit, & colligitur in ſepto tranſuerſo, & fit reſpiratio admodum difficilis, & ſanies tunc non poteſt expurgari, cum vulnus ſit ſummum in pectore: ideo neceſſariò fit empyema, in quo caſu egemus ſectione, quæ fit inter quartam, & quintam, vel inter quintam, & ſextam coſtas eo modo, quo aliàs docebo, ſi occaſio dabitur.

Si vulnus Thoracis deſinit in fiſtulam. Aliquando vulnus thoracis deſinit in fiſtulam, & tunc ego paro ſyringam, fiſtulamve argenteam, & inijcio in fiſtulam, inibique relinquo per aliquot menſes, donec videam nihil amplius

amplius ſaniei egredi, & exiccatum eſſe thoracem; tunc, purgato optimè toto corpore, extraho ſyringam, & renouo vulnus, & hoc modo ſanaui ego tres, vel quatuor fiſtulas: ſoleo etiam curare per potiones, de qua curatione dicam in ſequenti anno.

Victus in vulneribus thoracis habenda eſt ratio, nec non ſectionis venæ, exhibitionis pharmaci, & aliorum vniuerſalium, de quibus ſuperius diximus; tamen dico breuiter, quòd victus debet eſſe refrigerans; bibat aquam hordei cum capillo veneris & paſſulis; ambiens ſit temperatum, ſomnus ſit moderatus; vigilia multa eſt mala; quies optima; motus malus; lenitio ventris cum clyſteribus eſt optima; aliquando etiam conuenit cum medicamentis per os, vt eſt manna, diaſebeſten ſimplex, caſſia, ſyrupus violaceus ſolut. & ſimilia: paſſiones animi fugiantur. Præterea obſeruentur hæc præcepta: primum eſt, quòd vulnus debet rectè faſcijs obduci: ſecundum citò, quicquid agendum eſt agatur: tertium æger aliquando in vulnus declinet, vt egredi ſanies poſſit. *Victus ratio in vulneribus Thoracis.*

De Vulneribus Abdominis. Cap. XXVIIII.

SEquuntur abdominis vulnera, quæ nō minus difficilia ſunt, q̄ vulnera thoracis, quoniā & in hoc ſauo, qui abdomen dicitur, continentur partes maximi momenti, veluti hepar, quod vulneratum, quod difficultates, & incommoda pariat, teſtantur auctores, & confirmat praxis. Adeſt & ventriculus, qui ſi vulneretur, non continet cibum, non concoquit, doletque ſemper, & tandem moritur æger. Lien etiam in hoc ſacco continetur, qui licet non ſit viſcus tanti momenti, tamen, ſi vulneretur, efficit difficultatem magnam. Adſunt, & renes, qui, ſi vulnerentur, ſtatim aliquando interficiunt: Et licet ego viderim vulneratos in ſuperficie tantum renes, & tamen ſanatus eſt æger; tamen omnes alios, quibus etiam vix vulnerati erant renes, vidi mortuos. Accedunt inteſtina, quæ ſi vulnerentur, faciunt mortem, præcipuè ſi vulnerentur inteſtina tenuia. Continetur in hoc ſacco & veſica, & omentum, & peritoneum, quæ partes omnes, ſi vulnerentur, maximas faciunt difficultates. Similiter & abdomen, hoc eſt pars illa exterior ſacci iſtius. Hæc ſunt, quæ difficilima reddunt abdominis vulnera.

Vulneratur autem abdomen dupliciter, vel enim vulnus penetrat in cauitatem ipſius, vel non penetrat; & cum non penetrat, leue vulnus eſt, niſi adſit imbecillitas magna corporis, & vulnus ſit in ſubiecto valde timido, dico hoc, quoniam cum eſſem Piſis, aderat iuuenis Lucenſis, qui ab hoſpite ſuo ebrio recipit vulnus gladio ex illis, quibus vtimur in menſa, & vulnus in abdomine erat, & quidem leuiſſimum, tamen ita timebat iuuenis ille, vt in curando illo vulnere maximè laborarim, attamen ſanatus eſt iuuenis, fuitque hic, & accepit inſignia doctoratus, & abijt. Itaque vulnera abdominis ſunt duorum generum: vel enim penetrant in cauitatem, vel non penetrant, & quando penetrant, difficilima ſunt, quia refrigerantur inteſtina, & ſi apertum ſit aliquod vas, fundit ſanguinem, qui colligetur in cauitate. *Vulnera abdominis duorum generum.*

Penetrantia porrò vulnera ſunt duorum generum: alia in quibus vulneratum eſt aliquod viſcus, & hæc omnium difficilima ſunt; alia ſunt ſine læſione alicuius viſceris contenti. Itaque antequam deueniatis ad curationem, omiſſo vulnere leui, debetis cognoſcere, an vulnus penetret in cauitatem, & habito, quòd penetret, an vulneratum ſit viſcus aliquod, nec ne, recurrentes ad propria ſigna: quæ non poſſunt hic ſumi ab attractione, & omiſſione aeris, nec ex candela, cotoneve appoſito, ſed aliunde, vt aliquando ex viſu; accidit enim aliquando, vt conſpicua fiant inteſtina. Cognoſcetis etiam vulnus penetrare inſtrumento, quo illatum eſt vulnus: nam ſi oblongum ſit, & magna portio cruentata, indicatur, quòd vulnus eſt profundum: tertiò cognoſcetis ex impoſito, iniectove ſpecillo. *Si vulnus penetret quō cognoſcendum.*

Iam penetret, cognoſcendum eſt, an vulneratum ſit viſcus aliquod, quod cognoſcetis ex ijs, quæ ſuccedunt: ſi enim non ſuccedat dolor, non mentis affectio, non ſuppreſſio fæcum, nec aliud ex ijs ſymptomatibus, quæ ſolent conſequi, indicatur, quòd nullum viſcus eſt vulneratum. Si autem vulnus penetret, & vulneratum ſit hepar, cognoſcetis, quia aderit magnus effluxus ſanguinis, etiam ſi non ſit vulneratum in parte, vbi eſt vena caua, quoniam prætetquam, quòd hepar habet in ſe diſſeminatas multas venas in tota ſua ſubſtantia turget ſanguine quoties ergo uideritis effluere copioſum ſanguinem, & illum nigrum, & uulnus etiam erit ſub hypochondrio dextro, dicatis uulneratum eſſe hepar: adhuc certiores eritis, ſi aderit dolor, & grauitas, pondusve circa illam partem, nec non tuſſicula quædam ſicca, & aderit pondus veluti trahens deorſum. Verùm animaduertatis, quòd indicium à loco, in quo eſt vulnus, non eſt certum: poteſt enim eſſe, quod locus, ubi *Hepatis vulnerati ſigna.*

eſt

Digitized by Google

eſt uulnus, ſit in latere ſiniſtro; tamen uulneratū erit hepar, ut ego aliquando uidi in quodam, qui receperat uulnus à glande plumbea in ſiniſtro hypochondrio, & inde ad tres, uel quatuor horas mortuus eſt: ego aperui ipſum, & reperi glādem traieciſſe hepar ferè totum ab uno ad alterum latus, & nihil paſſum eſſe lienem, nec partem aliam lateris ſiniſtri.

Lienis vulnerati nota Si vulneratus ſit lien, cognoſcetis ex ſanguine egrediente, qui ater erit, & veluti limus, & vulnus erit ſub hypochondrio ſiniſtro: alia non ſolent ſuccedere ex vulnere lienis, non dolor ſepti tranſuerſi, non tuſſicula, nec quicquam aliud.

Vena caua vel aorta vulnerata indicia. Si vulnerata ſit vena caua, vel arteria magna, quæ perreptant per dorſum ſub inteſtinis, uidebitis, quòd effluet copioſus ſanguis, qui ſi rubicundior, & tenuis ſit, indicatur, quòd uulnerata eſt arteria; ſi uerò nigrior, quòd uena: uidebitis etiam, quòd refrigerabuntur extremæ corporis partes, conciderque ſtatim robur, & pulſus.

Renū vulneratorum ſigna. Si uulnerati ſint renes, dolor erit uehementiſſimus, & profundus, & concidunt ſpiritus, & uires: quòd ſi uideritis egredi ſanguinem aquoſum, & ueluti aquam cruentam, certiores eritis, quòd uulnerati ſunt renes: ſolet etiam accidere ex uulnere renum, ut ſupprimatur lotium; & ſi magnum ſit uulnus, ſolet interdum totus ſanguis per uulnus renum effluere, ut ego aliquando uidi.

Veſica vulnerata ſigna. Veſicam autem uulneratam eſſe cognoſcetis, quia ſupprimitur lotium per uiam conſuetam, & egreditur per uulnus, & uidi ego quendam, cui traiectum eſt utrumque ilium, & perforata eſt ueſica, & lotium egreſſum eſt circa quadraginta dies per uulnus: & omnes iudicauimus illum mortuum; tamen ſanatus eſt, & minxit per proprium canalem. aliquando, uulnerata ueſica, non ſupprimitur ex toto urina; ſed pars exit per uulnus, & pars decidit in cauitatem abdominis: ſique præter hæc uideritis, quòd id, quod exit per uulnus, ſit cruentum, dicatis quòd uulnerata eſt ueſica uel meatus, ſeu uaſa urinaria: ſuccedit etiam magnus dolor, defectus animi, atque tumor circa inguina, quia materia colligitur inibi.

Signa vulnerum inteſtinorum. Inteſtina autem eſſe uulnerata cognoſcetis primò ex gladio, qui penetrauit; ſecundo ex ſtercore, quod quando uulnerata ſunt inteſtina, ſolet excerni ualde liquidum, & mollius, vel cruentum: ſitus deinde vulneris indicabit an hoc, vel illud inteſtinum ſit vulneratum; nam ſi ſit ſupra vmbilicum, iudicabitis vulneratum eſſe craſſum inteſtinum, colon ſcilicet; ſi infra, aliquod ex mollibus, & tenuibus.

Signa vulnerati ventriculi. Vulneratur & ventriculus, & aliquando grauiter, aliquando leuiter; ſemper tamen, quocumque vulnere ſit affectus ventriculus, ſuccedunt grauia ſymptomata. ſi itaque vulneratus ſit ventriculus, ſed vulnus ſit leue, ita, vt non penetret in cauitatem ventriculi, ad erit vomitus, inappetentia, incontinentia cibi; ſi verò penetret in cauitatem ventriculi, exibit per vulnus cibus, & vinum, vel liquor, quem aſſumet, & ſæpe chylus; aderunt dolores ſummi, vertigines crebræ, concidet æger in cardiagmon, idest, in eiofionem cordis; ita enim ſibi videbitur.

Omēti vulnerati ſigna Omentum & ipſum vulneratur, & quidem ſæpe, quia innatat inteſtinis; ſed nullum habemus ſignum certum, quod indicet omenti vulnus, quia cum non ſentiat valde, & pinguedo ſit, non ſuccedit dolor, niſi fiat inflammatio, non ſanguinis fluxio, nec quicquam aliud: ideo non oportet, vt ſimus ſolliciti de ſignis vulnerati omenti.

Præſagiū vulnerū abdominis. Cognito, quòd vulnus penetret, aut non penetret; & ſi penetret, an vulneratum ſit viſcus aliquod, oportet iudicium proferre. Itaque, ſi fuerit vulnus leue, non debetis ſtatim prædicere bonum, aut malum finem, quoniam in thorace, & abdomine non accidit, quòd ſolet in alijs partibus: ſi enim vulneratum ſit crus, vel brachium, poteſt pars vulnerata quieſcere, & ita non facilè inflammatur: oppoſitum autem accidit in thorace, atque abdomine; in continuo enim ſunt motu, & muſculi abdominis; etiam ſi voluntate non mouerentur, tamen neceſſariò mouentur ad motum thoracis. præterea eſt neceſſarium, vt moueantur propter excretionem fæcum, ad quam excretionem ipſi inſeruiunt; & ideo omnia vulnera abdominis, quantumcunque leuia fuerint, ſolent eſſe difficilia, & tardæ conſolidationis, quia ex motu ſæpe lacerantur futuræ. Itaque ſi vulnus non penetret in cauitatem, prænuncietis difficilem, & tardam ſanationem. Si autem uulnus penetret in cauitatem, non eſt lethale, vt plurimum, nec vt frequenter; periculoſum tamen eſt, & eget maxima diligentia. Ego poſſum ingenuè fateri, quòd quotquot habui vulnera abdominis penetrantia in cauitatem, omnia ſanaui. vulnus autem hepatis, ventriculi, inteſtinorum, & veſicæ, vt plurimum ſunt lethalia, vt ait Hippocrates in ſexto aphoriſm. decimooctauo, & in lib. de præcognitione, & locis.

Curatio vulneris penetrantis. Si igitur vulneratum ſit abdomen & vulnus penetret in cauitatem, nulla tamen interna pars ſit læſa, quid agendum? Primò ſuppreſſo ſanguine poſca, vel alio medicamento, conſuendum eſt vulnus, & facta optima conſutione, quæ benè vniat partes, imponendum eſt medicamentum, quod habeat vim aſtringendi, & glutinandi. ſed dubitaret aliquis veſtrum,

An ſit conſuendum. & quæreret, an tutum ſit, vulnus tale conſuere: & videtur, quòd non, quia, ſicut in thorace

non

ſon conſuitur vulnus, quando ichor, vel ſanguis fluxit in cauitatem; ita videtur faciendum eſſe in vulneribus abdominis: nam ſi colligeretur ichor aliquis, vel ſanguis in cauitate abdominis: poſſet inibi putreſcere, & magnum aliquod incommodum afferre. Magiſtri huius artis, chirurgi ſcilicet recentiores, & alij reſpondent, abdominis vulnera eſſe conſuenda, etiam ſi copioſus ſanguis, vel ichor fluxerit in cauitatem; quod non eſt faciendum in vulneribus thoracis, quoniam in thorace natura non habet commoda loca, per quæ materiam collectam excernat, ſicut habet in abdomine, & loca ſunt inguina, per ipſa enim excernit, ſi quid collectum in cauitate abdominis fuerit, facto in illis abſceſſu: & ego ſemel vidi per illa loca humorem collectum fuiſſe excretum, facto ſcilicet abſceſſu in inguinibus. hac itaque de cauſa monent, vt conſuamus vulnera abdominis, & ratio, qua conſuunt abdominis vulnera, ne refrigerentur inteſtina. Cum itaque conſuendo non poſſimus errare, & non conſuendo poſſimus eſſe in cauſa magni incommodi, tutius longè eſt conſuere.

Authoris ſententia.

Sed notandum vobis eſt, quod uulnerum in cauitate abdominis penetrantium alia ſunt grauiora, alia minus grauia, ut ait Galenus ſexto meth. cap. quarto. Nam illa, quæ ſunt in parte media, atq; anteriori abdominis, grauiora, & difficiliora ſunt, q̃ quæ ſunt ad latera; & ideo maior in ipſis conſuendis requiritur diligentia, & maior etiam in alijs actionibus: Sunt autem grauiora, quoniam inteſtina prolabuntur ad partem anteriorem, & facilius prorumpunt in vulneribus exiſtentibus in anteriori, & media parte abdominis, quam in alijs, quæ ſunt ad latera: Egrediuntur autem magis inteſtina in vulneribus in medio abdominis exiſtentibus, & difficilius etiam reponuntur, quoniam muſculi propellunt ad partem anteriorem, & mediã: Difficilius præterea conſolidantur, q̃m in anteriori, & media parte abdomen, eſt magis neruoſum, & ſutura difficilius paratur. Eapropter citò, & optimè vulnera, quæ in medio abdominis exiſtunt, ſunt conſuenda.

Differentia in conſuendo requiritur.

Septẽ modi conſuendi

Sed quomodo ſunt conſuenda? Septem modos conſuendi talia vulnera reperio apud authores: Primus eſt communis, qui fit per fibulas, quæ fibulæ puncta vocantur ab illis: qua ratione conſuendi vtor ego ſæpe in vulneribus tùm abdominis, tùm aliarum partium. Secundus eſt Lanfranci, qui traijcit vtrumque labrum acu; deinde perforat idem labrum vltimum; & redit in oppoſitum labrum, interpoſito ſpatio aliquo; poſtea iungit extrema fili, & adacto nodo ſecat; deinde facit aliam ſuturam & plures, ſi opus fuerit, eodem modo: & inquit ſe hoc modo conſuere, quia talis ſutura vnit partes profundas, & ſummas relinquit hiantes, in medio quarum partium hiantium ſuccreſcit, inquit, caro, quæ poſtea vnit. ſed ratio hæc conſuendi non placet. Tertius modus eſt Albucaſis, qui primus eſt ipſius, & monet, vt acu traijciamus vtrumque labrum, & inibi relicta acu circum circa ipſum inuoluamus filum; deinde inijciamus alterã acum, & circumuoluamus filũ eodẽ modo, & ſic tot acus inijciamus, quot opus fuerit: & inquit Albucaſis, ſe hac ratione conſuendi vti, quia magis perdurat conſutio, nec poteſt ſecare labra: in vulneribus autem abdominis requiritur, vt ſutura perduret, quia talia vulnera non ita citò agglutinantur, propter motum continuum thoracis, quo fit etiam, vt ſæpe ſecentur labra; & ideo Albucaſis conſuit hoc modo, relinquendo acus quæ diu perdurant, & non poſſunt labra ſecare. Sed moleſtum nimis eſt acus inibi geſtare, & doloroſa nimis eſt actio: ideo non placet talis ratio conſuendi. Docet quartum modum idem Albucaſis, & eſt per duplex filum, quomodo ſolent ſutores ſuere caligas, & coturnos: primò perforant acu; deinde inijciunt vnum filum ex vno latere, alterum ex altero oppoſito. Sed acerba nimis, & mechanica potius eſt ratio hæc conſuendi; & potius conueniret in Arabibus illis ſole exuſtis, qui habent cutim ſqualidam, & duriſſimam. Galenus in ſexto methodi propoſuit tria genera ſuturarum pro vulneribus thoracis: Primum eſt commune, quo conſuimus ſaccos, & quicquid conſuimus. Sed hoc non uidebatur Galeno artificioſum; ideo tradit duos alios modos: Vnus eſt, quo conſuimus partem peritonei cum parte abdominis, & diſſimilia cum diſſimilibus iunguntur. Alius, quo conſuimus abdomen cum abdomine, & peritoneum cum peritoneo, & tandem ſimilia cum ſimilibus: quos duos modos conſuendi docui vos hoc anno in anatome. Et hic ultimus modus eſt reliquis uenuſtior: & inter hos omnes modos probo magis primum, atque ultimum; ſed illo primo, qui fit per fibulas utor, quando uulnera abdominis ſunt parua; ultimo autem modo, quo ſimilia ſimilibus iunguntur, utor in magnis uulneribus:

Modi ſuendi meliores qui authori

Cæterùm in ſuturis obſeruandum eſt ſpatium inter fibulam, & fibulam, quod debet eſſe quanta eſt craſſities minimi digiti, nec maius, nec minus: non maius, quia non unirentur partes; nec minus, quia ſutura eſſet nimis doloroſa: ſpatium etiam labri conſuendi debet eſſe, quanta eſt craſſities minimi digiti, ita, ut tantum ſit interuallum inter fibulam & fibulam, quantum eſt à margine labri à loco, ubi infixa eſt acus: nam niſi tantum ſpatium ſeruaretur, lacerarentur labra à fibulis: Spatium autem per profundum dico, quòd debet eſſe, quanta eſt craſſities abdominis, etiam ſi abdomen eſſet ualde craſſum, ut ſolet eſ-

De ſpatijs.

ſe in

Digitized by Google

ſe in pinguibus, qui habent laridum admodum craſſum. Traijciatis igitur totum abdomen ab uno latere ad aliud.

De filo. De filo autem, quale eſſe debeat, dico, quòd in facie, vbi filum ſolet ſecare, & ita ſolent remanere turpes cicatrices magni refert, an ſit durum, vel molle; & an craſſum vel tenue(debet enim eſſe molle, & tenue)ita & acus, ne remaneant magnæ cicatrices. ſed in abdomine ſi filum eſſet tenue, ſecaret facile labra, quia abdomen continuò mouetur, & ideo filum debet eſſe plenius; ita tamen, ait Galenus, vt non faciat dolorem; debetque eſſe æquale, ſiue ſit lineum, ſiue ſericinum, nihil refert.

Facta conſutione, imponatur medicamentum, quod glutinet, atque ita ſanitati reſtituatur vulneratus locus.

Vulnus cũ prolapſu omenti quo curãdum. Verùm accidit, vt non ſolum vulneretur abdomen ita, vt egeat conſutione, verùm etiam egreditur omentum, & hoc crebrò accidit, eſtque omentum quod egreditur aliquando multum, aliquando parua portio: Si igitur egrederetur omenti portio quid agendum? Dico, quòd debetis obſeruare, an ſtatim fuerit egreſſum, an aliquandiu ſteterit extra abdomen, vt ſolet accidere, quia aſtantes, & chirurgi etiam interdum inepti non audent ipſum in ſuum locum reponere, quo fit, vt denigretur: pars enim hæc cum vna die, vel plus fuerit extra locum ſuum, ſolet refrigerari, corrumpi macerarique. Et ideo tunc opus eſt amputatione illius, quod denigratum eſt: & ego aliquando totum omentum extraxi, & *Hiſtoria.* homo ille nihil incommodi paſſus eſt: vnde admiratus ſum de vſu, quem Galenus attribuit omẽto quod factum ſit, vt foueat calorem naturalem, quia nihil vidi calorem paſſum fuiſſe extracto toto omento: erat enim homo ille caupo, & accepit vulnus ſupra vmbilicum ita magnum, vt omnes illi muſculi fuerint per tranſuerſum ſecti: vnde cum totum omentum eſſet denigratum, fui coactus ipſum abſcindere; & poſtea conſui vulnus, & caupo ille ſanatus eſt in vigeſimaſecunda die, & nihil patiebatur, nec circa calorem naturalem, nec circa aliud. Itaque ſi videritis, quòd portio omenti ſit egreſſa, & nihil pinguedo illa ſit paſſa circa colorem; ſed ſit alba, & mollis, ſtatim digito, vel alio inſtrumento repellatis ipſum, ac molliter & blandè in ſuum locum reponatis: neque enim ſtatim veniendum eſt ad ſectionem: & ſi iterum egreditur, propellatis eum ſpecillo eraſſo, & obtuſo, ne perforet omentum ipſum; atque interim, dum detinetur cum ſpecillo intus, conſuatur vulnus. Quòd ſi videritis omentum prolapſum eſſe aliqualiter refrigeratum, calefaciatis ip- *Calefaciendum ſpongiam.* ſum cum ſpongia, vel molli panno imbuto aqua tepida; cum incaluerit, reponatis ipſum in cauitatem; & nihil aliud circa ipſum agatis, quia natura diſtendet ipſum per inteſtina. Quòd ſi fuerit denigratum, vel liuidum, oportet totam illam partem denigratam amputare. Verùm accidit, vt non ſolum pars prolapſa, ſed etiam aliqua portio interna denigrata ſit; & ideo oportet ſenſim, ac blandè attrahere, donec appareat tota denigrata pars, & illa etiam, quæ proprium retinet calorem; & tunc accipiatis filum vel ex ſerico, vel ex lino, dummodo non citò ſit putreſcibile, & ligetis omentum in confinio partis nigræ vel albæ, & potius in parte alba; deinde amputetis totam partem denigratam & portiunculam albæ. Debet autem omentum, antè quàm amputetur, vinci, ne reſectis venulis, & arteriolis, quæ ſunt diſſeminatæ per ipſum, faciant fluxionem aliquam ſanguinis, qui ſanguis poſtea colligatur in cauitate, & ſit poſtea moleſtus: mihi enim placet, vt quantum fieri poteſt, prohibeamus collectionem alicuius materiæ in cauitate: Amputata parte omenti denigrata & portiuncula ſanæ & albæ; recentiores ſolent partem illam exurere: quæ exuſtio eſt ſuperflua, & dubio procul, ſi vidiſſent Galenum in ſexto meth. cap. quarto, non exurerent: nam vaſa illa, quæ ſunt per omentum diſſeminata, non ſunt ita magna, vt non ſufficiat filum pro inhibenda fluxione ſanguinis ex ipſis. quare vos non exuratis; ſed amputata parte nigra, reponatis omentum in cauitatem propriam, & faciatis, vt filum remaneat extra abdomen(ideo debet eſſe longum) deinde conſuatis totum vulnus, & relinquatis ſolum tantum foramen, vt poſſit filum extrahi; & tranſacta quarta, tentabitis, an filum poſſit extrahi: ſolet enim aliquando in quarta, aliquando ante, aliquando in quinta, aliquando in ſexta die filum ſequi; ſed ſit vtcumque, vos tentabitis extractionem ipſius; & ſi non ſequetur manum, relinquetis donec ſequetur, & extrahetur; nec timeatis portiunculam illam omenti, quæ concidet in cauitatem, corrupto filo, quoniam pauca quantitas erit, & natura eliquabit ipſam, atque abſumet.

Vulnerũ inteſtinorum curatio. Sed notate, quòd in vulnere abdominis ſolent inteſtina aliquando vulnerari, aliquando extra locum proprium prolabi, tunc quid agendum? non eſt ſatis aliquando certum; illud tamen continetur in quinque capitibus propoſitis à Galeno, & primum eſt, ut conſuatur vulnus inteſtini: ſecundum, ut inteſtinum reponatur in ſedem propriam: tertium, ut *Quinque obſeruãda in curatione prolapſi inteſtini.* conſuatur uulnus abdominis: quartum, ut tenetur conſolidatio per impoſitionem opportuni medicamenti: quintum, & ultimum, ut habeatur ratio partium circumpoſitarum, & præſertim partium nobilium, quæ ſunt magni momenti. hæc igitur ſunt capita ante ocu-

los

los ſemper habenda in vulneribus inteſtinorum. Quo ad primum debetis primò ſcire, quòd aliquando vulnerantur inteſtina craſſa, & per craſſa inteſtina intelligo colon, & rectum inteſtinum: Nam de ieiuno non eſt vt aliquid dicam, quoniam eſt veluti appendiculum, & potius inutile in humano corpore, quàm ad aliquem vſum, licet in brutis habeat maximum vſum, præcipuè in quibuſdam. Aliquando igitur vulnerantur inteſtina dura, craſſave; aliquando gracilia, tenuiave: & tunc ſolet eſſe Dubitatio, an & craſſa, & tenuia ſi vulnerentur, poſſint conſolidari, & per conſequens, an ſint conſuenda? Ego tamen dico, quòd & craſſa, & tenuia ſunt conſuenda: craſſa quidem, quoniam, cum ſint ſubſtantiæ ſatis ſolidæ, & craſſæ, poſſunt agglutinari, & multa habemus exempla, in quibus conſuta ſunt craſſa inteſtina, & ſunt conſolidata; licet à Vido Vidio Florentino habeamus exemplum, quòd in quodam iuuene vulneratũ ſit inteſtinum craſſum, & agglutinatum ſit à natura, ſine ipſius conſutione: *Hiſtoria iuuenis.* Refert enim, quod Romæ fuit iuuenis quidam vulneratus in abdomine, & factum eſt vulnus in inteſtino craſſo, cuius iuuenis curationi dicit, quòd præerat Magiſter Iacobus Peruſinus Chirurgus præſtantiſſimus, qui cum videret ſtercus per vulnus egredi, & non poſſe conſolidari: nam inteſtinum erat intus, vt non poſſet manus imponi, & ſic ſutura adiungi, venit in opinionem poſt aliquot dies, quòd ſi conſueretur, & agglutinaretur vulnus abdominis, natura ipſa poſſet vulnus inteſtini conſolidare: & ita conſuit vulnus abdominis, & conſolidatum eſt vulnus inteſtini. Quamuis igitur habeamus hoc exemplum, tamen dico fuiſſe (ſi vera referuntur) potius miraculum naturæ; & ideo dico, quòd vulnera inteſtinorum ſunt conſuenda. Et ego habeo exemplum, quod vulnera inteſtinorum non conſolidantur ſine conſutione: Credo enim, quòd memores & vos ſitis de muliere illa, cui feces egrediebantur per vulnus in abdomine, quo vulnere conſuto, & agglutinato feces retentę ſunt in cauitate, & ſtercus erupit per alia loca. Dico igitur quòd ſi vultis vulnus inteſtinorum conſolidari, debetis ipſum conſuere. *Inteſtina craſſa conſuenda.*

Sed de gracilibus inteſtinis eſt dubium, an glutinentur. Ego nunquam vidi inteſtinum craſſum egreſſum, & credo etiam, quod alij rarò viderint, quoniam quàm difficile ſit, vt rectum inteſtinum egrediatur, cuique eſt manifeſtum: idem dico de colo, quia circa ilia alligatur illis partibus ita, vt, ſi debeat egredi, requiratur, vt totum abdomen ſit per tranſuerſum ſectum; in ſuperiori poſtea parte arctè admodum alligatur ventriculo, & alijs partibus. De gracili autem inteſtino non eſt dubium, quod egrediatur frequenter, & in magna quantitate; ſed licet craſſum inteſtinum rarò exeat foras, tamen de ipſo non eſt dubium, quòd debeat conſui, & quòd poſſit conſolidari; at dubium eſt de gracili, quoniam *Gracile inteſtinũ nũ cõſolidetur* Galenus propter quatuor cauſas dicit, quòd tenue inteſtinum non conſolidatur, & prima eſt ob multitudinem, & magnitudinem vaſorum, quæ ſunt diſſeminata per tenue inteſtinum. Sed ad hoc dico, quòd non in quacumque parte gracilis inteſtini ſunt vaſa multa, & craſſa. Secunda eſt ob tenuitatem tunicæ ipſius inteſtini gracilis, atque ob ſubſtantiam nerueam. Sed ego dico, quòd tunica eſt quidem tenuis, reſpectu tunicæ inteſtini craſſi; non tamen eſt talis proportio inter tunicam gracilis, & craſſi, qualis eſt inter non conſolidari, & conſolidari: nam nec etiam quinta parte membrana gracilis inteſtini eſt ſubtilior tunica craſſi. Addit tertiò, propter bilem ſynceram, & copioſam, quæ deuenit ad inteſtinum gracile, quæ cum erodat, & ſtimulet, impedit conſolidationem. At ego dico, quòd ſolùm in inteſtinum duodenum bilis, ideſt fel, quando egreditur ex veſicula, deuenit pura: in ileon autem, & in partem vltimam ieiuni non deuenit pura, ſed mixta cum chylo, qui obtundit ipſius acredinem. Addit quartò propter vicinitatem, quam gracile inteſtinum habet cum hepate: nam poteſt ex vicinitate inflammari, & trahere hepar in conſenſum. Dico ego, quòd non totum gracile inteſtinum eſt hepati vicinum; ſed ſolum duodenum; nec duodenum eſt ita vicinum, quin vicinius ſit inteſtinum colon, attamen colon conſolidatur; & ideo vicinitas hepatis non videtur, quòd impediat agglutinationem *Propria ſẽtentia.* vulneris in gracili inteſtino. Quare dico ego, quòd licet ægrè in gracili vulnus conſolidetur, tamen aliquando conſolidatur: & ideo conſuenda ſunt etiam vulnera in ipſo, ob id ſaltem, vt nihil prætermittamus, in quo poſſit natura iuuari. Ego in vno tantum vidi conſolidatum: vidi tamen & multa alia vulnera in ipſo non fuiſſe glutinata; tentanda tamen eſt conſolidatio. Itaq; & in gracili, & in craſſo inteſtino exiſtentia vulnera ſunt conſuenda. *Modus ſuẽdi.*

Sed quo modo, diceret veſtrum aliquis? Recentiores quidam ſolent accipere fiſtulam ſambuci, quam ponunt in inteſtino perforato, vt ſeruet partem illam inteſtini extenſam, & per fiſtulæ ipſius canalem tranſeat ſtercus, deinde conſuunt inteſtinum ſupra fiſtulam, & relinquunt fiſtulam intus: & accipiunt fiſtulam ex ſambuco potius, quàm ex alia materia, quoniam dicunt, quòd ſambucus habet vim ſiccandi, ſolidandique. Alij, qui ſequuntur exercitus, in quibus ſæpe accidunt vulnera inteſtinorum, accipiunt inteſtina ex alijs animalibus, & ipſa mediocriter inflant, ſiccantque in vmbra, vel ſub Sole, & geſtant ipſa ſecum; deinde, cum datur occaſio, vt vulneratum ſit inteſtinum, accipiunt fruſtum

illius

illius inteſtini ſiccati, & aptant per longum in cauitate inteſtini vulnerati, vt inteſtinum ſtet extenſum, & feces præterlabantur. Alij loco inteſtini brutorum, vel fiſtulæ ſambuci accipiunt aſperam arteriam anſeris ſiccatam, vel cygni, & eodem modo aptant, conſuuntque vulnus inteſtini ſupra arteriam. Sed res hæ nullo modo placent: primò non fiſtula illa ſambuci, quia natura tentabit expulſionem illius fiſtulæ, & id quidem per contractionem inteſtini; ex quo fiet, vt inteſtinum continuò laceretur à fiſtula: videmus enim quòd natura tentat expellere bilem in inteſtinis contentam, & feces etiam, tanto magis tentabit lignum expellere. De inteſtino illo ſicco dico quòd non ſtabit per longum ſpatium temporis ibi, quòd ſubſidebit, & ita non detinebit extenſum inteſtinum. præterea, ſi fruſtum illud retineatur intus, marceſcet, & ita putrefaciet ſuturam, & alias partes inteſtini. Idem dico de arteria illa aſpera. Quare conſuatis vos, nihil intus impoſito, & relinquatis eam capacitatem inteſtini, quam poteſtis maiorem. ſed quo inſtrumento, & quomodo ſunt hæc inteſtinorum vulnera conſuenda? Arabes, vt Albucaſis, conſuunt cum capitibus formicarum: Sed talis conſutio fortè conuenit in illis Arabibus, qui habent inteſtina ſalita, & dura, vt corium. Alij monent, vt conſuamus aliqua ſubſtantia ſimili; & ideo capiunt inteſtinum alicuius bruti, & ſiccant, deinde accipiunt ex eo fibram ſiccatam. Sed non video ego, quæ nam ſit iſta ſimilitudo inter inteſtinum humanum, atque ouis, verbi gratia: præterea, fibra illa putrefiet, & ita oberit. Et ideo dico, quòd debetis conſuere cum filo puro, vel ſit ex lino, vel ex ſerico, nihil refert: & non per fibulas ſunt inteſtinorum vulnera conſuenda, ſed communi ſutura, qua conſuuntur ſacci, & alia, quæ ſimul vniuntur. Sed animaduertatis quòd inter ſuturam, & ſuturam, ideſt inter punctum, & punctum debet paruum ſpatium intercedere; & non debetis amputare filum, ſed relinquere longum valdè, vt extet extra abdomen, & pendeat ab ipſo vt in quarta, vel vltra quartam, cum putrefactum fuerit, & conglutinatum inteſtinum, poſſitis extrahere: Antequam verò conſuatis inteſtinum debetis inteſtinum optimè abluere vino dulciſſimo, nigroque, in quo coctum ſit chamæmelum, ciminum, & ſimilia: Facta ablutione, debetis in vulnus inteſtini inijcere, atque affundere aliquid, quod habeat vim glutinandi, ut ſuccum uel piloſellæ, vel radicum conſolidæ maioris, quo nihil eſt præſtantius; uel tormentillæ; & ſi haberetis ſuccum, qui concreſcit in folliculis illis, quos aliquãdo uidiſtis in ramis ulmorũ Maio menſe, ex quo ſucco poſtea gignuntur multæ muſcæ paruæ; vtamini ipſo, & mirabiliter glutinat: Affuſo aliquo iſtorum conſuetis: Facta conſutione, madefacietis ſuturam ſtatim aliquo, quod habeat vim glutinandi: ſi aliud non adeſſet, cum albo oui, mox inſpergatis puluerem hunc.

Dè filo.

Rec. Aloes, Sarcocollæ, Thuris, Maſticis, Sanguinis Draconis in lachryma æquas portiones.

Inſperſo hoc puluere ſupra ſuturam, tentabitis reponere inteſtinum in propriam ſedem. Verum ſæpe accidit, ut reponi nequeat, quia de inteſtinorum natura eſt, ut, ſi breuiſſimo etiam tempore ſteterint extra locum proprium, refrigerentur, etiam ſi eſſet æſtas, & refrigerata prætermodum intumeſcunt: & tunc opus eſt tentare flatus diſcuſſionem, ut detumeſcant. Vnde ſolent medici fouere inteſtina tumida cum panno laneo, uel ſpongia madida aqua calidiſſima: & aliquando hoc modo detumeſcunt, diſcuſſo uapore illo, aliquando fouent cum uino auſtero calido: Quod ſi res non ſuccedit, Recentiores, ut Ioannes de Vigo, ſolent fouere cum hoc decocto.

Rec. Chamomeli
Meliloti
Abſynthij
Rolarum
Matricariæ
Semin. Anethi } an. P. j.

Semin. { Cumini
Coriandrorum
Aniſorum } an. ℥ s

Mellis ℥ iij.
Vini nigri dulcis. q. s.

Fiat decoctio, qua imbuatur pannus laneus, uel ſpongia, & foueatur inteſtinum tumidum. Ego ſoleo uti uino nigro auſtero, in quo ſint decocta folia lauri, & abſynthij, & uidi diſcuſſos optimè flatus: habet præterea uim roborandi. Cum inteſtinum detumuerit repono ipſum.

Sed accidit aliquando, ut nullo remedio poſſit flatus diſcuti, & tunc opus eſt uulnus dilatare,

tare, vt dicunt omnes; & Paulus dicit, quòd dilatandum eſt ſyringotomo recto, ideſt, raſorio illo, quo vtimur ad ſecandas fiſtulas, & præcipue ani, & eſt gladiolus recuruus, qui habet in ſummo veluti tuberculum, quo fit, vt nequeat perforare, & haber aciem in latere conuexo, in altero autem eſt obtuſus, & ita ex vna parte ſecabit vulnus, dilatabitque, ex altera contanget inteſtinum in ſummo, & non poterit ſecare, quia tangit inteſtinum ea parte, qua eſt obtuſus. Sed debet etiam gladiolus iſte eſſe anguſtus. Et quamuis omnes dicunt, quòd vulnus in hoc caſu eſt dilatandum (nam & Galenus dicit dilatandum eſſe cum ſyringotomo, & non meminit, an ſyringotomon debeat eſſe rectum, vt facit Paulus, vel alterius figuræ) licet, inquam, omnes dicant, vulnus eſſe dilatandum; tamen nullus eſt, qui dicat, an debeamus dilatare vulnus per longum, an per tranſuerſum.

Dico itaque ego, quòd ſi vulnus ſit in parte abdominis, vbi ſunt muſculi recti, debemus dilatare vulnus per longum ſecundum ductum muſculorum, ſiue aſcendat, ſiue deſcendat gladiolus. Et licet ex hac ſectione ſequatur, vt ſecentur per tranſuerſum chordæ muſculorum tranſuerſalium, & obliquorum, quæ chordæ ſubiectæ ſunt; tamen ſunt ita adnexæ muſculis rectis ope etiam annulorum illorum, quod coaleſcent, & glutinabuntur ſimul cum rectis muſculis.

Si autem vulnus erit non per longum in muſculis rectis, ſed per tranſuerſum, ampliate vulnus per tranſuerſum, quia chordæ rectorum muſculorum, etiam ſi ſecabuntur per tranſuerſum, tamen, ob connexionem, quam habent cum ſubiectis muſculis, glutinabuntur ſimul cum illis, & nullum ſequetur incommodum. Si autem vulnus erit circa latera, dilates, quomodocumque volueris, ſemper lædes muſculos vel rectos, vel tranſuerſales, vel obliquos: & ideo nihil refert, quomodo dilates, & ſeces, quia neceſſe eſt, vt ſequatur aliquod incommodum.

Facta dilatatione, reponendum eſt inteſtinum, & conſuendum abdomen ea arte, qua docuimus: Facta ſutura, imponendum eſt aliquod, quod habeat vim conſolidandi, & aliquod exhibendum per os, ſi videlicet vulneratum erit aliquod inteſtinum ex tenuibus; ſi verò ex craſſioribus, iniiciendum eſt per clyſtere: Suturæ igitur imponetis barbarum; per os autem exhibebitis diaſpermaton. Sed duo reperio eſſe omnium præſtantiſſima, & vnum eſt rhabarbarum; alterum autem eſt aloes lota. hæc optimè conſolidant inteſtina, ſi qua alia. Sed notate, ꝙ aloes non debet eſſe bis, vel ter lota, ſed ſepties, & donec amiſerit omnem vim purgandi: Rhabarbarum porrò debet redigi in puluerem ſatis tenuem; deinde coquendus eſt puluis ille, & abiicienda coctura, deinde exprimendus eſt puluis, & ſubſtantia illa, & abiiciendum id aquæ, quod egreditur; & exhibenda eſt ſubſtantia illa pulueris quæ remanet. Clyſteria autem non debent eſſe ex oleo, ſed ex conſolida, piloſella, bolo Armeno, bolo Orientali, tormentilla: poteritis etiam iniicere aloem optimè lotam, vel maceratam aliquo ſucco, ne proritet.

Præterea, vt reſpiciatis ad quintum caput propoſitum à Galeno debetis inungere cum oleo maſticino, & roſaceo ſimul mixtis totum dorſum, totum abdomen, & totum denique truncum, & applicare lanam, vel ſpongiam his eiſdem locis imbutam vnguinibus.

Perforato abdomine, vulneratur aliquando ventriculus, nec ſemper vno, eodemque modo, ſed aliquando in ſuperficie tantum, ita, vt vna tantum, vel altera eius tunica ſit vulnerata, interna illæſa manente; aliquando omnes tres tunicæ ſunt vulneratæ, & vulnus penetrat vſque in intimam ventriculi cauitatem. *De ventriculi vulnere.*

Si itaque vna, vel altera tantum tunica ſit vulnerata, & non penetret vulnus in cauitatem, curatio quidem difficilima eſt, non tamen deſperata; ſi autem penetret in cauitatem, eſt de illis vulneribus, quibus vt plurimum ſuccedit mors. *Præſagia.* Sed notate, quòd ventriculus aliquando vulneratur circa ſundum; aliquando circa os, quod ſtomachus dicitur: Si circa ſundum, cum pars illa ſit magis carnoſa, & non ita neruoſa, debetis, inquit Galenus, ſuſcipere curationem maiori cum fiducia: nam ſupereſt ſpes aliqua ſanitatis, quoniam faciliùs in ea parte gignitur caro: Secundò, quia in ea parte diu morantur medicamenta: nam medicamenta, quæ per os aſſumuntur, ſtatim deueniunt in fundum ventriculi: Quòd ſi vulnus ſit circa os ſuperius ventriculi, & ſint perforatæ omnes tunicæ, tunc non ita audaces debetis accedere, inquit Galenus, ad curationem: rariſſimi enim ſunt, qui ab huiuſmodi vulneribus ſanentur, quoniam medicamenta non poſſunt in loco affecto manere, ſed præterlabendo tantùm agunt, & minima quidem fit actio: Secundò, quia tantus eſt ſenſus in ea parte ob ſubſtantiam ſuam neruoſam, & ob multos neruos, qui illuc deueniunt, vt vix perferat punctionem minimam, & facilè inflammatur. hæc igitur ſunt, quæ prius erant obſeruanda.

Eſto igitur quòd vulneratus ſit ventriculus circa ſundum, & vulnus non penetret in ſui cauitatem, quid agendum? Dico, quod ſtatim, firmato ſanguine, debetis conſuere vulnus abdominis, quemadmodum etiam eſſet faciendum, ſi vulnerata eſſet tantum *Si nõ penetret in eius cauitatem.*

ſuperficies, & externa tunica inteſtinorum, ita, vt vulnus non penetraret in cauitatem inteſtini. quoniam natura, fouente calore naturali partem illam vulneratam ventriculi, vel inteſtini, replebit vulnus carne, & conſolidabit. Igitur ſtatim, firmato ſanguine, conſuatis, non dico vulnus ventriculi, ſed abdominis, quia natura explebit carne vulnus ventriculi.

Conſuẽdũ vulnus non ventriculi, ſed abdominis.

Si penetret

Si autem vulnus penetret in cauitatem ventriculi, quod cognoſcetis ex exitu illorum, quæ aſſumentur per os, tunc Magiſtri artis dicunt, obſeruandum eſſe, an id, quod egreditur per vulnus, ſit multum, an paucum, ſi paucum, dicunt, quòd debemus conſuere ſtatim vulnus abodminis, & exhibere poſtea per os medicamenta opportuna: quod ſi copioſum ſit, tunc dicunt vulnus abdominis non eſſe conſuendum, ſed relinquendum apertum, alioqui cibus, & potus egrediens colligeretur in cauitate abdominis, & non poſſet à natura expelli per inguina.

Sed quæreret aliquis, an, ſi ventriculus foras prolaberetur ita, vt poſſemus manus apponere, deberemus conſuere vulnus ipſius?

Dubitatio de ſutura, & eius ſolutio.

Dico, quòd ſic, & non eſt dubium; ſed raro accidit, vt poſſimus manus apponere; In ore autem ventriculi nunquam, quia eſt in loco ita recondito, vt ſi in anatome velimus cernere ipſum, neceſſe ſit frangere coſtas mendoſas, & omnes illas partes ſuperpoſitas ſecare. Ventriculus autem poſſet ita prominere, vt poſſet adiungi ſutura, ſed ego nunquam conſui, quia non eſt data occaſio: habui quidèm vulnera ventriculi; ſed non potui vnquam in aliquo manus apponere.

Eſto itaque, quòd vulneratus ſit ventriculus circa fundum, & exeat per vulnus copioſa materia, non debetis abdominis vulnus conſuere, ſed tentare conſolidationem vulneris ventriculi cum ijs, quæ per os aſſumuntur, & cum ijs, quæ in vulnus inijciuntur: Inter ea autem, quæ per os ſunt exhibenda, primum locum tenet diaſpermaton ſuprà deſcriptum ex ſententia Nicolai: nam præterquam, quòd conſolidat vnitque, mitigat etiam dolorem ratione opij, quæ mitigatio maximè hic requiritur, quia etiam ſi vulnus ſit in fundo, tamen ſolet adeſſe maximus dolor. Exhibeatis igitur diaſpermaton, ſed diſſolutum cum aliquo, quod habet etiam vim conſolidandi, cuiuſmodi eſſet decoctum ex conſolida maiori, piloſella, betonica, roſis, pentaphyllo, myrtillis, addendo thus, & maſtichem: facto igitur ex his decocto diſſoluetis medicamentum, & exhibebitis mane, & veſperi, & ter etiam in die, ſi opus fuerit, duabus, aut tribus horis antè cibum; & nocte etiam, ſi oportebit, exhibeatur: debet enim æger parum cibari, vt infra dicam.

Diaſpermaton.

Per vulnus quoque debet aliquid inijci, deinde ſuperimponenda ſunt linamenta madida eodem decocto quod inijcitur. Sed animaduertendum eſt, ne linamenta contangant ventriculum, quia proritarent ipſum: medicamentum autem inijciendum eſt hoc:

Medicamentũ inijciendũ per vulnus.

Rec. olei { maſticini, abietini, terebynthinæ Cypriæ } an. ℥ j.
mannæ thuris ʒ iij.
Florum Hypericonis
Radicum { Tormentillæ, Conſol. maior.
Foliorum { Piloſellæ, Equiſeti virid., Plantaginis } d. M. s.
Vermium terreſtrium lotorum in vino ℥ ij.
croci ʒ s.
Vini nigri auſteri. q. s.

Miſcentur hæc, & coquuntur ad ignem ad conſumptionem vini, deinde colantur, & ſeruatur colatura: ex qua portio aliqua repida affunditur in vulnus, cui poſtea ſuperimponuntur linamenta madida eodem decocto; deinde circum circa imponitur linteum oblinitum diapalma diſſoluto oleo roſacco, uel oblinitum linimento ſimplici, uel alio conſimili.

Cibi ſint molles, ac facilis cõcoctionis, & omnia coquuntur in decocto ſumach, uel ſummitatum rubi, uel conſolidæ, uel in aqua chalybeata, uel in decocto pimpinellę, qua nihil eſt præſtantius, & præcipuè in uulneribus uentriculi. Vnde Recentiores quidam dicunt, ſe ſanaſſe uulnera aliquot uentriculi ſolo uſu pimpinellæ, iniecto eius ſucco, infuſa in aqua potabili, & varijs modis adminiſtrata: & ego quoque multum pimpinellę fido Inungatis poſtea, atque imbuatis totũ abdomen, dorſum, & inguina oleo maſticino, & roſacco ſimul mixtis.

Vulneratur

Digitized by Google

Hepatis, et lienis vulnerati curatio.

Vulneratur & hepar aliquando in aliqua fibra, omitto, quòd vulneretur vas aliquod magnum in ipſo, quoniam tunc neceſſariò ſequitur mors. Vulneratur ergo aliquando fibra hepatis (idem de liene dico) & egrediatur magna copia ſanguinis, aut ichoris: quid igitur in tali vulnere eſt agendum?

Dico quòd primò, hoc eſt, in primo die vel ſecundo, vel tertio (non enim ſemper primo die aduocati eritis) infundendum, inijciendumve eſt aliquid, quod cohibeat fluxum ſanguinis, vel ichoris illius, vt capiatis ſuccum equiſeti, ideſt hypuridis, ſuccum pentaphylli, pimpinellæ, polygoni, & plantaginis æquis portionibus; & his ſuccis addatis mannam thuris; & hoc medicamentum inijciatis bis, & ter in die, ſi opus fuerit, cum clyſtere: Cum videritis, quòd firmatus eſt fluxus ichoris, ſeu ſanguinis illius, non expectetis generationem carnis in vulnere hepatis, vel lienis; ſed ſtatim conſuatis totum vulnus abdominis; antea tamen ſcarificate labra vulneris, vt fiat vulnus veluti recens, & relinquatis negocium naturæ: nam in iſtis caſibus mortalibus plus agit ipſa, quàm medicamenta: Vos autem non ceſſabitis exhibere per os aliquod remedium, quod habeat vim glutinandi, vt diaſpermaton, quod certè optimum eſt: Cibi etiam coquantur in decoctis ſupradictis: nam multum faciunt ad agglutinandum vulnus lienis, & hepatis; & ſi quod eſt, quod id præſtet, illud vnum eſt chalybs; & ideo aqua chalybeata eſt præſtantiſſima.

Renũ vulnera, quomodo curanda.

Si vulnerati ſint renes, & vrina non egrediatur, primò infundatis illud, quod infundebamus in vulnera ventriculi. nam mitigat dolorem, conſolidat, habetque vim aliquam detergendi; poſtea conſuatur vulnus, & imponatur aliquod medicamentum agglutinans. At ſi vrina exeat, infundendum eſt aliquid ex ijs, quæ dicta ſunt, & vtendum eſt ea curatione, qua vtebamur in vulnere ventriculi penetrante: Per os autem exhibebitis diaſpermaton, nam optimum eſt, ſi quod aliud: ſed quemadmodum in vulnere ventriculi, lienis & hepatis, diſſoluebamus medicamenta cum aliquo, quod ſpiſſet, & agglutinet; ita in vulneribus renum, & veſicæ diſſoluendum eſt medicamentum cum aliquo diuretico, ex ijs tamen diureticis, quæ non relaxent, inter quæ bonum eſt polytricum, capillus veneris, liquiritia, cetrach (nam & ipſum deducit ad renes, ſiccat, & aſtringit aliqualiter, & ideo optimum eſt) placet & ſemen papaueris albi (nam & ipſum eſt diureticum) ſemina etiam portulacæ, ſemina etiam melonum; verùm non ita mihi placent, quia relaxant. His igitur, & ſimilibus poteritis vti; ſed caueatis à diureticis illis validiſſimis.

Cetrach.

Veſica vulnera, quomodo curanda.

Si veſica ſit vulnerata in ſua ſubſtantia, & vulnus non penetret in ſuam cauitatem, conſuatis vulnus; ſi autem penetret vulnus, mortale eſt, tamen vtamini hac curatione. Relinquatis vulnus apertum, & vtamini eodem medicamento, quo vtebamur in vulnere ventriculi, & renum. Recentiores monent, vt ad conſolidandam citò veſicam inijciamus quotidie per penem aliquod, quod habeat vim conſolidandi cuiuſmodi eſt hoc, aiunt,

Medicamentũ conſolidans.

Rec. aquæ { roſaceæ, plantaginis, caudæ equinæ, myrti } an. lib. I
ſeminum ſumach, myrtillorum, balauſtiorum, mirabolanorum citrinorum } an. ℥ ij.
radicum { liquiritiæ, conſol. maior. } an. ℥ s
Rhabarbari prius macerati, & expreſſi, de quo heri diximus ℥ j.
cimarum { rubi, oleę }, pimpinellæ, tormentillæ } an. m. s
Centaurij maioris quod rhaponticum dicitur in Officinis, thuris } ℥ I. s
boli Orientalis
ſacchari candidi ℥ ij.

Miſcentur, coquunturque ſecundum artem, deinde colantur, & exprimuntur; & liquor qui exprimitur inijcitur in veſicam. quòd ſi videatur nimis acerbum medicamentũ, miſceatis ſecum vnam partem ſeri chalybeati. i. in quo quinquies aut ſepties extinctus ſit chalybs.

Obiectio.

Per os autem exhibeatis diaſpermaton cum aliquo ex dictis diureticis. Sed dices: diureti-

Google

ea non videntur conuenire, quoniam ducunt à toto corpore excrementa, & ſerum ad veſicam. Dico, quòd non poſſumus facere, vt medicamentum deducatur ad locum affectum ſine aliquo diuretico; & ideo non eſt curandum de deductione excrementorum, dummodo medicamentum agglutinans petat locum affectum: addatis quòd diaſpermaton adſtringit, ac vias anguſtas poſt ſe relinquit; & ideo non patet exitus fluxioni. Eadem ratione vtimur diaſpermato felici cum ſucceſſu in Colo.

Solutio.

Victus ratio pro vulneribus abdominis, et cuacuatio.

Aer in omnibus his vulneribus debet eſſe potius calidus; & ſi æſtas ſit, mediocris. Cibus & potus refrigerans, boni ſucci, & facilis concoctionis: ſomnus eſt bonus: vigilia non multum bona: quies ſemper bona. Sectio venæ, niſi vulneratum ſit vas aliquod magnum in hepate, ſemper fiat in brachio dextro, vel ſiniſtro, & ſecetur baſilica. In vulneribus inteſtinorum fugiatis ſemper lenientia relaxantia, purgantia medicamenta, & in eiſdem vulneribus, ſcilicet inteſtinorum, exhibeatis cibos, qui parum fecis generent: & ideo ſemper laudaui, laudaboque ſuccum ex capis, & pullis grandioribus; non autem ex mucilagineis iſtis, quos nos hoc tempore comedere ſolemus, vel ex carne vitulina, qui ſuccus hoc modo fit: Capiatis carnem, & coquatis in aqua chalybeata ſine ſale; deinde ponatis carnem in torculari, & extrahatis ſuccum; vel faciatis panarellam in mortario optimè, & diu agitando, ducendoque. In Hetruria ſolet fieri ſuccus quidam, qui vocatur ab ipſis ſtillato, qui in hoc caſu mihi ſummopere placet: ſolet autem duobus modis fieri: Vnus eſt talis: capiunt carnem, ponuntque in phiala vitrea, & phialam collocant in æneo vaſe aqua repleto, cui ſubiectus eſt ignis: vnde fit, vt incaleſcat aqua illa, quæ dum communicat calorem phialæ, & carni, eliquatur caro, & fit ſuccus quidam, qui eſt exhibendus. Alter modus eſt: Secant minutim carnem, & addunt pimpinellam, endiuiam, & medullam panis, ponuntque omnia in elambich vitreo, vel teſtaceo, dummodo ſit uitro obducto, & igne educunt liquorem, qui optimus eſt. laudo etiam aquam ſtillatam ex teſtudinibus. & ex cochleis: nam habet uiſciditatem quandam, & glutinat, generatque alimentum tenax, & non generat ſtercus: placent etiam uitella ouorum; ſed ſemper fugiantur, quæ multum ſtercoris gignunt. De clyſteribus autem dico. quòd ſi uulnus ſit in renibus. uel ueſica, conueniunt, quia retrahunt quodammodo à loco affecto, in uulneribus autem inteſtinorum fugiatis clyſteres. Præterea in uulneribus renum, & ueſicæ fugienda ſunt omnia aquoſa, quia abundantia lotij obeſt; in uulneribus autem aliorum uiſcerum, & inteſtinorum conueniunt ſucci ſtillatitij.

Succus ex capis, et carne vitulina

Stillato.

Aqua testudinum, et cochlearum, &c.

De clyſteribus.

De vulneribus neruorum, ac neruoſarum partium. Cap. XXX.

Symptomata conſequẽtia iſta vulnera. Cauſa quatuor difficultatis in eorum curatione.

NErui, atque neruoſæ partes vulnerantur, difficilèque curantur, & grauiſſimas moleſtias inferunt, ita, vt viderim ego tot factos mancos ex huiuſmodi vulneribus, vt numerum repetere nequeam; & ſi incidant ad manus ineptorum chirurgorum, raró fit, vt non ſuccedant inflammationes, & dolores vehementiſſimi, abſceſſuſque, & tandem fiunt manci miſeri ægri, vt neceſſe ſit artum ſecare, amputareque interdum. Sunt autem difficilima vulnera hæc: Primò, quia nerui, & neruoſæ partes ſunt tanto ſenſu, & tam acuto præditæ, vt faciant intolerabiles dolores, quos ſequitur inflammatio, & inflammationem abſceſſus, & abſceſſum refrigeratio, & corruptio aliquando artus: Secundò, quia facilè conuelluntur, retrahuntque ſeſe ad proprium principium; conuulſionem autem ſpaſmumve quàm facilè aliquando ſequatur mors, nemo veſtrum eſt, qui ignoret: Tertiò, quia nerui, & neruoſæ partes habent maximum conſenſum cum cerebro, cum inde ducant ortum: & inde imminet periculum mortis: Quartò quia conſtant ſubſtantia frigida, & ſicca, quæ difficilè alteratur, & caleſit, & difficilè etiam concoquit, gignitque carnem pro explendo vulnere, & difficilè etiam agglutinatur. Hæc ſunt, quæ difficilima reddunt neruorum, ac neruoſarum partium vulnera. Ad quorum curationem antequam deueniatis, debetis videre, quodnam genus vulneris ſit: Nam ex ſententia tùm Galeni in ſexto methodi, tùm Auicennæ nerui, & neruoſæ partes non patiuntur vnicum genus vulneris; ſed plura, & vnum eſt Punctura: quæ pũctura duplex eſt; quædam manifeſta, quædam occulta: aliquando enim neruus, & neruoſa pars puncta in conſpectum venit; aliquando nequaquam: Alterum genus eſt ſectio, qua ſecantur nerui, aut per longum, aut per tranſuerſum, quod eſt maximè obſeruandum: quemadmodum etiam, an ex toto fuerit ſectus neruus, an aliqua tantùm ipſius pars, ſiue ſectio ſit per longum, aut per tranſuerſum: Tertium genus eſt, quod appellant contuſionem: quæ contuſio eſt vel ſola, vel coniuncta cum punctura, aut cum ſectione. Et in omnibus his tribus generibus accidit aliquando, vt neruus ſit detectus, aliquando nõn.

Differẽtia.

Igitur

Igitur de his omnibus eſt nobis agendum, ſed primo de punctura; ſecundo de ſectione; vltimò de contuſione.

Cauſæ itaque horum vulnerum ſunt manifeſtæ, ſunt enim inſtrumenta.

Cauſæ, & ſigna.

Signa autem ſunt dolor vehemens: & ita ſi videritis vulneratum eſſe fæmur, & videatis, quòd vulnus penetret in profundum, adſitque dolor ingens; indicatur vobis, quòd neruus, vel neruoſa aliqua pars eſt vulnerata.

Secundum ſignum eſt ablatio, vel læſio ſenſus, & motus omnium partium, quæ ſunt infra vulnus, vt ſi vulnus ſit in neruo fæmoris, & totum crus amiſerit ſenſum, & motum: idem dico de neruis aliarum partium, dummodo ſint magni. locus quoque, in quo eſt vulnus, ducet vos in cognitionem an vulneratus ſit neruus aliquis: & hic oportet vos eſſe exercitatos in anatome: quia ita ſciueritis, per quam partem percurrant nerui, & per quam non.

Quartò addatis febres cum rigoribus magnis: nam vulneratis neruis, vel partibus neruoſis, & non patente vulnere, poteritis etiam inde venire in notitiam vulneris talium partium, quia inuadunt febres rigoroſæ: quæ febres aliquando remittunt, aliquando repetunt; ſed dum adſunt, ſemper habent rigorem coniunctum. Succedunt & deliria, præcipuè ſi vulneratus ſit neruus aliquis magnus. Leuis etiam quædam inflammatio, & delirium ſuccedit, quoniam ducitur in conſenſum cerebrum.

Vltimò ſuccedunt conuulſiones, & hæ ſunt veluti proprium ſignum vulneratorum neruorum; aut neruoſarum partium. His ſignis cognoſcetis an vulneratus ſit neruus, parsvè neruoſa, nec ne.

Prognoſticum.

De prognoſtico autem ſemper imminet periculum læſionis motus, & interceptionis ſenſus articulorum, ſpaſmi, & mortis tandem, præcipuè, ſi neruus punctus ſit mollis, vel craſſus. Et animaduertatis, quod, dum loquor de uulneribus neruorum, intelligo, & loquor de omni genere neruorum: & ut intelligatis, tria ſunt neruorum genera, ſub quorum uno ſunt nerui orientes à cerebro, atque a medulla ſpinali, & hoc genus neruorum eſt illud, quod, ſi uulneratur, efficit grauiſſima illa ſymptomata, ut deliria, conuulſiones, aliaque ſupra dicta, & mortem tandem, ſi uidelicet neruus magnus:

Tria ſunt neruorum genera.

Neruos quoq; uocamus muſculorũ chordas, quæ à muſculis oriũtur, qa partìm cõſtant neruis, partìm ligamento (& hinc eſt, quod non ita propriè nerui dicuntur) & hoc eſt ſecundum genus neruorum, de quo etiam loquimur; & cum uulneratur, efficit grauiſſima ſymptomata; non tamen ita, ut primum illud genus, reddit tamen impeditos articulos, efficit inflammationes, & ſpaſmos, & mortem etiam; ſed non ita facile, nec tam citò hæc facit, ut ſolet primum illud genus.

Tertium genus eſt, quo iunguntur articuli inter ſe, & ligamentum uocatur, oriturque ab oſſe, & deſinit in os; ſed non eſt uerè neruus. Tria igitur ſunt neruorum genera, de quorum uulneribus agendum eſt. Quamuis autem omnes iſti nerui ſub his tribus generibus contenti frigidi, & ſicci natura ſint; tamen curatio in ipſis uariat ſecundum magis, ac minus: quoniam ligamenta requirunt ſicciſſima medicamenta, etiam ſi eſſent ſicca in quarto gradu, dummodo non exurant, & ſi acria ſint, nihil refert, quoniam ſenſu prorſus carent; ſed nerui uoluntarij, qui ex cerebro, & medulla ſpinali oriuntur, requirunt quidem medicamenta ſicciſſima; non tamen ita ſicca, & nulla acredine debent eſſe prædita: medio autem modo ſe habent chordæ, quæ & tendones uocantur: quia habent ſenſum, ſed non magnum; & ideo requirunt medicamenta non admodum ſicca, & tolerant medicamenta non ualde acria. Hæc erant ſupponenda.

Omnia requirunt diuerſa medicamẽta ob varietatẽ ſenſus.

Puncti nerui curatio.

Iam videamus, quo modo ſint curanda vulnera neruorum, & primò punctura, de qua agit Paulus in 4. lib. c. 54. & Aetius in 14. lib. ca. 27. & Gal. in 6. meth. qui proponit, vt primò in oĩ punctione neruorum, vel neruoſarum partiũ euacuemus corpus, qualiſcumq; fuerit neruus punctus, vacuemus, dico, primò ſectione venæ in oppoſita parte, & vult, vt educatur tantum ſanguinis, quantum vires tolerant, & aliæ conditiones requiſitæ. Ratio autem, qua ſit ſecanda vena ſtatim in principio (lenita tamen prius aluo cum iniecto clyſtere) eſt, quia nerui facilè inflammantur, quoniam ob dolorem ſanguis confluit ad ipſos. Secta vena, vult etiam, vt euacuemus pharmaco: in qua re mihi placet rhabarbarum, nec non diaphenicon in principio: placet & electuarium de ſucco roſarum. Itaque primo inijcietis clyſterem; deinde ſecabitis venam; poſtea exhibebitis aliquod, quod vim habeat educendi bilem. Victus ratio ſit tenuis, bonique ſucci; fugiat acria omnia; vinum interdicatur ſtatim à principio; bibat aquam coctam cum ſemine fœniculi, vel cinnamomo: Inſtituatis aliquos ſyrupos, vt ſyrupum de betonica, roſaceum recentem, de hyſſopo, de ſtæchade, decocta ſint betonicæ, ſtæchadis, & ſimilium, quæ roborent neruos, & calefaciendi vim habeant.

Procuratio totius ad prohibendum inflãmationem.

Conſiderãdas circa loc. affect.

His factis, deueniendum ad locũ affectum, circa quem primò eſt vobis obſeruandũ, an pũctura habeat orificium in cute amplum, an anguſtum, ita, vt nec ſanies, quæ in neruo gene-

rabitur, poſſit egredi, & medicamenta impoſita poſſint uſque ad neruum in profundũ peruenire: ſi fuerit anguſtum, ſecate audacter cutim, & carnem, & dilatetis, ut ſanies illa uenenoſa, & maligna poſſit egredi, & medicamenta penetrare uſque ad centrum; alioqui fieret inflammatio, & moreretur æger: at ſi uulnus ſit ita latum, ut ſanies poſſit liberè egredi, ſat erit, vt conſeruetur in ea latitudine.

Cæterum ſciatis, quòd raro uocantur medici in principio puncturæ, ſed tunc duntaxat, quando accidit dolor uehemens: nam ſeminę iſtę, & ſi aliquando perforent ſibi digitos acu, contemnunt, ita & mechanici, & ruſtici, quando nudis pedibus incedunt per montes, & nemora, & ſæpe ſpina aliqua infigitur pedibus, & pungit neruos, & chordas illas ſub pedibus, & nunquam conſulunt medicos, niſi quando dolor conuulſiuus accedit. Quando igitur aduocabimini ad uehementiſſimum dolorem ex punctura nerui, uel neruoſæ alicuius partis, debetis ſouere ſtatim locum aliquo calefaciente, ut remittatur dolor. Porrò licet aqua tepida remittat dolorem; tamen Galenus loco ſupra citato prohibet in hoc caſu fomenta cum aqua facta, quia quamuis aqua faciat ad dolorem ſedandum, & ad relaxandum; tamen cum ſubſtantia ſit frigida, ac talis ſit ſubſtantia neruorum, hac ratione inimica illi eſt. Vnde nec fomentum ex aqua, & oleo ſimul mixtis conueniet, propter aquam. Eapropter deueniendum eſt, ex Galeni præcepto, ad oleum copioſum, & valdè calidum, in quod æger debet immergere partem dolentem: & dixi (valde calidum) quoniam pars dolens ex tali punctione eſt vſque adeò ob dolorem vehementem ſtupida reddita, vt toleret per integram horam, & plus etiam oleum ita calidum, vt ſit mirum. Sed diceret aliquis: Hippocrates in libro de vulneribus damnat in omnibus vulneribus, maximè neruorum, humectantia, & præcipuè oleum: quomodo ergo conuenit oleum in puncturis neruorum? Dico, quòd curatio hæc cũ oleo eſt coacta: neque enim Galenus vtitur oleo, vt medeatur vulneri; ſed vt mitiget dolorem, & extrahat malignum illum vaporem, ichoremque tenuem, qui eſt in cauſa doloris. Verùm nec omne oleum eſt in hoc caſu bonum: neque enim omphacinum, ideſt, quod fit ex oliuis immaturis, conuenit, quoniam aſtringit; hic autem egemus relaxatione, & apertione: & ideo nec oleum nouum eſt opportunum, quia non penetrat, debet enim eſſe tenuiſſimum, purumque, bimum, aut trimum. Itaque Galenus vtebatur oleo ſabino duorum, aut trium annorum, quod erat maturum, & valdè purum, quod oleum etiam nunc reperitur Romæ, & tanta eſt eius puritas, vt in ipſo diu conſeruent pullos gallinaceos, perdices, carnes ſuillas, & ſimiles, & ſunt præſtantiſſimæ: nec oleum nouum eſt bonum, ut dixi, quia habet partes craſſas, quibus obſtrueret poros cutis, & non ſineret vapores illos malignos exhalare. Debet itaque oleum eſſe maturum, vetuſtum, & tenuiſſimarum partium. Quod ſi tale oleum non haberetis, conficiatis vos ipſum, coquendo illud, quod habetis, recens, craſſum, ad conſumptionem quartæ, vel quintæ partis; vel admiſceatis parum ſambuci, vel oleum de ſambuco, vel oleum hypericonis, vel liliorum alborum: hæc enim cum tenuia ſint, reddent illud quoque tenue, & aptum ad mitigandum dolorem. Immergat itaque æger partem affectam in oleum mane, & veſperi, & tunc, cum repetit dolor: & quia ſolet veſpertina pręcipuè hora repetere; ideo, antequam repetat, immergat membrum in oleum.

In mitigandi dolore aqua fugiẽda.

Vſus olei num probatur.

Laudatur oleum maturum, antiquum, tenue, vt Sabinum.

Sedato dolore, imponendum eſt aliquid loco affecto, quod quale eſſe debeat, facile cognoſcetis, ſi obſeruaueritis ſubſtantiam affectæ partis. Primò itaque ſubſtantia partis eſt neruoſa, & ſicca; ideo indicatur medicamenta imponenda debere eſſe prædita facultate ſiccandi: Secundò neruus eſt acerrimi ſenſus; ideo debent eſſe ſpoliata omni mordicatione (alioqui repeteret dolor) & præcipuè non debent habere mordacitatem, quia vſi ſumus oleo, quod nihil omnino mordicat: Tertiò neruus eſt ſubſtantia pura, & in loco profundo ſitus; & hinc indicatur medicamenta non debere eſſe aſtringentia, ſed maximè tenuium partium vt poſſint vſque in profundum peruenire: Quartò, quia in profundis illis partibus puncti nerui ſolet gigni quidam ichor tenuis, & malignus, qui eſt in cauſa doloris vehementiſſimi, idcirco medicamenta debent habere facultatem attrahendi à profundo ad ſuperficiem.

Dolore lenito, ſumũtur indicationes a parte affecta.

Debent igitur medicamenta neruis punctis imponenda habere vim calefaciendi, ſiccandi, ſpoliata eſſe omni acredine, eſſe tenuium partium, & habere vim trahendi à profundo ad ſuperficiem. Tales autem vires omnes inter ſimplicia habent hæc: Reſina terebinthina, quę terebinthus Cyprius in officinis vocatur, optima eſt in mollioribus corporibus: Secũdũ eſt terebinthina cõmunis, quæ in officinis appellatur reſina laricina, hæc præſtantiſſima eſt in mediocribus & in mollioribus etiam. Tertium eſt reſina abietina, quæ in officinis nuncupatur oleum abietinum, & optima eſt: Addatis oleum factum per elambich ex reſina abietina, oleum de terebinthina etiam vocatum: Addatis naphtham Mutinenſem, quæ vulgo appellatur oleum montis Zibbi, & pretioſum eſt medicamentum, trahit maximè ab alio, eſt tenuium partium ita, vt abeat in fumum, ſicut aqua illa ardens, habet & vim ſiccandi aliquam. Hæc ſunt ſimplicia medicamenta, quibus vti poteritis in mollioribus corporibus, & optima ſunt, habentque omnes illas vires, quas diximus requiri.

Qualitates medicamẽtorũ neruis apponẽdorum.

Oleũ Montis Zibbi.

Simplicia robuſta.

Pro durioribus autem habetis Sagapenum: Opopanacem: eſt & Laſer Cyrenaicum: quod ſi non habeatur, vtamini eius loco Laſere medico, & eſt aſa fœtida. Addatis Sulphur ignem non expertum; Calcem optimè ablutam: vltimò Euphorbium, quod omnium eſt præſtantiſſimum, & nihil aliud mali habet, niſi, quod aliqualiter mordicat; ſed ſi miſcebitis cum alijs, amittet prorſus mordacitatem, & ego vtor libentius Euphorbio quocumque alio, etiam ſi poſſem alia habere, ſiue habeam Euphorbium recens, ſiue vetuſtum. Sed animaduertatis, quòd magni ſcire refert ſcire, an ſit recens, an vetuſtum: nam quando eſt vetuſtum, oportet ipſum accipere in duplicata quantitate reſpectu recentis: nam recens calefacit in quarto gradu: Notæ autem, quibus dignoſcetis vetuſtum à recenti, ſunt, quòd inueteratum eſt coloris pallidi, vel lutei, vel nigri, ſi videlicet magis vetuſtum fuerit: nam ob vetuſtatem tandem contrahit colorem nigrum, & fit friabile. vnde notate errorem ſeplaſiariorum; qui quando emunt Euphorbium, eligunt coloris lutei putantes illud eſſe recens, & decipiuntur, quoniam recens eſt coloris ſub albidi, vt reſinæ.

Euphorbij lauſ, veteruſq; & recẽtis diſtinctio.

Compoſita

Hæc igitur ſunt ſimplicia medicamenta, ex quibus vna cum Galeno poteritis varia componere, & primo iſtud hoc modo.

Rec. ſagapeni }
opopanacis } an. ʒ j.
Terebinthinæ ℥ j.
olei ueteris, uel decocti, ſi illud deſit ʒ ij.

Miſce, & calefactum ad ignem infundatur in puncturam. Aut capiatis unam drachmam aſæ fœtidæ loco cyrenaicæ, qua caremus, & ceræ, & olei an. q. ſ. & faciatis medicamentum molle, & infundatis. Vel faciatis hoc modo.

Rec. ſulphuris viui ℥ j.
olei antiqui q. ſ.

Miſce, & tere in mortario optimè, donec acquirat mellis conſiſtentiam, ſi videlicet volueritis pro durioribus corporibus; ſi autem pro mollioribus, medicamentum debet eſſe magis fluidum. Vel faciatis aliud hoc modo. Accipiatis calcem viuam ablutam optimè aqua marina, vel communi ſub ſole ardentiſſimo, & ſeruetis, & tempore vſus accipiatis parum huius calcis, & affundatis tantum olei antiqui, vel decocti, quantum ſat eſt pro reddenda calce molli, & fluida: & hoc medicamentum infundatis in neruum, vel neruoſam partem punctam. Recentiores, vt Ioannes de Vigo, ſolent pro puncturis neruorum facere oleum quoddam, qnod vocant oleum hypericonis compoſitum magiſtrale, & vocant hoc modo ad differentiam alterius olei hypericonis, ſeu perforatæ, quod non eſt compoſitum, & vocatur oleum rubeum in officinis. Conficitur autem oleum hypericonis compoſitum ab ipſis hoc modo.

Oleum hypericonis compoſitũ, ſeu magiſtrale.

Rec. terebinthinæ claræ ℥ ij.
olei de terebinthina ʒ vj.
olei roſati completi ℥ ij.
Verminum terreſtrium lotorum ℥ j. s.
rubiæ tinctorum ʒ iij.
ſeminum & florum hypericonis m. j.
roris marini }
centaurij maioris } an. m. s.
mille folij }

Miſce, conciſis optimè herbis, & cum ſufficienti quantitate vini albi, tenuis, potentis, & odorati bulliant ad conſumptionem vini; poſtea iterum addantur ſemina, & flores hypericonis; deinde colentur, & in vſu ſeruetur colatura, quæ vocatur oleum hypericonis magiſtrale; & ſeruatur ſub ſole æſtiuo tempore. Et quamuis omnes compoſitiones dictæ ſunt bonæ, tamen longè meliores ſunt, quæ recipiunt Euphorbium.

Locus apponendorũ

Verùm in vſu eorum, quæ fiunt pro puncturis neruorum, debetis diligenter animaduertere, quòd ſunt imponenda ſolum in punctura, vel paruum circa puncturam ſpatium occupent, alioqui attraherentur humores ad puncturam, & fieret inflammatio: ideo ponatis ſolum ſupra puncturam; circum circa verò ponatis illa, quæ prohibeant inflammationem.

Medicamẽtum ex Euphorbio optimum.

Sed ſciatis, quòd inter omnia medicamenta, quæ ſunt imponenda puncturis neruorum, princi-

Digitized by Google

principatum obtinet, vt dixi, Euphorbium, quo ego vſus ſum feliciſſimo cum ſucceſſu, & vtor, & nihil præſtantius, nihil celerius ipſo agit. Soleo autem ipſum componere, & parare eo modo, quo componebat Galenus cum oleo, & cera, non tamen ſemper vno eodemque modo, ſed aliquando miſceo cum oleo, aliquando cum cera, aliquando cum hac, vel illa reſina, vel pice, aliquando cum propoli: & miſceo cum propoli, ſi non habeam ceram; & vtraque deficiente, miſceo cum reſinis; aliquando miſceo cum omnibus ſimul. Primus autem modus, quo Galenus componit medicamentum ex Euphorbio, eſt, quem docet in ſexto meth.cap.ſecundo, & quidem talis:

Rec. Euphorbij ʒ j.
cerae ʒ xij.
Terebinthinæ
Picis an. ʒ vj. Miſce.

At in tertio de compoſitione medic.ſecundum genera docet alios componendi modos, & vnus eſt talis.

Rec. Euphorbij ʒ j.
ceræ ʒ iij.
olei communis ʒ xij. Miſce.

Alius modus eſt huiuſmodi:

Rec. ceræ
colophoniæ } an. lib. j.
olei
Euphorbij ℥ ij. Miſce.

Verùm animaduertatis, quòd ſi corpus robuſtum ſit, ipſe accipit duas vncias Euphorbij; ſi verò tenerum, vnciam tantum cum dimidia.

Rec. ceræ
propolis } an. lib. j.
olei
Euphorbij ℥ ij. Miſce.

Et ita, vt videtis, Galenus componit medicamentum ex Euphorbio aliquando ſub forma tenerrima, vt eſt compoſitio illa, in qua recipiuntur duodecim drachmæ olei, aliquando ſub forma emplaſtri, vt eſt prima compoſitio; aliquando ſub forma mediocri non valde dura, nec valde tenera. Sed animaduertatis, quòd Galenus mandat, vt quando componimus, & coquimus, eliquamuſvè hæc medicamenta, admiſceamus ſemper parum aquæ, ne exurantur. Sed melius valde erit eliquare, miſcere, & componere medicamenta hæc in duplici vaſe hoc modo: Capiatis uas teſtaceum, uel aliud dummodo ſit uitro obductum, & ponatis in ipſum medicamenta; deinde collocate vas iſtud in alterum aqua repletum, cui ſubiectus ſit ignis, & ita calefiet aqua, communicabiturque calor vaſi, in quo ſunt medicamenta, & à tepido illo calore eliquabuntur, abſque quo vllum adſit periculum vſtionis, nec cogemini admiſcere aquam. Hæc igitur medicamenta ponetis ſupra puncturam, donec videritis, quòd incipit egredi ſanies quædam pura, & concocta: ſecundò quando videritis, quòd incipit gigni caro in parte, vbi ſecuiſtis pro dilatanda punctura, & donec videritis, quòd locus ſit ſine inflammatione, & ſine dolore; vel quouſque videritis, quòd incipit gigni cicatrix, & tunc imponetis aliquod, quod habeat vim gignendæ cicatricis. hoc itaque modo curabitis puncturam neruorum.

Curatio ſectis nerui.

At ſi neruus ſecetur vel per longum, vel per tranſuerſum, videndum primò eſt, an neruus ſit detectus, nec ne, vt plurimum tamen accidit, vt cadat ſub ſenſum: Quid itaque in hoc caſu agendum? Dico, quòd primum ſecanda eſt vena, vt in punctura eſt faciendum ſecundò, ſi adſit vehemens dolor, ſouendus eſt locus cum oleo valde calido; ſed ſi dolor non ſit magnus, ſugiatis quantum poteſtis oleum, atque humectantia omnia, ac relaxantia: & raro accidit, vt quando prorſus reſectus eſt neruus, adſit magnus dolor: ideo ſufficiet ſectio venæ, exhibitioque pharmaci: deinde imponenda erunt medicamenta; at non opopanax, nec Euphorbium, nec aliud ſimile, quoniam citò penetrarent vſque ad profundum ipſius nerui, & mordicarent, quod non ſit in punctura, quoniam non poſſunt pene-

trare

trare vſque ad imum nerui. Itaque in ſectione nerui fugienda illa ſunt, quæ diximus conuenire in punctura, quoniam in ſectione nerui egemus ſiccatione ſine mordicatione: & ideo Pompholyx abluta præſtantiſſima eſt: pariter & Calx viua decies abluta ſub ſole caniculari: optima quoque ſunt medicamenta ea, quæ fiunt ex pompholyge, vt medicamentum diapompholygos vocatum, quod deſcribitur ab Aetio, & eſt in officinis paratum: optimum eſt & diachalciteos, quod diapalma etiam vocatur: nam ſiccat, & parum aſtringit, & præcipuè conuenit, ſi abluatur oleo maſticino, vel oleo hypericonis: optimum eſt & vnguentum de Matriſylua: nam ſiccat, concoquit, attrahit, mitigatque dolorem, & nullam habet mordicationem: omnium verò optimum eſt Emplaſtrum de Melle: Sed animaduertatis, quòd Aetius deſcribit vnum emplaſtrum de melle in quinto lib. cap. 127. & conſtat ex melle lithargyrio, cera, & oleo. Deſcribit & aliud idem Aetius in lib. vigeſimoquinto cap vigeſimoquarto, quod recipit.

Medicamēta præſtātiſſima.

Emplaſtrū ex melle Aetij.

lithargyrij
olei } an. lib. ij.
colophoniæ
ceræ
axungiæ veteris } an. ℥ xx.
mellis

Primò accipiuntur axungia, oleum, lithargyrium, & coquuntur; in fine autem coctionis adduntur reliqua, excepto melle, quod non eſt addendum, niſi quando medicamentum aufertur ab igne; deinde manibus emollitur medicamentum, & ſeruatur, & optimum eſt medicamentum. Aliam deſcriptionem emplaſtri de melle habetis apud Nicolaum Myrepſicum, ſectione decima emplaſtro 109. & eſt talis:

Emplaſtrū de melle ex Nicolao.

Rec. lithargirij
ceræ } an. lib. j.
olei
terebinthinæ
mellis Attici } an. ℥ iij.
adipis ſuilli veteris

Miſce. Sed in omnibus his medicamentis notate vnum ex Galeno, & eſt, quòd, quando volueritis vti reſinis, ſiue fuerit terebinthina, ſiue abietina, ſiue laricina, ſemper ſunt abluendæ: vnde ego ſoleo abluere bis, vel ter aqua betonicæ, vt omnis remoueatur acredo: ob eandem cauſam laudo, vt & cera ſit abluta. His itaque vti poteritis in mediocribus corporibus.

In robuſtiſſimis autem, & duriſſimis, vt in ruſticis Galenus dicit ſe aliquando vſum eſſe paſtillis Polyidæ, prius facta euacuatione, quorum paſtillorum deſcriptionem habetis ab Aetio in lib. nono cap 48. Verùm non ſunt paſtilli, de quibus intelligit Galenus: recipiunt enim opium, hyoſcyamum, & alia, quæ neruis obſunt: & ideo, ſi vultis vti paſtillis his, de quibus intelligit Galenus, accipiatis deſcriptionem ex quinto lib. de compoſitione medic. per genera cap. 11. vbi ipſos deſcribit ex mente Aſclepiadis. Aliam quoque deſcriptionem eorundem paſtillorum habetis in eodem 20. lib. cap. 12. ex mente Andromachi, quam deſcriptionem approbat Paulus lib. ſeptimo, & Aetius in lib. 14. cap. 50. & eadem ferè eſt deſcriptio, cum diſcrepet ſolùm quantitate, & aliquot medicamentis; & ideo ſiue illa, quæ habetur in 11. cap. ſiue quæ in 12. vtamini, nihil refert, quoniam idem ferè eſt medicamentum, licet ego probem magis priorem deſcriptionem ex Aſclepiade. Et non modò his, verùm & paſtillis Andronis vtebatur aliquando Galenus; aliquando paſtillis Paſionis, aliquando paſtillis quibuſdam ſuis, quos diachartu vocat, ideſt, ex charta: nam conficiebantur ex papyro combuſta: vtebatur autem paſtillis his diſſolutis in magna copia ſapæ admodum dulcis. Deſcriptionem autem paſtillorum Paſionis habetis à Galeno in quinto de medic. ſecundum genera cap. 14. vbi notate, quòd non vocat ipſos paſtillos Paſionis: ſed medicamentum Paſionis, quamuis à Paulo lib. ſeptimo cap. de Trociſcis appellentur trociſci, vel paſtilli Paſionis, & eodem modo ab Aetio lib. 14. cap. 50. Deſcripti quoq; ſunt à Nicolao Mirepſico in ſectione de paſtillis; ſed eius deſcriptio mihi non placet, quia dimidiam partem deſcriptionis Andronis addit præter rem. Igitur, quando his volueritis vti, accipiatis deſcriptionem Galeni, Aetij & Pauli. Paſtillorum verò Andronis deſcriptionem habetis pariter in quinto lib. de medic. compoſitione per genera ex mente Aſclepiadis, & Andromachi, & apud Paulum in ſeptimo lib. & apud Aetium lib. 14. cap. 50. ſed omnes iſtæ

Paſtillorū deſcriptiones ex veteribus.

deſcri-

Digitized by Google

deſcriptiones variant: ego tamen magis probo eam, quæ traditur à Paulo, quoniam ſatiſfacit omnibus ſcopis propoſitis. Paſtillus autem Galeni, qui diachartu appellatur, habetur deſcriptus in tertio de compoſitione medic. ſecundum loca cap. primo & in quinto de compoſitione medic. per genera cap. 14. deſcribitur etiam à Scribonio Largo compoſitione 238. & à Nicolao Myrepſico ſectione 36. comp. 33. & ſect. 41. multis in locis: & ab Aetio lib. 14. cap. 17. & 50. & ab alijs etiam. Verùm animaduertatis, quòd nos caremus papyro, ſed loco ipſius vti poteritis tipha deſcripta à Dioſcoride, & eſt planta quædam aquatica, & vulgò appellatur pauiera ſeu pauero: eſtque in vſu ad vegetes ſtipandos, quando videlicet aſſeres aperiuntur ſeparanturque ob inuicem; interponunt hanc materiam, vt claudat rimas, ne vinum poſtea, dum veges turget, egrediatur. hac igitur planta loco papyri vtamini: nam credo habere eandem vim.

Pro papyro antiquorũ vtimur tipha.

An metallica conueniãt in neruis.

Sed notate, quòd Galenus vtitur his paſtillis in neruis ſectis, in conciſis, & contuſis; attamen omnes iſti paſtilli recipiunt ſquamam æruginem æris, chalcantum arſenicum, myſi, alumen, chalcitym, ſales, & adſtringentia plurima, & alia multa, quæ ſiccant, & calefaciunt in quarto gradu, ita, vt inducant cruſtam; attamen ſupra fugiebat opopanacem, & euphorbium; & ideo videtur dignus reprehenſione. ſed dices pro Galeno: animaduertas, quòd ipſe dicit hos paſtillos conuenire in robuſtiſſimis, & duris corporibus. Dico ego, quòd hæc defenſio nulla eſt, quia nerui, cum ſunt detecti, ſentiunt ita in mollibus, atque in duris corporibus, & eodem modo in mollibus hominibus, at in ruſticis; & ideo neceſſe eſt (ſi velimus defendere Galenum) vt per robuſta, & dura corpora, exponamus non modò corpus totum; verùm etiam partem affectam, ita, vt intelligamus non de robuſto, ac duro homine ſolum vt ruſticus eſt; ſed etiam de tertio neruorum genere, quod ſenſu caret, & eſt ligamentum: cum enim ſenſu careat, poteſt talia medicamenta ita calida tolerare; Quando autem fugit opopanacem, & euphorbium, intelligit in primo, & in ſecundo neruorum genere, & præcipuè in primo; & ita, ſi hoc modo exponamus, vt puto eſſe exponendum, omnia erunt conſona.

Diſſolutio Paſtillorũ, & reliqua poſt agẽda.

Quando autem vtimini his trochiſcis, diſſoluatis ipſos ſapa, & calidum ſemper actu medicamentum imponatis, quia nihil frigidum eſt neruis applicandum. Et notate, quòd quando aperitis vulnus, debetis neruum detergere à ſanie illa: vnde Galenus capiebat lanam madefaciebatque ſapa, & ipſa detergebat: nos autem loco lanæ vtimur goſſipio madefacto, vel ſapa, vel ſaliua, ideſt ſputo, quod optimum eſt: Dicit autem Galenus, quòd lana non debet eſſe ita dura, vt faciat dolorem. Animaduertatis etiam, quòd nunquam lana, vel goſſipium, quo detergitis ſaniem, debet madere aqua: vnde male faciunt illi, qui curant vulnera neruorum cum aqua frigida, reddunt enim ipſos neruos admodum rigidos. Partes poſtea vulneri circumpoſitæ inungantur oleo roſaceo lumbricato, vel maſticino lumbricato: nam mitigabit dolorem, refrigerabit, prohibebitque inflammationem, & quod dixi de neruo aliqua ex parte reſecto, intelligatis etiam dictum fuiſſe de neruo, qui ſit per tranſuerſum penitus ſectus.

Nerui contuſi curatio

Contunditur etiam neruus, & aliquando ſimul cum ipſo contunditur cutis ſupra poſita; aliquando non; ratò tamen hoc accidit, & ego nunquam vidi cõtuſum neruum, quin eſſet & cutis contuſa; ſed ſiue contuſa ſit, ſiue nõ ſit cutis, excitatur ex cõtuſione dolor, & egreditur per anaſtomoſin ſanguis ex venis: Quando igitur neruus eſt cõtuſus, & non detectus, indicatur ſiccatio partis contuſæ, prohibitio ſanguinis, qui adhuc poſſet egredi ex venis, atq; digeſtio, & diſcuſſio illius, qui egreſſus eſt & ita requiruntur medicamenta ſiccantia, aliqualiter, aſtringentia vaſa ipſa, & digerentia: omnes has facultates debent habere medicamẽta. Iſta autẽ tẽpore Galeni habebantur ferè apud omnes: nam tũc erant in vſu athletici ludi; & ideo ſæpe cõtundebãtur nerui ex diſco illo; eapropter omnes ferè athletici habebant medicamenta familiaria pro contuſionibus neruorum: Conficiebant enim emplaſtra ex farina fabacea, & oxymelle, & optimum eſt medicamentum, quia digerit, attenuatque ſanguinem, qui egreſſus eſt per anaſtomoſin: Sed quando ſanguis ille eſſet craſſus, vtebantur emplaſtro ex vino, farina, & oxymellite, & addebant puluerem ireos Illyricæ; vel conficiebant ex mulſo, ideſt melle, & vino, vel cum ſapa, addito pauco aceto, vt habemus ex Aetio libro decimoquarto, capite vigeſimonono. Sed Galenus dicit medicamenta in hoc caſu debere habere non ſolùm facultatem digerendi, & ſiccandi; verùm etiam aliquam aſtringendi, vniendique: & ideo ego admiſcerem portionem vini auſteri omnibus medicamentis dictis. ſed duo in officinis habetis in hoc caſu medicamenta præſtantiſſima, & ſunt duo illa vnguenta alabaſtrina vocata: quorum vnum eſt magiſtrale; alterum habetur deſcriptum in Luminari maiori; at in principio vtamini magiſtrali, poſtea altero

Atqui, ſi cum contuſione maximus eſſet dolor, Galenus in ſexto meth. dicit primò incumbendum eſſe dolori: & ita poteritis capere multum olei, & ipſo vti vel per infuſionem, vel per balneum: Cum ceſſauerit dolor, vtemini medicamentis dictis: Galenus autem

Digitized by Google

tèm loco dicto monet, vt cum faba, & oxymelite coquamus picem liquidam. coquamus, inquam, diu: nam dolorem ſedat.

Aliquando contunditur neruus non contuſa cuti; raro tamen hoc accidit, & ego nunquam vidi; tamen accidere poteſt, vt cutis ſecetur, & neruus non ſecetur, ſed contundatur. Quando igitur contunditur neruus tantum, dicit Galenus quòd debemus fouere neruum oleo aliquo ex ijs, quæ calida ſunt; vt eſſet oleum anethinum, rutaceum, & ſimilia. Sed antequam deueniatis ad localia, ſecetis venam, exhibeatisque pharmacum, deinde imponetis ea, quæ faciunt ad contuſionem.

Si contundatur ſine cute.

De vulneribus ſclopetorum, & bombardarum. *Cap. XXXI.*

VVlnera ea, quæ globulo plumbeo, uel glande fiunt, noua eſſe aliqui teſtati ſunt, ut Alfonſus Ferrus, & ita antiquioribus ignota: unde omnes recentiores, qui agunt de his uulneribus, tractant de ipſis tanquam de nouo quodam genere uulnerum. quo factum eſt, ut & uehementiſſimum dici poſſit: Mihi tamen uidetur, quòd antiquum ſit genus morbi: nam ueteres utebantur organo quodam catapulta uocato, quo proijciebant glandes, globulos, & ſimilia, quæ cuti infigebantur. Vnde apud Celſum libro ſeptimo, capite ſexto, habetis locum ubi de plumbea glande agit relicta in aliqua corporis parte, & docet, qua ratione ſit inde extrahenda, ſanandumque uulnus illud, ex quo patet hoc genus uulneris eſſe antiquum: Sed quamuis ego credam, uulnera hæc à globulis, uel glandibus illata eſſe antiqua; non ob id tamen audeo aſſerere organa hæc, & tormenta, quibus propelluntur glandes & globuli, ut ſunt bombardæ, moſchetæ, ſclopeti & ſimilia, quæ in uſu nunc ſunt, fuiſſe nota antiquioribus: nam agitur 200. circiter annus, quòd hæc inuenta ſunt; & utinam nunquam fuiſſent inuenta, & ex orbe abolerentur prorſus: nam ſunt peſſimum teli genus humano generi. Sed nos ad uulnera deueniamus, & primò uideamus, quæ nam ſit ratio uulneris: ſecundò de ipſius ſpeciebus: tertiò de cauſis: quartò de ſignis: quintò, & ultimò, quæ curatio conueniat.

Vulnera à glandibus antiqua eſſe; ſed non inſtrumēta noſtra.

De quibus agendum.

Quo ad primum dico, uulnus non eſſe ſimplex, quia adeſt ſolutio continui, cauitaſque manifeſta cum eliquatione, & defectu ſubſtantiæ carnoſæ: quam rem obſeruantes aliqui (ut Alfonſus Ferrus Neapolitanus) dicunt uulnus ſclopetorum eſſe ulcus cum exuſtione, contuſione, attritione, fractura, atque cum ueneno ſitate: & ita compoſitum uolunt eſſe uulnus, ita, ut dicere poſſimus eſſe ueluti omne genus morbi: Primò, quòd adſit ſoluta unitas non eſt dubium, quemadmodum etiam non eſt, quòd adſit contuſio, attritio, & cauitas, & hoc fatentur omnes. ſed dubium eſt, an adſit exuſtio, & ueneno ſitas, ut ipſi affirmant; Quòd tamen adſint, ipſi probant, & primò, quòd adſit exuſtio: nam adeſt eſchara, quæ eſt proprium ſignum exuſtionis: ergo in hoc vulnere eſt exuſtio. Secundò probant ex motu exuſtionis, qui talis eſt, vt primò incipiat, deinde ſenſim ac ſenſim maior fiat exuſtio vſque ad nonum diem: eò vſque enim, dicunt, ambuſta creſcere: hoc ipſum, inquiunt, ſit in vulneribus ſclopetorum: nam creſcunt vſque ad nonum diem: ergo non eſt negandum, quòd adſit exuſtio. Tertiò: in vulnere hoc accidunt ſymptomata, quæ & in combuſtis, dolor nempe ille magnus, & comitatur ipſum rubor quidam eryſipelatodes, qui occupans partes circum circa poſitas creſcit vſque ad nouem dies: ergo adeſt exuſtio. Quantò probant à cauſa efficiente, quia vulnera hæc fiunt ab inſtrumento ignito, à glande ſcilicet, vel globulo, qui ita velociter agitur, vt nihil velocius dici poſſit; cumque ſit æqualis foramini ſclopeti, dum extruditur, atteritur partibus ſclopeti, & quidem validiſſimè, & ſic incaleſcit, & ignitur, cum præſertim globulus agatur, explodaturve ab igne, à quo veriſimile eſt, quòd igniatur. præterea atteritur cum aere, & ita adhuc magis incaleſcit: quòd autem attritio in aere facta igniat corpora ſolida, probant authoritate Ariſtotelis, qui dicit, quòd ſagittæ ſurſum proiectæ paſſæ ſunt hoc ex attritione, quòd plumbum in eis eſt eliquatum. Cum itaque vulnera hæc fiant à glande attrita primò per organum, deinde in aere, non eſt negandum, quòd habeant exuſtionem coniunctam. Quintò probant ex effectu: videmus enim quòd in anteriori parte, quam primò illiſit glans, eſt eſchara ſatis magna; deinde ſenſim, ac ſenſim minuitur vſque ad oppoſitam partem in qua vel nulla, vel minima eſt eſchara: quod non aliunde prouenit, inquiunt, niſi quia glans, quando illiſit anteriorem partem, erat magis ignita; ſed interim, dum penetrauit, remiſſus eſt ipſius calor ſenſim, ac ſenſim ab humiditate carnis, ita, vt, cum deuenit ad partem oppoſitam, nullam, vel paucam habuerit in ſe caliditatem: ergo, cum hoc videamus, dicendum

Vulnus hoc non eſt ſimplex.

Definitio huius vulneris.

Num adſit exuſtio, & veneno ſitas.

Probatur adeſſe exuſtionem.

Digitized by Google

dum eſt, quod adeſt exuſtio. Vltimò addunt, quod patientes talia vulnera ſentiunt dolores tales, quales ſentire ſolent, qui exuſti ſunt: ergo adeſt exuſtio. His rationibus probant adeſſe exuſtionem.

Nullã adeſſe exuſtionem.

Alij aliter ſentiunt, quibuſcum & ipſe ſum, quod nulla adſit exuſtio, nec eſchara, quoniam eſcharæ fiunt ab ijs, quæ exurunt, & ignita ſunt: glandes autem ſeu globuli ſclopetorum, & ſimilium organorum non exurunt: petij hoc ab ijs, qui ab huiuſmodi inſtrumentis vulnerati ſunt, an, cum vulnus acceperunt, aliquam perſenſerint exuſtionem; & reſpondere, quòd ne calorem quidem vllum, aut caloris ſenſum percepere; quinimò noui ego quoſdam, qui fuerant in abdomine traiecti à glande plumbea, & ipſi non animaduerterant ſe eſſe traiectos; ſed putabant ſe in ea parte abdominis eſſe tantum contuſos. Inſuper, ſi glandes eſſent ignitæ, non video ego, quomodo non exurerent ſtupas, veſtes, & ſimilia prius, quàm carnem, niſi velitis dicere, glandes illas habere eam vim, dicunt habere fulmina quædam, quæ abſumunt pecuniam in burſa; attamen burſa illæſa remanet; & abſumunt vinum, vegete incolumi: Sed dices: glandes ſclopetorum accendunt ignem, ergo igniti ſunt: quòd accendant ignem, ex eo patet, quòd ſi hoſtes norunt locum, vbi Vrbs aliqua, uel exercitus ſibi aduerſarius conſeruat munitionem, ita uocatam uulgo, hoc eſt pulueres illos ſclopetarios, ſolent glandem ſclopeto, uel bombarda illuc protrudere; quæ glans aliquando accendit ignem, & puluerem totum comburit. Reſpondeo, quòd hoc non fit, quia glans plumbea, uel ferrea à tali inſtrumento proiecta ſit ignita; ſed quia illidit ſaxa, ex qua illiſione excutitur ignis. Itaque non eſt dicendum quòd in his vulneribus ſit exuſtio, quoniam glans non eſt ignita. Præterea, vel glans plumbea quando egreditur ex ſclopeto, eſt intenſe ignita, vel non intensè; ita tamen, vt poſſit exurere: ſi intensè, eliquabitur, cum fuerit extra inſtrumentum; ſi non intensè, tunc dico, quòd quando percutiet corpus diſſipabitur in multas partes propter humiditatem: nam hoc plumbi proprium eſt, vt affuſo humido diſſipetur in partes multas; & quæſo experiamini hoc, cum domi eritis: ponatis plumbum ad ignem, & cum calefactum fuerit, affundatis ſupra ipſum parum aquæ, & videbitis quòd diſſipabitur in multas partes: faciatis & aliud experimentum: capiatis ceram, conficiatiſque ex ea globulum talem, vt poſſit ſclopeti foramen ingredi, & circum circa globulum obuoluatis ceram, & iniecto puluere, & globulo deinde cereo, adigatis ignem, vt fieri ſolet, & videbitis, quòd excludetur globulus cereus in parietem, & non eliquabitur: Et his diebus Vincentiæ vidi experimentum aliud: Erat iuuenis quidam, qui expleuerat ſclopetum multis globulis ſtupa obuolutis, quos globulos ipſi vocant vinaceola, & caſu factum eſt, vt ſclopetum diſploſum ſit in crus eiuſdemmet iuuenis, qui eum globulis expleuerat, & omnes illi globuli ſimul perinde atque ligati vnà eſſent, perforarunt ſibi genu, & vnicum factum eſt foramen; attamen ſtupa, quæ circa globulos erat obuoluta, non eſt combuſta: ergo non eſt dicendum, quòd globuli igniantur per attritionem in ſclopeto, aereque. O, dicent, hoc fit ab aere non à ſclopeto. Dico ego, quòd nec ab aere: nam ſi quis percutiatur à glande, & ſclopetum ſit valde vicinum, glans non poterit ob vicinitatem vſque adeo cum aere atteri, vt igniatur. Præterea, ſi plumbum igniretur, tunc, cum infigitur carni, diſſolueretur in multa grana, & partes, quoniam cum ſentit humiditatem diſſoluitur. Præterea, ſi in tali vulnere eſſet exuſtio, ſequeretur, quòd in vulneribus ſclopetorum non fieret fluxio ſanguinis, quoniam exuſtio prohiberet; tamen videmus maximas fieri ſanguinis fluxiones, præcipuè, ſi vulneratum ſit vas aliquod magnum, etiam ſi ſecundum iſtos adſit exuſtio vaſorum. Credo igitur ego, quòd nulla adſit in his vulneribus exuſtio, nec cruſta illa eſchara eſt, ſed caro denigrata, & macerata per contuſionem: quæ quia per concoctionem ſeparari ſolet, vt eſchara exuſta, hinc eſt, quòd iſti exiſtimarunt eſſe eſcharam, & adeſſe exuſtionem.

Rõnes probãtes adeſſe venenũ.

Altera erat conditio, quòd adſit aliquod venenum, quod venenum inquiunt glandem accipere à puluere, quoniam puluis ille habet in ſe nitrum, & ſulphur, quæ duo ſunt, inquiunt, venena calida, ſi quidem calefaciant, & ſiccent in quarto gradu: & hinc eſt, aiunt, quòd his vulneribus multa ſuccedunt incommoda, & ſanari nequeunt, niſi cum difficultate. Probant quin etiam ex ijs, qui conficiunt puluerem illum ſclopetarium: nam omnes cauent à cæpis, allijs, & ſimilibus acribus, quæ fugienda etiam ſunt ijs, qui timent de veneno, vt fuit præceptum Auicennæ: ergo indicium eſt, quòd talis puluis habet in ſe venenum. Præterea, puluis dum eſt in motu, & ab aere atteritur, ſolet ex attritione contrahere intenſiorem venenoſitatem vnà cum glande, & ita, cum glans habeat quid veneni coniunctum, relinquit aliquid veneni in vulnere: Aliqui ſunt, qui dicant, quòd ſi quis igniat glandem illam, deinde extinguat ipſam oleo, fit, vt oleum contrahat venenoſam qualitatem. Alij dicunt, quòd qui volunt glandes ueneno inficere, igniunt ipſas, deinde aqua extinguunt, dicuntque tales glandes plumbeas eſſe venenum,

& fuit

& fuit opinio quorundam Germanorum.

Rationes in oppoſitū.

Sed ego non video, quo modo in his vulneribus poſſit eſſe venenum: nam nec plumbum, nec ferrum venenum eſt. ò, dices, eſt ratione pulueris. Reſpondeo, quòd nec in puluere illo eſt venenum: neque enim nitrum, etiam ſi calefaciat, & ſiccet in quarto gradu, venenum eſt: quod patet, quia aſſumitur per os ad ſoluendum aluum, & ex ipſo conficiuntur multa, & inter alia emplaſtrum illud cerine; quæ tamen veneni nihil in ſe habent: Idem & de ſulphure dico eſt quidem calidum, & ſiccum in quarto, tamen non eſt venenoſum: quod patet ex eo, quia exhiberi ſolet in aſthmate; & nihil incommodi affert: vidi & ego puerum, qui ſelibram ſulphuris comedebat, & nihil vnquam paſſus eſt: vidi quoque puerum pauperis cuiuſdam mulieris filium, qui quot ſulphuratas cannas poterat habere ex ijs, quæ habent ſulphur in extremo vtroque, quibus vtimur in accendendis lucernis, omnes cannas illas exuebat ſulphure, & illud comedebat: vnde oportebat cannas illas in alto loco reponere; attamen nihil vnquam mali puer ille eſt paſſus. Præter nitrum, & ſulphur ingreditur puluerem illum ſclopetarium copioſa aqua ardens, hoc eſt, copia illius aquæ, quæ aqua vitæ vocatur; tamen non poteſt dici, quòd ratione illius aquæ puluis ſit venenatus, quoniam videmus gerulos hos magnam copiam illius aquæ bibere, ita, vt, ſi eſſet venenoſa, omnes iam mortui eſſent, & nos cogeremur eorum officio fungi. Præterea, quòd puluis non ſit venenatus, oſtendo, quoniam ſæpe grana illius pulueris infiguntur cuti alicuius, & hoc præcipuè ſolet accidere pueris, quando affligunt crepitantes illas chartas ruſticis, & luunt ſæpe pœnas, quoniam, dum admouent funiculum, in quo eſt ignis, fit vt puluis, qui non eſt accenſus illidatur, ipſis in faciem, & infigatur, & interdum etiam inibi conſolidetur. Et ego his diebus conſului de puero quodam Veneto, qui interìm, dum conficeret ex puluere ſclopetario, & charta, & virga radium uulgò uocatum, diſruptus eſt radius, antè quam ipſum proijceret in altum, & quam plurima grana pulueris illius infixa ſunt genis, inibique ſunt conſolidata, & inibi manſerunt tres annos, & nihil eſt paſſus. Vidi & meretricem quandam, quæ conducta eſt, ut uulgò dici ſolet, à ſeptem Scholaſticis, qui omnes habuere rem cum ipſa; cumque antea interrogata ab ipſis fuiſſet, an Gallicam ſcabiem, uel cariem pateretur, & ipſa reſpondiſſet, quòd non; ipſi tamen poſt coitum fuiſſent omnes carie correpti, indignatione maxima correpti uoluerunt ipſam mulierem in luminoſo loco inſpicere, & inuenerunt loculos illos carie totos infectos: unde ipſi, accepto puluere ſclopetario, repleuere illi omnes illos loculos, deinde admouerunt ignem, & tota miſera meretrix in illis partibus exuſta eſt; attamen nullum, quod uenenum atteſtaretur, eſt ſymptoma inſecutum.

Addatis, quòd in exercitu, ubi caries pudendorum ſolet graſſari, eſt in magno uſu puluis ille: nam cum uident milites ſe contraxiſſe cariem, ſtatìm ſuperimponunt puluerem, & pretioſum eſt medicamentum; hoc ſolùm in ſe mali habet, quòd excitat maximum dolorem: ſi autem eſſet uenenum profectò læderet.

Dico ergo uulnera ſclopetorum eſſe quidem compoſita, quoniam habent coniunctam ſolutionem continui, comminutionem ſubſtantiæ, lacerationem, & contuſionem: ſed non exuſtionem, nec uenenoſitatem, niſi uelint dicere, quòd carbo, qui inter alia puluerem ſclopetarium ingreditur, ſit uenenum: quod nullo modo poteſt dici.

Reſponſio ad argumēta affirmātium adeſſe vſtionē, & venenū.

Ad argumenta autem, & primò ad illud, in quo dicebatur, quòd adeſt eſchara; Dico, quòd eſt falſum: nam eſt caro denigrata, & contuſa, & non eſchara.

Alterum erat de motu exuſtionis: ad quod dico, uulnus augeri quidem, quod accidit in omnibus abſceſſuris; ſed hoc fit non propter exuſtionem; ſed propter contuſionem; quia donec contuſum illud corpus maceratur, & concoquitur, & donec fiat concoctio, augetur ſensìm; non tamen terminus præfixus eſt nona dies, ſicuti nec in exuſtione fit: nam ſi exuſtio ſit facta ab igne, pertranſit auctio nonam diem; ſi ab aqua, non pertranſit quintam; ſi ab alio corpore mediocri, mediocre etiam tempus auctionis ſeruat.

Ad tertium de eryſipelate dico, quòd non fit ob exuſtionem; at propter contuſionem, quia fit inibi putredo; putredinem autem ſequitur calor; à quo calore deinde fit illud, quod eſt veluti eryſipelas: & ita dico, quòd rubedo eryſipelatodes eſt ſymptoma contuſæ carnis putreſcentis.

Ad illud de ignitione glandis ex attritione aëris, dico, quòd ſunt næniæ, & verba ad Epheſios. De ſagittis autem ab Ariſtotele propoſitis, dico, quòd multa poſſent dici; tamen videmus nos, quòd & Turcæ vtuntur his ſagittis; tamen nunquam viſum eſt illud, quod dicit Ariſtoteles, inſecutum eſſe; credo tamen, quòd ſi quis, vt Hercules, proijceret ſagittam vſque ad ſphæram ignis, dubio procul eliquaretur.

Ad quintum, quod erat de cruſta, quæ in anteriori parte eſt magna; in oppoſita autem nulla, vel minima, dico id eſſe factum, quia pars poſterior eſt iam diſſipata; & non

reſiſtit glandi, vt anterior; & ideo non fit in ipſa tanta contuſio, quanta fit in anteriori, quam glans reperit vnitam, & valde reſiſtentem.

Ad illud de dolore dico, falſum eſſe, quòd adſit tantus dolor in his vulneribus: neque enim verum eſt, quòd ſentiant dolorem exuſtionis; ſicut & falſum eſt, quòd adſit venenoſitas.

Ad illud de cæpis, quibus non vtuntur ij, qui conficiunt puluerem ſclopetarium, dico, quòd cauent à cæpis, allijs, & ſimilibus, ne ſibi nimis exſiccetur palatum: nam inquiunt, quòd, quando palatum eſt ſibi exſiccatum, & ſputum non abundat in ore, puluillus, qui effertur, dum tundunt puluerem illum, adhæret palato ita, vt difficile ſit poſtea illum auferre; & hac de cauſa cauent à cæpis, allijs, à ſalitis, à vinis potentibus, & ab omnibus alijs, quæ poſſunt palatum exſiccare.

Ad illud, quòd puluis ille ex motu incaleſcat, & ex caliditate acquirat naturam magis venenoſam, Dico, hoc eſſe falſum, ſicuti etiam eſt falſum quòd oleum illud, & glans oleo extincta acquirat naturam venenoſam. Itaque non eſt aſſerendum, quòd in vulneribus ſclopetorum ſit venenoſitas, aut exuſtio. Colligo igitur vulnus eſſe cauum, contuſum; non tamen ſine mala quadam qualitate, ac putreſcibili, & maligna ab illa contuſione inducta, atque à contuſa carne fomentata.

Cauſæ, Differẽtiæ, Signa.

Cauſæ autem horum vulnerum mediatæ, & remotæ ſunt ſclopeti, & ſimilia organa; immediatæ autem ſunt glandes, & globuli, fabæ, & quicquid ex talibus organis propellitur. Differentiæ patent: nam aliquot ſunt magna: aliquot parua; alia cum fluxione ſanguinis; alia ſine fluxione; alia cum fractura oſſis, alia non; alia lethalia, alia non, &c. Signa & ipſa manifeſta ſunt: nam adeſt contuſio nigra, tumor adeſt inæqualis, dolor grauis, liuor carnis, figura etiam vulneris indicat, an illatum ſit ex glande: relatio poſtea & boatus ſclopeti ducent vos in certam notitiam: nequit enim ex ſclopeto glans propelli cum illo puluere admoto igne, quin excitetur crepitus, licet dicatur inuentos eſſe quoſdam ſclopetos, ex quibus exploditur glans ſine crepitu; ſed eſt potius genus baliſtæ: nam ego ſum huius ſententiæ, vt ex ſclopeto nequeat omnino glans explodi cum illo puluere ſine crepitu.

De cura vulnerum ſclopetorũ.

Sed iam deueniamus ad curationem, quæ primò proponit, vt videamus, an glans relicta ſit in parte, nec ne: ſi ſit relicta, indicatur extractio, cum ſit toto genere præternaturã: In qua extractione primò eſt obſeruandum, quomodo ſit facienda: ſecundò, quo tempore: tertiò, quonam organo: & quod dico de glande, idem intelligatis eſſe dictum de ijs, quæ cum glãde vnà ingrediuntur. & ſunt aliquando annuli illi loricæ, aliquando hami ex illis annulis, aliquando fruſtum laminæ, aliquando portio veſtis, qua æger erat indutus, & annis ſuperioribus in quodam nobiliſſimo extraxi glandem, & portionem veſtis illius, quæ vulgo dicitur giubone. & ex veluto crimiſino erat, vt vulgo dicitur: extrahẽda igitur eſt glans, & quicquid ſecum traxerit.

Quo tẽpore glans extrahẽda ſit è corpore.

De tempore autem dico, quòd ſtatim, prima die, facienda eſt extractio; & ſi non extrahatur prima die, ego ſum huius ſententiæ, quòd non debeat amplius extrahi, dummodo glans non ſit ſub cute, ita, vt digito perſentiatur, quia tunc & ſecunda & tertia, & quarta, & alijs diebus poſſet extrahi, & eſſet extrahenda: at ſi ſit in parte profunda, dico, quòd ſi non extrahatur eadem die, non eſt tentanda extractio, nec ſecunda, nec tertia, nec quarta die, quoniam, prima die excepta, imminet periculum de inflammatione, & ita intumeſceret pars, vt difficilima eſſet extractio: prima autem die facilis eſt extractio, quia non adeſt tumor, & præterea ſenſus partis eſt ita obtuſus à contuſione, & pars ita ſtupida reddita, vt non ſentiat; ſed poſt primam diem ſenſim incipit recurrere calor ad partem, & talem reſumit ſenſum, vt exquiſitius, quàm antea ſentiat obiecta. igitur ſemper prima die extrahatis, ſiue opus ſit dilatatione, ſiue non.

Modus extractionis globuli, & de ſitu ægri.

Modus autem extractionis eſt, vt locetis ægrum in eodẽ ſitu, quo erat quando vulnus accepit, etiam ſi opus eſſet ponere ipſum ſupra ſellam equi, alioqui muſculi tegent foramen, & non poteritis extrahere. itaque ſemper ſeruetur idem ſitus, nam eſt maximi momenti. Inuenta igitur glande, tentabitis extrahere, aut per partem oppoſitam, aut per idem foramen: per oppoſitam quidem ſi perſenſeritis ipſam ſub digito in ea parte, & niſi vena, vel arteria, vel neruus aliquis impediat: ita enim præcipit Celſus; & ego multas glandes per oppoſitam partem extraxi: ſi autem adſit impedimentum, extrahatis per vulnus.

Inſtrumenta ad extrahẽdas glandes.

Sed quo inſtrumento? Recentiores tentant primò extractionem cum hamis: inijciunt hamos quoſdam longos recuruos in ſummo, & tentant extractionem, abſque quo ſtatim deueniant ad dilatationem vulneris. Alij vtuntur annulo appoſito ſpecillo, & tentant, ut glans concidat in medium annulum; deinde ſpecillum, cui in ſummo annexus eſt annulus, extrahunt. Alij videntes, quòd non poteſt extrahi ſine dilatatione, utuntur forcipibus, & præcipuè illo, qui uocatur anſerinus.

Alij vtuntur inſtrumento quodam, quod dicitur Alphonſinum, quod aliquando conficitur biceps, aliquando triceps; & poteſt ope cuiuſdam annuli dilatari, & comprimi:

mi: hoc ego nunquam ſum vſus; vterer tamen, ſi daretur occaſio, quia optimum eſt inſtrumentum: nam ſimul & ſemel poteſt, vulnus dilatare, ac glandem arripere. Aliquando opus eſt dilatatione, & quidem ſatis magna; ideo dilatabitis cum organo, quod dicitur ſyringotomon. Solent Recentiores ad dilatandum vti fiſtula, in qua latitant duo gladioli: iniiciunt enim fiſtulam, deinde exectis illorum gladiolorum ralotiorum aciebus, attrahunt fiſtulam; & ita gladioli ſecando à lateribus dilatant vulnus.

Obſeruanda, et impo nenda poſt extractum globulum.

Extracto, vel non extracto globulo, præſente fluxione ſanguinis, dolore, & contuſione, ſolent, ſi vulnus penetret, vſque in oppoſitam partem, accipere acum magnam, & longam, & in eius aurem iniiciunt funiculum ex materia aliqua molli, vt ex bombace, vel ſerico, & ſit funiculus tantæ ferè craſſitiei, quanta eſt latitudo vulneris; deinde iniiciunt acum per vulnus, & recipiunt ipſam, extrahuntque per partem oppoſitam, & relinquunt funiculum in vulnere, ablata acu: idque faciunt, vt vulnus maneat apertum, & ſeruetur eius rectitudo, & per diductionem funiculi huc, & illuc educatur ſanies illa, quæ generabitur in profundo illius artus, partiſve; alioqui caderet inter cauitates muſculorum, & faceret abſceſſum: & iſte modus mihi placet; verùm, quia funiculus ſolus non ſatisfacit fluxioni ſanguinis, ideo aliqui madefaciunt ipſum albo oui, quo cum ſit mixta portio ſalis; vel alio, quod habeat vim ſiſtendi ſanguinis. Alij iniiciunt tentam ex ſtupa, imbutam albo oui, cui admixtum ſit ſal. Aliqui extracto, vel non extracto globo ſolent iniicere in vulnus ferrum candens, quo dicunt firmari ſanguinem, & extrahi venenoſitatem, vt patet de morſu ex cane rabido, atque ex viperis, in quibus ignitum ferrum optimum eſt ad educendum venenum. Verùm modus iſte mihi non placet. Nec ſolum debetis incumbere fluxioni ſanguinis; verùm etiam dolori vehementi ſatis, qui fit ex contuſione illa carnis: nam ex contuſione caro illa accepit, neſcio quid maligni; & ideo oportet reſiſtere contuſæ carni, & ſimul, & ſemel reſiſtetis dolori. Vnde aliqui vtuntur leui quadam vſtione: accipiunt enim ægyptiacum, quod non eſt acerbum medicamentum, præcipuè in parte ita contuſa, & ipſo oblinitur linamentum, id eſt, tenta vulgo dicta, & iniicitur, & non cauſat dolorem; immò ceſſat citò ille, qui adeſt; facitque eſcharam, & ſic ſiſtit ſanguinem: & per ægyptiacum intelligatis de illo Meſuæ puro. Aliqui vtuntur exuſtione facta cum oleo feruenti: imbuunt ipſo feruenti oleo linamentum, & ter, vel quater iniiciunt, & ita ſedatur etiam dolor: oleum autem ſit vel liliorum alborum, vel ſambucinum. Ego ſum aliquando vſus hac vſtione, & ſuppreſſus eſt ſanguis, & res optimè ſucceſſit. Aliqui vtuntur hoc.

Rec. Capitelli lib. j.
Solani hortenſis, vel ſonchi ʒ ij.
Theriacæ ℥ j.

Trito ſolano, miſcentur, relinquunturq; viginti diebus ſub Sole, diebus canicularibus; & hoc medicamento poſtea madefaciunt tentam, & iniiciunt; & ita ſiccant contuſam carnem: Admiſcent theriacam, quia putant in vulnere adeſſe venenoſitatem; ſed vos poteritis etiam ipſam omittere, quia non adeſt venenum: Solanum addunt, vt retundatur vis capitelli; & per capitellum intelligatis de illo, quod fit ex caprifico, & ſit benignius, vtamini que in pauca quantitate, & cum æger inceperit percipere mordicationem, auferatis tentam. Soleo ego vti exuſtione facta vel cum oleo feruenti, vel cum ægyptiaco mixto cum albo oui æquali pondere, & relinquo vſque ad alteram viſitationem; tunc extraho, & reperio exſiccatum locum, & contuſam carnem eſcharam contraxiſſe; & ita tunc attendo ablationi eſcharæ, vtendo concoquentibus. Solent iſti oblinire funiculum illum tetrapharmaco; alij infundunt oleum amygdalarum dulcium; alij oleum ex vitellis ouorum; alij terebinthinam, admixto luteo oui, & oleo roſaceo. Ego, ſi funiculus poteſt huc, atque illuc trahi, oblinio ipſum hoc, vel illo medicamento; ſi autem funiculus nequeat diduci, infundo vel oleum ex vitellis ouorum, vel amygdalarum dulcium: & quia hæc nimis macerant; idcirco admiſceo aliquid ſyrupi roſacei recentis; poſtea cum his duobus oleis ſimul miſceo etiam mel roſaceum. Cum videritis, quòd concidit cruſta, vtamini ijs, quæ carnem gignere poſſunt, & cicatricem inducere.

Dilatatio vulneris cũ medulla milij nigri.

Sed tranſacta ſeptima, ſi non potui extrahere glandem, & ſentio, quòd adeſt, tunc tento dilatationem vulneris cum medulla milij nigri, hoc eſt, melicæ, vel ſurgi vulgo dicti, vel cum ſpongia, vel cum alia re ſimili. Vulnere dilatato, extraho glandem. Quòd ſi poſt ſeptimam non perſentio glandem, non tento amplius extractionem: ſed agglutino vulnus, & ita, ſi vulnus mundum ſit, comprimo ipſum faſcia, & plumaceolis, & ſuperimpono barbarum.

In vulneribus bõbardatum, ſi quid ſpei, quid agendum.

In vulneribus autem bombardarum rarò admodum datur locus medicinæ, quoniam ſolet aboleri vita; accidit tamen aliquando, vt artus frangatur, dilacereturque, & portio aliqua, vel magna pars auferatur; & tunc oportet totum illud, quod fractum, diſſipatum, & contuſum eſt, amputare; poſtea ſupra contuſam illam partem, quæ non eſt diſſipata, imponetis ægyptiacum, ne fiat gangræna: & per æyptiacum hic intelligatis de illo, quod habet chalcanthum admixtum: nam cum in artubus ſint venæ, & arteriæ magnæ, cum ſunt dilacerata vaſa illa, fit maxima fluxio ſanguinis; & ideo opus eſt valido medicamento. Facta ſufficienti cruſta, vtemini tetrapharmaco, & concoquentibus, vt concidat cruſta, hoc eſt, eſchara. Et ita Dei optimi auxilio abſoluta eſt tractatio de vulneribus. Iam tempus eſt, vt quieſcamus. Valete igitur, & me amate.

FINIS TRACTATVS SECVNDI.

GABRIELIS FALOPPII MVTINENSIS,

Philoſophi, ac Medici præclariſſimi

TOMI SECVNDI. TRACTATVS TERTIVS QVI EST COMMENTARIVS

In Hippocratis Coi librum de Vulneribus capitis

Præfatio, in qua genus Hippocratis, atque intentio proponitur. Cap. I.

Hippocr. quot.

PLures fuiſſe Hippocrates, non eiuſdem artis, teſtantur hiſtoriæ: alios milites, atque exercituum Imperatores: inter quos fuit Ariphronis filius Aphricanus: qui, cum exercitum Peloponnenſibus duxerit, trucidatus obijt: alios dico fuiſſe medicæ ſcientiæ profeſſores: quos ſeptem numero ex eadem proſapia extitiſſe inuenio. Quorum primus fuit auus paternus noſtri Hippocrat. cui adſcribitur liber de officina medici, licet Galenus noſtri iudicet Hippocratis eſſe farinam. Hic Cous fuit ex Aſclepiadarum familia nobiliſſima, à cuius ſtipite ortus eſt ſecundus Hippocrat. diuinus, quem θεῖον, ideſt, diuinum, cœleſtem, memorabilem, ſenem, appellamus. Tertius fuit Hippocrates Theſſali diuini Hippocrat. filij filius. Nam admirabilis ille ſenex geminos ſuſcepiſſe dicitur filios quorum alter Theſſalus genuit hunc tertium Hippocrat. alter Draco fuit, qui quartum habuit Hippocrat. etiam medicum: vnde non eſt mirandum, ſi multos libros Hippocrat. circumferunt, quos tamen diuini illius minime eſſe adiudicamus: tamen Hippocrat. alicuius ſunt. Quintum Hippocrat. medicum cognoſcimus ex Tymbreo ortum, qui etiam ſextum genuit adhuc Hippocrat. Vltimus Hippocrat. in eadem familia, fuit Proxianactis filius, cuius confuſa, ac inter libr. diuini Hippocrat. latentia opera habemus. Eſt præ manibus tractandus liber, diuini illius Hippocrat. ex Coo inſula maris Aegæi, cuius maxima viget cœli temperies: vnde numen & ſplendor noſtræ artis emicuit. Tanta eſt illius loci ſalubritas, vt hyeme, atque æſtate cælum ſit temperatiſſimum: ex quo nemini mirum videri debet, ſi tot illuſtres prodiere viri. Iſte Hippoc. fuit ex Aſclepiadarum familia, qui dicebantur ab Aeſculapio ſummo Apollinis filio originem traxiſſe: Apollo autem ab Ioue illo Deorum principe maximo.

Lib. de offici. med. fuit aui Hippocrat.

Patria Hippocr. temperata.

Aeſculapius etenim, cum Hippolytum viuum reddidiſſet, multos habuit filios, qui cum Ionium mare incolerent, partim Rhodum, partim Gnidum, nonnulli Coum inhabitauere: vnde Rhodij alij: alij Gnidij: quidam vero Coi dicti ſunt. Et quoniam hoc fuit inſtitutum illi familiæ, cum Aeſculapij medici hæredes fuerint, omnes medicos fuiſſe compertum eſt. Vnde familia médica atque Coa nuncupata eſt. Ex hac familia Hippocrates ortus fuit, patre medico Heraclito, qui fuit ſenioris Hippocratis filius: iſti originem duxere ab Aeaco. Videte ſi fauerint medicis antiquioribus Dij ipſi, vt conſeruationem integrarum regionum illis commendarint: ſine Podalirio, & Machaone non potuit Troia expugnari, & niſi iſti ingreſſi eſſent equum illum ita celebrem, adhuc fortaſſe incolumis eſſet Priami ſedes. Chriſeorum erat vrbs antiquiſſima, illa non potuit euerti, niſi ope Chriſi, & Elaphi ex proſapia Hippocrat. qui, cum veniſſent in exercitum, conſeruarunt eum à peſte, & ita delata, & capta vrbe, ludi publici inſtituti ſunt, in honorem eorum. Vnde hiſtorici volunt. Hippocrat. fuiſſe ſecundo pronepotem à Ioue: non ſolum autem ex Aſclepiadarum familia, quinimo, & ex Heraclidarum, Herculis nobiliſſimo genere ortum eſſe teſtatur antiquitas: cum namque genuit Praxiæa, quæ filia fuit Phanaretæ viri celeberrimi Coi, qui à Cadmo

Hippocr. nobilis Medicorũ laus

Digitized by Google

Ars medica ſpreta tẽpore noſtro.

originem duxit, Principe Senatus, ac Domino, hicque ab Hercule. Ex his dicamus Hippocrat. nobiliſſimum. In miſeriam video iam noſtram artem eſſe deiectam, qui ex nobiliſſimis nati ſunt familijs, eam dedignantur, & quamuis multi nobiles hanc affectent, maior tamen pars ignobilis eſt, eam tractans. dimitto Reges, dimitto Deos, qui eam exercuerunt. Hippocrat. ortus eſt circa Olymp. 80. & floruit 86. vt Euſebius recitat: didicit artem, partim ab auo, partim à patre, ſed cum eſſet diuino ingenio præditus, voluit perfectus eſſe Philoſophus, ex quo auditor factus eſt Gorgiæ Leontini: cuius tam prompta ſolertia erat, vt cuilibet propoſito problemati ſtatim ſe reſponſurum profiteretur, & tandem audiuit Democritum, qui tantum viguit in phyſicis, & in magia tantum potuit, vt futura prædiceret. Hippocrates, niſi eius completam didicerit artem, nunquam ab eius veſtigijs declinauit. Cum itaque hanc artem optime didiciſſet, primos terminos arti impoſuit, & à Phyſica medicam artem ſeparauit: vnde poſtea dogmaticus factus eſt, & tantum potuit in arte (vt teſtatur Galen.) vt primus fuerit, qui anatomen inſtituerit, & habemus Pauſaniam teſtem: qui dicit, quod in Delphico templo, oblatus erat, ſceletos æneus, Deo Delphico: quod indicio eſt, ipſum fuiſſe præſtantiſſimum anatomicum. Primus fuit, qui docuit attritione, & motu corpus exercere: primus medicam ſcripſit artem, authore Strabone, & Plinio primus prognoſtica mandauit ſcriptis, & ideo primus perfecte ſcriptis hanc artem commendauit: vnde tantam ſibi gloriam ſcribendo, & medendo comparauit: vt cum Democritum ab inſania liberauit, & multos populos, totamque Græciam à peſte, Athenienſes primo eum publica corona donarunt, in medio foro: deinde Sacris Cereris initiarunt: vltimo ipſi Hippocrati, & filio Theſſalo victum in Prytaneo inſtituere, quod erat apud Athenienſes nobiliſſimum: præterea ſtatua aurea in patria ſua donatus eſt, in foro publico erecta: multa prætermitto.

Hippocr. aurũ ſpreuit.

Floruit diuitijs, & vti ex familia nobili, ita liberali animo præditus erat: nunquam auri fame deuictus, ægros nullo præmio actus ſanauit: iſtius rei duo ſpecimina habemus. alterum Artaxerxis Regis, qui inuitauit eum ampliſſimis præmijs, vt ad ſe veniret: ille non potuit copia munerum debellari, ſed ſtatim reſpondit, ego diues ſum, nec egeo aliquo: quare tua munera non poſſunt ſuperare me, cum ſis rex eorum, qui ſunt Græcis inimici. Aliud eſt: quum Athenienſes mitterent Alcibiadem in expeditionem Siculam, miſit Theſſalum filium ſuum, proprijs ſumptibus pro ſalute exercitus, egeſtatibus vrgentibus. Ab Hippocrat. duo filij orti ſunt, Theſſalus alter, Draco alter, medici ambo: & quamuis aliqui comici ipſos deturpent, tamen acti furore inſipientiæ, illud faciunt, & ignorantiæ. Vixit annos plurimos, ſine aliqua ægritudine, aliqui dicunt ad 85. alij ad 94. quidam ad 104. quidam ad 109. protrahunt, hoc non refert, ſine ægritudine tamen vixit: in qua re, primum video nobiliſſimam natiuitatem eius, & temperaturam: deinde colligo, eum ita victum obſeruaſſe, vt iugularit omnes eius paſſiones, ex quo nunquam valetudinarius extitit.

Capite operto depingitur Hippocr.

Hinc capite veſte operto eius ſtatuæ effinguntur; aliqui dicunt factum, cautela abigendi noxia: nonnulli tenent, muniendum caput, quia ſic ſeruatur vniuerſum corpus. Obijt apud Lariſſeos in Theſſalia, vbi erectum eſt ſepulchrum eius, in quo ſtatim examen apum ædificatum eſt: quod mellis genus hanc peculiarē habebat facultatem, vt vlcera ſerpentia, quæ ſolent in ore exoriri puerorum, ſanaret. Auditores habuit celeberrimos medicos: inter quos dilectum habuit Polibum, cui coniunxit filiam: habuit Polenium, Dexippum, & alios, quos prætereo: & cum eſſet Doricus, noluit Dorica, ſed Ionica ſcribere lingua, tanquam dulciori: Attica tamen admiſcuit. Multos libros ſcripſit, quos Dioſcorides cognatus publicauit, inter quos libros primum locum obtinet, hic noſter liber, qui eſt legitimus Hippocratis: ex phraſi hoc colligo, ex materia, & integritate, atque ex authoritate Galeni in ſexto Methodi, capite ſexto, & eum explicat Galenus hunc nos exponendum ſuſcipimus.

Sco-

Scopus, ſubiectum, vtilitas. Cap. II.

QVis author libri, quo in loco natus, cuius familiæ, &c. dictum eſt: relinquitur, vt certo habeatis, hunc librum fuiſſe diuini Hippocratis legitimum, ex ordine, ſtylo, deinde ex materia; quia nunquam ab Hippocrate leuia, ſemper recondita habemus pręcepta, & niſi myſteria hęc à Galeno declarata eſſent, adhuc laterent. preterea Galenus ſexto methodi, capite ſexto, dixit legitimum eſſe Hippocratis librum de vulneribus: cum hæc ſint, certo habemus eſſe librum Hippocratis legitimum: ex illa authoritate Galeni ego colligo, cum videam hic aliquot deſiderari maximi momenti, cumque in Codicibus Græcis, quædam fruſtra inſerta conſpiciam de aere, aquis, & locis, venio in hanc ſententiam, in extremo calce mutilatum eſſe librum: quoniam vſque ad illum extremum video adeo ordinem concinnum, vt videatur mihi pulcherrima puella. Iam de ſcopo agamus, qui quidem certus eſt: ſcopus communis erat propoſitus ab Hippocrate vt fracta oſſa ſanaret, & quoniam hæc plurima ſunt, de omnibus alijs oſſibus tractat in libro de fracturis, in hoc libro agit de vulneribus, & fracturis oſſis capitis.

Scopus ergo eſt, vt, pernicioſis fracturis capitis liberet naturam humanam. *Scopus.*

Verum dubitabit quis, cum ſcripſerit librum de fracturis, cur ibi non loquutus eſt de fracturis capitis? hoc fecit Celſus, hoc Paulus, hoc Auicenn. 5. quarti, vt inſtituerent tractationem communem de fracturis. Hippocrates diſtinctum opus fecit, de fracturis capitis, & hoc duplici de cauſa, & ratione formæ, & ratione curationis: ratione formæ: quia, vt plurimum, cum fracturis oſſium capitis coniungitur vulnus: reliquæ fracturæ rariſſime habent coniuncta vulnera, ratione curationis, in reliquis fracturis non ſolemus aperire, nec comminuere, nec tollere partes fractas: in his aperimus, reſcindimus, deligatio nihil ferme facit in his, ſicut facit multum in illis. Subiectum libri, hoc eſt, materia ipſa, ſunt præcepta, quæ pertinent ad iſtam curationem; quæ, qualia ſunt, audietis. Vſus patet, caput continet cerebrum, quod gignit ſpiritum, qui eſt ſedes animæ, ideo ſeruato capite ſeruatur animæ domicilium. *Subiectum libri.* *Vſus.*

Ordo, & an liber medicus ſit, an practicus, & titulus. Cap. III.

ORdo talis eſt, quo collocatur: liber medicus exiſtit: ſed cum noſtri diuiſerint artem, in practicam, & theoricam, non eſt dubium, quod cum doceat modum ſecandi, aperiendi, tractandi, &c. quod practicus eſt. quoniam autem practici multi ſunt, inter Chirurgos adnumeratur. Chirurgici ſunt libri, de articulis, de vlceribus, de fracturis, de officina medici, &c. hic liber habet ſecundum locum. Primus locus eſt, libri de officina medici, vbi tractat præcepta communia, ad chirurgum pertinentia: cum deberet aſcendere, ad ſingularia, primum locum adſcribit libro de vulneribus capitis: quia caput eſt dignus: tertio de fracturis: quarto de art. agit. Inſcribitur de vulneribus, cum ſit de fracturis. Vidius inquit Hippocratē inſcripſiſſe de vulneribus, quia vulnera, aut pertingunt ad os, aut non: ſi non pertingunt, pertinet ad librum de vlceribus, ſi pertingunt, ad iſtum librum: ſed neniæ ſunt iſtæ. Verum eſt, quod tantum Hippoc. loquitur de vulneribus capitis, lædentibus os, quia ſemper mos ſuus fuit, loqui de rebus ſerijs, & maximi momenti. inſcripſit autem de vulneribus: quia, vt plurimum, fracto oſſe capitis, ſequitur vulnus: in reliquis, reliquatum partium, fracturis, id raro accidit. Addamus aliam cauſam, quia tales fracturæ ſapiunt naturam vulnerum, quæ eſt, vt in ſolutione continui relinquatur ſedes ferri: vulnus à contuſione differt, eo, quod eſt ſolutio continui, cæſim facta, in qua efficientis inſtrumenti ſedes manet, & ideo ſapiunt naturam vulneris fracturæ, quæ ſunt in capite: merito ergo Hippocrates vocauit de vulneribus, non de contuſione, vel fracturis; quia ſemper veſtigium remanet cædentis ferri. *Ordo.* *Chirurgici libri Hipp. qui ſint.* *Titulus.*

De ordine, & diuiſione rerum tractandarum. Cap. IIII.

VLtimum caput, eſt de ordine, & diuiſione rerum tractandarum, quæ ſeptem ſunt: Primum eſt, de natura partis affectæ, quod proponit Hippocr. nam non poteſt fieri (ut dicit Galen.) ut medicus ſanet, niſi cognoſcat partis naturam: & uidete, an aliquid prætermiſerit. primum explicat figuram caluariæ: ſecundo ſuturas: tertio craſſitiem: quarto duritiem: quinto denſitatem, & raritatem: ſexto æqualitatem & inæqualitatem: ſeptimo contenta ab ipſa caluaria: octauo, continentia ipſam, &c. nihil ergo prætermiſit. Secundum caput eſt: cum in iſta caluaria fiat ſolutio continui, non eſt vnum genus, & ideo declarat in ſecundo capite quot ſunt genera: & dicit, primum eſſe fixuram, ſecundum contuſionem, tertium depreſſionem oſſis, quartum inciſionem, vltimum, rimam. Tertio, quoniam iſtæ ſolutiones non omnes vno modo ſanantur, aliquæ deſiderant apertionem, aliquæ non: & ideo declarat tertio in loco, & diſtinguit inter ſolutas vnitates, & docet apertiſſime, vbi facienda apertio fuerit, & vbi ab hac deſiſtendum: cum factum ſit hoc, oportet cognoſcere ſpecies ſolutionum: quomodo autem poteſt fieri hoc? ſi habeamus inſtrumenta, & ſigna diſpoſita: & ideo in quarto loco, proponit ſigna, quibus cognoſcimus hæc, à tactu, à viſu, à relatione ægrotantis, aut organo feriente, & inſtrumento, præterea motu partium, an à remotis, an cominus: motus ſpeciem adiungit, & an vulnerator magnus, vel paruus, & vulneratus quomodo manebat, & ſuccedentia ſymptomata.

Quot ſunt ſolutiones continui in caluaria. Vbi fienda apertio.

Hoc facto, neceſſarium erat, ad curationem deſcendere. ante oſſa eſt caro, & cutis, quarum ratio eſt habenda: aliquando diducenda caro, aliquando dilatanda, aliquando non, quomodo hoc fiat, docet Hipp. 5. in loco. Sexto, tradit ſermonem de oſſis perforatione, in qua tractatione, videte, quæ nos doceat: primum, quando conueniat perforare: ſecundo, qua in parte oſſis: tertio, quomodo hoc, & illud apte agendum: quarto, quibus inſtrumentis: quinto quid agendum, quid imponendum, poſt perforationem. Vltimum caput pertinet ad ſymptomata: ego vellem, vt videretis, quæ dixi ſupra, de his ſymptomatibus. Hæc ſunt conuulſio, ſideratio, vel reſolutio, delirium, dolor capitis, & partis affectæ, tumor partium & febris: cum quibus ſtatim de expurgatione totius corporis verba facit: nihil ergo deeſt in hac tractatione, exceptis paruulis quibuſdam, quæ nos addemus. Veniamus nunc ad explicationem.

Quomodo dilatandū. Oſſis perforatio. Symptomata.

De capitum varietate. Cap. V.

6. Meth. 6.

NVllum capitis vulnus] in codice Cornarij habemus appendicem appoſitam: apud Græcos etiam codices varia addita ſunt, & varia deficientia dicta ſunt vſque ad illam partem [Hominum capita] omnia ſuperaddita ſunt: hoc poſſum probare ex codice Græco Cardin. Florentini, quem donauit Gallorum Regi, maiuſculis literis manuſcripto. Hoc etiam patet, quia Hipp. inordinate loqueretur, ſi adeſſent hæc verba: at Gal. teſtatur in hoc libro, nihil deſiderari, itaque expungite verba illa, & incipite veram lectionem. [Hominum capita.] Ergo tranſlationem Cornarij accepi eo, quod omnes ferme Latini eum ſequuntur, & corrigam eum: ideo mihi ignoſcatis, obſecro, ſi in reddendis veris vocibus immorans, moleſtus fuero: liber tranſlatus à Vidio, iſthæc non habet. [Hominum capita] Hinc incipit tractatio. Hipp. non vtitur procemijs, ſed ſtatim deuenit ad rem, & quoniam eſt poſitum in conſuetudine ad rem, vt, cum quis velit aliquod tractare morbi genus, vt explicet naturam partis, vt in lib. de fracturis, & articul. fecit, in quibus tanquam anatomicus, loquitur, de manu, pede, &c. ideo hunc morem ſeruat in hoc lib. Iſta autem natura partis conſiſtit in eorum cognitione, quæ ſuperius explicata ſunt. Hoc imitatus eſt Gal. in lib. de loc. aff. & Auicen. in 3. canone, hoc Hippocrat. more vſus eſt: & ideo inquit, [Hominum capita] Sed antequam naturam explicet, dicit, quod debemus obſeruare, quod quamuis deſcripturus ſit naturam partis, debemus tamen id percipere, cum quadam conditione: quia licet, vt plurimum, talis natura reperiatur: tamen in hoc, & illo variat multoties: leges enim non poſſunt ratæ poni in rebus naturalibus, ita faciendum in capite: ergo difficultas eſt cognoſcendi habitum naturalem partium, cum varius atque varius ſit. [Homi-

Natura partis morboſa explicanda. Varia hominum capita.

mi-

minum capita] videtur dicere, quod capita hominū nullā inter ſe ſimilitudinem habeant: hoc autem falſum eſt, quia omnia habent nares, oculos, &c. ſed ita intelligendum, nulla eſt pars in capite vno, quæ quidem aſſimilata alteri parti, alterius capitis ſit penitus ſimilis: ſicuti in pictis: natura enim variat: poſtea cum propoſuerit diſſimilitudinem, exemplis hoc indicat. Inſtitutum erat docere modum, ſecundum quem naturaliter ſe habent capita: ſed aggreditur tractationem ſuturarum, vt diſſimilitudinem declaret, exiſtentem in oſſibus, & ſuturis capitis, ſed cur exemplum protulit de coniunctionibus oſſium cranei, non de capillis contractis, & cincinatis: cur non de auribus magnis & paruis? quia, ſi quæ eſt paſſio varians in capite, eſt in coniunctionibus oſſium: ſecunda cauſa eſt: quoniam, cum dura ſit caluaria, & diu perduret, conſeruat diu varietates: & ideo facilius cognoſcitur varietas: quia poſt mortem, longo tempore ſeruatur varietas, in corpore duro: ſed aures pereunt, & capilli pereunt. Tertio, eò quod ipſe vult curare fracturas oſſis capitis, & iſtæ poſſunt decipere nos, credentes, fracturam eſſe ſuturæ: cum talis non ſit: cum ergo cognitio diſſimilitudinis ſuturarum, faciat ad curationem morbi, ideo de eis mentionem fecit: textus Hippocr. eſt: Hominum capita nihil inter ſe ſimiliter habent, neque ſuturæ capitis in omnibus eodem loco conſiſtunt] legite [eodem modo] quia ſic quantitatem, figuram, & locum diuerſum notare poteris: vt indicet varietatem coniunctionum, dicit, quod aliquando in capite non reperiuntur, niſi duæ ſuturæ: altera in parte anteriori tranſuerſa: altera per longum efficientes figuram literæ T, & hoc eſt, quum pars anterior prominet.

Verum quiſquis ex priore capitis parte declarat prominentiam quid ſit, [ad collum ſemper] legite [ad collum vſque] de qua re, quia locutus ſum diffuſe in lib. de oſſibus, ideo ad noſtram expoſitionem in illa factam cōfugiatis: Nō ſum ſollicitus in explicandis verbis, tum quia clara ſunt, tum propter aliā cauſam, q̄ dicam. Notate tamen Hipp. ingenium: potuit facere, ſicut fecit Gal. proponendo habitum naturalem capitis, & poſtea habitum præternaturam: ſed incepit à figuris non naturalibus: quoniam varietatem propoſuit: & etiam, quia methodo compoſitiua vtitur: primo ponit figuras præternaturales, hoc pacto exiſtentes T H. poſtea tertiam ſpeciem addit, hoc pacto exiſtentem I. factam ex duabus illis literis poſterioribus. Habemus igitur probatam varietatem humani capitis: ſed hoc aduertendum eſt, quod topice id probatum eſt, voloque admonere vos, quod quicquid dicitur, de his ſuturis, ex authoritate dicitur Hippocr. & Gal. referentis veluti hiſtoriam ab Hippocrate recitatam. Ego poſſum duobus modis Hipp. authoritatem defendere: aut, quod pro exemplo iſthæc promulgauit, & in exemplis, tanta veritas non expetitur: nam propoſitio Hippocr. erat, capita ſimilia ſunt diſſimiliter ſimilia, probat, eò quod ſuturæ hoc, aut illo variant modo. Hæc eſt ſeries Hippoc. verum in exemplo, de varietate locali, dico falſitatem ineſſe, ſed tamen probat aſſumtum, at non propterea reprehendendus diuinus ſenex: non potuerunt inueniri exempla, quatuor (vt aiunt) pedibus currentia: ſi vero Hippocr. id, vt hiſtoriam profert, nolo ei credere, & errare. Hippocr. voluit dicere hoc, cum ſit communis ſententia, ſicuti fuerat communis opinio, quod capita fœminarum varient à capitibus virorum, & hoc falſum eſt, & Ariſtotel. aſſerit, qui communi hiſtoriæ credidit. accuſandus ergo non eſt Hippocr. qui aſſumpſit exemplum commune creditum, accuſandus eſt Galen. quare non eſt laborandum cum Vidio, & Galen. quod quarta figura capitis non reperiatur: cum nulla aliarum dictarum reperiatur. Sed dicet quis: ergo Hippocr. protulit aſſumtum falſum: dico quod varia eſt capitis figura, quia adeſt diſſimilitudo in caluaria: prima eſt, quod ſecundum ætates variant coniunctiones, laxæ ſunt in puerili, compactæ in ſenili: ſecunda eſt, quia numero variant: in pueris, vſque ad ſeptimum annum, adeſt ſutura ſecans frontis ad ſupercilium vſque, altera varietas eſt, quia nunc perit vna, nunc altera ſutura, modo hæc, modo illa, ego dimitto Celſi exempla, vos reperietis capita, in quibus periere omnes ſuturæ. quarta varietas eſt, aliquando enim coniunctiones ſimplices, aliquando duplicatas inuenietis. Varia ergo ſunt hominum capita, probo ex hiſtoria, cum coniunctiones varient, nunc ſimplices, nunc duplicatæ, nunc pauciores ſunt, & ſic probatum eſt ex hiſtoria vera aſſumptum Hippocratis.

Hippoc. defenditur circa ſuturas.

Capita fœminarū nō variāt a capitibus virorum.

Capita ſine ſuturis.

De

De natura oſſis caluariæ. Cap. VI.

Hippocrat. conſuetudinem eſſe, antequam affectus partium curet, dicebam, earum explicare naturam, vt cognoſcamus affectus, præter naturam, à ſtatu naturali recedentes, & quamuis ſecundum naturam caluaria, & aliæ partes ſint tales, ac tales, ſemper tamen variant, aliqua ex parte. Hoc facto deſcendit ad deſcriptionem partium, & quia prima eſt cutis, & caro, ſecunda eſt membrana, quæ veſtit os: tertio ſunt oſſa: quarto eſt membrana dura: quinto eſt membrana mollis: ſexto eſt cerebrum: ſeptimo ſunt proceſſus cerebri: octauo ſunt vâſa: quibus aluntur: vltimo ſunt vaſa, & loca per quæ expurgantur partes iſtæ. de omnibus his loquitur Hipp. ſed non omnium explicat naturam: quia non neceſſarium erat: magis autem fuit ſollicitus in explicanda oſſium natura, tanquam in neceſſaria magis, cum de fracturis eorum ſit verba facturus, atque de eorundem curatione. propoſito hoc ſcopo, deſcendit ad explicandam naturam oſſis, non de colore, & figura, hæc enim habentur in anatome, ſed de craſſitudine, & tenuitate, & rubore, & imbecillitate, atque alijs paſſionibus naturalibus eius. [Duplex autem eſt] antequam declaret paſſiones naturales oſſis, duplicem (inquit) eſſe partem iſtius oſſis: non enim, vt reliqua oſſa, conſtant hac vnica lamina oſſea, ſed duplicata ſunt, ſi ſumitis fruſtum iſtius oſſis, & præcipuè in parte verticis ſuperiori, ſemper videbitis duas laminas: duas cruſtas oſſis, & vocant exteriorem partem laminam ſuperiorem: [iuxta medium caput] quia iſta duplicatio manifeſta eſt circa ſinciput, circa verticem, non quia aliæ partes non ſint duplicatæ. [conſimilis eſt color oſſis] Ego aliquando ſcandalum patior, in legendis doctiſſimorum virorum monumentis.

Cornarij error.
Vidius errat.

Cornarius doctus eſt, ſed vertit iſtam partem Hippocr. ita inepte, ita inerudite, vt mirum ſit: quid facit color, vt facile, vel difficile os frangi poſſit? Nec Vidius recte tranſtulit: quoniam dimiſit iſta verba. & per hæc intellexit æqualitatem ſuperficiei, & vult, vt Hipp. hic ponat tres conditiones oſſis naturalis: primo duritiem, ſecundo denſitatem: tertio leuitatem. ego non refero verba græca, ne faſtidium afferam: tota lis conſiſtit in vnico verbo ὁμόχροια. iſta vox intelligitur à Cornario pro ſimilitudine coloris: hoc nullus pædagogus diceret: Vidius doctior, leuigationem intellexit: & qua ratione? quam inquit noſter Vidius, quod χροὶς apud authores Græcos dicitur corpus: & citat ex Pharmaceutria Theocritum: vbi inquit, ò amor cur ſuxiſti ſanguinem tanquam ſanguiſuga à corpore? vnde χροιὰ dicitur corporeitas: homochrœa dicitur leuitas corporis. Hippocrates primo de fracturis 9. æqualitatem partis vocat homochrœam, & ita Hipp. tria proponit, denſitatem, duritiem, & æqualitatem partis exterioris: ſed decipitur hic vir, quamuis acceſſit ad ſcopum: & ſciatis, quòd Hipp. non meminit leuitatis, ſed duas tantum ponit conditiones; at Hipp. explicauit locum, & dixit: ego intelligo de ſuperficie æquali exteriori: vbi ſunt duæ conditiones. Volo autem, vt vos ita ſcribatis [duriſſimum autem] (quoniam inquit [Duriſſima vero) [& denſiſſimum] quòd ipſius ſupremum eſt] ea ſcilicet ſuperficies, quæ ſub carne eſt. [ſimiliter, quod infimum membranæ hæret] ea, ſcilicet æqualis ſuperficies, quæ infra eſt. Hæc ſunt verba legitima Hippocrat. ex quibus elicimus, quod cum conſtet os, ex duabus laminis: iſtæ duplicem habent ſuperficiem, exteriorem, quæ carni ſubeſt: interiorem, quæ tangit membranam cerebri: addit Hippocrat. hoc os non eſt vniforme, ſed in exteriori ſuperficie, hoc eſt, pars ſuperior & exterior oſſis duriſſima eſt & denſiſſima. Quæ autem eſt iſta pars? ſubdit Hippocrat. eſt ſuperficies exterior, ex 9. text. 1. de fract. & 10. etiam, & ex loco Theocriti patet, quod homochrœa ſignificet hanc planitiem: & veritas eſt, quod tanta durities eſt illius ſuperficiei, vt vitreas vocent eas recentiores: quoniam vitro ſunt ſimiles iſtæ, & denſiſſimæ, & ſolidiſſimæ: & quamuis vtræque vitreæ dicantur: durior tamen eſt interna ratione contuſionis: quia continuo & continuo à membrana interna contunditur, quæ continuo pulſat: ita ergo dura eſt ſuperficies iſthæc, vt mihi vitrum repræſentet. ſecedit autem à ſupremo, & infimo oſſe] &c. communis] legite cauus] eſt error codicis Græci, loco κοινότερον, legendum eſt κοιλότερον. ita enim ſe habent manuſcripti fideles codices. Habemus quale os in ſuperficie. infra ſuperficiem eſt minus denſum, & minus rarum. ſi auferatis vitream exteriorem, & inferiorem, inuenietis molliorem ſubſtantiam oſſis: donec ad meditullium perueniamus, ad duplicatam laminam) facit difficultatem, quaſi ſint diſtinctæ hæ laminæ ab oſſe, intelligit quòd exceptis duabus laminis illud, quod mediat, eſt tenerius, & ideo declarat quid intelligit per duplicatam laminam. maxime antroſa) legite (fiſtuloſa) & dicit, quod in-

Os ex duabus laminis

Lamina interna durior eſt.

telligit

telligit ſubſtantiam illam ſpongioſam, raram, & fiſtuloſam, quæ eſt in medio.

Recentiores cum intelligant Hippocr. iſta proferentem, quærunt dare rationem & dicunt, quòd ſolida, & dura eſt ſuperficies vtraque, ratione defenſionis, vt ſi galea, ſolida, in medio facta eſt caua, & laxa ratione fuliginum exeuntium à cerebro, ſi os æqualiter totum durum eſſet, non exire poſſent fuligines illæ: Domini, hæc dixi, ne decipiamini, quoniam cauſa iſtorum hæc non eſt: non eſt dubitandum, quod ſoliditas ſit ob robur, ne facile frangatur: ſpongioſum autem factum eſt, non ratione fuliginum: quoniam, cum os ſit in ſuperficie ſolidum, non admittit fuligines, & ſi admitteret, non poſſent egredi ratione cruſtæ exterioris: factum autem eſt laxum, & molle ob alimentum, quod apponit natura in illa fiſtula parata in mêdio oſſis corpore, & ita eſt os ſpongioſum, molle, & laxum. In illis autem oſſibus, in quibus in cauitatem vnam, colligit natura medullam. & duriſſima ſuperficies, & non adeſt ſubſtantia ſpongioſa: ſed eſt in cauo diſtincta medulla illa. cum ergo natura vellet apponere alimentum oſſi, non potuit facere craſſitiem, ne eſſet ponderoſum, & ita tenue fecit os: & imaginata eſt natura, exiccare, & dedit ſoliditatem ei, circa ſuperficies extremas: vt eſſet propugnaculum cerebro: illa durities eſt impedimento nutritioni; & ideo in medio corpore fecit fiſtulas, per quas medulla, & venæ deferrentur, & ita alimentum haberet: hæc eſt cauſa cauitatum, non fuligo. Eſt autem totum os capitis, ablatis partibus exterioribus, ſpongioſum, vt habeat locum, in quo contineatur alimentum. Et habet os in ſeipſo caruncula) cum dixerit ſuperficies exteriores duriſſimas & meditullium cauernoſum, deſcribit meditullium, & dicit, quod iſtæ fiſtulæ non ſunt vacuæ, ſed habent carunculas: o quam diuine deſcripſit Hippocrat. & anatomici omnes has omiſerunt. dicit ergo, quod in fiſtulis, continentur carunculæ quædam, & venulæ ſanguineæ, quæ non ſunt carunculæ, ſed vere pinguedo, & ideo ſimiles carunculas dixit Hippocrates, ideſt, veluti carunculas, non veras carunculas: ſi frangatis caput recens, videbitis portiunculas medullæ, quæ, ſi terantur digitis, expuunt ſanguinem, ideſt, conuertuntur in cruorem, & eliquantur. & iſtæ præbent oſſi alimentum, ſunt medullæ quia omnia oſſa aluntur ex medulla: oſſa non carne, ſed medulla aluntur: ſubiungit, quod ſunt venulæ copioſæ, quarum videbitis effuſionem, quando terebratur craneum: ex hoc loco Hippocrat. volo vt colligatis, an vera ſit ſententia, quod cauitas facta ſit pro alimento, non pro fuliginibus, quoniam per iſtam cauitatem concurrunt venulæ, & veluti carunculæ: colligatis ex hoc, quod pro tertia conditione non additur ab Hippocrate æqualitas ſuperficiei, quia hic Hippocrat. colligens conditiones, & dicens, Quod igitur ad duritiem) ſuperficiei mentionem non fecit: ſed duritiei & denſitatis, & per cauitatem intelligit raritatem oppoſitam duritiei: ego poſſem per capita, librum hunc percurrere, ſed iniuria afficeretur Hippocr. ideo ponderanda omnia verba examinabo.

Quare oſſis ſuperficies dura pars, interna non.

De robore, & imbecillitate oſſium, & primo de imbecillitate ſincipitis. Cap. VII.

QVi voluerit diligenter aſſequi an fractum ſit os capitis, & qua ratione opus eſt, vt diligentiſſime qualitates huius oſſis naturales cognoſcat: inter quas primum locum vendicarunt mollities, atque durities: requiritur, vt cognoſcatur raritas, & denſitas: primum, vt cognoſcat biformem ſubſtantiam, & intimam partem rariorem. Hæc proponit Hipp. quibus geminæ aliæ adduntur notæ, & iſtæ ſunt craſſities, & robur: tenuitas, & imbecillitas: ideſt, ſubſtantia oſſis tenuis, & craſſa: per imbecillitatem intelligimus vel inhærentem oſſi, naturalem, vel ratione: naturalis, eſt laxitas ſubſtantiæ, imbecillitas contracta in primordio oſſis: nam quædam ſunt partes, quæ in ſuo ortu contrahunt imbecillitatem: ita vt corpus ſit friabile, & facile pars à parte ſeparari poſſit: vel quum non viget calor, vt facile non concoquatur, & immutetur, & noxia non expellantur: alia imbecillitas eſt, ratione alia, & eſt aut intima oſſis cauſa, aut externa: intima, eſt tenuitas, quia attenuatum os, facile læditur: alia eſt ratione adhærentiæ, & continentium, aut contentorum. os capitis nos dicimus imbecillum, primum ratione continentiæ, cum habeat carnem ſuprapoſitam tenuiſſimam: & ideo illud os minus reſiſtit: vel huic oſſi adiuncta eſt aliqua vena, vel vas magnum, vel muſculus inſignis, & quum illo loco offenditur, facilius offenditur: præterea, ratione contentorum illud os facile læditur: quod maiorem quantitatem habet cerebri ſubiecti, & magis adhærentem membranam. Ad hæc omnia reſpiciens Hipp. quum loquitur de imbecillitate oſſium, omnia refert in hæc. (vniuerſi capitis os) exceptis oſſibus petroſis, omnes partes capitis tenues ſunt, ſed non eodem modo omnes partes

Digitized by Google

tes proponit Hippocrat. primum tenue, ſecundum medium, tertium craſſiſſimum: primum eſt, quicquid continetur inter frontem & verticem, in homine; illud totum voca-
Sinciput. tur ſinciput, βρέγμα à Græcis. Hæc pars, in qua collocatur fouea, in puerulis habet os tenuiſſimum) dixit eſſe tenuiſſimum: repugnant anatomici, & dicunt non eſſe tenuiſſimum: quoniam, ſi conferamus partes ſuperiores, & laterales ſincipitis, in parte ſuperiori, ſunt craſſiora oſſa, imo quæ iuxta tempora ſunt, ſunt ſquamoſa, attenuata: & tamen Hippocrat. dixit, iſtud os omnium eſſe tenuiſſimum; aduertatis, quod, ſi obſeruemus in conſiſtenti ætate, atque in ſenibus, non eſt dubium, quod partes laterales ſint tenuiores: ſed donec vir augetur, & creſcit, excepto illo minimo margine, quo iungitur os illud cum oſſibus temporum, ſemper pars ſuperior tenuiſſima eſt, & ideo non errauit Hippocrat. Addatis & aliam rationem, quod quando nos conferimus partes oſſeas, debemus conferre illa, quæ duas laminas habent manifeſtas, inter illa ſemper hæc ſincipitis oſſa ſunt tenuiora; at oſſa temporum vnica ferme conſtant lamina: nec habent meditullium medium: collatio ergo Hippocrat. eſt inter oſſa geminas laminas habentia: & ita ſatisfecimus dubitationi.

Imbecilla etiam eſſe dixit, quare? quia adeſt omnium generum imbecillitas: nam in ſumma parte non ſunt facta oſſa in generatione: ſed fiunt adoleſcente puerulo, poſt generationem: conſpiciatis poros oſſeos, callos illos, qui fiunt poſt generationem, in oſſibus fractis; non ſunt eius duritiei: conferatis appendices factas oſſa cum oſſibus factis à primordio ſemper erunt molliores appendices: ita ſunt imbecillæ iſtæ partes ſincipitis, cum non ſint oſſa in generatione: præterea iſta oſſa habent carnem, ideſt corium carnoſum, quod ſuperimponitur, tenuiſſimum, quam in reliquis partibus: alia occaſio imbecillitatis eſt, quia ſub hoc oſſe continetur plurimum cerebri, ideo plurimum humiditatis ei ſubminiſtratur: præterea hoc os multas ſuturas habet in generatione. (& quia hæc) caſtigetis expungendo vocem (quia) & legite (& hæc ita ſe habent) poſtea quum dicit (vt & vulnera, & tela) legatis (& ſi vulnerationes) miror cum legatur in codice Græco τρώσιες, id eſt vulnerationes, quomodo iſti (vulnera) reddiderint: & eſt addenda vox (ſi) nam Hippocrates vult probare imbecillitatem partis: primo, quia facilius læditur reliquis: præterea, quia facilius in hac parte læditur cerebrum: tertio quoniam lethalia ſunt vulnera in hac parte: quarto, nam ſi ſit vulnus lethale, in hac parte & in alia, facilius moritur hic, quam alibi vulneratus: & dicit Hippocrates, ſi æquale fuerit telum, idem vulnerans, idemque vulnerandi actus, id eſt, ſi ſit *vn man riverſo, vn fendente*:
Vulneratio latina vox. & ideo non poſſumus legere, vulnera: & vulneratio eſt vox Latina ex Cicerone, ex Cæſare, & ſignificat actum vulnerandi. ſi ergo actus vulnerandi idem, idem telum, & aliquantiſper minus, exempli gratia: Vulneratur quis ab eodem ictu, per idem ſpacium, & eadem violentia in ſincipite, & occipite: ſed ſit aliquantiſper in occipite maior vis feriendi, erit in ſincipite maius vulnus ob imbecillitatem partis: hoc os rumpitur, contunditur, & intro cæſum cedit.

Hæc ſunt tria genera fracturarum, inferius declaranda: addit & hæc vulnera ſunt lethalia, ob quatuor cauſas: ſed potiſſimum, quia cerebrum iuxta ſinciput maxime ſentit malum, cum plurimum cerebri, ſub ſincipite iaceat, & minus corij adſit: non eſt dubium, quod plurimum cerebri contineatur, ſub illa parte, cum perpendiculariter ipſi ſubſit: addite etiam membranas facere poſſe hoc, quæ habent diuerſitatem inter ſe ſe, quoniam in aliquo loco habent ſinus cauos, in aliquo ſunt ſolidæ.

Epilogus. His propoſitis dicebat Hippocrates ſincipitis oſſa eſſe tenuiſſima omnium oſſium: ſunt etiam imbecillia, tum ratione tenuitatis, tum quia fere excarnia ſunt: tertium eſt quoniam intimam habent cauſam, ſcilicet cerebrum copioſum ſub ſe, & idcirco omnia vulnera in ſincipite, certiorem proferunt mortem, quam alia, & difficiliorem arguunt ſui curationem: & ratio potiſſima eſt, cum ſit hic maior pars cerebri, quæ citius læſionem ſentit.

Dubi-

Dubitatio an vulnera ſincipitis magis lethalia temporum vulneribus ; & an cerebrum ſentiat. Cap. VIII.

Dubitatio.

HIppocrat. vulnera hæc ſincipitis facilius inferre mortem, & facilius à morte liberari, multis concluſit rationibus. Recentiores medici proponunt difficultatem oſſis fracti in tempore: primo, quia non poſſumus tractare vulnus: non dilatare, non detegere os, non enim audemus ſecare muſculum. præterea muſculo affecto, fit delirium, & reſolutio: tertio non poſſumus aperire in inferiori parte, ne cadat cerebrum, ideo oportet ratione defluxus ſaniei aperire in parte ſuperiori. Hæc autem non ſunt in ſincipite, & tamen inquit Hippocrates, quod difficilius curantur vulnera in ſincipite.

Solutio.

Niſi Hippocrat. proponeret cauſam, difficultas non tolleretur, quoniam verum proponunt recentiores: vera tamen eſt ſententia Hippocrat. nam etiam in vulnere ſincipitis vulnus ſanatur: loquitur enim Hippocr. de vulneribus lethalibus, & ideo demus lethalia, in ſincipite, & temporibus: difficilius euitatur mors in ſincipitis plaga, ratio dependet à ſubiecto cerebro: lethum pendet ab offenſione cerebri: dicunt, labitur cerebrum: Reſpondeo, quod poſſumus prouidere huic fluxui: at cerebrum habet diuiſionem in ſincipite, in qua colligitur ſanies: eſt abundans ibi, ideo magis patitur ibi, quam alibi caput ipſum: ſed cur cerebrum celerrime perſentit ibi malum? Reſpondet Hipp. quoniam ibi habet diuiſionem, & ibi abundanter colligitur.

Cerebrum ſentit proprias, et oſſis, et membranæ affectiones.

Ex authoritate Hippocrat. habetur cerebrum ſentire affectiones proprias, & alienas, ſcilicet oſſis, & membranæ: non dubitamus, quod cerebrum aggregatum inſtrumentū habeat ſenſum: verum, ſi loquamur de propria ſubſtantia cerebri: difficultas eſt non leuis: aliqui putant ſubſtantiam illam haberi ſenſum, & moueri per contractionem, & dilatationem: & Realdus Columbus id voluit: ſed credo, illum non habuiſſe cerebrum ſecum. aliqui vero mouentur, ad hoc aſſerendum, illa ratione: nemo dat, quod non habet: cerebrum habet facultatem ſentiendi, fruſtra illa potentia, quæ non reducitur ad actum, ideo cerebrum ſentit: quod cerebrum habeat facultatem ſentiendi, confeſſum eſt ab omnibus, quia inde fluunt nerui ſenſum habentes: poſtea additur authoritas Galeni, vbi loquens de partibus dolorem percipientibus, dicebat, quod medulla, & cerebrum connumerantur inter partes ſentientes, non ſolum grauedines quaſdam, ſed dolorem ponderoſum (vt iſti dicunt) grauatiuum: ſunt alia loca: quoniam autem iſtæ difficultates non ſunt producendæ, ideo colligamus cerebrum habere vim ſentiendi, & præcipue tactu, vt læſiones percipiat.

An cerebrū ſentiat.

Colūbi error.

In lib. de pleuit. 4.

2. de comp. med. loc. & alibi.

Difficultatem faciunt authoritates multæ, non modo Ariſtot. 3. de hiſtor. animal. 19. vbi dicit non habere ſenſum, & habemus (inquit) experimentum in hoc, ſed etiam Gal. quoniā Ariſt. authoritas in ijs non eſt tanti momenti, ſicut in communibus, ideo non multi facienda eſt. Gal. autem 8. de vſu part. tertio, vbi loquitur, de ſenſorio odoratus, vult, quod aſcendant vapores per colatorium, ad vētriculos cerebri, & ſic fieri odoratum: tandem colligit, ſolam ex omnibus ſenſationibus iſtam, qua nos odoramur, ineſſe cerebro. Hæc authoritas maximi eſt momenti: accedit eiuſdem Gal. ſecunda, primo de cauſ. ſymptom. vbi dicit cerebrum non eſſe ſentiens inſtrumentum, ſed ſenſoriorum organorum inſtrumentum ſentiens, & ob hoc factum à natura. Hinc eſt, quod nos videmus cerebrum non videre, non guſtare, nec moueri, quamuis facultatem habeat: ideo contradictionem videre manifeſtam, in dictis Gal. in vno loco priuat omni ſenſu: in altero dat tantum odoratum, in altero grauitatem ſenſus, & exquiſitum ſenſum: ego toties derterſi, & pupugi cerebrum, & nunquam adfuit ſenſus doloris: hoc expertus ſum in hominibus mente valentibus, & etiam in brutis, & ideo credo, quod non ſentiat ſenſu tactus: & quamuis verum ſit, habere facultatem ſentiendi: non dubito, quod cerebrum ſit fons, et origo facultatum ſentiendi: concedamus, quod ſit facultas odorandi, ſed dubium eſt, an ſit in proceſſibus mammillaribus, facultas eſt in cerebro non deſtinata, vt cerebrum ſentiat, ſed vt ab eo tranſmittatur ad propria inſtrumenta.

Ariſtot. authoritas in particularibus non valet.

Cap. 8.

Determinatio.

Hic eſt finis, & ita peruenit ad actum iſta facultas: facultas non agit: ſed eſt illa, qua agitur: veluti acies ſecuris eſt illa, qua agitur ſecatio: at ipſa non ſecat: dico igitur, quod ad actionem requiritur ſubiectum, & forma ſubiectum informatum agit, non forma ſola: oculis ſubiectum opportunum per iſtam facultatem videt: verum in cerebro non adeſt ſubiectum, ideo non videt, non guſtat, nec aliquo modo ſentit. Ad authoritates: ſum iſtius ſententiæ, quod authoritates poſteriores ſint legitimæ: at contrarium dicite, in eo loco, Gale

num non intelligere proprium corpus cerebri:ſed totum aggregatum ex ſubſtantia cerebri, arteriolis,venis diſſeminatis, & membranulis veſtientibus arteriolas, & venas; quid autem te mouet,vt dicas,Galenum loqui de ſubſtantia cerebri cum membranulis? legite Gal.in eodem capite,parum ſupra,vbi dicit, venas & arterias percipere ſenſum: at probatum eſt, ſubſtantiam venæ nullum habere ſenſum,cum non ſit ex neruo,nec ducat principium à principio mediato vel immediato: cum igitur venæ non coniungantur cerebro per neruum, nec ſint ex ſubſtantia nerui, ergo venæ, & arteriæ non habent ſenſum. tollebam hanc contradictionem,quoniam intelligebat hæc vaſa, cum ſubſtantia, & pelliculis ſuis, ac membranulis ſentientibus: ſcopus enim Galeni erat, quod omnes partes percipiunt abundantiam, & redundantiam ſuccorum:ſi ergo venas dixit Galen.ibi,intellexit non de propria ſubſtantia earum,ſed iunctas cum membranulis,ita & cerebrum.quid ad Hipp.dicatis? quod per ſentire, hic nõ intelligimus cognitionem ſenſibilem: ſed participationem affectus: cerebrum enim ſentit affectum,ideſt particeps ſit noxæ,& malorum,quæ in carne,& oſſe fiunt.

De imbecillitate oſsium temporum. Cap. IX.

CAeterum ex reliquis oſſibus,id quod circa tempora eſt, debiliſſimũ eſt. Habemus primum locum tenuitatis & imbecillitatis in capite, & eſt ſinciput: proponit iam ſecundum, quod minus imbecillum eſt, vtos circa tempora: & admiror diuinitatem iſtius viri: quoniam uidebat, quod præter tenuitatem,imbecillitas prouenit ratione contenti,& cõtinentis: & quia imbecillitas ratione contenti maior eſt: ideo propoſuit eam in ſincipite Iam proponit imbecillitatem ratione partium continentium,eo quod ibi cerebrum paucum, non diuiſio, non copia membranularum: ratione ergo continentium proponit periculum in temporibus: & primum continens,eſt articulus maxillæ inferioris, cum ipſo capite: & quare adeſt difficultas? quia mouetur articulus, quum bibimus,quũ cibamur,& loquimur,& præſente motu periculoſa,& difficile curabilia vulnera fiunt:& auditus] ſecunda cauſa imbecillitatis eſt propter

Vulnera tẽporum cur difficilia curatu.

ſenſorium:quia eſt meatus auditorius: quantum organa facietia ad ſenſum ſint magni momenti,vos ſcitis.& uena] tertia cauſa imbecillitatis eſt:quoniã adſunt uaſa maximi momenti,cum per tempora vena inſignis percurrat,caua, & fortis, & hanc intelligunt pro vna temporali: ego vellem, vt notaretis myſterium verborum: [caua ac fortis] duplex enim genus venarum intelligit,& ramum iugularis,quæ oritur à vena caua,& ideo cauam vocat:& arteriam,quam vocat fortem,eo quòd(vt dicebat Plato) vehementi,& forti impetu agitur, & ideo fortis dicta eſt,ab Hipp & hęc facit maiorem difficultatem in vulneribus,quam vena ipſa:ſed ego miror, quomodo Hipp. omiſit muſculum temporalem,qui facit maximam noxam vulneratus,à quo ferme omnia incommoda oriuntur:cum præterea in libro,qui inſcribitur,Coacæ præcognitiones,huius meminerit Hippocr Reddunt rationem recentiores:& dicunt propoſuiſſe temporum vulnera:quia muſculus adeſt, qui ſi vulneretur,maximi momenti, & difficillimæ curationis exiſtit. cur ergo hic Hippocrates nec verbum quidem? vel non nouit vim muſculi:cum tot nouerit,non eſt dicendum:preſertim,cum eius teſtimonia habeamus,eum nouiſſe,teſtificantia,vt 2.de art.20.21.22.vbi repetitis Hippocrat.dicentis, quod ſi muſculus temporalis in luxatione maxillæ diſtendatur, uel loco dimoueatur, facit torporem,marcorem,delirium,ac inſipientiam: eſt etiam alius locus in eodem libr. text.9. vbi ait, quod vulnera quæ fiunt in muſculo temporali, lethalia ſunt, faciunt vomitum ac conuulſionem,ſoporem inducunt,in omnibus conuulſionibus,in vniuerſo corpore:primũ quod rigorem facit,eſt hic muſculus: videte,an nouerit vim:ergo non prætermiſit,quia non

Quare Hipp. omiſit muſculum temporalem.

nouit:qua ratione ergo? difficile eſt reddere hanc rationem:credo tamen(ſed non mihi ſatiſfacio,quoniam debebat dicere)quod hæc fuerit cauſa,ſi nos obſeruemus,qua ratione hi muſculi tanti ſint momenti, non poſſumus referre in puram carnem illam, cũ panniculo, quæ faciunt muſculum:ſed in particulas illas,ex quibus muſculi ſunt compoſiti. Muſculus temporalis turget plurimo ſpiritu vitali,& animali:animali ratione plurimorum neruorum: vitali,ratione venarum: cum ergo plurima iſta numeraſſet Hippocrat. ſuperfluum duxit numerare muſculos iſtos: quia opus fuiſſet, reddere rationem muſculi, ita offendentis corpus: ſi ipſa tactum eſt:quoniam non aliam cauſam adducere potuiſſet,niſi ratione vaſorum ſcilicet:quia ſunt tales venæ,tales nerui,&c. dimiſit tamen neruos,quos ſi poſuiſſet, omnia declaraſſet:niſi hoc vobis ſatisfaciat, neſcio qua ratione Hippocra. id effecerit.

Digitized by Google

De oſſibus verticis. Cap. X.

EX omni vero capitis oſſe robuſtius] Habuimus & primum, & ſecundum locum imbecillitatis: iam ſubdit tertium locum, in quo oſſa minus læduntur, & eſt pars circa verticem, & in parte poſteriori aurium: ratio, cur iſta ſint minus imbecilla, hæc eſt: quia iſta oſſa ſunt craſſiora: patet per anatomicos, qui volunt: quod os, quod facit occiput, ſit craſſius reliquis oſſibus, & anterioribus, & ſuperioribus; ſecundo, ſunt oſſa petroſa poſt aures, & ratione craſſitiei, robur habent, & in illa parte copioſior eſt caro, & cutis eſt craſſior, & magis carnoſa: addatis, quod multæ ſunt chordæ, ſunt ligamenta craſſa, quæ addunt operculum oſſi, vt non ita facile lædatur: præterea in parte illa poſteriori continetur cerebellum, quod non eſt ita nobile, vt cerebrum: præterea minor quantitas eſt cerebri ibi, quàm alibi, ideo & ratione continentium, & contentorum, robur habēt oſſa iſta: per verticem autem, non accipit partem illam, quam Latini intelligunt, pro parte ſuperiori, quæ eſt ſinciput: ſed intelligit partem poſteriorem, quæ in brutis vere vertex eſt: ergo cum in maiori parte animalium ſit vertex in occipire, non immerito Hippocra. ita vocauit. [& quod eſt retro aures] in Codice Græco legimus, [quæ eſt aurium] ſed non refert. [& carnem ampliorem] reddit rationem roboris, & minoris imbecillitatis. [& vulneribus] legite [vulnerationibus] & ſtante oſſis robore, ſi vulneretur à grauiori, ſeu æquali vulneratione, & gladio, ſemper minus lædetur, ob has cauſas: quam pars ſincipitis dicta: Aliud notandum, quod non ita lethalia erunt vulnera, in parte poſteriori; ſicut in anteriori: & ſi lethalia ambo, quod eſt in parte poſteriori, tardius occidet hominem, quam ſi fuerit in anteriori. in longiore enim tempore] Reddit rationem, cur tardius pereat homo, ex vulnere, in parte poſteriori: & ſimul, & ſemel dat cauſam, cur vulnera oſſium, illæſo manente cerebro, ſunt mortis cauſa: atque ait, cum os hoc craſſum ſit, tardius percolat ſanies ad cerebrum corrumpendum: quia tardius os conteritur: alia cauſa eſt, quia paucum ſubeſt cerebrum, huic parti. [ex hoc] ſi hoc eſt verum, colligere poſſumus: quod datis duobus vulneribus, in anteriori ſcilicet altero in poſteriori ictus, quam in anteriori ſede. nemo audeat hoc negare, verum etenim eſt, atque hoc millies expertus ſum in praxi. [ſed & hyeme] notate pulcherrimum additamentum: Hippocrates non erat contentus, quod experientia confirmaret ſententiam ſuam: nam aliquis dixiſſet, cur vna pars magis interficit, quā alia, ideo aſſumit Hippocrates argumentum, à minori ad maius: & hac ratione dicit, extrinſeca minus deberent variare vulnera, quam intrinſeca: ſi igitur temperaturæ aeris variant vulnera hæc, & hoc fit ab illo, à quo deberet minus fieri, multo magis fiet à cauſis intrinſecis, & hoc modo infert, ſi duo debent mori, citius moritur vulneratus, in ęſtate, quam in hyeme: & tāto magis, ſi quis vulneratus eſt in ſincipite, quam in occipitio: hoc autem praxi clarum eſt, & ideo id quod de temporibus ſubiungit Hippocrates, non videatur extra propoſitum, ſicut prima fronte apparet. Omnes chirurgi confirmant hanc rationem Hippocratis. *Aeſtate citius moritur vulneratus quā in hyeme.* In hyeme enim mala indicia ſolent apparere, vltra 14. in æſtate, vltra 7. & expectamus mortem circa 14. in hyeme circa 20. aut 22. ergo vera eſt probatio Hippocratis. cur autem in hyeme virtus vitalis eſt viuacior: quia magis conſeruatur, & tuetur vitam, & conſortium animæ cum corpore à noxijs: & ideo magis diſcutitur malus humor. Quare autem conſeruatur magis virtus vitalis in hyeme? quoniam ex prima Aphoriſmorum, hyeme & vere ſolent eſſe calidiſſimi ventres, vapore illo calido inſito, quo fouetur anima noſtra, & cum calor ſit inſtrumentum, & vinculum animæ, ideo magis fouetur anima, cum corpore, & vita: Dixit autem ventres: tres enim ſunt ventres: inferior, in quo continentur viſcera, quæ faciunt ad concoctionem: medius, in quo continentur membra, quæ faciunt vitam: & ſuperior venter, quod eſt caput ipſum: reddit rationem ex Ariſtotele Galenus, cur ventres calidiores hyeme: eſtque per antiperiſtaſim, cum recedit calor ab extimis partibus, & vnitus vigeat, & validior fiat: ſed proferamus aliam rationem, ex Ariſtotele, vbi loquens de ſimili materia, inquit, quod ventres ſunt calidiores hyeme, & æſtate frigidi, & quia caput eſt venter, & ventres æſtate ſunt frigidi, vita conſeruatur per calorem, ergo citius, & facilius pereunt æſtate homines, quam brumali tempeſtate. ſed qua ratione frigidi æſtate ventres? *Cur vētres hyeme calidiores. Prima ſect. prob. 23. 24 ſect. 13.* quia ambiens calidum habet vim attrahendi, & pori ſunt aperti, & ideo calor inſitus exhalat: In hyeme abundat, ne per antiperiſtaſim? hoc non dicit: ſed quia tunc magis conſtipata eſt cutis, & ideo calidus vapor, exhalare non poteſt, condenſatur autem cutis, à frigore ambiente. Interrogate laborantes dolore capitis, ob morbum Gallicum: vigeſima ſecunda hora incipit, vſque ad matutinam, quia condenſantur coria, & pori, & cutis, & tunc non exhalat illa mala humorum copia, *Cur laborātes Gallico morbo capitis dolores in nocte ſentiunt.*

Digitized by Google

exemplum ab Ariſtotel. quod patet in morituris, quos ſi perfundamus aqua frigida, tardius pereunt: hoc vti poteſtis, quando vultis, vt moriturus ſuum conſtituat teſtamentum: & ego habeo exemplum oppoſitum, quod in illis locis, in quibus ſolent ſupplicia ſumere, per crura fracta, ſi detur potui, aut vinum, aut aqua frigida, cito pereunt: quia ſtatim refrigerantur viſcera, & cedit calor.

Secretũ retardandi mortem.

Hoc exemplum facit ad contrarium (ſed quanti momenti ſit ad deſtruendum Ariſtotel. exemplum, viderint, qui norint: quantum differat, intus exhibere, & exterius applicare remedia: ſi frigidum aſſumatur interius, accelerat necem: quoniam calorem naturalem extinguit, atque aſſumit, & fugat, qui eſt in cauſa nexus animæ, & corporis: at ſi frigida infundatur exterius, ſicut dicit Ariſtotel. calor, qui à centro ad circumferentiam euocatus, euolare prope volebat, contrario frigido actus intro propellitur, cum illo exiguo, quod reliquum erat, vnitur: atque ita connexus illi, qui prope diſſolutus erat, retinetur. Ex hoc patet vtrunque exemplum eſſe verum, nec alterum alteri oppoſitum.) Habetis ergo probatam Hippocrat. ſententiam, quod ratione locorum, variatur lethum in vulneribus, confirmato hoc per temporum varias, atque varias diſpoſitiones. Hippocrat. igitur integra ſententia ſit, in parte poſteriori; ſi autem vtraque lethalia ſint; tardius perit vulneratus, in poſteriori: ratio eſt, quia os craſſius, tardius putreſcit, & ideo ſerius concreſcit ſanies, præterea minus cerebri continet, vnde partes capitis variant in ſanitate, & in tempore mortis. Confirmauit hoc diuinus Hipp. argumento aſſumto à diuerſitate temporum: quoniam ſi valet temporum varietas, ad accelerandam, aut retardandam mortem, tanto magis poterit partium affectarum varietas.

Cõtra Fallop.

Epilogus.

Reſpondetur obiectioni circa ſuperius explicata. *Cap. XI.*

AT vero ſedes) antequam vlterius procedam, notate, quod Cornarius male vertit: inquit enim (ipſæ in ſeipſis) neſciebat, vbi eſſet ſuum cerebrum, quando hæc tranſtulit: expungite (in ſeipſis) dicite (ipſæ per ſe ſolæ factæ in oſſe, vel fientes) deinde, quum dicis (cum fiſſura) ſcribite (ſine fiſſura) parco ipſi, quoniam in Codice Græco eſt etiam mendum: ideo caſtigate vtrunque, & quum dicit (ac introceſſione) legite (aut introceſſione) ita emendate. In hac parte Hippocrat. reſpondet obiectioni, & inquit, quando accidit, vt vulnus lethale in poſteriori tardius inducat mortem: ergo non credo fieri ratione loci, ſed poteſt prouenire: quia affectio eſt maior in anteriori parte, quam in poſteriori: nam ſi in vtroque loco eſſet æquale vulnus: æquali tempore ſuccederet mors: hoc nõ prouenit, niſi, quia difficilius poſterior pars vulneratur, cum durior ſit, & non ita frangatur: ergo vulnera non ſunt æqualia.

Reſpondet Hippocrates: demus duo vulnera æqualia, tardior ſuccedet mors, in poſteriori: ſed dicet quis impoſſibile eſt, dari duo vulnera æqualia: alterum etenim os craſſum eſt, alterum tenue: dicit Hippoc. non loquimur de contuſione, ſed de ſectione: accipiatur gladius leuis, ſecans tantum, hic ſecabit æqualiter vtrunque ſine contuſione, nam gladius bene ſecans æqualiter ſecabit os: in iſto vulnere maius, celeriuſque ſuccedit periculum in parte anteriori, quam in poſteriori. Per ſedem intelligimus vulnera cæſim facta, vt audietis: multa enim ſunt fracturarum genera, inter quæ eſt ſedes, quando gladius ſecat. Dixit autem (leuiorem) ne contundant: quoniam in eo caſu facilius contunditur os tenue: vult igitur capere vulnera duo, cæſim facta, in quorum neutro ſit contuſio (ipſæ per ſe ſolæ) ſcilicet os tantum ſecatum ſit, nec contuſum; nec fiſſum: non ſit rima, non contuſio, nec depreſſio oſſis, ſed tantum ſectio, & ſedes: ſint ergo vulnera æqualia, facilius ſanantur in poſteriori, & difficilius, & tardius ſuccedit mors.

De

De ſuturis oſſium capitis. Cap. XII.

SVturæ vero)vbi inquit(debiliſſimus æger eſt)legite(debiliſſima eſt)referendo ad ſuturam:expungite(telum)legite(vulnus in ſincipite)miror, vnde hæc ſomniarit:nos audiuimus differre partes triplici loco, in parte poſteriori,anteriori,& circa tempora:ſed quia videbat Hippo.quod præter ſubiectum cerebrum, & continentia corpora, &c. ſuperius dicta,erat aliud quod faceret ad naturam loci cognoſcendam,meminit ſtatim ſuturarum,& dicit:aduertite,quod imbecillitas augetur,vel diminuitur ratione ſuturarum:quoniam,vbi eſt ſutura,& cerebrum admittit facilius nocumenta:ſutura igitur auget imbecillitatem:vnde opus eſt,vt vos adhibeatis diligentiam,in vulneribus,& obſeruetis an adſit ſutura.

Nam ſi non adeſt ſutura,tantum eſt loci naturalis imbecillitas:ſi vero ſutura fuerit,augetur imbecillitas,& tanti momenti eſt : vt ſi ſit vulnus in parte poſteriori, in ſutura, adæquat periculum læſionis factæ,in anteriori parte,ſine læſione ſuturæ: ſed cur ſutura tantum periculum inducit? Gemina eſt cauſa,altera per ſe patet: quia in ſutura os eſt diuiſum:& non eſt dubium hoc,quod facilius cedit vtraque pars, quam faceret,ſi integrum eſſet os: alia cauſſa aſſumta eſt à ligamento coniungente membranam veſtientem os, & cerebrum; cum autem membrana facilius inflammetur:ideo ſtatim læſa ſututa leſio communicatur ligamento:quo mediante,cerebro læſio impertitur. Colligimus ergo ex hoc loco, oſſis imbecillitatem oriri ex ſuturis,cuius oppoſitum videtur ſentire Gal in libro de vſu partium cap.de vſu ſuturarum,vbi dicit:ſuturas factas,vt oſſa capitis difficilius patiantur:nam dicit,ſi contunditur pars anterior, non exiſtentibus ſuturis, communicaretur contuſio partibus poſterioribus:ergo ſuturæ faciunt ad robur,non ad imbecillitatem, vt ſentit Hippocrates, vtraque ratio vera eſt, & recte ſentit Galenus, rectiſſime Hippocrates, nam verum eſt, quod ad robur vniuerſi capitis facit ſutura, ſcilicet vt rimæ, & fracturæ non procedant, ab vna parte capitis ad aliam,vt audietis,vbi diſputabo de his,cur cum percutitur vna pars,frangitur oppoſita,vt patet in vitris:& dicam non poſſe fieri in capite ratione ſuturarum. ſed diuinus Hipp.de hac offenſione non loquitur, quæ poteſt communicari cæteris partibus : nam non eſt dubium, quod ſutura ad aliquem vſum facta eſt:& ſi ſutura facta eſt,vt fuligines exhalent à cerebro, tamen eſt cauſa,vt aer ingrediens frigore cerebrum infeſtet:ita dico ſuturæ inſeruiunt,vt impediatur communicatio fracturarum,ab vna parte ad aliam,ipſę tamen per ſe partem illam in qua ſunt,imbecillem faciunt,& ſic ablata eſt contradictio ſuturæ vero)id eſt ſi fiat percuſſio in parte,in qua ſint ſuturæ,ſemper illa pars,in qua ſunt ſuturæ imbecilla eſt:& ſi fuerit in parte,natura ſua imbecilli,auget imbecillitatem:ſi vero fuerit in parte poſteriori,natura ſua non adeo imbecilli,auget imbecillitatem,ſed non tantum: docuit ergo naturam,imbecillitatem,craſſitiem, &c. quæ faciunt ad cognitionem capitis, ex quibus dedit occaſionem cognoſcendi vulnera.

Suturævulnus periculoſum.

Contradictio.

Solutio.

De fracturarum ſpeciebus. Cap. XIII.

SEcundum caput erat,quod fracturarum ſpecies continebat, quæ capiti contingere poſſunt,& ideo ſtatim ſubiungit Hippocrat. Vulneratur porro)in quo notate,quod modos appellat ſpecies: vt quarto de artic. text. quarto, vbi, cum loquitur de modo, intelligit de illis rebus, quæ ſecundum ſingulas notas, maxime inter ſe differunt: quod teſtatur Galenus, in primo comment. de officina medici, in comment.text. octauo, vbi dicit apud Hippocrat. ſpeciem, differentiam, & modum idem ſignificare:ideo proponit Hippocrat.ſpecies,genera ſubalterna, modos,& differentias fracturarum.ſed antequam Hippocr.exponam, hoc præludio vos commonefaciam : quod, cum loquimur de fracturis cranei, & cap.vuln. iſtæ fracturæ diſtinguuntur:vel in ſolutiones ſimplices:vel compoſitas:id eſt,ſi vna cum fractura adeſt alius morbus. Loquimur primo de ſimplicibus, de quibus Paulus 6.ſui operis: Galen.6.meth.6.& vltimo,& in libro de cauſ.morb.capite 11.vel vltimo.& Hipp.hic: Iſtarum fracturatum ſimplicium inuenio tres ſpecies,inter quas primum tenet locum θλάσις ab Hipp.& Gal.nominata:noſtri contuſionem vocant:quam ſpeciem (mihi parcant) ignorat Paulus:& Vidius toto cœlo aberrat:quia ponunt inter compoſitas. Gal.& Hipp.recte explicant,& iſti non aduertunt.

Species,differentia,modus, idē ſignificāt apud Hipp.

Contuſio: Paul.& Vidij error.

Debetis ſcire, quod quoties aliquid contunditur, neceſſarium eſt, vt loco cedat corpori contundenti: poteſt autem contuſum gemino modo cedere loco: vel, quod recedat ex illo loco, vt quod cedat loco, in ſua ſubſtantia contracta, ſi verbi gratia eſſet quid ſpongioſum, quod non dimouetur ex ſuo loco. quando ergo contunduntur partes, cedunt loco, in ſecunda ſignificatione: quia illud, quod eſt in ſuperficie, illiditur in interna ſubſtantia, & conſtringitur, & coarctatur, cedit loco in ſe ipſum: & id ſemper dicit Hipp. talis eſt contuſio, quæ fit in partibus corporis humani: quum iſtę partes contrahuntur, an ſoluuntur? actu non ſoluuntur: ſed ſua mollitie, non patente ad ſenſum, contrahuntur, deinde reſiliunt: ſi particulæ latentes, patiantur ſolutionem continui, tunc dicitur ſolutio illa contuſio: iſta fit in partibus mollioribus, & durioribus corporis: & ad iſtam contuſionem, requiritur hæc conditio, vt cum ſubſtantia ceſſerit loco, ablata cauſa contundente, perueniat ad locum ſuum.

Hæc accidit in oſſe, & in mollibus partibus: & non nouerunt Paulus, nec recentiores. Nam os capitis noſtri, quamuis ſit durum: tamen in interioribus partibus, & meditullio, nõ eſt adeo durum: & hæc contuſio magis apparet in puerulis, in reliquis non apparet ad ſenſum: & ideo eſt pernicioſa: quia, cum non ſit patens viſui, decipit medicos. Hæc ergo eſt prima ſpecies fracturæ, ſcilicet contuſio in oſſe, quæ eſt ſolutio continui, iuxta minimas particulas ſolutas, per compreſſionem ſubſtantiæ oſſeæ, quæ ad ſenſum minime patet: & volo, vt ſitis de iſta ſolliciti, cum inducat ad mortem plurimos ægrotantes. Secunda ſpecies eſt, quando percutitur os, & ob duritiem non cedit loco, tunc frangitur, & contrahit rimam, & iſta rima ab Hippocr. & Galeno vocatur, quæ quidem rima (inquit Hipp.) ferme ſemper eſt con-
Rima. iuncta cum contuſione, vt nunquam detur rima, ſine contuſione: quæ res fecit, vt Vidius diceret: ſi contuſio reperitur ſemper cum fiſſura, & rima ergo eſt ſpecies compoſita ſolutæ vnitatis: & ſoluit ex Paulo non recte: ſi eſt parua contuſio, non curatur, & nullius eſt momenti: & ideo non eſt compoſita: quaſi id, quod componitur ex magno, & paruo, non ſit compoſitum. Ego dico, quod, quamuis ſit magna contuſio in rima: tamen differt contuſio à rima. audite cauſam: prima eſt, quia nos cognoſcimus contuſionem abſque rima. Ergo eſt diſtincta à rima, & datur contuſio, ex Hippocrate ſine rima. Secundo, in parte, in qua eſt rima, non eſt contuſio, & hoc dicit Hippocrates exempli gratia: ſi os ſincipitis findatur, dicit Hippocr. quod partes, circa rimam, paſſæ ſunt contuſionem: ſed partes paſſæ rimam, non ſunt contuſæ: quia ſi ceſſiſſent loco, rimam non feciſſent. Tertio non vnum, & idem eſt: contuſio eſt ſpecies non apparens ad ſenſum: rima apparet ad ſenſum: & ita decipitur Vidius, dicens, quod fractura, quæ vocatur ab Hippocrate rima, & contuſio à Galeno rima vocatur: non fero hoc: non eſt verum: iſta rima aliquando anguſta eſt, aliquando latior, quandoque capillaris, vt dicetur proprio loco. Tertia ſpecies ſimplex vocatur ſedes, à Galeno & Hippocrate, &
Sedes. eſt ſectio, quando os ſecatur à gladio, vbi ſedes remaneat, qui gladius ſit tantum acuminatus, non grauis.

Habemus ergo tres fracturarum oſſis ſimplices ſpecies, vnã ex toto ſenſui apparentem, & eſt ſedes: aliam nunquam apparentem, & eſt contuſio: tertiam aliquo modo apparentẽ, aliquando latentem, & eſt rima. ex his ſimplicibus, quædam ſolent adeſſe in alijs partibus, quã in parte vulnerata, vt poteſt eſſe, vt vna pars percutiatur, & alia frangatur: & hoc de rima dici poteſt: de contuſione non vidi: impoſſibile eſt de ſede, & quoties fit talis fractura, ἀπήχημα
Compoſita fractura. vocatur, ab alijs apochima. Compoſitæ autem fracturæ ſunt illę, quę vna cum diſſoluta continuitate oſſis habẽt aliud genus morbi, vt quum os remouetur à propria ſede: non remanet in ſuo loco: vel quando ſoluitur continuum, & aufertur aliqua oſſis quantitas: iſtæ ſunt duæ ſpecies compoſitæ fracturæ: & primum de loco mutato: ſolet aliquando percuti os, in contuſione, vel rima, vel vulneratione: aliquando accidit, vt diducatur os: vel quum detruditur intro, vel quum excluditur extra, in extractione ferri, vel inſtrumenti ferientis.

Cum os deprimitur, & comprimit membranam, iſta ſpecies vocatur à Græcis ἐγκείσωμα,
Inhærentia Cõpreſſio. quaſi inhærentia. vocatur etiam ecpieſma quaſi compreſſio: quia comprimit, & aggrauat membranam, & hic accidunt puncturę membranarum, & frequenter id euenire ſolet. ſecũda eſt, vt quis quum lancea alterius caput percutit, ſi voluerit extrahere lanceam, ita compa-
Concameratio. ctum ferrum eſt cum oſſe, vt extrahat os in partes ſuperiores & iſta vocatur καμάρωσις, concameratio: quia, vt videtis, in thalamis ipſis, fornices eſſe tecta eleuata, ita os hoc facit veluti cameram, velut thalamum, & hæc rara eſt: & Hippoc. non eſt loquutus de iſta ſpecie, cum rariſſime accidit: præterea ſatis erat, ſibi prodidiſſe illam ſpeciem, quæ fit cum diſlocatione oſſis: in priori dantur indicationes curatiuæ, in iſta vera non: quoniam poſſumus relinquere, auferre, nihil eſt, quod vrgeat, vtinam ita ſemper eueniret.

Tertia ſpecies compoſitæ fracturæ eſt, cum amputatur ſubſtantia oſſis, cum fractura,
Exciſio. vel rima, vel contuſione: & hæc ſpecies vocatur ἐκκοπὴ vel ἐκκοπία, id eſt, exciſio. Vos iam habetis omnes ſpecies ſolutæ continuitatis, in caluaria: tres ſimplices: tres compoſitas. Audiamus iam Hippocrat. loquentem. (vulneratur) legite (os finditur:) non (rumpitur)

pitur) ruptum) legite (fiſſum:) rumpit) legite (findit) Hippocr. eloquentiſſimus ſemper vtitur eodem verbo, & interpretes volunt nunc vna voce vti, nunc alia. (atque hic vnus modus eſt) primum explicat primum modum, & dicit, quod eſt rima, eſt fiſſura: & primum docet naturam eius: ſecundo cauſam efficientem, tertio omnes ſpecies rimæ, vel fiſſuræ. quæ eſt natura? talis eſt (vt inquit) vt ſit diuiſio quædam tenuis, ſenſibilis tamen in oſſe. quæ diuiſio talis ſit, vt ſemper habeat os circumpoſitum contuſum. Quid autem ſit contuſio audiuiſtis à me.

Rima quid

Hæc eſt natura: quæ eſt cauſa efficiens? corpus feriens retuſum, graue, atque contundens: nam ab eodem corpore fit contuſio, & fiſſura: ſed cur in particula vna contuſio tantum, in alia rima fit, cum vnum, & idem os, idemque ſit agens? debetis ſcire, quod nunquam rimam contrahunt corpora, niſi ob duritiem, & quanto duriora, tanto aptiora: ſi autem mollia ſint, poſſunt contundi, & fieri ſedes, illud autem durum non contrahet rimam, niſi violenter percutiatur: in illa parte, quæ tota eſt dura; æqualis tamen non eſt durities; quædam partes aliquantiſper duriores, vel ob ariditatem, vel ob aliud: ergo in parte duriori contracta eſt rima, in reliquis partibus non adeo duris, cum ipſæ ceſſerint, fit contuſio, & non rima. cauſa huius diuerſitatis partis occulta eſt, nota tamen naturæ. Explicata natura, adiungit ſpecies, & dicit, [ſpecies autem fixurarum] iam proponit ſpecies, quæ ſunt quatuor: vna aſſumitur à latitudine, aut anguſtia: ſecunda ratione longitudinis, aut breuitatis: tertia ratione rectitudinis, aut curuitatis: quarta ratione profunditatis. Aliquando fiunt rimæ anguſtiſſimæ, quæ vocantur capillares: fiunt aliquot latiores: præterea aliquæ rectæ, aliquæ curuæ: aliquæ partim rectæ: partim non rectæ: aliquando finditur vſque ad intimam laminam; aliquando minus; aliquando magis profunde. [ſpecies autem fiſſurarum] locus corruptus in Græcis, & Latinis eſt; poteſt tamen facile corrigi: quum dicit [& tenuiores, &c.] expungite vſque ad verbum illud [rurſus autem] & legite [nam & tenuiores, & tenuiſſimæ oſſis fiunt rimæ, ſuntque cauſa mortis homini: cum neque ſtatim, poſt vulnerationem, apparent: neque in his diebus, quibus laborum auxilium adeſſe poteſt] Hic eſt locus maximi momenti: proponit ſpecies rimæ, & dicit: quod aliquot ſunt anguſtæ, quæ τριχισμοὶ à Paulo, & Græcis vocantur. Hæ (inquit Hippocr.) ſolent accidere, vt non appareant ad ſenſum, nec ſtatim poſt vulnerationem, nec in his diebus, in quibus poſſumus liberare ægrum à morte. O quam male tranſtulit Cornarius: mens tamen Hipp. eſt, quod rimæ iſtæ apparentes ſint cauſæ mortis: & ſunt dies in quibus poſſumus afferre ſolamen laborum, & ſunt dies, in quibus accidunt ſymptomata, vel ſopores, vel alterius generis accidentia contingentia, & tunc aperto loco affecto, & deducta ſanie, liberabitur ſtatim homo.

Efficiẽs rima.

Rima capillares.

Ego expertus ſum multoties: & habeo exemplum, circa 30. vel 40. diem poſt quam refectum eſt os, & iam concreuit caro, fregi craneum, ſecui carnes, inuerti hominem pedibus ad ſuperiora, & ſic felici cum ſucceſſu ſanaui: iſti ſunt dies, in quibus datur auxilium laborum. Rurſus autem] Habemus tenuiſſimas fiſſuras: aliæ ſunt autem latæ, & amplæ, quæ apparent ſtatim, vel opportunis diebus, & iſtæ non ſunt periculoſæ: ſecunda ſpecies eſt fiſſurarum longarum, & breuium] dimiſit mediocrem: quia ex his extremis fieri poteſt, ſi hæc extrema dantur, datur & mediocris: ſubiungit poſtea alias duas ſpecies Hippocrates. Quarta, & vltima requirit medicum diligentem, cum profunda eſt rima: quoniam non longitudo, non latitudo, ſed profunditas facit noxam cerebro: ideo oportet medicum non quieſcere, donec non cognouerit iſtam rimam: & notate in rimis iſtam differentiam, quæ omittitur ab Hippocrate, quod triplici ratione contrahit rimam caluaria: quandoque enim tantum exterior lamina, quandoque interior, quandoque vtraque rimam contrahit: ſi finditur exterior, leuis momenti fiſſura eſt, ſi interna, & externa, adeſt maius periculum: quia poteſt deſcendere ſanies ad cerebrum: ſi finditur interna, & non externa, periculoſiſſima eſt: quoniam latet anguis in herba: eſt mors occulta. poteſt ne hoc fieri? Maxime, & poteritis reperire vos, & ego vidi in ſcholari nobili Brixienſi vulnerato, in poſteriori parte capitis, à gladio graui: vbi erat ſedes teli, nos deradebamus os, vbi nullam rimam, nullam contuſionem inuenimus.

Experimẽtum.

Diuiſio omiſſa ab Hippocr.

L mina interna findi põt integra ex vena.

Neſcio, quomodo factum ſit, vt voluerim deſcendere ad meditullium, abraſi integerrimam illam partem, & perueni ad alteram laminam: vbi reperi fiſſuram magnam, & inſignem: ſi nos dimiſiſſemus ſine deraſione, quid actum eſſet de illo iuuene? ratio autem eſt, quia pars exterior patitur contuſionem, quæ communicatur interiori laminæ, quæ durior eſt: & ideo ſuperficies interna eius vitrea dicitur: quare externa in eodem ictu poteſt cedere in ſe ipſam, & interior cum non poſſit cedere in ſe ipſam contrahit rimam: cum ergo magnum vobis ſeſe offert vulnus, abradite vſque ad interiorem laminam. [poterit autem & os] tunditur etiam, & ipſum os, & ſecunda fracturæ ſpecies eſt contuſio: de natura cuius plurima dixi, quæ collegi ex verbis Hippocrat. qui primo explicat naturam: ſecundo

Digitized by Google

cundo, cauſam efficientem: tertio ſpecies, quæ ſunt ratione latitudinis, & longitudinis: vel valde, vel parum, ideſt, quod contuſio continui aliquando eſt exquiſitior, aliquando maius ſpacium intereſt inter vnam particulam, & aliam, aliquando minus: ſed non poteſt contundi interna lamina, niſi externa contundatur (in ſua natura) id eſt, non recedens à ſua natura, à ſuo loco: cauſa efficiens eſt corpus contundens: ſpecies autem plures ſunt: primo iuxta intentionem, & remiſſionem: alia ſpecies eſt ratione profunditatis: reliquæ duæ ſpecies ſunt ratione multitudinis, vel latitudinis. Sed notate: dicunt Empyrici: ego non timeo magna vulnera capitis, dummodo cerebrum immune, & intactum ſit: ſed timemus illa, in quibus detecto oſſe, nihil apparet: hoc euenit: quia non dignoſcunt leuia, à magnis vulneribus: in his non eſt mirum, ſi plures pereunt in fracturis lethalibus, neglectis à medicis. & latentibus oculis, etiam ſi minima dicantur eſſe vulnera.

Species contuſionis.

Qualis nam ſpecies exiſtat] ideſt, non ſolum in contuſionibus non poſſumus cognoſcere magnam, vel paruam contuſionem, ſed neque poſſumus cognoſcere, an adſit contuſio, nec ne. Verum neceſſe eſt penſitare, quale nam fuerit brachium ferientis, magnitudo vulnerantis, & vulnerati: inſtrumentum feriens, & ex accidentibus cognoſcitur, quum adeſt contuſio, & ratione cognoſcitur ab Hippocrat. & non oculis: vnde aliqui ex hoc loco Hippocrat. volunt, vt aperiatur os, quia non imminet periculum: & ita iſti lanij aperiunt os cruciantes miſeros ægros.

Mentiuntur, quum dicunt in detectione non adeſſe periculum. Dicit quis, nonne maius eſt periculum, ſi adeſt contuſio? quomodo cognoſcitur? inquit Hippocrat quod non cognoſcitur ſenſu, an adſit contuſio, ſtatim poſt vulnerationem, cognoſcitur tamen ſucceſſu temporis, & hoc non negauit Hippocrates: quoniam tertia & præcipue quarta die apparet: quomodo? Reſpondet Vidius per nigredinem oſſis.

Quō cognoſcitur cōtuſio l uens. *Vidij error*

Dij boni: male ageretur cum ægrotantibus, ſi expectaremus nigredinem oſſis, præſertim cum oſſa educta à propria ſede, & contuſa, ſi bene tractantur, nunquam nigra fiant: non nego ego, quod in vulneribus aliquor os contuſum nigreſcat in exteriori ſuperficie, & raro in interna, ſed poſt longum tempus. ſed quomodo cognoſcemus? Ego non obſeruaui, nec vidi ſcriptum ab alio. Conſpiciatis vnguens veſtros: vos reperietis vnguem eſſe coloris albi, ſub rubri, videbitis in eis maculas albas: huiuſmodi maculæ à Græcis nebulæ, à noſtris mendacia vocantur: qualis apparet nubecula in vngue, talis in oſſe contuſo nubecula hinc inde alba apparet: nam triplicem colorem habemus oſſis putridi, viuentis, & mortui: putridi eſt niger, aut liuens: mortui eſt candidus, viuentis in homine viuente non affecto, eſt color albus, cum leui quadam rubedine admixta. Hoc ſtante: cum vos ſtatim detegetis aliquod os, reperietis ipſum album cum rubore: eſt album: quia eſt maxime terreſtre, & optime concoctum: ſi eſſet vſtum, & ſuffocatum, nigrum eſſet: terra optime cocta fit alba. Cur habet ruborem? quia in eo continentur partes tenuiſſimæ ſanguinis, vapor ſcilicet ſanguineus, qui cum ſit à ſanguine, ruber eſt: probabo, quando abradam craneum alicuius, vix abradam portiunculam oſſis, & vos videbitis ſanguinem manantem, ita fit in omni oſſe. Hoc conſtituto, ſi contunditur os, in primo termino contuſionis, vel poſt contuſionem, per duos dies, vel tres, adhuc viuit pars illa continens ſanguinem: poſt triplicem diem exhalat ſanguis, qui continetur in partibus contuſis: cum partes contuſæ ſint liberatæ ab integro oſſe ſano: quamuis latentis ſeparatione: ideo non habent communicationem alimenti: & hinc eſt, quod ceſſat rubedo, & apparent maculæ, punctim albiſſimæ: qualis eſt color oſſis mortui: quia illa oſſicula mortua ſunt. Ego igitur primis diebus cognoſco contuſionem, cognoſco etiam ex nigredine, ſed ipſa non eſt expectanda.

Secretum.

Color oſſis putridi, viuentis, & mortui.

Oſſa quare alba.

Atque hic quartus modus eſt] poſito triplici in caluaria fracturæ modo, ſcilicet rima, contuſione, & tertio compoſito: nunc declarat quartum, ſcilicet ſedem ipſam: & cum iſta ſpecie poſſunt componi omnes ſpecies fracturę: & tot modis componuntur, quot fracturę ſunt, & dicit, quod fit quotieſcunque os percutitur ab aliquo inſtrumento, & ſedes inſtrumenti apparet: & quod os non dimoueatur à ſuo loco, ita vt ſedes ſit vulnus quoddam. Hoc dicit Hippocrates: tamen nota, quod Hippocrates appellat naturam locum, & verum eſt: nam dixit os contundi in ſua natura, & contunditur extra ſuam naturam: ideſt, quia locum non mutat, quia locus habet rationem naturæ, & hinc eſt, quod elementa feruntur ad propria loca, vbi conſeruatur eorum natura. Verum &c.] explicata ſedis natura ponit ſpecies, & dicit, quod ſi ſedes erit compoſita, cum contuſione, & rima, vel contuſione ſolum modo, tunc tot ſunt ſpecies, quot ſunt contuſiones, & rimæ: ſi ſedes erit, ſimplices ſpecies deſumuntur, aut à profunditate: aut à latitudine: aut à longitudine: aut à rectitudine, & curuitate: & hoc dicit, quando ait. [hæc autem ſedes in ſeipſa] reddit rationem Hippocrates, cur ita variatur ſedes, & inquit, quia tales ſunt figuræ teli. nam telum latum, latam ſectionem facit: alia differentia eſt, quoniam aliquando læditur vitrea ſuperior, aliquando inferior

Sedes.

Sedis ſpecies.

Digitized by Google

rior & ſuperior ſimul, præterea ſi telum fuerit craſſum; tunc latum vulnus, & ſedes fiet: & ſic ſedes eſt veſtigium derelictum, ab inſtrumento ferienti, in oſſe ſecundum latitudinem & longitudinem, dummodo oſſa, quæ ſunt ad latera non dimoueantur, ſed maneant in ſuo loco, & ſolummodo ſit teli ſedes: nam, ſi aliter contingat, depreſſio erit, non ſedes. (ſi vero alia textus Græcus, non bene ſe habet hic: & ideo non mirum, ſi male tranſlatus eſt: quare legatis ſic: ſi alia vero capitis parte frangitur os, quam vbi vlcus habet homo; & os carne denudatum eſt ſloquentia bene ſe habent: proponit quintum modum fracturæ capitis, qui calamitoſus eſt: & eſt, quando frangitur os capitis in alia parte, quæ non eſt vulnerata, & detecta: vt ſi percutiatur os in fronte; & contingat, vt rumpatur os in alia parte; hæc ruptio non patet: & ſic colligitur ſanies in cerebro, corrumpitur membrana, & tandem miſerrimus æger perit; ſine aliquo auxilio, & ſic infortunium miſerabile, & iſta non eſt contuſio, non depreſſio, quia eſt in alia parte: ſed eſt rima, ex omnium conſenſu: verum per aliam partem poſſumus intelligere, quamcunque partem, quæ non eſt affecta, dummodo aliquantiſper diſtet à parte affecta: vel per aliam partem poſſumus intelligere oppoſitam, vt ſi percutiatur frons, & rimam contrahat occipitium, vel econtra.

Quinta ſpecies.
Quando os frãgitur in alia parte non vulnerata.

Quæſtio an percuſſa vna parte cranei contrahatur rima in altera, & oppoſita. Cap. XIV.

PLurimi medici, & recentiores, & antiquiores dixere oppoſitam partem rimam contrahere, & etiam multi ex Græcis huius fuere ſententiæ: & primus fuit Soranus, in tract. de vulneribus capitis: huius etiam ſententiæ eſt Celſus: eſt etiam Gentilis in lib. 4. fen. 4. tract. 5. Auicennæ. Vltimo eſt Nicolaus Florent. Arabici idiomatis periti ſſimus: præterea inter empyricos eſt Ioannes de Vico, qui teſtatur, ſe hoc vidiſſe: poſtremo eſt horum empyricorum communis opinio: & iſti, qui tuentur hanc opinionem, dant rationem, & primo Soranus dicit: nos vidimus in omnibus vaſis vitreis, & teſtaceis, quæ caua ſunt, quod ſi percutiamus vnam partem, tunditur oppoſita, & ego etiam expertus fui: eſt etiam exemplum: nam, ſi vos eſtis in turri, & tundatis campanam: & digitum ponatis in parte oppoſita, ſtatim frangitur in illa parte vbi digitus imponitur, licet hoc ſine digito etiam accidere poſſit: hoc ſtante: cum habeamus caput fragile, teſtaceum, & cauum, non eſt mirum, ſi hoc poteſt fieri in capite etiam: & ratio quare phiala contuſa in vna parte in oppoſita frangatur; eſt aer contentus, qui recipit ictum, & contuſus & illiſus currit ad partem poſteriorem, & frangit eam. Quod autem aer poteſt hoc facere, patet: nam ſi poteſt ſcindere montes, turres, & alia, multo magis poteſt & frangere partem oppoſitam phialæ: & cum hoc fiat, ratione aeris incluſi, Græci recentiores vocauerunt hanc fractionem, apochima, & per Græcos recentiores, intelligo eos, qui fuerunt tempore Galeni, & per antiquos, qui fuerunt ante Galen. & tempore Hippocrat. &, quia hoc non ſufficit, eſt alia ratio: nam in omni percuſſione, quæ fit in corpore, percipitur quidam impetus, & agitatio, in ſpiritibus, intra corpus: & eſt ſubſtantia illa ſpirituoſa, quæ continuo, & continuo exhalat à corpore: & hinc eſt, quod corpora exhalando diſſipantur: hæc autem latitat in internis corporis poris: hac de cauſa dico, quod in omni percuſſione, agitatur iſte habitus ſpirituoſus, in terminis paribus. Quod autem concutiatur iſte ſpiritus, patet per tremorem, qui habetur in corpore contuſo, à principio vſque ad finem percuſſionis: vt patet in mortarijs, campana, ligno, ferro, & oſſe, & in omni ſubſtantia dura, & molli: dummodo continuata ſit: & iſte tremor prouenit, ex contuſione illorum ſpirituum, qui poſtea agitant totum corpus: ergo ſi iſta agitatio communicatur ſpiritibus; dato corpore circulari, percutiatur in vna parte, tunc iſti ſpiritus concurrunt per vtranque partem corporis circularis, & duplicatur contuſio in parte oppoſita: & ideo in parte oppoſita frangitur propter illam duplicationem: & hac de cauſa non ſufficit prima ratio ab aere: quia hoc fit etiam in phiala plena aqua, vt ego expertus ſum. Galenus dicit, ſe hoc habuiſſe à Chirurgo fide digno eſſe verum. Nicolaus Florent. dicit ſe hoc vidiſſe, in quodam artifice, qui funus faciebat, & fuit percuſſus in capite claua, facta fuit apertio in parte affecta, ac nihil fuit repertum: in tertia poſtea die ſucceſſit febris, & facta fuit apertio in parte oppoſita, & reperta eſt ſanies in magna copia: & ego expertus ſum in multis, poſtquam mortui ſunt, in quibus nihil aderat in parte affecta, & vbi feci apertionem, in parte oppoſita reperi copioſam ſaniem collectam, & magnam contuſionem.

Sorani opi lib. 8. cap. 4
Prima ratio quod percuſſa vna parte oppoſita finditur.
Quare vas cõtuſum in vna parte, rumpitur in alia.
Græci recẽtiores.
Lib. 6. c. 12
Alia opinio tenens priori oppoſitum.

Paulus accuſat hos: ſecundus fuit Guido noſter, qui dicit hoc eſſe falſiſſimum: tertiò Dinus de Garbo Florentin. in quintam quarti Auicen. dicit mendacium iſtud eſſe, & multi

Ad rationem.

Digitized by Google

ti recentiores laudant hanc ſententiam: ad illud de vaſe dicunt, quod vaſa ſunt plena aere, & ſic vacua: at caput plenum eſt: ſed hoc non valet, quoniam ego expertus ſum, non ſolum in vaſis vacuis, ſed etiam aquæ plenis. Tamen reſpondetur proponendo hoc, quod illa vaſa ſunt continua, vt 9. de vſu part. 17. dicit Galen. & caput conſtat ex pluribus oſſibus, ideo factæ ſunt illæ ſuturæ, vt impedirent rimam, ne procedat: & ſi retinent rimam, retinent etiam ſpiritus illos contuſos: & ideo, quia in capite adſunt ſuturæ, impoſſibile eſt, vt caput frangatur in parte oppoſita: præterea aliqui dicunt, quod iſta vaſa non ſint eadem: nam vaſa vitrea ſunt tenuiora, quam caluaria hominis: ſed hoc eſt falſum: nam tunc non fieret contuſio in parte oppoſita in campana, & mortario, cum hæc admodum craſſa ſint: dicetis ergo in capitibus, in quibus non ſunt ſuturæ, fiet hoc: ego hoc concedo: & veriſſimum eſt, tamen hoc raro euenit: quia inter centum capita hominum, non reperies vnum caput ſine ſuturis: ergo non fit hoc, & ſi fit, raro eſt: ſicut rara ſunt capita ſine ſuturis: & hæc vera, & viuax, & potens ratio. in ſenioribus inuenitur aliquando, quod ſuturæ ſint obliteratæ in ſuperficie: non autem in intima parte: & non omnes ſuturæ, quia temporales nunquam pereunt.

Determinatio.

Op. ppria 2. de comp. med. ſec.

Quod autem hoc fiat [vt ter, aut quater ego ſecui] teſtis eſt & Galenus, & Celſus libro octauo: nam multotiens rumpuntur vaſa intima, & effluit ſanguis, qui in principio ſolet facere ſoporem, ſi multus eſt, vt facit compreſſio: ſi ſanguis non fuerit multus, contracto grumo, cum non ſit in parte calida, quia in cerebro, in quo non eſt feruor, vt in corde, putreſcit: ſed tarde, vt in decima, vel quartadecima, antequam grumus ille conuertatur in ſaniem, non adſunt ſymptomata, nec deliria, quæ in ſaniem conuerſo accidere ſolent, & tandem mors, quæ cauſatur, ex aliquo vaſe diſrupto. Nam, ſi percutiatur caput, ſolent iſta vaſa interiora diſrumpi in parte oppoſita, & non in parte vbi percutitur, quoniam ſit quidam impetus in corpore, & partibus internis, qui facit ad repercuſſionem, & ad antidoſim, vt patet in pila, cum proijcitur in parietem illiditur in partem poſteriorem: ſic cerebrum, cum contineatur in vaſe, cum impetus peruenit ad partem poſteriorem caluariæ, reflectitur, & propter hanc reflexionem, vaſa lacerantur in parte poſteriori, & iſte motus reflexus eſt valentior, quam ille, qui fit in parte anteriori: Et hac de cauſa ille reflexus poteſt vaſa diſrumpere in parte poſteriori, ictus vero ſimplex, & primus non poteſt diſrumpere vaſa in parte anteriori: quod autem reflexus ſit validior, patet hoc exemplo. quum eſtis domi accipiatis lignum vnius, aut duorum palmorum, & vni extremo parum infigatis clauum, & poſtea firme illud lignum in manu teneatis, & percutiatis aliud extremum, & aliam partem malleo, alioue aliquo inſtrumento, moderate tamen, videbitis, quod illud clauum in parte oppoſita infigetur ligno: & hoc non ob aliam cauſam: niſi quia manus ſuſcipit ictum, & nos retinemus illam ne cedat ictui: ex qua retentione creatur motus reflexiuus, qui eſt in cauſa, vt clauus ingrediatur: & notate ſignum, an motus reflexiuus ſit valentior quam ſimplex, quia ſimplex non habet tantam vim expellendi clauum, quantum habet reflexiuus infigendi. dixi autem moderate; quia, ſi cum magno impetu percutiatur lignum, clauus proculdubio propelletur, & non infigetur, quoniam ſimplex motus reflexiuum ſuperabit.

Reflexus potentior ictu recto.

Exemplũ pulchrum.

Cum ergo hoc fiat in capite, non eſt mirum, ſi ſit abſceſſus, in parte oppoſita: quod autem vaſa frangatur, patet experientia: nam ego vidi plurimos habentes caput fractum, in parte poſteriori ex ictu magno: & poſtea per effluxionem ſanguinis magnam, per nares ſanatos eſſe. Hic autem ſanguis vnde potuit effluere, niſi ex vaſibus diſruptis? at nullus ſanatur, qui ex maximo ictu percutitur in parte anteriori, & diſrumpantur vaſa in poſteriori: quoniam ille ſanguis non habet vnde effluat, & per illam particulam [alibi] non intelligimus partem oppoſitam, ſed diſtantem à loco affecto: & licet per aliam partem poſſimus oppoſitam intelligere, dico tamen, quod debemus intelligere per aliam capitis partem, eiuſdem tamen oſſis: poteſt vero eſſe, vt contrahatur rima in parte alia, quam vbi contunditur os, hac ratione: quia ſuperficies in medio robuſtior eſt, quam in extremis: & ideo poteſt eſſe, vt percutiatur frons, in media parte, & contrahatur rima in alia parte, eiuſdem oſſis frontis, & ſic vera eſt ſententia Hippocratis dicentis, quod pernicioſiſſimum eſt: non enim poſſumus ſcire ab ægrotante, in qua parte os læſum ſit, cum non ſit læſum, vbi ictus factus eſt: & nos non poſſumus hoc cognoſcere: & hac de cauſa dico, quod per aliam partem non poſſumus dicere partem oppoſitam] quoniam pars oppoſita eſt vna: at, ſi Hippocrates loqueretur de oppoſita, non eſſet pericoloſum, quia ſciremus, quod in parte oppoſita eſt rima, quum videremus ſymptomata, & partem affectam, non habere læſionem: at Hippocrates dicit, quod hoc non poteſt ſciri ab ægro, nec Medicus poteſt hoc cognoſcere, & ſic per aliam partem intelligimus partem non nimis diſtantem e iuſdem oſſis, & hæ partes non cognoſcuntur: quia neſcitur, an læſa ſit pars magis in vno, quam in alio extremo.

Si quis per caſum ĩ anteriori parte, & vaſa in poſteriori rumpantur, nũquã ſanatur.

Rima poteſt cõtrahi in alia parte quã [vbi] ſit ictus.

Digitized by Google

De ordine ſeruato ab Hippocrate in tradenda curatione. Cap. XV.

ET ex his fracturæ propoſitis, & natura ipſius caluariæ cognoſcenda à Medico, & imbecillitate, & robore, propoſitis ſpeciebus fracturarum, ad curationem deſcendit Hippocrates, quæ conſiſtit primum in cognitione affectus, deinde in his, quæ agenda ſunt circa locum affectum: merito ergo deberet præcedere ratio ſignorum, deinde ſubſequi agenda: tamen in principio Hippocratis agenda incipit: ſecundo ſigna adfert: tertio complet agenda. Cauſa iſtius ordinis nulla eſt, ex Vidij ſententia: nam ſeries naturalis præceptorum horum erat inordinata, ideo multum non refert. Ego non poſſum hoc perferre, quod inordinata diſpoſuerit præcepta Hippocrates, ſed omnia ex arte compoſuit, & id neceſſario fecit. Nam cum propoſuerit ſpecies fracturarum, & aliquę deſiderent apertionem, aliquę non: quamuis hic actus ad praxin pertineat: tamen tantum hoc commune præceptum proponit hic: nam fracturarum iſta talis eſt, illa talis: differunt etiam fracturæ, quoniam illæ ſunt aperiendæ, illas intactas ſeruare debemus: hæc apertio faciebat ad differentias fracturarum. *Vidius errat.*

Curatio oſsis fracti & indicationes eius. Cap. XVI.

ANte interpretationem textus vos deberis memorię mandare talem curationem: quoties caſu aliquod os frangitur & videritis fracturam adeſſe: indicatur primum, vt videamus an os ſit extra locum, & ſic reſtituatur, ſin minus, relinquamus: & quia in fractione ſuccedit aliquis dolor, & ideò periculum eſt, ne confluat materia multa, & faciat inflammationem, & eo magis, ſi os non fuerit in ſuo loco: ideo vſque ad ſeptimam, qui eſt primus terminus inflammationis, vel vſque ad nonam, qui eſt ſecundus terminus, debemus bene aduertere, & propterea tunc temporis oportet impedire inflammationem. & hoc dupliciter, vel per lenitionem doloris, vel expreſſionem, & deligationem loci, ne defluat materia: lenimus autem medicamentis oleoſis, quæ habent vim refrigerandi: per deligationem, pluribus faſcijs.

Hæc agenda ſunt, vſque ad ſeptem, vel nouem: hoc facto reſtituatur os. ligatur autem os non conglutinata ſubſtantia propria, ſed concreſcente aliquo callo, qui eſt ſubſtantiæ oſſeæ: qui hoc modo fit: affluit ad locum rimoſum alimentum, pro nutriendo oſſe, ibi feruet, ebullit, & concoquitur, & tantus feruor eſt, vt eliquet (& notate hoc, quia nunquam ab alio dictum eſt) extendat, & in tumorem tollat ſubſtantiam oſſis, ſenſim obdureſcit, & ſic vnum, & idem fit os: & vellem, vt vos conſpiceretis inſertiones in arboribus, & conſideraretis ramum, qui concreſcit cum alia arbore: concreſcit quoddam gluten, quod facit feruorem, dum concoquitur, & extendit ſubſtantiam ligni, vbi fit inſertio, poſtea fit concretio, & ex duobus fit vnum, & idem: ita fit in oſſe: interea ob ebullitionem, poſſet fluere materia multa, quæ craſſum porum faceret, vel non poſſet conferruminari in callum: ad hæc duo occurrit deligatio, ſtringendo moderate locum, vt non poſſit effluere tanta materia. Iſta indicantur in fracturis oſſium: & niſi hæc faciamus, ſciatis, quod nunquam ſanabitur os fractum: iſta indicantur in capitis oſſibus: frangitur os capitis, fractum non poſſumus conglutinare, niſi vindicemus ab inflammatione, vſque ad 7. vel 9. hoc fit per expreſſionem, & talis expreſſio non poteſt fieri in capite: quia talis deligatio non conuenit: ſi non poſſumus deligatione auferre dolorem, neque poſſumus impedire fluentem materiam: ſi hoc eſt, ergo non poſſumus habere eandem curationem in capite, quam habemus in reliquis fracturis: quid ergo agendum? ne iſta materia, cum fluxerit ad locum, faciat ſaniem corrumpentẽ cerebrum, tentemus exitum iſtius materiæ: exitus autem duorum generum eſt: aut eſt per locum affectum, aperto oſſe: aut per medicamentum diſcutiens materiam, atque reſoluens. Verum iſta medicamenta diſcutientia, non habent vim detecto oſſe, quia tunc refrigeratur os: frigitur hoc eſt, opus eſt vt aperiatur os, & materia iſta habeat exitum, & hæc dicitur coacta curatio: cum ergo hæc indicet methodus, merito inter præcepta Hippocratis collocauit hoc vnum, vt diligenter obſeruemus, quæ ſint rimæ: nam aliquot ſunt apertæ per ſe, expurgantque propriam ſaniem: quæ non ſunt apertæ, ſunt aperiendæ. Sed dato, quod os ſit coopertum, & habeamus fracturam manifeſtam, quærimus, an debeamus aperire cutim. *Quomodo fit callus in oſsibus.*

Hæc

Caro oſſeo ligātur oſſa capitis. Hæc eſt lis, & ego ſum in vna ſententia, alij multi in alia: & quoniam hæc pertinent ad praxim, ideo ego diffuſe ibi rem hanc examinabo: præterea eſt diſcutiendum, an callo oſſeo ligentur oſſa capitis deſecta, & aperta? dico, quod ſic, quoniam, quamuis caro videatur, tamen ſucceſſu temporis fit os, & nunquam vidi caluariam, in qua inuenerim foramen, quod medici faciunt, reſtituitur integra caluaria.

Quid agendum circa apertionem in fracturis oſſium pro fracturarum diuerſitate ex Hippocrat. Cap. XVII.

SEd ad rem noſtram: dicit Hippocrates: differunt iſta genera fracturarum inter ſe, quoniam aliquot ſunt, in quibus oſſa aperienda, & dilatanda ſunt, ne ferueat materia, & deſcendat ad cerebrum, eorrumpens illud: vt ergo detur exitus materiæ, aperienda ſunt oſſa: ſunt autem aperienda illa, in quibus conſpicienda rima nō eſt ad viſum, ideſt ſi ſeparationes oſſeæ minimę non pateant ad ſenſum, vt ſanies poſſit emanare: præterea, quando contuſio manifeſta eſt ad oculos: tamen, quia ſoluta continuitas, non eſt aperta, ſecandum eſt os: contuſio ergo, ſeu manifeſta, ſeu immanifeſta, requirit oſſis apertionem: rima etiam aperienda eſt, ſiue manifeſta, ſiue immanifeſta ſit: quia ex rima poteſt colligi materia: ſed non tanta, vt medicus omnem colligere poſſit, atque extrahere: aliquot fracturæ non requirunt perforationem. Si ergo ſimplex contuſio, ſimplex rima, ſiue manifeſta, ſiue occulta, ſemper aperiendum eſt os: ſi vero compoſita fractura fuerit, quid agendum? ego memini me ſæpius erraſſe: ſed quando adeſt rima, ſemper aperio à principio ad finem, dummodo detecta ſit pars, pars cooperta non aperitur: detegatur pars oſſis, quatuor digitorum, & adſit rima quatuor digitorum. Noſtri & ego errantes, ita agebamus: in vna parte, cum ſuo modiolo, quod tympanum vocant, faciebamus foramen, & credebamus exhibuiſſe materiei exitum: at tres adſunt digiti rimæ, qui generant ſaniem ad cerebrum deſcendentem, ac facientem inflammationem: ideo aperite os, vſque ad meditullium: aliter generatur inflammatio. aduertatis quæſo: ego fui in cauſa mortis centum hominum ignorans cauſam hanc. Quomodo autem colligitur hoc ex authoritate Hippocratis, quia ſi comparatur ſedes, & contuſio: ſedes non eget apertione: aperta namque eſt, tamen, ſi adſit rima, & contuſio, vult Hippocrates, vt aperiamus: rima nonne eſt ad latera ſedis apertæ? ſi poſſet ſedes expurgare ſaniem, quæ fit in rima, quare Hippocrates iubet, vt aperiatur? præterea experimentum meum eſt, quod ſedes non expurgat rimam, cum pereant homines, niſi aperiatur: ecce occaſiones mortis, quæ non cognoſcuntur à Medicis.

In rima ex contuſione aperiēdum eſt os. Notandū.

Præceptū Hippocr. At vero os, quod ex ſua natura] Habemus & aliud præceptum neglectum à noſtris, qui quanto magis depreſſum eſt os, tanto citius aperiunt, & perforant. dicit Hippocrates, ſi os contraxit rimam apertam, vt poſſit egredi ſanies, cum videtis vulnera magna in capite: etiam ſi depreſſum eſt os, dummodo non faciat affectiones, ſcilicet compunctionem: non oportet, vt afficiatis, & crucietis ęgrum in apertione: quia refrigerantur partes, & multus dolor ægris miſerrimis infertur. [neq; ſedes] vltima ſpecies erat ſedes: ſi adſit ſectio oſſis, in qua non ſit contuſio, nec rima, in illa non facienda eſt ſectio [in ſe ipſa] ideſt ſine depreſſione, & eleuatione: & quare non facienda ſectio? quia ex apertione ſedis, poteſt effluere materia, & per illam viā, qua ingreſſus eſt gladius, poteſt egredi ſanies. [diſſectio, & ſedes] dicit Hippocrates, diſſectio, & ſedes idem ſunt. Hoc facto, ſtatim deſcendit ad ſigna: & quoniam clarus eſt, & ſatis longus, ideo percurram totam hanc partem.

De ſignis oſſis denudati, fracti, atque quo fracturæ genere. Cap. XVIII.

CAeterum primum ſpectare oportet [nouimus naturam oſſis: quot modis frangitur: quot differentijs diſtent fracturæ: nam aliquot ita curantur, vt aperiendæ ſint, aliquę curari ſine apertione poſſunt; iam ſuccedit tertium caput, quod continet ſigna, quibus indigemus. Videamus ergo præcognoſcenda: Secundo, quæ ſunt illa, quæ ſubminiſtrant ſigna. Nos debemus cognoſcere noxam oſſis: neceſſarium eſt igitur, vt primum cognoſcamus, qualis & quanta ſit noxa: iſta autem duplex eſt, aut magna, aut parua: præterea, aut eſt denudatio tantum oſſis, & tunc proprio denudatum veſtimento refrigeratur, & non bene nutritur, & ſaniem gignit, & intemperiem patitur: aut eſt fractura, & tunc opus eſt ſcire, an os nudum fractum eſt, vel non: & ſi fractum, vel per rimam, vel per contuſionem, vel ſedem, vel depreſſionem, & an per compoſita ex his, vel duo, vel tria ſimul.

Sed quæ ſubminiſtrant ſigna? primus erit oculus, quo cognoſcimus tales affectiones oſſis, & denudationes, & fracturas: aliquando vtimur ſpecillo, quo tentamus partes affectas. accidit quandoque, ut neque ſpecillo, neque oculo aſſequi poſſimus, & tunc accipimus argumentum ab illis, quæ continentur in uulnere, ut, ſi reperimus ſerrum, uel capillos concretos: quarto obſeruamus loca uulnerata, & conſideramus an uulnus in parte ſit debili, uel robuſta, an ſit in ſutura, uel circa ſuturas: quoniam faciunt hæc ad cognoſcendum affectum. Quinto, cum hæc etiam nobis non ſatisfaciant, interrogamus ægrotantem, quid ſenſerit, ut ſi dicat, mihi uiſus ſum habere caput teſtaceum, & quod ictu facta ſit illa teſta, & ita habemus certa ſigna: ut ſi etiã dicat, mihi uiſum eſt, quod rumperetur os, uel, ſi dicat, oppoſito in loco ſenſi ictum.

Primum ſignum eſt ex oculo. Specillũ 2. Coiectura 3. ex ferro, capillis cõcretis, & part. affecta.

Aliquando nec hæc, nec illa ſatisfaciunt: unde obſeruandum eſt, de natura uulnerantis, ex qua habemus quantitatis affectus ſigna, & an ex induſtria vulnerarit, vel caſu: ſi induſtria, erit vulnus grauius, ſi ira, & ebrietate ſenſus: præterea an ex alto loco, quoniam maius erit, quam ex æquali. addatis obſeruandas eſſe vires ferientis, an validus ſit, & vires debiles ægri, opus eſt etiam vt conſideremus ictum, vulnerationem: quomodo vulneratus eſt, an per proiectionem inſtrumenti, vt per lapidem proiectum: vel inſtrumento feriente, contento in manu, quia multum refert: præterea an pungendo, vel cædendo factum vulnus, præterea vel recta, vel obliqua: nam quæ fiunt recta & obliqua, multum faciunt ad cognitionem fracturæ, & affectus.

Vulnerãs. Vulneratio

Nec hoc ſatis eſt: quoniam aliquando cadens vulneratus percutitur, & frangitur caput, cum fuerit intactum à vulnerante, vel ſi durum corpus concidens ſupra caput feriat: ſi ceciderit ex feneſtra, vel loco aliquo, oportet conſiderare, an ex alto, & eminentiori loco: an ex breui altitudine ceciderit: ſed non ſatis eſt hoc, oportet conſiderare corpus, ſupra quod cecidit, an durum, an molle, & cuius figuræ: ſi autem corpus cadit ſupra cum, opus eſt, vt diligentiſſime obſeruemus, an illud corpus ex alto ceciderit, ſit graue, ſit durum, ſit obtuſum, nec ne: iſta omnia ſunt inueſtiganda. Tela etiam ſunt obſeruanda: nam conſiderandum eſt, an rotundum, an orbiculatum, an planum, an obtuſum: & vltimo an graue, & durum: ſi erit longum, tenue, acutum, leue, aut non vulnerabit os: aut ſi vulnerat, faciet ſedem, vel rimam, non contuſionem. Vltimo ſunt ſymptomata ſuperuenientia in vulneribus: quorum aliquot immediate veniunt, aliquo addito temporis ſpatio. Medicus debet obſeruare, quæ immediate ſuccedunt, & iſta ſunt: primum ſopor, caligo ſuperueniens ante oculos, vel quod adſit vertigo, vel quod æger cadat in terram ex ictu: iſta ſunt conſideranda, pro cognitione loci affecti, affectionis, & quantitatis.

Corpus ſupra quod cadis.

Sopor. Caligo. Vertigo. Caſus.

Hæc ſunt, quæ proponit Hippocrates, & talis debet ſeruari ordo, iam audiamus Hippocratem.

Cæterum primo ſpectare oportet] dixit, vt cognoſcamus, in qua parte capitis ſit vulnus, vt ſciamus locum affectum, & quantitatem affectionis. [& capillos conſiderare circa vulnus] inter ea, quæ deſideramus cognoſcere multis modis, & ex illis, quæ continentur in vulneribus, & ſunt præcipue capilli: nam, ſi capilli ſunt reſecti, dicite os eſſe denudatum: quia videtis capillos ſectos in vulnere: inquit Vidius: cauſa eſt, quoniã cum capilli ſint duri nõ poſſunt ſecari: & ideo oportet pericraneum mollius ſectum ſit, quia valet: ſectum eſt pericraneum, ergo detectum eſt os, ſciſſa veſtis, ergo denudatus eſt homo: non valet conſequentia,

Capilli reſecti.

Vidimus cr- vas. quoties fiunt ictus, quos *ſcarſos* vocant: quoties *manriuerſo* ſecamus capillos, & non pericraneum? non intelligit locum iſtum vſque ad medullam: tota vis conſiſtit in hoc, vt capilli ſint intra vulnus: hac enim ratione ingrediuntur vulnus, inſtrumentum ſi quidem ſecans non eſt ita acutum, vt ſecet capillos: ſed vna ducet ſecum, & ingreditur cutim, quia eſt ſubſtãtia viſcida cedens: ſi reperimus capillum reſectum vulneri impactum, indicium erit, quod gladius cum capillo venit ad os, quo duro exiſtente, non poteſt capillus vltra incedere, quare neceſſe eſt, vt incidatur. ſi ſumitis telam, vel carnem, ſupra quam ponatis capillum, & gladio percutiatis, capillus intrat: ſed ſi ponas capillum ſupra os, vel aliud corpus durum, ex ictu, & quidem vnico, ſecatur capillus: hæc eſt ergo ſententia & demonſt. Hipp. dicet aliquis: nonne *Not.* ſecari poſſunt capilli, ita vt cutis non percutiatur? verum eſt hoc poſſe fieri, ſed illi capilli non ingrediuntur vulnus.

Hæc eſt cauſa, & veritas, & notate hoc, quod leue videtur, pulcherrimum tamen eſt, & acquirit honorem medico: ſi videat medio vulnere compactos capillos, dicat ſubito hoc vulnus peruenire ad os, & os eſſe detectum. legite iam textum: & percurrite, clarus etenim eſt (vbi vero) an os denudatum ſit, primum cognoſcere poſſumus ex dictis, deinde manum apponendo: præterea oculis patet, &, ſi non oculis manifeſtum fuerit, tentate ſpecillo. oculis patet, quãdo latum vulnus eſt: ſin minus, impoſito ſpecillo ſtatim percipimus, an corpus durum ſubſit: ſi non eſt detectum, perſentimus cranei molliciem, præterea detecto oſſe, aderit ſonus. (& ſiquidem) cum nouerimus eſſe denudatum os, quæ eſt prima oſſis noxa: venit ſecundum, vt affectionem cognoſcamus. (carne) per carnem intelligit pericraneum, & corium carnoſum. quum ergo noueris denudatum os, oportet cognoſcere, quæ ſit affectio: inſpiciendo, quantum ſit malum, quanta ſedes, quanta fractura, & quo opere opus habeat, id eſt an ſit ex illis, quæ volunt dilatari, vel quæ dilatatione non indigent. (oportet etiam interrogare) eſt veniendum ad reliqua ſigna, quæ conſiſtunt in interrogatione ægrotantis, ſcilicet interrogando, quando percuſſus eſt: qualis viſa percuſſio: an intonuit caput: an viſa ſit veluti cucurbita fracta: vel ſi ſit ſecreta, vel halea, viſa ſit ſibi fracta. (ſi vero) ſunt curioſi ęgri, qui inueſtigant vulnera, & rumpunt, vel digito perſentiunt, quod non poſſunt medici cognoſcere, ſtatim ſuperueniente tumore: interroga, an ipſi ſciant denudatum eſſe os, an ſenſerint fracturam nec ne, quia multa ſciunt ipſi. Sunt enim ſpecies fracturarum, vt contuſiones, & rimæ, quæ non cadunt ſub ſenſum, & tamen ęgri percipiunt: vt quum tinnitum, vel percuſſionem ſenſerunt, impoſſibile eſt, quin ſit contuſum os, vel rimam cõtraxerit: & in his caſibus, non poſſumus vti oculis, & ſpecillis: iſta reſponſio ægrotorum facit, cui adiuncta inquiſitione noſtra, & addito opere, aſſequimur veritatem. Opus quod eſt? eſt opus Chirurgicum, quo nos deradimus, & imponimus atramentum nigrum, quę poſtea dicet Hipp. Hęc autem facere non debemus, niſi ſuſpiciones habeamus ex interrogatione, & reſponſione, & rationes. Videte an Hipp. viderit muſcas volantes. (ſed ſedem teli indicat) primum erat cognoſcendum, an os denudatum ſit: ſi denudatum, an læſum, & fractum, & quæ ſpecies fracturæ: & cum iſta oculis lateant, ratione ſunt cognoſcenda, & opere: iſta ratio dependet primo ex reſponſione ægri: deinde ex alijs dicendis: ſed quoniam rimæ, & contuſionis fecit mentionem, quæ, ſpecillo cognoſci non poſſunt: ideo iam declarat, quæ ſunt, quæ indicantur a ſpecillo, ſunt ſedes & depreſſio: tertium eſt ipſa eleuatio: addatis, quod ſi caſu rima eſſet lata, poſſet cognoſci ſpecillo: ſed non fit rima lata, niſi compreſſio fiat: & ideo compreſſio cognoſcitur: ſpecillo etiam habemus, ſi os eſt valde comminutum, & hæ fracturæ ſolent oculis apparere. (rumpitur autem os) iam vero Hipp. cum velit inuenire ſigna fracturæ magnæ, vel paruæ. vel huius, vel illius læſionis, optime nouit fontes omnium ſignorum, & vnus eſt, quum a cauſis efficientibus ſigna haurimus: vt iſte percuſſus eſt gladio ſecante, ergo vulneratum eſt os. iam ergo a vulnerante cognoſcimus magnitudinẽ, vel paruitatem affectus: ſolet *A cauſis efficientibus.* findi os, & valde findi, deprimi, & valde deprimi: quomodo cognoſcam hoc? a cauſa efficiẽte valida, ex induſtria, & ex opportuno loco, magna fiet fractura, depreſſio immodica: præterea, ſi quis ex remoto, vel ex propinquo ferierit, & ſi contineat. debemus etiam conſiderare, ſiue contineat, ſiue iaciat inſtrumentum: præterea, ſi percuſſor robuſtiſſimus, & debilis vulneratus erit, vulnus fiet magnum. (ex his vero qui cadentes) cum quis tripliciter vulnerari poſſit: vel ab homine: aut animali: vel quia cadat ſupra durum, vel durum cadat ſupra eum: loquutus eſt Hippocrat. de primo: iam loquitur de ſecundo, & tertio: ſi homo, qui eſt magni corporis cadat ſupra durum, ex altiſſimo loco, periculum eſt, vt os rumpatur, & contundatur. ſi autem quis cadit ex æquali loco, id eſt, dum incedit, poſſet pati, ſed non adeo: præterea, ſi quis ſuper paleas, & plauſtrum fœni cadat, minimo vulnere ferietur, & non frangitur os: vel ſi frangetur, parum lædi poteſt. tertia ſpecies, qua vulneratur homo, eſt, quum corpus inanimatum durum cadit ſupra eum, a figura, a loco, a quo cadit: & a ſubſtantia graui percipimus magnam, vel minimam fractionem: illud corpus, quod ex alto cadit maximã

fracturam

fracturam facit: quod vero e plano, ferme nihil: quod duriſſimum, facit magnam rimam, & contuſionem, & depreſſionem: ſi ſit grauiſſimum, non molle, obtuſum, non acutum: quoniam, ſi non eſſet obtuſum, ſecaret, non deprimeret, & contunderet. (& maxime ſane periculum) non ſatis eſt, vt a cauſa efficiente ducamus ſigna: ſed opus eſt, vt ſciamus rationem motus, quo ductu dirigatur, aut cadens, aut feriens, aut cadens cor- *Motus.* pus: quoniam ſi recte, & perpendiculariter ferit pugio vel cadit homo, vel ſupra hominem iactus lapidis fiat, tunc magna fiet contuſio, & magna depreſſio, maximaque fractura. (quæ vero ex obliquo.) quæ per obliquum percutiunt caput, ſemper ictus faciunt minores, etiam, quod denudetur carne ipſum os: quod quidem fieri poteſt: at, ſi in recto ictu denudetur os, ſemper eſt periculum: ſi vero per obliquum os percuſſum non eſt, aliquid paſſum cognoſcetis hoc ex vulnere obliquo. Nam quædam vulnera.) ratio eſt, quoniam ſæpe numero plurima vulnera dantur obliqua, & os non denudatur, ſed ſi denudetur, minus patitur, quam ſi ex recto eſſet percuſſum: habemus a cauſis efficientibus huiuſmodi ſigna, & a remotioribus, a feriente, & ab illo, qui concidit iam ab iis eiſdem telis, quæ ſunt propinquiſſima, aſſumit indicia, & ita ſi telum rotundum graue, erit magnum vulnus, ſi acutum, leue, erit vulnus etiam leue.

Notate, quod plana, & obtuſa, & grauia iuuantia brachium ferientis, & dura, vt frangant, & non frangantur, faciunt maiorem fractionem in oſſibus, & maxime eliquatur caro, & vlcera fient per obliquum: quia ad latera diſſipantur partes, & media, & recta pars magis contunditur: & ideo per obliquum fiunt vlcera. (ſub caua) cum feciſſet mentionem, contuſionis ex inſtrumentis contundentibus: ideo explicat naturam contuſionis, & vlcera eius, & quid neceſſarium in eis tractandis. & primo dicit, quod in contuſionibus caro comprimitur, & maturatur, & maceratur.: adiungit, quod faciunt ulcera in obliquum, quoniam non ſolum fiant in parte contuſa, per recta tantum: ſed circumcirca, & ad latera, & quia ipſum inſtrumentum, non recta poteſt frangere carnem: ideo per obliquum quaſi ferit. Præterea vulnera fiunt circularia: quia circumducitur, & circumlabitur, & ideo vulnera fiunt circularia, & ſubcaua, id eſt veluti cauernæ, quoniam ſeparatur pericraneum ab oſſe, vbi colligitur ſanies, & ſuppurata magis fiunt, id eſt, magis humida, cum eliquatur ſubſtantia carnis, & diutiore tempore purgantur, & ſaniem magnam contrahunt.

Nam ex ſententia medicorum, cum vulnera dupliciter ſanentur, vel per agglutinationem, vel per concretionem carnis: ſi primo modo, ſemper mundamus: quando explemus carne, non imponimus medicamenta repellentia: & ideo multa materia, & excrementum concurrit ad vulnus: quare in principio oportet bene expurgare, in contuſis vulneribus, quia per expurgationem ſanamus: cum in eis ſemper adſit humiditas, quæ debet ſeparari per concoctionem, & ideo dicit Hippocrat. (purgantur) id eſt concoquuntur diuturno tempore: quoniam (inquit) ſatis eſt, vt exteriora confinentia, in alijs vulneribus detergantur: ſed in hoc concurrit materia multa: quare caro illa, quæ fracta eſt, debet ſuppurari, & hoc non fit, niſi per integram maturationem, & tempus longum. (at tela oblonga) dixi, quod Hippocrat. non prætermittit ſigna, ab inſtrumento immediato: iam proponit ſigna, aſſumpta ab alio genere teli, vt, ſi fuerit acutum, leue, non faciet contuſionem, ſed ſedem, & diſſecat os, & carnem. (verum non valde os, &c. rumpunt) legite findunt (cæterum oportet, ſupra conſpectum tuum) monet, vt, ſi nos viderimus locum, & adeſſe hanc vel illam ſpeciem fracturæ, ſemper oportet facere interrogationem de ſingulis: nam magis, & minus ſolent superuenire ſymptomata, maxime vulneratum indicantia: interrogemus: quum percuſſus fuiſti, percepiſti tinnitum, caligarunt ne oculi: vel viſa ſunt omnia circumdire: vertigo occupauit: vel ſopore correptus fuiſti: ita quod impediti ſint ſenſus exteriores? Vel ſi conciderit, indicium eſt magni ictus: cau- *Caſus.* ſa eſt, & primo de caſu: caſus fit dupliciter: vel quia maiori vi impellitur, & ita cadit, & cum quis concidit vulneratus, violentus eſt ictus: ſecundo modo cadit, quia inſtrumenta, quibus continetur corpus amiſerint facultatem: vt, ſi vires deficiant, verbi gratia, quum vulnus eſt in occipitio, circa principium medullæ ſpinalis, quæ compreſſa fit ictu, omnes *Vertigo.* nerui ab illa prodeuntes paſſi ſunt. ſi vertiginoſus fuerit homo: vertigo fit, quando ſpiritus, qui continentur in oculis, & cerebro, agitationem percipiant, & circumuoluantur: ſi non creditis, hoc prouenire ratione ſpirituum accipite exemplum a fumo aſcendente: ſi poſt fumum aſcendentem videtis domum, aut turrim, videtur domus moueri, atque turris, vt videntur Luna, & ſol per nubes viſa moueri: ita accidit, quum ex maxima percuſſione vapores contenti in cerebro, & oculis agitantur, & cum non poſſint recta duci duplicata agitatione circumuoluuntur. Hæc non poteſt fieri, niſi a magna percuſſione. ergo vertigo magnam fracturam denotat (ſi caligarint oculi.

Hæc caligo varijs cauſis prouenit, vel quia percuſſio fit in poſteriori parte: vnde dimo- *Caligo.*

Epilogus. tum cerebrum ad anteriora, & ad poſteriora, concurrerint ſpiritus, quibus deſtituti oculi, caligant: præterea ob nimium ictum, diſſipantur ſpiritus animales, & hoc generat ſoporem etiam, vel tanta facta ſit contuſio, vt eleuatis vaporibus pluribus turbarint neruos viſorios, & humorem illum cryſtallinum, & obturarint meatum: ſed hæc omnia celerrime tranſeunt. Sopor procedit, aut ex compreſſis ventriculis cerebri, vel quia huiuſmodi percuſſio talis fuerit, vt diſſipati ſint ſpiritus animales: loquor iam de immediata vertigine, & ſopore immediato: de illis enim, quæ poſtea ſuperueniunt, habemus alias cauſas: iſte eſt ſopor, quies facultatum, ratione ſpirituum diſſipatorum, illud non eſt deliquium animi, ſed ſopor, & quies.

Habetis ergo primum, quibus argumentis cognoſcere poſſimus os denudatum: ſecundo, fractum: tertio, quo fracturæ genere, & primum quomodo poſſumus aſſequi fracturas latentes, & qua ratione cognoſcamus eas, in quibus neceſſarium eſt deuenire ad apertionem, & qua ratione cognoſcamus maiores fracturas, ſedes ſcilicet, & depreſſiones, & quomodo coniunctim, & quomodo ſeparatim: talia ſigna erant, a ſubiecto vulnerato, a conſequentibus, a cauſis remotis, atque propinquis: ſequitur, vt agamus de cognitione vulnerum, quæ accidunt circa ſuturas, & multa de imbecillitate earum tradit Hippoc. dicens (cum autem os carnes) ſed, cum clara ſint, omittam.

De ſignis fracturarum in ſuturis. Cap. XIX.

CVm autem) dicebat quatuor eſſe ſpecies fracturarum, duas manifeſtas, ſcilicet ſedem, & depreſſionem: totidem occultas, ſcilicet rimam, & contuſionem: iam dicit, quod ſedes, in ſuturis, immanifeſta eſt: quoniam aſperitas, circa eas, non indicare facit ſpecillo vulnus ſuturæ: credimus enim ſuturam tangere & erit vulnus, & econtra: oculus etiam decipitur, qui videbit ſuturam, & credet eſſe os fractum: & iſti nebulones, barbitonſores ſæpe decipiuntur in hoc, & abradunt, vbi abradendum non eſt, & interficiunt homines: non poſſumus cognoſcere, an ſedes ſit in ſutura, niſi valde ampla ſit. Accidit etiam & rima) vbi inquit (ruptio) ſubſtituatis (rima) vel (figura:) iſta difficultas, quæ oritur, in cognitione ſedis in ſutura, inquit, maior eſt, ſi adſit rima: nam ſi findatur ſutura, non poſſumus cognoſcere: ſed notate, quod hanc rimam infra diſſolutionem vocat: quoniam oſſa ſuturæ pati ſolent inſignem diſſolutionem, & contuſionem: dixi enim, quod, ſicuti ſpicula ferrata, copulantur oſſa in ſuturis: ſolent pati oſſa in hac coniunctione, vel quando contunduntur, ita vt fiat illiſio dentium, ſimul inter ſe, in marginibus: iſtam ſpeciem notauit Carpus, diligentiſſimus Chirurgus: quoniam percutiebat caput in vna parte, & circa ſuturas fiebat ſanies, non inuenit niſi hanc rationem: quoniam contunditur margo, & ligamentum, quod intercedit inter os, & os, quod cōiungit mēbranam interiorem, & exteriorem cerebri. quando ergo illiduntur oſſa ſuturarum, eſt paſſio ſuturæ: ſecunda eſt, quum diſſoluitur ſutura: ſi haberetis geminas tabulas, glutine colligatas, & percuſſæ aperirentur compages, diſſoluta colla, aliquantiſper hiarent tabulæ, ſed hiatus anguſtus eſſet: ita accidit ſuturis: & de hac loquitur rima, quæ eſt inter ſpatium, quo iunguntur illa oſſa, ſi vix aperiatur illud ſpatium, vel dilatetur, illa eſt rima, non ſunt oſſa ad latera conſiſtentia, quia dura ſunt: & hanc ſententiam, non recte aſſecutus eſt Vidius, & alij. Patitur multa alia ſutura, ſed iſta ſunt maximi momenti. Et conſiderate primum, quod excogitauit Carpus: ſed ſi hoc fiat, quid mali ſubſequitur? aliquantiſper aperitur, quod natura diſiunctum eſt: ſi magis quam decet aperiatur hiatus, plurimæ humiditates confluunt ad membranam, & faciunt inflammationem: præterea ligamentum, connatum vtrique extremo oſſi, lacerabitur aliquantiſper, quamuis laceratio non pateat ad ſenſum, & ſic inflammatio ſuccedet, & periculum mortis (procliue) incipit declarare, quid intelligat per rupturam. Cum Hippo. videret, rimam in ſuturis non eſſe veram rimam, vocat diſſolutionem: quoniam rima fit in vno oſſe fracto: ſed in ſuturis ſunt duo oſſa iuncta ſimul (ruptionis exordia) legite (figuræ exordia) (verum) dicit, quod difficilior eſt rima, quæ fit ratione contuſionis, quam quæ fit ratione ſedis, quoniam in ſede adeſt viſus potens penetrare vſque ad os.

Vidij error

Ratio fallit vbi oculus non videt. Hoc non poſſumus aſſequi, niſi ratione: & ratio aliquando fallit, vbi oculi viſio non adeſt: quare adhibenda eſt maxima diligentia, quoniam ſuturę magis patiuntur, quam os ſine ſutura, & probat Hippoc. ac dicit, quoties videris, aut ſuſpicaris contuſionem, vel ſedem, vel diſſolutionem, circa ſuturam, ſcias, quod maior eſt, quam appareat læſio: probat, quod debeat ſupponi maior: quia, exempli gratia, ego video tantam diſſolutionem circa rimam, quantam in alio loco, erit duplo maior circa ſuturam, quia a minori cauſa magis læditur ſutura,

tura, quam reliqua oſſa ob imbecillitatem ipſius ſuturæ. (& pleraque) ſi medicus vult diligenter tractare, debet vt plurimum peruenire ad perforationem, & quoniam adeſt ſuſpicio, vel ſenſus, quod ſit læſio in oſſe, ſi maiores ſint læſiones, quam ad ſenſum appareant: ideo oportet fieri apertio, ne membranis inflammatio ſuccedat. Hæc pertinent ad practicam, nec turbat ordinem Hipp. quia ex hoc vult probare intentum.

Verum ipſas ſuturas) quoniam, ne quis ineptus chirurgus deueniret ad ſuturam, & abraderet, ſtatim Hippocrat. ſubiungit: ne perfores ſuturam, ſed in propinquo oſſe: ratio eſt, *Sutura nõ perforãda.* quia ligamentum illud, eſt admodum ſentiens, inflammatur facile, vti teſtatur Galen. & omnes: non reddit rationem Hippocrat. quia clara eſt, & eſſet leuis ſcriptoris, omnia dicere: locus igitur aperiendus erit, prope ſuturam, & ita facile educta ſanies, liberabit hominem, a morte, iam habetis ſigna quibus cognoſcere poſſitis fracturas, modo ad curationem deſcendamus.

De ordine in curatione ſeruando.
Cap. XX.

PORRO de curatione vulnerum in capite) proportio hæc eſt, ipſius curationis, quam inſtituit Hippocrat. veluti procœmium iſtius tractationis, in qua duo proponit: primum curationem vulnerum capitis: ſecundo, proponit, qua ratione redarguamus fracturas latentes, & certo deducamus ſub oculos. Frangitur os rima, depreſſione, contuſione, ſede. ſedes manifeſta eſt depreſſio pariter: requirunt tantum curationem rima, & contuſio ſignis habetur, in his requiritur redargutio, quæ non poteſt fieri ſine opere manuali, requiritur etiam curatio: Hæc ſunt, quæ præſtabit Hippocrat. prioris autem, quæ pertinet ad curationem, varia eſt latitudo: nam proponentur, quæ faciunt ad locum affectum, ad ſymptomata, ad purgationes, & ſimilia: quare per curationem vulnerum, intelligatis omnia hæc tria.

Verum antequam explicem curationem propoſitam, ab Hippocrat. video, quod ſetrahitur curatio, ad quoddam aliud, a quo non eſtis defraudandi: nam vulneratur caput tripliciter: vno modo, quum frangitur os: vel intra, vel extra: & hæc eſt vna ſpecies vulneris capitis: omnem intelligo læſionem, per vulnus, in continuitate: igitur fit, vt primo modo vulneretur, quum frangitur os: & hoc dupliciter: vel non fracto corio: vel fracto, & aperto corio: & carne fit, vt deprimatur os, & frangatur non denudatum a carne. In hoc libro, non loquitur Hippocrat. niſi de vulneribus oſſis, quæ fiunt, quum os denudatum frangitur: & quamuis locutus fuerit, de contuſione carnis, & ibi innuerit hoc: tamen vidiſtis, quod Hippocrat. per contuſam carnem intelligat, vt ſit continuationis eius ſolutio, & ita vlcus generatur, profundum, latum, & cauernoſum: ſi non ſtatim, tamen ſucceſſu temporis: ſed poſito caſu, quod vulneretur os, non præſente vlcere, ſtatim quid agendum? de vulnere, in quo frangitur os, & detegitur, loquitur Hippocrates: de eo, quod non detegitur, non loquitur Hippocrates: & iſta curatio non eſt prætermittenda.

Vulneratur caput, ſecundo modo, vt os denudetur, & non patiatur: de huiuſmodi vulnere, non loquitur Hippocrat. quia ſcopus eius eſt, tractare de fracturis caluariæ: cum ergo hic patiatur corium, & pericraneum tantum, & non frangatur caput: ideo tranſcendit ſcopum eius, quæ tamen vulnera non ſunt negligenda. Tertium genus eſt, quum vulneratur caput, & os non detegitur: ſecatur caro, pericraneum integrum manet: ex his vulneribus, leniſſimum eſt hoc poſtremum: ſecundo in loco, eſt, in quo detegitur ſine offenſione os: tertio in loco eſt: quum frangitur os: cum ergo primum, & ſecundum genus, ſint leuiora, ego non omittam: ſed prius de his tractabo, poſtea addam, quomodo debemus conſequi curationem oſſis fracti, & non detecti.

De curatione vulneris ſimplicis quando os detectum non eſt. Cap. XXI.

Similis Simplicis vulneris curatio duplex.
Agglutinatio.
Not. in vulneribus temporum.

PRimum, admoneo vos, ne faciatis, vt aliqui empirici faciunt, qui cum viderint, vulnus peruenire ad os, ſolent panniculum ſecare, & ideo tarde ſanatur: ſed quum integer eſt panniculus, oſſis cranei, nobis proponitur eadem curatio, quæ fieri ſolet, in quolibet ſimplici vulnere: ſi erit contuſio, date curationem contuſioni, quam dicam, quando de ea tractabo: ſi non eſt contuſio, poſſumus dupliciter ſanare, per agglutinationem, & per carnis generationem: primum fit ex ſecundo de compoſit. medicament. per genera, de dolore capit. ex ictu, ſi in vulneribus fibulas imponamus: & hoc videtur auſterum recentioribus: ſed ſuccedit, quod vbicunque ſint vulnera ſimplicia, ſi ſint carnoſa, debent coniungi labia, præterea, cum in capite faſcijs vti non poſſimus, ideo primo intuitu, fibulas adaptetis: vno loco excepto, ſcilicet ſi fuerit in muſculo temporali, vbi ſi poteſtis coniungere labia, illius vulneris, vt tantum perforetis corium, laudo: ſed quod conſuatis ſubiectum muſculum temporalem, caueatis.

Notate tamen, quod ego in omnibus vulneribus temporum, ſoleo conſuere corium: dummodo non veniat vulnus in profundum, & obſeruo, an vulnerata ſint vaſa, quæ percurrunt per tempora: nam, ſi hoc eſt, ego filo adligo, & conſuo corium: & ſi quis quæret, non videtur hoc factum exacte. nam ſi relinquis muſculum inconſutum: contrahuntur partes muſculi, & ſic fit ſanies, & aliquod ſequitur incommodum. Domini, ego dum video vaſa ligata, non dubito, ſi ibi grumus colligatur: ſi non conſuo, ſolet refrigerari muſculus, & ſequitur conuulſio eius, & aliquod incommodum: ſed, ſi conſuo, liberor ab hoc: at in illa cauitate ego ſoleo, cum conſuerim partem, ponere aliquod duplicatum linteolum quo comprimitur corium, quod explet cauitatem. moneo ergo, vt expurgatum vulnus in capite ſuatis: ſed ſi vaſa ſecta ſint in temporibus, ſemper laqueo comprehendatis, deinde conſuatis corium, relicto muſculo inconſuto: &, vt cauitas humiditate non impleatur, ſupra medicamentum ponite duplicatum linteolum: facta contuſione, ſupraponite barbatum, vel emplaſtrum Iſis, vel pulueres dictos, dum tractabam de agglutinando vulnere: ſed ibi tria poſui medicamenta, pro mollibus, pro mediocribus, & pro robuſtioribus: ſed in parte, vbi ſunt capilli, robuſtiſſima medicamenta applicate agglutinatoria: ſi puer vulneretur in capite, adminiſtrate mediocria agglutinantia: ſi iuuenis, robuſtiſſima: ſi robuſtus vulneretur in capite, vtimini Iſidis emplaſtro, quod temperabam in illo caſu: at in capitis vulneribus, in duris corporibus vtamini robuſtiſſimis, puris, & ſimplicibus: quoniam corium durum eſt, & habet radices capillorum ſiccas & frigidiſſimas. Hoc facietis in ſimplici vulnere, ſi volueritis agglutinare: ſed ſi vultis per generationem carnis ſanare, adminiſtrate à me propoſita, dum tractarem de vulneribus carne explendis: ſed notate errorem illorum, qui ſtatim veniunt ad vſum olei roſati, vt expleant carne hæc leuia vulnera: non eſt mirum, ſi explentur carne molli, laxa, ac inutili: vtamini ſarcoticis, traditis à me tertio loco, robuſtiſſimis.

Generatio carnis.
Ol. roſ. improbatur in generatione carnis.

De

De curatione vulneris oſſe detecto. Cap. XXII.

Mēbrana vulnerata quomodo tractanda.

SI autem caſu fiat, vt vulneretur membrana, veſtiens os, quomodo erit tractanda iſta pars: debetis ſcire: quod aliquando detegitur os, in maxima quantitate. Eram Piſis: puer ex aceruo lapidum, in caput procidit, & ita prolapſus, deſcendit ad ſolum vſque: vulnerata eſt pars poſterior capitis, ſeparata eſt cutis, & quaſi totum craneum poſterius erat denudatum: aliquando accidit, vt parua quantitas denudetur: poteſt fieri, vt denudatio ſit cum exciſione oſſis: nam ex ictibus obliquis, vt manriuerſi, ſolet fieri: vt gladius ſecet ſquamam oſſis. Detegitur ergo os duobus modis: aut ſine læſione: aut cum aliqua reſectione: iſtud fit aut parum, aut multum: in his caſibus quid agendum? notate, quod opus eſt, vt ſupponamus primum, quod os, non contraxerit fracturam, nec ſedem, nec rimam, nec aliud: Hanc rationem curatiuam docet Galenus, in eodem loco, de compoſitione medicam. vt habeamus rationem oſſis, & carnis. Vos debetis ſcire, quod quoties os eſt detectum, ita vt per duas horas afficiatur ab aere ambiente, ſemper refrigeratur, & contrahit ſiccitatem in ſuprema parte: & ideo extrema ſuperficies moritur, ideoque remouenda eſt illa ſquama ſuperior, tunc illa ſuperficies exterior auferatur: ne cogatur os emittere ſquamam: quoniam impeditur agglutinatio, & tarda fit ſanatio, ſi relinquitur ſquama:

Refrigerato oſſe remouenda ſquama.

Quādo radedum os.

Et notate, quod in his vulneribus ſemper procedendum curatione, per agglutinationem, etiam ſi totum caput eſſet detectnm. Ergo oportet deradere os, ſumma cum diligentia, & quo vſque? donec refrigeratum, & ſiccatum abſtulerimus: donec viderimus ſanguinem manantem, & erumpentem: & dum incipimus eradere, ſi emanat ſanguis, eſt ſignum, quod ſuperficies adhuc viuit, & eſflorelcet caro ſtatim, pro facienda agglutinatione t & ideo nolite abradere, ſi ſtatim erumpat ſanguis, & cruentum fiat os: ex oſſe enim viuo, emittuntur flores, carunculæ quædam, quæ ad agglutinationem faciunr: ſed, ſi aliquis cortex oſſis, abraſus eſt gladio: ſi illa percuſſio venit vſque ad meditullium molle, nolite abradere:

Officulo cōiuncto cum corio quid agendum.

Hiſtoria.

ſi autem oſſiculum ſit coniunctum, cum corio, & pericraneo, quid agendum? in eo caſu (quamuis non dicant medici) ego obſeruaui, vt auferam, ſiue magnum, ſiue paruum fruſtum ſit: quoniam corium melius fouebit: nam illa pars oſſis, quæ adhuc viuit, ſemper eſt ſeparanda à non viuente, & renocandum eſt corium. Sed notate hiſtoriam pulchram confirmantem ſententiam Gal. & Hipp. Superioribus annis, fuit ſcholaris doctus, vulneratus eſt nocturna hora, in capite, & inuerſa eſt pars corij capitis, & aderat fruſtu n caluariæ reſectum: dum incaleſceret vulnus, vidi os nihil paſſum eſſe: non opus erat abraſione, quia erat ſanguis, & perueniebat ad meditullium, appoſui corium, & reſecui os: erat mecum quidam ſcholaris: acceſſit in patriam, vidit ſeruum eodem modo vulneratum, ſed grauius, nam portio cerebri ablata erat: fecir, vt ego feci, & ſanatus eſt æger. Dij boni, quantum honorem comparauit ſibi hic male curando: vos moneo: ne faciatis hoc: nam ſi detectum fuerit os, agglutinationem tentetis, non autem hoc dico, ſi cerebrum erit detectum: nam imponetur lamina aurea, ſupra quam ponetis corium & pericraneum, quod ſapit naturam carnis humanæ, & membranæ, vti intelligetis. Non ego moneo, vt iſtum imitemini, quoniam ſuccedere poſſunt maxima inconuenientia.

Generatio carnis.

Veniamus ad nos, ſi non vultis conſuere, & tentare agglutinationem, quo modo faciemus? tentate generationem carnis, & hoc duobus medicamentis: primo quod ſit aptum generare carnem, in corio: quoniam hæc duo differunt remiſſione, & intentione: ſarcotica in oſſe debent eſſe ſiccantia, in tertio: detergentia magis, dummodo non faciant dolorem, & ſunt medicamenta, quæ capitalia vocantur, quæ explicabuntur in detectione membranarū: ideo debetis imponere pulueres propoſitos a Galeno ſexto method. capite vltimo, dictos capitales a noſtris, & eſt ariſtolochia vtraque, peucedani radix, orobi amari radix, & ſimilia ſiccantia in tertio, farina lupinorum amarorum, ſquama æris, &c. ex his ſiunt pulueres, quibus detegimus os: & notate, quod, quamuis volueritis per expletionem carnis ſanare, debetis tamen deradere os, in principio, ſi non in principio, poſt 7. & quotidie inſpergetis os pulueribus illis: cum hoc feceritis, tegeris linamento ex filis ſicco, poſtea explebitis ſarcoticis medicamentis, aut baſilico vng. aut tereb. aut vng. de matriſilua, & omnibus tractatis a me, dum egi de his, quæ carnem generant, partes circumpōſitæ fouendæ ſunt ol. roſ. linimento ſimpl. vel emplaſt. Hippo. ex farina hordei, & polca, vel vino, & ol. roſ. vel aliquo ſimili habente vim refrigerandi, & dolorem ſedandi, & reliquis, quibus poteſtis vti, ad euitandam inflammationem, excepta deligatione, & actu frigidis,

Sarcotica in oſſe.

Capitalia medicam.

Not.

Curatio.

Nō calida, nō frigida, ſed tepida applicāda.

ne

ne fiat conſpiſſatio cutis, ideo applicare tepida omnia: valde calida ſunt noxia ob metum inflammationis: vnde errant cooperientes capita pellibus, & ſtupis: æſtate poteſtis aliquantiſper frigida adminiſtrare: ſed ſemper præſtabit vti tepidis.

Cooperientium caput pellibus, error.

Experientia quibus cognoſcimus os an fractum ſit. *Cap. XXIII.*

Relinquit Hipp. expoſitionem.

QVoniam rem tractandam perpendo, ſi volumus Hippo. interpretari breui, non poſſumus, quia ſententiæ plurimæ ſunt, & difficiles, hac ratione in Gallias cogor abire, imperfecta relicta materia: ne vos defraudem paucioribus rem integram perficere decreuit nam procul omni dubio, totam curationem periſtringam: & vt hoc fiat, nos ad inſtitutam methodum reuertamur, & dicamus: frangitur os caluariæ vulnerato corio, ac detecto oſſe) antequam vlterius procedamus, videndum eſt, an re vera os fractum ſit, & quæ fracturæ ſpecies: artificioſam coniecturam audiuiſtis, non repeto: ſed tantum deuenio ad quædam alia obſeruanda, & ad experimenta facienda, a chirurgo: & primum, vos cognoſcetis fractum os, hac ratione ex libro de Coacis prædictionibus, mouebat Hippocr. vt videremus, an ſtrepitum ederet fractura, qui ſonus percipitur ab ægrotante: ſi hoc eſt, indicium eſt oſſis fracti. cognoſcemus autem, ſi æger accipiat ferulam, vel caulem plantæ, ſub vtraque gena, & mandat, & conſtringat dentibus, & aduertat, an in aliqua parte capitis leuem percipiat ſtrepitum: ſi percipit, ſignum eſt ibi fractum eſſe os. Sed quæres, quomodo, ſi accipiatur fruſtum aliquod, quod mandatur, ſub vtraque dentium ſerie, poteſt facere ſtrepitum in capite? quia adnexi ſunt muſculi temporales, facientes ad conſtrictionem dentium: contrahuntur muſculi, & os diſtrahunt ſi fractum eſt, & ideo edit ſtridorem.

Primũ experimentũ.

Ratio experimenti.

2. Exper.

Verum notate, quod recentiores volunt, vt accipiamus nodum paleæ, dentibus ſtringendum, & neglexerunt, vt ſtringat æger vtriſque dentibus: ſed, vt ex æquo diſtrahantur muſculi temporales, debet imponi in ambabus partibus.

3. Exper.

Præterea recentiores capiunt funiculum in ore, quem dant ægri dentibus poſtea violenter trahunt: præterea, percutiunt funiculum virga, & ſi os fractum eſt, dicunt ægrum perſentire ſtridorem: ſed hæ ſunt nugæ: quoniam ita concutitur caput, vt percipiat ſonum æger, etiam in partibus ſanis: ferulam ergo, vel caulem ſiccum capite ex herba, & ita comprimat æger, ex vtraque maxilla, & aduertat ad ſtrepitum.

Ratio omniũ exper.

At dicet quis, cur aſſumunt ferulam, nodum, vel caulicem. nihil refert, hoc an illud accipiatur, dummodo non ſit frangibile: quoniam ſecus, deciperentur infirmi fractione: oportet ergo, vt ſit tenax vt charta triplicata, nucleus pineus, vel tela triplicata, aut quadruplicata: & ſciatis, quod ſignum illud, apud me eſt leue. Alia ſunt ſigna quibus hoc cognoſcimus, præcipue circa locum affectum: vt ſpecillo, & oculo: at ſi ſectum eſt os, ſpecillum non valet acutum, nec obtuſum, mediocre ſit: præterea mandemus ægroto, vt compreſſis naribus, tentet ſpiritus expreſſionem: nam per huiuſmodi expreſſionem, & conatum, ſit, vt omnia vaſa capitis turgeant, venæ ſcilicet, & arteriæ: & non ſolum exteriora, ſed intima, quæ currunt per meditullium vaſa: ſi erit fractura latens, humiditas egreſſa ad rimam, per inflammationem vaſorum elidetur, & ſic cruor, vel gutta humoris, apparebit in loco affecto, & hoc eſt optimum ſignum. Addatis tertio, quod debemus deuenire, ad opus illud, cuius meminit Hippocrat. & hoc eſt, deraſio oſſis, & impoſitio atramenti.

Specillum.

5. Exper.

Signũ fracturæ.

Atramentum.

Accipimus atramentum ſcriptorium, cui adiungimus acetum, ſi non tenue eſt, & ita linteolum madefactum imponimus, vel calamo guttam infundimus, ſupra: poſtea facimus, vt ſit detectum aliquantiſper, & demum cooperimus vſque ad alium diem, & ſic atramentum penetrans, demonſtrat rimam. Præterea ſolent recentiores medicamentum ſupra os fundere, quod eſt, accipientes album oui, & puluerem maſticis: conficientes veluti paſtam, quam ponunt ſupra os, & tectum relinquunt per vigintiquatuor horas, & detegentes, obſeruant, in quibus partibus eſt ſiccatior pars: vbi reperiunt ſiccatam partem, dicunt ibi eſſe fracturam: ratio eſt, quoniam ab illa parte fracta, non amplius emanat tantum ſpiritus humidi, quantum à parte integra: alij accipiunt puluerem thuris, (& hoc faciunt, cum dubitant de fracto oſſe, cute exiſtente integra) hoc modo: accipiunt thuris, ceræ, ladani, an. drach. ij. ſimul miſcentur, & imponuntur capiti deraſo, per noctem: poſtea obſeruanda cutis mane, & dicunt, quod illa parte, vbi cutis exiccata eſt, ibi vulnus: alij conficiunt huiuſmodi emplaſtrum, quod recipit ceræ, ladani, thuris, an. vnc. ij. tereb. far. fab. aceti, an. vnc. vnam. hæc optime ſimul diſſoluenda, &

7. Exper.

Ratio 7. exper.

8. Exper. cute integra exiſtente.

9. Exper.

miſcen-

miſcenda, & debent extendi ſupra linteolum, ex quo fiat biretum, capiti imponendum: ſequenti die inuiſatur locus, in illa parte, vbi medicamentum perforatum eſt, ibi eſt os ruptum.

Ego expertus ſum hæc medicamenta, ſed nugæ ſunt: non potui hoc, quod dicunt, aſſequi, propoſui autem, vt vos tentare poſſitis.

Impugnat has exper.

De prognoſtico, oſſe fracto exiſtente. *Cap. XXIV.*

CVm cognoueritis fractum os, aut oculis, aut ſignis, oportet iudicium proferre: aliqui volunt, vt ſemper proferamus mortem, in fractura oſſis: aliqui magis audaces nunquam pronunciant: ambo errant: quoniam, ſi non adeſt aliquod ſymptoma ſuperueniens, & poſſumus omnia exacte agere, pronunciare periculoſa vulnera, ſed per ſe non eſſe lethalia, & ita periculoſa, vt æger, aſtantes, & medicus ſint oculis apertis: ſi ſint accidentia, exempli gratia, ſi febris ſuperuenit, periculoſiſſimum eſt, ex ſententia Hippocrat. præterea, ſi caput præter modum calidum, & deſtillationibus aptum: tertio, ſi habetis hominem patientem eryſipelas, ſua natura, in capite: ex ſententia Hippocrat. pronunciate, eſſe maximum periculum: addatis quarto, ſi videatis labia vulneris depreſſa, & non tumida in ſecunda viſitatione, pronunciate magnum vulnus, ex 5. aphoriſ. 66. in vulneribus fortibus, niſi ſuperueniant tumores, malum eſt: ſi accidat, vt os in principio denigratum appareat, lethum pronunciate: ſi ſuperuenerint vigiliæ, & corpus ſit cacochymum, ſunt lethalia.

Noſtri recentiores aſſumunt ſigna ab oculis, & pulſibus, quæ non curo: ſed, ſi ſopor, vel vertigo ſuperuenerit, timete mortem: ſi nihil ex his adfuerit, nunquam denuncietis, pro mortali vulnere, ſed periculoſo, id eſt tali, quod ſi recte non tractetur, pronuntiate mortem. Semper tamen, in omni vulnere cum fractura timenda eſt, vt vtar verbis Damaſc. debemus hortari ægrum, ne timeat, & hæc de præſagijs.

De curatione, & primo de ratione victus. *Cap. XXV.*

SEd in curatione periculoſi vulneris, primum, non detur vinum vulneribus capitis, ſed aqua cocta, vel hordeacea: non dentur carnes, primis diebus, ſi fractura eſt: oportet enim, vt æger parum alatur, primo, quia decumbit: ſecundo, quia timemus fluxum materiæ: ſed denius alimenta horrida, vt ſunt riſi, hordeum, panis coctus in aqua: herbæ aliquot, vti malua, beta, aſparagi dulciores: aliquando lactuca, quæ quamuis offendat caput: tamen compeſcit vapores calidos, ad caput aſcendētes: fercula ex ſpinach. cichor. end. bona ſunt edulia.

Domini, ille victus, qui vocatur ab Hippocr. vilis, conueniens eſt vſque ad 14. ita & panatella, cui addatur ſaccharum, bona eſt: oportet etiam, vt accipiat, poſt cibum ſaccharum violac. vel roſ. vel borag. vel cotognatam, & ſi pirum coctum ſub cineribus detis, non peccabitis: omnia autem ſint corroborantia caput: ut ſyrupi impedientes uapores calidos: ut ſyr. de betonica, roſaceus recens, vel de roſis ſiccis, cum decoction. hordei, cichor. & betonicæ, &c.

Vinum non detur carnesq́; Piſi. Hordeum. Panis coctus. Malua. Beta. Aſparagi. Lactuca. Panatella. Conſerua poſt cibum. Pirum coctum. Syrupi.

Motus autem & quies.) quieſcendum eſt, non faciendi motus: obſeruandum etiam eſt, quod non ſolum debent eſſe in quiete, ſed debent etiam quieſcere oculi: lumine enim copioſo, agitantur ſpiritus interni: claudantur ergo feneſtræ: adſit lumen candelæ, & mediocres tenebræ, non cæciſſimæ: quoniam eſſet cruciatio ægri. De ambiente maxima eſt lis: nonnulli volunt, aliquem aerem eſſe peſſimum: tamen omne ambiens craſſum expetendum eſt, veluti aer Venetus, Ferrarienſis; mediocris, vt aer Patauinus: tenuis, malus eſt: ſed non interficit homines: monet medicos, vt minus liberum aerem admittant: vnde accuſant iſti aerem Florentinum, & Vincentinum: ſed aer non interficit: ſicut in vulneribus thoracis attrahitur aer ad illas partes, ita eſt in vulneribus capitis: ſunt nugæ: dicunt aliqui, quod Neapolitanus aer ſit vulneribus capitis ſua proprietate inimicus: neſciunt quid ſit proprietas. non dubito, quod ſi quis nutritus in tenui aere, eat ad locum craſſiorem, vel e contra, ſi vulneretur in aere illo, facile moritur: ſed indigenæ non interficiuntur ita facile.

Quies. Aer. Aer craſſus vulneribus capitis. Flor. et Vincent. aer malus eſt. Neap. aer non inimicus vulneri capi. ſua proprietate. Aer frigidus, & minimum calidus inimicus vuln. capit.

Ego Florentiæ ſanaui deſperata vulnera, & etiam Vincentiæ, nec timui aerem: cautior fui:

Digitized by Google

fui: quia cum ſit tenuior, magis facit ad penetrationem: ſed tenuis aer frigidus, & nimium calidus, vulneribus eſt inimicus: & ideo non calefacite nimis, nec permittite frigus ingredi: ideo medicamenta tepida imponenda ſunt, fugite frigus, & calorem, vti diabolum: ſequimini tepidum.

Cōtra vtentes calidiſſimis. Notate hoc: fugite eos, qui non contenti linteis, vellent imponere totam domum, coquunt, & torrent caput, accipiunt teſtam calidam, qua aſſatur caput ægrotantis, & miniſtrorum. *Hyems præſtantior æſtate.* Quo ad tempeſtates, hyems eſt præſtantior, & ego timeo magis æſtiuo tempore: primum, quia iſti nebulones, æſtiuo tempore volunt calefacere thalamum, & lintea, & claudere feneſtras: præterea hyems eſt commodior ventribus, quia fiunt concoctiones robuſtiores: ſed æſtate fuligines multæ fluunt, humores ſunt eliquati, & concurrit inflammatio, & materia ad locum: & ideo multi mortui ſunt, in æſtate, in manu mea, *Dubitatio.* quam in hyeme, triplo, & quadruplo. Sed aliquis dicet, oppoſitum ſentit Hippocr. qui ait frigidum cerebro inimicum: non loquebatur de tempeſtate, in qua eſt frigus: ſed de ambiente frigido, actu frigido, & valde frigido, veluti medicamenta; & aqua: at ego laudo hyemem, propter digeſtionem, non autem propter frigus: immo volo, vt thalami caleſiant, & ideo reprehendo ſanantes aqua frigida, quos approbant deſperati milites, in exercitibus & a deſperatis laudātur iſti lanij: nos cruciamus ægros, qui timent deraſionem, incidunt in mortem. Itaque dico, quod Hipp. non eſt mihi oppoſitus, immo aſſero, quod *Solutio.* tepida imponenda, non frigida: de ſomno, & vigilia moderata ſint: die non dormiendum, ſi nocte dormiuit.

Somnus, et vigilia. Perturbationes fugiendæ: & ideo debet eſſe medicus eloquens, vt fingat, & ſibi certam perſuadeat ſanitatem. *Animi perturbationes.* De excrementis, non eſt dubitandum, quod horum rationem habere debemus, & ideo clyſterijs educenda ſunt: non retinendæ fæces ſiccæ, in ventre: quoniam augentur ſymptomata, aluo plena: ſequitur vt de euacuatione, per ſectam venam, agamus. *Excrementa.*

An debeamus ſecare venam. Cap. XXVI.

Opinio eorū qui non ſecāt venā. QVibuſdam videtur, non ſecandam eſſe venam, cum capitis vulnera non facile inflammentur, quia eſt pars eleuata: *2. Ratio.* ſecundo, habent aliam rationem, quoniam dum habemus os fractum, ſecamus cutim, & deradimus os, ex quibus effluit ſanguis copioſus, qui eſt in cauſa, vt non ſuccedat inflammatio: præterea Galenus. quarto meth. licet magnus morbus ſectionem venæ indicet, tamen Hippocr. loquens de capitis vulneribus, nunquam fecit mentionem mittendi ſanguinis, *3. Ratio.* & ideo ex his rationibus, & cauſis tribus concludunt, quod non ſit ſecanda vena: contra, omnes chirurgi in oſſe fracto, eam ſecant: quia dicunt, quod eſt impoſſibile, vt magnus non fuerit ictus, ex quibus rebus contuſio, & concuſſio facta, non ſit in partibus interioribus, & ideo facile inflammatio ſequeretur. Hæc ratio cogit: ideo addite Hippocrat. rationem, qui obſeruat, quod ſolus Deus tractare poſſet vulnera, ſine dolore, vel ſcalpendo, vel deradendo, ſed iſte dolor longus, inſignis, repetitus (quoniam aliquando dilatamus, aliquando tribus diebus deradimus) facit ad attractionem, & attractio inflammationem parit: ideo cum Galeno in ſecundo de compoſitione medicamentorum localium, cap. de dolore capit. & plaga, teneo ſecandam venam capitalem, vel communem lateris læſi, & quod non ſufficiat fluxus ſanguinis ex deraſione, ſectione &c. patet, quia ſemper videmus quotidie effluentem illuc materiam. ſi ergo vires adſint, ſecate venam, & ratione virium poſſumus menſurare ſanguinem. *Cucurbitulis.* poſſumus etiam cucurbitulas applicare, vt euitemus venæ ſectionem.

De

De pharmaco exhibendo. Cap. XXVII.

ACcidit quandoque, vt ſecare venam non poſſimus: vel quia vires non conſtant: vel, quia ætas non viget: vel quia tempus inhibet: ideo ad pharmaci exhibitionem deſcendendum eſt. Aliqui nolunt, vt exhibeatur: inter quos eſt Guido, qui vult, vt clyſteribus euacuetur corpus, alternis diebus: Ioannes de Vico excellens practicus idem confirmare videtur: at Celſus libro octauo, capitulo quarto, nullam pharmaci propinandi mentionem facit: &, quod maius eſt, Galenus loco dicto ait, ſi non poſſumus ſecare venam, clyſterijs vti debemus, & non ſubſtituit per ſectionem venæ, pharmacum. Ergo Galen. eius vſum non laudat: poſſumus afferre rationes: nam os fractum, vt fractum, non requirit medicamentum: non etenim dolet os, nec ratione cauſæ efficientis: nam dantur medicamenta in morbis, in quibus cauſa eſt humor, vel fluens, vel fluxurus, vel qui fluxit: morbus vulneris capitis non prouenit a fluxione: quare cogemur exhibere pharmacum? ſecundo; cum medicamenta purgatoria agitent corpus, afferemus incommodum ægro: quia calefaciemus humorem: his rationibus, quidam negant eſſe exhibendum pharmacum in vulneribus capitis magnis. Alij oppoſitum tenent, & volunt quod in omnibus vulneribus, in quibus fractura adeſt, debemus exhibere pharmacum.

Guidonis opinio, qđ non dandũ phar. — *Ratio.* — *2. Ratio.* — *Opin. dans pharm. in omnibus vuln.*

Nam Hippocrat. in libello nobis exponendo, exhibebat medicamentum cholagogum, præterea Paul. & Auicen. dum loquuntur de fractura caluariæ, exhibent medicamentum purgatorium, in quo loco Auicennæ adeſt varietas in textu. eſt textus, qui dicit ſoluens ſemel, ideſt, vnica vice ſoluens, ideſt ſit purum medicamentum, quod educat fæces craſſas: id eſt, ſit medicamentum leniens.

Vnde Gentilis lenitiuum interpretatur medicamentum: ſed codex eſt corruptus: nam mens Auicennæ ibi eſt, referre authoritatem Pauli, & Hippocratis: at Hippocrates exhibet medicamentum robuſtum: haberet vices clyſteris illud medicamentum. quod hæc non ſit mens Auicenn. legite eum in tertio libro, vbi loquitur de dolore capitis, ex contuſione: ibi vtitur clyſteribus acribus, &, ſi adeſt febris, exhibet pillulas cochias, præter acria enemata.

Auic. locus reſtituitur.

Vos accipite, aut pilulas cochias Rhaſis, aut Gal. omnes ſunt robuſtiſſimæ, adeſt colocynthis, ſcam. agar. & ſimilia: ſi exhibet robuſtiſſimum medicamentum Auic. in fractura capitis leui, quomodo vultis, vt lenitiuum exhibeat in vulneribus magnis?

Itaque (vt dixi) Iacobus, Dinus, & Gentilis ex authoritate Auicennæ exhibent medicamenta robuſta: quos ſequitur Petrus ex Argilata, & maior pars chirurgorum exhibent electuarium Indum, diaphœn. & alia. adducunt etiam rationes: nam non ſecamus venam, vt conſolidemus vulnus, nec vt impediamus cauſam efficientem, aut conſeruantem: non animaduertunt iſti, quod ſi concedunt venæ ſectionem, vt impediant inflammationem, concedent etiam pharmacum, quæro faciunt ne hoc, vt ſanetur vulnus? non: ſed vt retrahantur humores noxij, & præcipuè tenues, fluentes ad locum, & qui poſſunt excitare dolorem: & ideo exhibent medicamentum purgatorium, & præſertim educens bilem, quæ cum ſit calida, facile penetrat ad ſuperiores partes: iſta eſt indicatio: & quamuis huiuſmodi medicamenta calefacere poſſint: habemus illa, quæ efficere non poſſunt: &, vt ego dicam ſententiam meam, quum obſeruo vulnera capitis, & agenda in his, ego non dubito, quod ratione vulneris eſt ſecanda vena, & exhibendum pharmacum: ſed dum obſeruo ſymptomata timenda, & victus rationem, & quæ pertinent ad ſomnum, & vigiliam, & ad fæces, potius faciunt pro præſeruatione, quam pro curatione: Omnia ergo hæc a præcautrice potius, quam a curatrice facultate indicantur: non adeſt dolor in vulnere, non materia fluens, nec tumor, eſt ne ſecanda vena, atque pharmacum dandum?

Sententia propria.

Dico, quod ſic: quia nos timemus fluxionem, in iſto vulnere nos debemus excoriare, abradere, & tractare operibus: impoſſibile eſt, non fluere materiam ad locum: ſed, ſi adſit dolor capitis, vel tumor, vel ſtupor, indicatur, & ſectio venæ, & exhibitio pharmaci a curatrice facultate: quoniam aut incipit inflammatio, vel adeſt calor. in hoc caſu ſectio venæ optima eſt: quia reuellit materiam: idem agit pharmacum. Dico igitur, quod vel ratione præcautionis, vel curationis, in vulneribus capitis magni momenti, debemus aut venam ſecare, aut pharmacum dare: vel vtroque vti, præſertim pleno exiſtente corpore, & abundantibus ſeroſis, vel linioſis humoribus, & primum debemus ſecare venam, & poſtea ad medicamentum deſcendere. At in corporibus ſanguineis ſemper vena ſecanda eſt, in quibus non poſſumus mittere ſanguinem, pharmacum propinamus. Et in hoc caſu,

ſu,

Digitized by Google

Myrob. ldu. ſu, ego exhiberem medicamenta purgantia, quæ educunt ſerum, atque bilem, & non calefaciant: & ſunt myrobalanorũ genera, ad quæ tanquam ad ſacram anchoram confugio: quia, præter euacuationem, roborant caput, & conſtipant venas: myrobalani ergo decocti, vel infuſi ſint, quibus admiſceo elect. lenit. & quum timetis bilem, exhibete elect. de ſucco roſ. diaprunis ſolutiuum, in moderata tamen quantitate: iſta ſunt medicamenta præſtantiſſima: &, ſi volueritis exhibete infuſum rheubarb. admixtis myrobal. cum ſyr. roſ. ſol. & viol. hoc eſt præſtantius medicamentum. *Ad authoritates aduerſariorũ.* Nec obſtat Celſi locus: quoniam tantum ibi tractat de curatione circa locum affectum, & cum veniſſet ad cibum, dimiſit lectorem alio: nec obſtat authoritas Galeni, quia ex illa authoritate colligimus, ita imbecillas fuiſſe vires, vt etiam pharmacum impedierint.

Ad rationes. Cum ſit imbecillitas, non ratione humorum, ſed magni vulneris: Rationes nec obſtant, cum his medicamentis præcaueamus, non curemus vulnus, & ideo poteſtis tuto, euacuantia bilem exhibere.

De curatione vulneris, cum oſſe fracto, circa locum affectum, & declarat quam ſectam ſit ſequutus. Cap. XXVIII.

POſt illa communia capita, quæ pertinent ad res non naturales, ſequuntur particularia, quæ locum affectum reſpiciunt, & ita curatio loci affecti ſuccedit, loquor de vulnere, in quo os læſum ſit.

Prima ſecta curans linteis ſiccis, oleis, & aqua benedicti. Reperio quatuor ſectas medicorum varias in hoc. prima eſt eorum, qui curant linteolis madentibus aqua, vel oleo benedictis, vel linteolis ſiccis benedictis: quam rem cum abhorreat Chriſtiana religio, & ex ea plurima exeant damna, ideo execremur & nos, vt iniquam, & inutilem.

Secũda ſecta curans per potiones. Alia ſecta curat per potiones, & nihil agit in loco affecto: iſta videtur medicina Grilli, laborat caput, exhibent confectiones: compoſitiones hæ ſunt magni momenti, quas non expertus ſum, in vulneribus capit. ſed in alijs, & mihi ſucceſſit.

Tertia ſecta empyr. matre balſami curãs & a'ijs. Tertia eſt ſecta empyricorum, qui nihil exhibent per os, nullam victus habent rationem, nullo habito diſcrimine, imponunt capiti medicamenta nobilia, vt eſt mater balſami, vel ſtillatitia aqua nobiliſſima: ſi opportune vterentur his medicamentis, bonum eſſet: ego vſus ſum, & felici ſucceſſu, vt dicam poſtea.

Quarta ſecta Hipp. Quarta ſecta eſt Hippocratica, & omnium rationalium medicorum, qui faciunt ratione cum experimento coniuncta: hi exhibent potiones, quando opus eſt, imponunt aquam, acetum, linteola, olea, &c. medicamenta opportuna: hic eſt veluti faſciculus florum ſelectorum, quibus omnibus fruitur, ſelecta occaſione: in hac ſecta purgatur corpus, ſecatur vena, adminiſtrantur clyſteria, exhibentur potiones, inſtituitur ratio victus: ſed in loco affecto quid faciunt ?¦ ſtatim cum conſpiciunt vulnus, conſiderant, an latum ſit, vt omnia ſub conſpectum cadant: ſi non eſt ita latum, vt conſpici poſſit, bene conſiderandum, vel ſecandum eſt, aperiunt, & dilatant vulnus. Hæc eſt prima actio: ſi dilatatum eſt, non amplius dilatant: & non faciunt, vt barbitonſores iſti, veri hominum lanij, & anthropophagi: vnde, quando noſtri creant chirurgum, proponunt caſum in vulnere capitis: & ipſe inquit, ego appono manum, & video, ſi eſt detectum os, ſi non eſt detectum, dilato: vt manibus poſſint vulnera contrectari: dico ergo, quod opus eſt, vt diligentiſſime adhibeatur oculus, vt, ſi non neceſſe ſit dilatare, non dilatetur: ſecandum eſt, & dilatandum, vt detegatur os, ideo non tantum corium, ſed pericranium etiam aperiendum. Tonſor ſecat cutim, non pericranium, quod eſt ſecandum: ineptiæ iſtæ occurrunt quotidie, oportet ſeparare etiam pericranium ab oſſe.

De

De ſectione pericranei. *Cap. XXIX.*

Præcepta in dilatatione vuln.

Separatur (inquit Celſus, & Hippocrates,) vel vnguibus, vel aliquo inſtrumento: qua ratione ſeparamus? Reſpondet Celſus, ne pungatur, quum deradimus os, quia ſentit dolorem, & ex dolore fit inflammatio, ex inflammatione mors ſuccedit. Secandum igitur pericraneum, & deradendum vnguibus: ſed in ſecando pericraneo, & dilatando vulnere habete hæc tria præcepta: primum, vt non ſecetis, niſi in parte, quæ neceſſario detegenda eſt, ne faciatis, velut i præſepe, in quo comedat equus: *1. Præceptum.* ſecundo, fugite loca importuna: vnus eſt circa muſculum temporalem, alter circa ſuturas. *2. Præceptum.* Ego vidi bis, ſectum per tranſuerſum muſculum temporalem, quod eſt lethale penitus: fugiatis igitur, vt nunquam dilatationem faciatis, in his duobus locis: ſed dicet quis quomodo fiet? ſi eſt ſectio per longum, debemus linamentis aperire huiuſmodi vulnus, & poſtea ſcalpro tenuiſſime facere: ſi eſt punctura, ego non audeo tractare, quoniam ſcio, quod moritur æger: moneo igitur in hoc, ne adhibeatis fidem fortunæ empiricorum, quibus aliquando ſuccedit ſectio, nolite ſecare. Tertius locus, ſunt omnes ſuturæ, nunquam ſecate in ſutura, ſed ad latus: non auferatis pericraneum a ſutura: quia non fit ſine periculo inflammationis, ratione illius ligamenti: *3. Præceptum.* quartum præceptum addo, & eſt, vt dilatatione præcipue circa frontem aduertatis, ne cadant ſupercilia, quæ attolluntur, & deprimuntur, ratione muſculi, qui eſt in fronte, non ſecetis muſculum per tranſuerſum: *4. Præceptum.* quia non aperiretur bene oculus, & eſſet tetriculus aſpectus: debemus ſecare ab inferiori, ad ſuperiora, per rectum: ſed, ſi non ſufficit, in hoc caſu, non ſecare in ſectione tranſuerſali, ſed opus eſt tribus ſectionibus, ab ipſo vulnere facio ſectionem per rectum, poſtea ab eodem modo puncto duco, ad ſuperiora, duas alias, quæ oblique aſcendant, & ita erit ſectio triangularis, & cum fibrarum per obliquum ſectarum, vna alterum ſuſtentet, & alia aliam, donec veniant ad partem ſanam, ſic ſuſtentatur ſupercilium, & ita ego habebo dilatationem quantam oportet habere, & fugio turpitudinem oculorum: facta ſectione, auferendum pericranium, & dilatandum vulnus.

De dilatatione vulneris. *Cap. XXX.*

Acetū pro dilatatione vuln. improbatur.

Celſus capit acetum, vt dilatetur vulnus. robuſtum, & durum eſt genus hoc medicamenti, noſtris tẽporibus eſt mollities, hinc ego non laudo acetum. Celſus medebatur Romæ, vbi erant homines robuſtiſſimi: conficiatis ergo linamenta, & imbuatis albo oui: ſed ego, leniendi gratia dolorem, ſoleo etiam luteum admiſcere, & digitis hæc agenda, & habendus oculus pericranio, vt optime dilatetur: iſta linimenta dilatant, & ſanguinem ſiſtunt: poteſtis etiam poſca, vel vino auſtero madefacere linteola. Hæc facio: ſunt aliqui, qui relinquunt vulnus vſque ad tertiam diem: ſed nimis tarda eſt detectio, præterea nimis ſiccantur linteola, & ſiccata cient dolores, ideo vſque ad vigeſimamquartam horam permaneant, poſtea detegantur.

Quid agendum poſt primam vulneris detectionem, quando aperiendum os ex ſententia aliorum. *Cap.* XXXI.

APerto vulnere, quid agendum? volunt, vt diligentiſſime expenſitemus circa locum, & videamus, an appareat aliquid, an reſudet aliquis cruor ex oſſe, an poſſimus per ſpecillum inuenire ſedem vel fracturam: ſecundo, mandandum ægro, vt detentis naribus, teneat flatum: ſi enim rima adeſt, manat cruor ex vulnere.

Tertio videndum, vel impoſito digito, vel inſtrumento, an depreſſio ſit: quarto videndum, an ſit magna ſectio, an humor contentus agitetur: ſi agitatur, fractura magna eſt; & non peruenit ad membranam, qua detecta eſt, quoniam motus agitationis apparet ratione motus membranæ, non ratione cerebri motus, quod non mouetur, quamuis id dicat Columbus, maximæ authoritatis anatomicus: contrarium enim indicat compoſitio ſubſtantiæ illius, quæ non eſt fibroſa: ideo non eſt apta ad motum: non poteſt facere natura, vt habeat motum diaſtoles & ſyſtoles, corpus non fibroſum.

Cerebrum nõ moueri.

Cum ergo id videritis, ſcite fractum os inſigni fractura, ſi videmus materiam poſſe egredi, & deſcendere in membranam, tunc non debemus deradere. Celſus cum viderit fractum os, vt apertione non indigeat, imponit medicamentum ſiccans robuſtum, & primum empl. philote, & viridia empl. ſupra os. Hæc ratio medendi non placet, quia ſunt chalcanthum, chalcitis, ærugo, quæ robuſta ſunt, & ratione oſſis conuenirent, non ratione labiorum: ſed potius ponatis emplaſt. cephalicum, quod Celſus libro quinto vocat emplaſtrum Iudæi: vel infundite cephalica arida, vt ſunt pulueres ex gentiana, itide, thure, & maſtiche, & alijs ſimul collectis. Sunt aliqui recentiores, qui loco horum aridorum, infundunt ol. roſ. & quamuis non eſſet detecta membrana, quum non opus eſt abraſione, vtuntur ol. iſto, quod nulla ratione conuenit: nam cum non debeamus offendere locum, non oportet ponere impedimentum doloris, os autem nihil, quod humectet, aut refrigeret requirit, ſed ſiccantia præter modum: non miremini, ſi pereunt homines: itaque laudo, vt deueniatis ad pulueres illos, quos dicam ſuo loco. Si autem os ſit fractum & neſciamus an fractura perueniat ad membranam, & ignoremus, an poſſimus educere ſaniem, quid agendum? aliqui volunt, vt imponamus medicamenta ſiccantia: aliqui ol. roſ. & dicunt, quod debeamus expectare ſigna retentæ ſaniei, vt eſt delirium, febris, ſopor, & ſimilia, & tunc monent, vt aperiamus: non eſt vera hæc curatio: aliqui volunt, vt aperiamus, præſentibus his conditionibus, & fuit Conciliator Diff. 181. qui proponit tres conditiones, in quibus debemus aperire os: prima eſt, ſi ſtatim fuerint mala ſymptomata: ſi vir fuerit vertiginoſus, ſi ſopor aduenerit: ſecunda conditio eſt, ſi fracta caluaria, fluxerit ſanguis ad membranam, & ibi concreuit, in eo caſu debemus ſecare os: tertia conditio eſt, quando ex aliqua magna contuſione fractum eſt aliquod vas, & collectus ſit ſanguis in membrana, qui non poſſit habere exitum.

Curatio. *Pulueres capitales.* *Cõciliatoris opinio.* *Tres conditiones indicantes aperiẽdum os.* *1. Coditio.* *2. Cõditio.* *3. Cõditio.*

Nicolaus Florẽtinus proponit tantum duo exempla, in quibus vult, vt ſtatim aperiamus caluariam: primum eſt, quum magna facta eſt attritio oſſis, & quod ſunt multa eius fruſtula in loco affecto: alia, ſi fractura fuerit capillaris: quoniam in eo caſu poteſt deſcendere materia, & non poteſt egredi: prætermittit multa alia.

Nic. Flor. opinio.

Fuit Lanfrancus Placentinus diligentiſſimus, & doctus, qui etiam loquitur de hoc, & inquit: quod duæ tantum ſunt occaſiones, in quibus debemus detegere os: vna cum os eſt detectum, ita vt vna pars deſcenderit in partem ſanam: altera occaſio eſt, quando aliquod fruſtum oſſis pungit membranam: in reliquis (inquit) non debemus aperire os, quoniam lethalis eſt detectio membranæ: & dico reuera, quod maximum periculum eſt, ſed ſanies lethalis eſt. In omnibus itaque alijs affectibus vult, vt non detegamus os: & dicit, quod, ſi rima erit, & contuſio, deſcendit ſanies: dat exemplum de phrenitide, & lethargo, in quibus medicamentis impoſitis capiti, excutimus materiam, plurimam exiſtentem circa cerebrum: nonne etiam ex vno tantum loco pauca quantitas materiæ educetur?

Lanfrãchi opinio.

Ego vellem, vt hic ſuppoſuiſſet, quod laborantes lethargo, quaſi nunquam liberantur, maxime ſi lethargus eſt inſignis: ſecundo in phrenitide, non omnes liberantur per medicamenta, & ſi qui liberantur, rari ſunt. debemus ne ex raritate hanc facere regulam? præterea aliud opinandum, in oſſe detecto refrigerato, & aliud in non refrigerato: quomodo

medicamenta

Medicamenta ea, quæ agunt in oſſe calido, non affecto, præſtare poterunt in oſſe refrigerato, fracto, affecto: ſcio, quod, dummodo non adſint accidentia, & fruſtum oſſis pungens membranam, non eſt detegendum os: quoniam per multa medicamenta poſſumus educere materiam: ſed quomodo educes materiam: quia medicamenta aduantur à corio calida: ſed in oſſe detecto, non poteſt hoc ſperari: quia (vt dixi) refrigeratum eſt os, & ideo non poſſunt medicamenta educere materiam. Habemus Dinum, & Gentilem, qui volunt, quod nos aperiamus, in multis fracturis: hac vna conditione excepta, quoties corpus fuerit boni ſucci, vt humor non peccet in quanto, & quali: quod vulnus latum ſit, & quod nos ſperemus virtutem expultricem validam: tunc non debemus aperire os: Iſtæ conditiones raro ſuperueniunt: mihi videtur hoc vulnus depictum, quæ quidem norma in mente concipi poteſt, at in actu non reperitur: nunquam vidi vulnera hæc. Quare cum multi errent in hoc, & varij varia dicant: ego dicam ſententiam meam.

Dini, et Gentil. opinio. Impugnatio.

Sententia propria, quando aperiendum os, & quando non. Cap. XXXII.

DEtecto oſſe, inſpectis fracturis, ſi apertiſſima ſit fractura, quid ſupra os imponendum ſit, diximus, quid etiam infundendum membranæ: ſi hoc non eſt, oportet detegere os, vt ſanies habeat exitum, & non excitet membranæ inflammationem. Audiuiſtis conditiones, quando aperiendum os ex recentioribus: iam me determinantem audiatis. Indicatio aperiendi oſſis proponitur nobis ab his, ſcilicet quæ continentur, intra caluariam, & quæ exitum quærunt. quoties ergo aliquid continetur præter naturam, in illa cauitate ſemper debemus ſecare os. Videamus autem, quæ poſſunt contineri in illa cauitate præter naturam: primum eſt inſtrumenti ferientis fruſtum, ſagittarum, pugionum, & lapidum: non credidiſſem, niſi vidiſſem, quod poſſit lanceæ acumen frangi: & acies ſpuntoni fracta eſt (non agitur annus) in capite Patauini: aliquando ego petrarum fruſtra extraxi: hæc itaque eſt prima occaſio: ſecunda eſt [illegible], quando detecto oſſe, habemus indicia, quod ſanies penetrat ad cauitatem: tertio eſt, ſi frangatur os, & aliqua portio diſrumpatur, & pungat membranam, demus ergo exitum in illo caſu: quarta, ſi aderit fruſtum inſigne oſſis depreſſum, quæ depreſſio contuderit membranam, ex qua compreſſione ſtupor aduenerit, ex cerebri depreſſione: in hac occaſione debemus detegere membranam, & attollere: ſed quomodo cognoſcetis, ſi prematur membrana, vel non? ſi vomitus, vel delirium ſuperuenerit ſubito, ſi delirium accidit, & videtis depreſſionem, tunc membranā patitur: verum debetis ſcire, quod aliquando accidit, vt frangantur oſſa, & oriatur indicatio aperiendi oſſis, vt materia fluat. in hoc caſu, cum videtis rimam, ex qua timetis, non debetis deuenire ſtatim ad detectionem membranæ: ſed quid prius agendum? in omni fractura debemus inquirere, an veniat ad intimam partem, nec ne: ſi non perueniret, non eſſet opus detectione: quoniam lethalis detectio eſt: ideo aduertite, antequam detegatis: primum deradatis os, & veniatis ad meditullium, poſtea ad intimam laminam: nam, ſi frangitur lamina exterior ſolum, non eſt periculum, non deuenite ad apertionem, niſi punctura, vel depreſſio fuerit: ſed, ſi rima erit, vel ſedes, debetis tentare per abraſionem oſſis.

Fruſtū inſtrumenti.

Signū mēbrana compreſſæ.

Digitized by Google

Quid agendum in deraſione oſsis. Cap. XXXIII.

Auribus quid imponatur aliquid in deraſione oſſis. *Scalpri.* *Raſpatorij.*

HOc autem agendum eſt hac ratione: primum accipiatis linteola parua, quibus cooperiatis labia vulneris, ne tangantur inſtrumentis, & refrigerentur: tectis labijs, detegetis os: iſti monent, vt ponamus cotonem in auribus, ne æger percipiat ſonum: ego feci, & alios docui; ſed poſtquam ego percepi, quod oſſa capitis, ſi tundantur, ſtatim communicant paſſiones auribus, clauſi aures, & referebant percipere ſonum: aperui, & non magis percipiebant, ideo non refert claudere: quare venite ad ſcalpros, qui ſunt duum generum: alij ſunt exciſorij, & ſunt veluti illi, quibus ſcalpimus lignum: alij ſunt raſorij, quibus vtimur; ego vtor prioribus, non per malleolum, vt antiqui faciebant, & ideo frangebant os: ego vtor manu, & æquilibrio adiuncto: ſed vſus præcipuus eſt ſcalprorũ, qui raſpatorij dicuntur: raſpare eſt abradere fricando: huiuſmodi ſcalpra abraſoria ſolẽt aut eſſe inflexa, aut plana: cras ego deferam omnia inſtrumenta, vt oculis cognoſcere poſſitis: aliqua habent aciem circularem, & inflexam, aliqua plenam, quæ aut linearis, aut angularis eſt: vtimur ergo his, & in vſu horum eſt præceptum Gal. vt primum incipiendo abradamus latiori, deinde anguſto, vltimo anguſtiſſimo.

Regula in vſu ſcalprorum. *Ol. roſ. vſus.* *In fluxu ſanguinis.* *Atramenti vſus.*

Interea, dum ſcalpimus, ſolemus pericranium, & labia dolore afficere: ideo lenimus dolorem oleo roſato, quò facilius currat inſtrumentum, & non incaleſcat os: &, ſi fluit ſanguis, infundite portiunculam poſcæ, hacque madefaciatis linteolum: ſed notate, quod ſemper poſtea imbuendum ſcalprum ol. roſ. quia ſecus exaſperaretur, & retunderetur eius acies ab aceto: hoc facto, cum deraſeritis os, donec videatis meditullium, & nulla rima appareat: ita quod deliteſcat, quid agendum? non eſt amplius abradendum: vos deuenietis ad argumentum Hippocrat. accipiendo atramentum, & infundendo parum ſupra os, & imponendo linimentum paruum eodem imbutum. Hippocrat. habebat vnum genus atramenti ſuo tempore, nos vnum aliud habemus, tempore noſtro: vtrunque bonum eſt: ſi habetis craſſum, guttula aceti attenuate, vt facilius currat, altera die os detegatis: ſi adeſt nigra rima capillaris, ſciatis, quod erit rima: & ideo proſequemur ſcalpendo; ſi integrum ſit os, & non appareat rima, in eo caſu medebimur cephalicis aridis pulueribus, vel ſupra os imponendo tantum medicamentum iſidis, vel oleum abietinum, & ſimilia, veluti ſi nihil paſſum eſſet os, deraſa tamen prius ſuperficie oſſis.

Quando fracta eſt ſecunda lamina, quid agendum. Cap. XXXIV.

Tẽpus aperiendi os. *Ante 4. aperiẽdum.*

SI autem ſedes teli fregit ſecundam laminam, opus eſt, vt aperiamus: quando hoc eſt agendum? vide omnia ſigna indicantia apertionem. Noſtri recentiores dicunt aperiendum, quum ſuperueniunt ſymptomata, vel ſeptima, vel 14. quum delirium, vel inflammatio incipit: ſed miror, quod volunt ſuccurrere, quando non poſſunt: non eſt exſpectanda ſeptima, quando veniunt ſymptomata in æſtate, nec 14. quando ſuperueniunt in hyeme: ſtatim ante 4. facere oportet. Præceptum hoc Hippocrat. eſt, Celſi, & Pauli, nunquam veniendum ad quartam, in qua incipiunt putredines humorum, & inſultus naturæ contra ægritudines: ideo in prima, vel ſecunda, vel tertia die agendum: ſi autem non vocati erimus ante 4. ſi adſunt indicationes aperiendi, & induciæ conceduntur, differatis vltra 7. vel vltra 9. qua ratione vt non impediamus motum naturæ: ſi autem procraſtinatio adeſt, vt poſſim traducere tempus, ego ſtatim ſeco: etiam ſi in 7. ſit, vel criſis adſit, & hoc eſt, ſi depreſſio fuerit, aut ſtupor, vel fruſtum pungens, etiam in quarta, & quamuis adſit criſis, vel in ſeptima aperiatis. ſi hæc non offendunt, agatis poſt ſeptimam, & non expectetis ſymptomata.

De

De loco detegendo quantum oſſis auferendum. Cap. XXXV.

Locus aperiendus.

OBſeruandus eſt primo locus: ſecundo, quantum oſſis auferendum: tertio, qua ratione auferendum. De loco: ſi uulnus fuerit in parte ſumma, ſemper debetis detegere membranam in tota illa parte, in qua eſt fractura, non in medio tantum. ſecundo obſeruetis, quod ſi in una parte tantum detegenda eſt, detegatis in decliui parte, ut humiditas poſſit fluere ad illam partem decliuem: quomodo obſeruabitis partem decliuem? ex decubitu: quoniam partes decliues in rectitudine hominis, non ſunt in decubitu: ſed quum debetis detegere multam partem membranæ, uel membrana perforata eſt, & apparet cerebrum: fugite partem decliuem, ex ſexto methodi: qua ratione? quoniam (inquit Galen.) cum cerebrum ſit molle, labitur, & detruditur facile ad loca decliuia: & ideo egredi poſſet, & marceſcere.

2. Praeceptum.

Hæc igitur pertinent ad locum: aliud eſt, ut nunquam ſinatis empyricos aperire ſupra ſuturam, ſed ſemper ad latus ſuturæ: &, ſi inſignis eſt fractura in ſutura, ego detego membranam ad ambo latera: quoniam detexi unum latus, & poſt 7. uidi, quod materia detinebatur, & transfuſa fuit, & ideo ſtatim aperui os ultra ſuturam, & reperi ſaniem, qua purgata, ſanatus eſt æger.

Quantitas oſſis auferendi.

Hæc quo ad locum. Quoad quantitatem oſſis auferendi: ſi erit fractura capillaris, uel ſedes non lata, auferre debemus totum os circa fracturam, dummodo detectum ſit, & ſi nolumus hoc, debemus ſaltem uſque ad meditullium totum os auferre: uerbi gratia, detectum eſt os longitudinis trium digitorum, & totidem ſit rima, omne os auferendum, & ſi volumus, vt membrana non detegatur, tantum ſaltem ad meditullium aperiemus totum os, poſtea faciamus leuem apertionem. Sed dicit Galenus ſexto methodi, quod non debemus detegere omnem rimam, intelligit, quando non eſt detectum os: imo ſi ſit os habens quatuor rimas, ſi vos non detegetis membranam in omnibus partibus, relinquitis fomentum mortis. Noſter Galenus loquitur de illis, quæ procedunt, ſed tectæ ſunt: quoniam ope medicamentorum poſſumus extrahere materiam: at vbi detectio eſt, & refrigeratio, debemus aperire: ego ſcio hæc omnia ſuccedere mihi: incaleſco, quia ex corde loquor, & ſcio quid dictet ratio, & experientia. præterea, ſi os eſt depreſſum, & fecit contuſionem in membrana, ſi videtis contuſam, & denigratam membranam, auferte totum os contundens, etiam, quod magna pars ſit: & hoc magnum incommodum affert: at valde neceſſarium eſt: exempli gratia, detego membranam ſpatio lenticulæ, ſi video denigratam: quomodo cognoſcam etiam denigratam eſſe in alijs partibus? ſi video denigratam ab oſſe, & cognoſco ſtylo argenteo, quem pono inter os & membranam, ſi facile tranſit ſine ſanguine (meningophylax dicitur hæc lamina) habetis iam denigratam partem, & ab oſſe ſeparatam, ergo eſt contuſa, & tunc aperiatis, vno caſu excepto, ſcilicet, ſi poteſtis medicamenta liquida imponere, ſi ſeparatio non fuerit tanta, vt materia medica poſſit declinare. Pręterea, omnia oſſa valde communia ſunt auferenda, etiam quod non pungant. quia os fractum, ſi inibi linquatur, cum ſit ſeparatum a partibus gignit ſanguinem perfidum, corrumpentem ſubſtantiam membranarum: ſi autem non fuerit magna fractura, & illa oſſa hærent partib. ſanis, non auferatis, niſi quantum dixi: quoniam vidi ego mira.

Ad Gal. authoritatem.

Modus auferendi oſſa, & de inſtrumentis.
Cap. XXXVI.

DOmini, nos poſſumus auferre inſtrumentis: ſed circa hoc obſeruare debemus modum & inſtrumenta: & primo ſunt ſcalpri quidam, quibus
Serrula. radere, & ſecare poſſumus: ſecundum genus, ſunt ſerrulæ quædam an-
Trapanũ. guſtiores: tertium genus, eſt inſtrumentum, quod vulgo trapanum vo-
Forcipes. cant, terebram ſcilicet: quartum genus, ſunt forcipes quidam ad acci-
Inſtrumenta inciden- pienda, abſtrahenda, ſecanda, & comminuenda oſſa: quintum genus
tia. eſt inſtrumentorum incidentium acutorum, quibus perforamus: ſex-
Vectes. tum genus ſunt vectes chalibæi, qui leuæ vocantur ab iſtis, ſic dictæ ab
Meningo- attollendo & eleuando oſſe: ſeptimum, ſunt meningophylaces, quæ proponuntur ſupra
phylax. membranas, ne lædantur a ſcalpris. Et primum de ſcalpris, quod duo genera ſunt: primum
Scalpri. genus continet excifforios, qui ſunt illi penitus, quibus vtuntur fabri lignarij: alij ſunt, qui vo
Excifforij. cantur xiſtires, quibus vtimur ad radendum os, de quibus dixi, ſed excifforiorum aliquot ſunt
Xiſtires. plani: aliquot caui, & veluti circulares: aliquot habent figuras. plani autem habent aciem in
Scalper lenticularis. ſummo, aut in latere: qui habent in ſummo, raro ſunt in vſu apud medicos antiquiores: qui
Scalper cauatus. habebant aciem in latere, erant valde in vſu, & dicebantur ſcalpri lenticulares, quia erat veluti gladiolus habens aciem, in qua erat ferrea lenticula: alter ſcalper non habebat lenticulam, ſed veluti pomum quoddam, & dicebatur milotis: erat idem vſus iſtorum: alter erat ſcalper cauatus: qui ſunt cauati, habent aciem in ſummo circularem, & iſti vocabantur κοιλίσκοι, id eſt, circulares: ſunt itaque tria genera ſcalprorum, planum commune, cauum, & circulare: habemus ſcalprum lenticulare medicorum antiquorum, illo plano non vtebantur, cycliſco frequentiſſime, pariter lenticulari, cuius uſus peruenit uſque ad tempora noſtra: ego demonſtrabo: ſed noſtri chirurgi neſciunt vſum. nam antiqui vtebantur malleolo, quoniam faciebant foramen in una parte, & aliud in alia parte: poſtea ponebant lenticulam ſupra mẽbranam, & aciem ad os: demum percutientes malleolo frangebant os. Ego aliquando uſus ſum, ſed dimiſi: quoniam male audiebat huiuſmodi inſtrumentum: & vulgus dicebat, me occidere homines: ſtrepitu enim illo tinniunt aures, ægri multum laborant, difficiliuſque perferunt: non quia offendebat hoc inſtrumentum: ſed, ſi moriebantur, hac cauſa dicebant id euenire: ideo eius vſum dimiſi, & nunquam ego percutio. Præterea, quando opus eſt lenticula: potius vtor alijs inſtrumentis, & ſeco forcipe: ego habeo alia genera lenticularum diuerſa ab alijs: ideo nolite vti huiuſmodi ſcalpro, cum malleolis, ſed potius manibus, ſi vulgus veſtras eſt ita vt noſtras. Hi ſcalpri, quos ſecundi generis vocaui, nullum habent vſum: ſcalpri iſtorum videntur veluti ligones, *Lappe*. omnia faciunt, ſed non ſcalpunt.

Epilogus. Ego vſus ſum, per ſex annos: habemus poſtea, vti ego inueni, alios ſcalpros, qui ſunt ſimiles illis, quibus vtuntur Cornarij: ſunt ferramenta inflexa, quæ præſtantiſſima ſunt: an talia fuerint illa antiquorum, ego ignoro: credo quod fuerint, quales mei ſunt: illi aliorum inepti ſunt, & nihil deradunt. quæ ſint, quibus aperimus caluariam: varia ſunt inſtrumenta, aut ſcalpri, & hi duum generum, excifforij, & raſorij: excifforij aut plani, aut plexi, & circulares, aut a latere ſecant: plani, & circulares ſunt communes: qui ſecant a latere, ſunt lenticulares: ſecundis & tertijs vtebantur antiqui. Raſorios dixi etiam eſſe duplices, alteros curuos, alte-
Serra. ros in vſu iſtorum, quos dixi inutiles. Hæc omnia vobis indicabo. Secundum genus inſtrumentorum, erat ſerra, quod probatum eſt ab Hippocrate. & quamuis Galenus prætermittat, & non probet Paulus, tamen maximo in vſu fuere, apud Hippocratem. iſtæ aut magnæ ſunt, aut paruæ: paruis vtimur in vulneribus capitis, magnis in oſſibus magnis. iſtas ſerras *bandirolas* vocant: bandera vexillum eſt: ſed ſerra eſt inſtrumentum: hoc ego vtor, ad
Trapana. imitationem Hippocratis, & ſeco, ductu recto, felici quidem ſucceſſu. Tertium genus in-
Terebra. ſtrumenti eſt, trapana vulgo. & terebra, quæ ſunt veluti ſerræ formatæ in circulo: eſt inſtrumentum excauatum in medio, habens dentes, vt ſerra, circulariter, & ita aperit os: eſt fiſtula ferrea ſatis lata, in extremo margine habens dentes, in medio clauum, qui eſt veluti polus, & facit foramina rotunda. Hoc inſtrumentum erat in vſu apud Hippocratem; & χοινικίδιον vocabatur, χοινικὶς a Paulo, a Celſo modiolus, & quamuis reprobetur a Galeno, tamen optimus eius vſus eſt: non erat valde in vſu tempore Gal. & ego laudo, vt quando vultis aperire os, vtamini huiuſmodi modiolo.

Lib. 8. c. 4. Deſcribitur a Celſo, & pulcherrime: vtebatur Celſus habena, quam inuoluebat circa inſtrumentum: noſtris temporibus reperta eſt ratio, qua nos circumducimus manu ſine habena: hoc non refert: ſed notandum eſt, quod nos inſtrumentum duplicatũ habemus, ſcilicet

maſculum

Digitized by Google

maſculum & fœminam: quoniam ſunt gemini æquales modioli, vnus habet clauum in medio chalybeum, alter non habet: ad hunc vſum adeſt clauus: quia primum aliquo gladiolo perforamus os, & poſtea ponimus clauum illum: ſi non eſſet clauus, laberetur de loco ad locum: cum autem prouenit ad meditullium, imponimus fœminam, vbi non adeſt clauus: quoniam cum polus debeat eſſe longior modiolo, ideo membranam pertingeret prius clauus ille: quam os perforaretur: iſtius inſtrumenti varia genera ſunt: ſed ego vnum communiſſimum vobis oſtendam: habemus pro viris, pro pueris, pro vulneribus magnis, pro paruis, pro mediocribus, &c.

Tertium genus erant terebræ, quibus vtebantur, vt perforarent os, vt illud poſtea ſcalpris ſecare poſſent: ſicuti videtis in fabris lignariis: hoc ſapiebat nimis craſſam artem mechanicam, tractare oſſa humana, ueluti tabulas, acerbũ eſt: parcat mihi antiquitas, quamuis Gal. terebret: erat autem talis terebra, qualis eſt [illegible], & uobis indicabo. ſed quia erat periculoſum, quoniam cum perueniſſet ad uitream, poterat ferire membranam, ideo faciebant, ut acies eſſet in fine acuta, in ſummo obtuſa, addebant etiam ſupercilium, ut, ſi os erat tantæ craſſitudinis, tantam magnitudinem terebræ extendebant, & uocabant ἀβάπτιστα id eſt, immergibiles: quia non poterant deſcendere: ſed coniectura ſæpe fallax eſt, credemus aliquando tenue os, & erit craſſum: & ideo oportuiſſet medicum habere officinam terebrarum, quare dimittimus uſum iſtius inſtrumenti, quamuis Galenus ita laudet, ut nihil poſſit inueniri laudabilius. *Terebra.*

Quartum genus erat forcipum ſecantium oſſa: in quo genere nõ reperio authoritatem, qua probem antiquos cognouiſſe. Habeo mentionem factam ſcalprorum oppoſitorum: & aliqui opinantur eſſe forcipes: at decipiuntur, quoniam erant gemini ſcalpri, ponebantur in oppoſitum, & ita percuſſi utrique ſecabant: iſti uocabantur ſcalpri oppoſiti: legite Gal. in lib. 8. de admin. anat. c. 7. ubi uos reperietis factam mentionem iſtorum, & uidebitis non eſſe forcipes. Nos habemus uarios: alios penetrantes: alios non penetrantes: ego frequẽter utor, & uobis indicabo. addunt alii forcipes non ad ſecandum, ſed ad colligenda & extrahenda oſſa ὀστάγρα dictę, hoc eſt, oſſium collectores, imitantur roſtrum cornicum, & iſti erant in uſu apud antiquos. Præterea adſunt uectes ferrei, leuas uocant barbari, ad leuanda oſſa, & corpora oſſibus infixa. Vltimo ſunt laminæ tenues meningophylaces, hoc eſt membranarum cuſtodes: ſolemus uti loco iſtorum ſpecillis in extremo dilatatis & attenuatis. *Forcipes ignoti antiquis.* *Oſtagra.* *Vectes.* *Meningophylax.*

Hæc ſunt inſtrumenta: ſed notate, quod interea dum aperimus oſſa, oportet notare præceptum Celſi & Hipp. ut nos madefaciamus inſtrumẽtum, uel aqua, uel oleo, ne incaleſcat inſtrumentum, & os ob attritionem: ideo ſubinde deſiſtendum ab opere: ſubinde madefaciendum ol. roſ. quod magis laudo. Præterea optime oportet percipere ſonitum inſtrumẽti, quoniam ſi perueniamus ad ſonum, qui fit corporis ſicci & reſonãtis, peruenimus ad uitream. Præterea oportet ſpecillo tentare cauitatem, ne in una parte ſecemus os, & uulneremus membranam: & ideo, quum uidemus partem profundam, nos debemus inclinare ad partem non profundam, ut æqualis ſit ſectio. Præterea aduertendum, ut recte poſſimus auferre os: quia frangitur uitrea, quoties poteſt fieri operatio leniter, ſemper eſt bonũ, ut euitemus periculum uulnerandæ membranæ: &, ſi dẽtes remanent, & apices, dentato ſcalpro deradimus, & limamus. Quinimo notandum, quum ſanguis meditullii abundat, ſtatim poſca firmetis: poſtea, ne retundatur inſtrumenti acies, oleo madefacite: prȩterea panno calido (teſtam calidam non laudo, niſi ita tepide, ut non poſſit multum calefacere) non præter modum, ſed tepido fouere uulnus. At, ſi quis haberet actu manus calidas, apponite ſtatim manum calentem, ut foueatis locum affectum: nam ſolent refrigerari labia, & os, & ita recrudeſcunt, ex quo multa ſanies, multaque incommoda euenire ſolent. Hæc ſunt agenda. *1. Præceptum.* *2. Præceptum.* *3. Præceptum.* *4 Præceptum.* *5. Præceptum.*

De ratione curandi vulnera capitis, in quibus membrana nihil paſſa eſt. Cap. XXXVII.

Detecta caluaria, primum obſeruare debetis, an membrana ſit vulnerata, necne. ſecundum, an habeat contuſionem, necne. tertium, an ſint grumi ſanguinis, vel ſanies tantum, & non offenſa ſit membrana. ſi n. inflammatio ſuccedit, alio modo procedendum. ſi membrana nihil paſſa eſt, quid agendum non conſentiunt antiqui medici: recentiores non multum curo. eſt duplex opinio veterum, de ratione curatiua: nonnulli volunt, quod debeamus proſequi curationem cum medicamentis, quæ ſiccent: huius ſententiæ fuit Hippocrat. qui vult, vt membrana ſtatim expurgetur a grumis illis: poſtea exiccetur, ne diutius madens hebes fiat, atque putreſcat: ſi diu ſordes illæ permanſerint: non expurgatur membrana, niſi per medicamenta

ta purgantia, & detergentia. Præterea non modo membrana (niſi ſiccetur) poterit putreſcere, & inflammari: ſed etiam ſequeſtrari, ſicut accidit oſſi: & vti dictum eſt, quod oſſa refrigerata ſquamam emittunt, ita membrana tunicam emittens putreſcet, & fœtida fiet: ideo oportet, vt medicamenta ſiccantia, detergentia, adminiſtrentur: addo: Celſus laudat acetum membranæ ſtatim infuſum: præterea empl. viride, empl. Iudæi, & hæc explet aceto, & vltimo tegit omnia lana infuſa aceto. Videte, an affectarit ſiccationem,

6. Meth. 6. alter ille Hipp. Chirurgiæ. Gal. Megetis facit mentionem, & Eudemi ſui ciuis, Chirurgi ſatis laudati, qui detecta membrana, imponebant emp. iſidis, & oxymel infundebant, & inquit,

11. ſimp. quod ipſe vidit plurimos ſanatos ab Eudemo, & quod vult huiuſmodi curationem tentare: & probat exemplo membranam pati huiuſmodi medicamenta: quoniam in meatu auditorio, vbi ſunt huiuſmodi membranæ eiuſdem naturæ, poſuit robuſtiſſima medicamenta, & paſſæ ſunt: nec eſt dubium: ſemper enim os detectum ſiccandum: ſi habemus carnem mollem, debemus ſiccantia applicare: ſi carnem duram, ſiccantia robuſta. Hæc eſt vera methodus. Habemus tamen vſum antiquorum in contrarium, quia temporibus

Romæ tempore Galeni vtebantur lenientibus.

Galeni, qui Romæ erant, vtebantur methodo leniente: vtraque tamen eſt methodus certa, nulla eſt in errore: quoniam poſſumus inflammationem & ſequeſtrationem lenitione & ſiccatione euitare: &, ſi qua eſt pars corporis ægra, in qua experior hanc duplicem methodnm, eſt in inflammationibus teſtium: ſi enim non video maximam duritiem, aliquando applico exiccantia validiſſima, & altera die ſanantur: aliquando lenientia, & hoc

Ad tumorem teſtiũ.

etiam modo ſanitati reſtituuntur: & ego ſum teſtis huius rei, non ij, de quibus loquor: nam ſoleo efficere emplaſtrum, cum ſtercore bouino, cum ruta, folijs lauri, & butyro: ſoleo vti oleo roſaceo, & pane cocto, & ambo medicamenta feliciter etiam ſuccedunt: ſicuti imus per varias vias ad vnam ciuitatem: ita varia poſſunt conferre medicamenta eidem morbo. Temporibus Galeni inualuerat ratio leniens, ita vt vſi ſint oleo roſ. ſupra membranam detectam, cum in eo adſit vis repellens & mitigatoria, & neſcio quid detergens. Vtebantur etiam ſanguine columbæ, vti Gal. in libro de facultatibus ſimp. cap. 10. non ſolum hoc erat in vſu Romæ, ſed habemus Archigenem idem facientem: habemus teſtem Hipp. ex 2. de comp. med. loc. capite de dolore cap. præterea Apollonius, & Paul. li. 6. idem facit. Cum igitur Gal. & omnes medici ſuorum temporum in Italia probarint huiuſmodi rationem: ideo poſſumus dicere vtranque eſſe bonam. Ego vtramque expertus ſum. Vtor

Via ſiccãs, & leniens bona.

iam leniente ea ratione, qua vtebatur Galen. quia ego video, quod maior pars medicorum probat lenientem: ideo ego felici vtor cum ſucceſſu. Verum volo communicare, quomodo ſiccantibus illis vti poteſtis.

De ſiccanti ratione, qua vti poſſumus in membranis cerebri. Cap. XXXVIII.

Primus gradus medic. ſiccantium.

QVando vſus ſum ſiccantibus, ego habebam triplicem medicamentorum gradum: in primo gradu eſt vnguent. iſidis, quod ego ſtatim ſupra membranam impono, & ſolemus vti linamentis, vel factis ex ſerico in grana infecto: non autem ſit cremeſinum, quod tingitur vermiculis illis: ſed, ſi ſit cocco, vel grana, præſtantiſſimum eſt, nõ ex vermiculo nato in cocco, ſed ex cocco ipſo: quoniam illud linamẽtũ habet vim adſtringendi: ſed quia ex nauigationibus Indicis adueniunt vermes, quibus purpuram ipſam mentiuntur, ideo ſemper obſeruaui fugere, cum non poſſim ſcire, an ex vero cocco, vel ex ver-

Empl. iſidis.

miculis ſit tinctura illa: deuenite ergo ad linteola linea alba, munda, & imbuatis unguen. iſidis dicto. Habemus autem emplaſtrum, & unguent. iſidis: emplaſtrum eſt deſcriptum

Vnguent. iſidis duplex.

a Galeno. unguentum partim fit ex hoc emplaſtro, partim ex cerato roſ. at hoc dupliciter fieri poteſt, uel mitius, & erit illud, quod habeat duas partes cerati roſ. & unam emplaſt.

Puluis inſpergendus oſſi.

iſidis: iſtud ponetis ſupra membranam: poſtea inſpergetis os iſto puluere. Recipe eruum amarum, mannam thuris, peucedani radicem, irid. radicem, pulu erizentur, & oſſi inſpergantur: reliquum uulnus aut terebinthina explebitis, aut unguento iſidis temperato, vel robuſtius, quando corpora duriora ſunt, & tunc dimidium eſt cerati roſ. dimidium empl. iſidis. poſtea recipio ariſt. rot. ariſt. tenuis officinarum, rad. irid. rad. brioniæ albæ, &

Medicamẽta robuſtiſſima.

conficio pulueres æquis portionibus, & inſpergo, & applico poſtea medicamenta dicta. ſed ſi ſenex vel ruſticus ſit, vel latro, imponetis emplaſt. iſid. purum, & vnam guttam oxymelitis, vel duas, ſi placet: poſtea accipietis ariſt. rot. rad. irid. rad. brioniæ nigræ, ſquamam æris lotam, & præparatam, pumicem aduſtum, ex his paratum puluerem ſupra vulnus inſpergetis, poſtea explebitis vulnus, vel tereb. alio medicamento ſarcotico.

De

De lenienti ratione, qua vtimur in cerebri membranis. Cap. XXXIX.

DIximus de ſiccanti ratione, conſeruante ſiccitatem membranæ: de leniendi modo agamus. Dum lenimus, vtimur ol. roſ. & ſupra membranam infundimus, non omne oleum, ſed illud, quod ſit aptum, vt deſiccet: non enim oleum purum, aut amygdalinum diluimus, ſed illud, quod lenire, & quodammodo exiccare poteſt: iſtud autem eſt ol. omphacinum, completum: lenit, quia oleum eſt: abluitur, qua ablutione aufertur vnctuoſa & aerea ſubſtantia, quæ facit ad teredinem, & corrumpitur illa aſperitas, ratione ablutionis: adducuntur roſæ deinde & completa: quia incoquuntur illæ roſæ, & etiam infuſio roſarum incoquitur in duplici vaſe. hæc autem habet magnam vim abſtergendi: oleum mitigat, quia ex ſucco acerbo abſtrahitur, abſtergit, reſtringit, & ſiccat ratione infuſionis: eſt medicamētum in ſe habens plures vires: calidum ac tepidum infundi debet, poſitis linamētis. Hoc aūt oleo vtuntur ſupra membranam, & hoc fit primo die: poſtea admiſcent ſyr. roſ. recentē, vnà cum illo ol. ad 7. vſq., incipiendo a 3. die, ſi aūt dubitamus de inflāmatione, in eo caſu ol. roſ. omphac. ſimpl. vti debemus, ſine ſyr. roſ. poſt 7. melle roſ. quia maior deterſio requiritur, & ol. abietino, hoc eſt, reſina, aut tereb. ipſa, & conficimus, vt partim leniant, & partim ſiccent & hoc circa 14. poſtea ſolo abietino, aut tereb. ſi autem ſequeſtratur pars detecta, & incipit marceſcere, & fœtet, non dubitetis, etiamſi pars dimidia ſequeſtretur: at, ſi adſit nigredo, & non fœtor, malū ſignum: quia deberet eſſe ſemper maximus fœtor, quum ſequeſtratur maxime in ſuperficie exteriori: quum hoc videtis, vtamini reſina abiet. aut tereb. cum copioſo melle roſ. & inungatis primo mel. roſ. poſtea habeatis linamēta mūcta melle, & imponatis.

Oleum roſ.

Fracto oſſe, detecta membrana, exiccata, & lenita, quid agendum circa reliquum vulnus. Cap. XL.

REliquū vulnus quomodo tractabitis? primis diebus oleo roſ. ſolemus explere vſque ad quartum, aliquando loco illius oleo abietino ad mixto roſat. aut oleo roſ. cum tereb. Peracto quarto die (ſi non superuenerit aliquod incommodum) impono pulueres exiccantes, vt ex ariſt. rotunda, peucedano, addo maſtichem, & thus: reliquum vulnus expletur cum tereb. aut vnguēto de matriſylua, aut de gummi elemi, & eſt magiſtrale Petri Anconitani: quod medicamentum tale eſt.

Accipimus gummi elemi ℥.iij. oppopon. vnc. iij. bdellij vnc. med. reſinæ pini vnc. j. tereb. vnc. iiij. thuris maſculi, maſtichis ana drac. ij. ceræ citrinæ, ol. roſ. ana lib. j. miſcētur & fit vng. de gummi elemi, diluitur aliquantiſper, & redditur molle oleo roſ. & ſolemus explere hoc medicamento vulnus circa partem exteriorem: alij vtuntur lenientibus: aliqui linimento ſimplici: alij cum oleo roſ. attamen ego Hippocratico emplaſtro adeo ſum addictus, quod eſt factum ex farina hordei & poſca, vt illo vtar addendo oleo roſ. & ſic in primis diebus expleo vulnus.

Vnguent. de gummi elemi.

Emplaſtrum hoc fit ex farina hordei: ſi vultis facere perfectum, torrete hordeum, & teratur, & fiat farina, & ita cum poſca addito oleo roſ. conficio emplaſtrum: & hoc medicamento inueniri non poteſt tutius & validius. ego vtor vſque ad 7. & quandoq; vſque ad 14. ſed quum peruenimus ad 7. vel 14. ſolemus permutare, & admiſcere diapalma vnam partem, & linimenti ſimplicis filiam, vel vnguent. de betonica magiſtrale, & dicitur ceratum de betonica: ſolemus diluere cerato roſaceo, & imponere ſupra vulnus: hoc medicamētum ita componitur: Recipe fol. pimpin. beton. philoſellæ, agrimon. ſaluiæ, puleg. millefol. conſolid. maioris, minoris & mediæ, matriſyluæ ana vnc. vj. thuris, maſtic. ana vnc. med. ireos, ariſt. rot. ana drach. vj. ceræ albæ vnc. iiij. gūmi elemi vnc. ij. reſinæ pini vnc. vj. tereb. ol. abiet. ana vnc. vij. vini albi odorati q. ſ. hæc omnia infunduntur in dicto vino per octo dies: poſtea coquuntur lento igne, ad conſumptionem duarum partium, ſemper agitando: poſtea colatur & infrigidatur, deinde manibus aqua madefactis maceratur, & malaxatur.

Emplaſtrū Hippocraticū ex far. hordei.

Ceratū de betonica.

Hoc facto, infunditur in lib. iiij. lactis (factis quibuſdam paſtillis) aut caprini, aut ouini, & tenetur ibi per integrum diem, vt nutriatur lacte, poſtea iterum maceratur manibus, & reponitur: hoc mollificatur cum oleo roſ. & imponitur, vel vnguent. purum de gummi elemi: & ita procedimus vſque ad integram ſanationem in parte exteriori.

Quid agendum, denigrata exiſtente membrana. Cap. XLI.

SI autem denigrata eſt membrana, volunt, vt detergamus grumos goſſipio: & antiqui infundebant acetum, vel oxymel: nos ſanguinem columbæ, in quo adeſt vis mitigatoria, & deterſoria: ſecundo infundimus purum ſyr. roſ. vel mixtum ſanguine columbæ: tertio, mel. roſ. vel ſolum, vel admixto oleo roſ. omph. vel ſang. col. aliquando ſolemus imponere ol. abiet. in principio ſtatim, cum melle roſ. vel tereb. cum eodem ſtatim in principio. Si autem nigredo percurret, deuenio ad oxymel, ſi hæc leuiora non faciunt, in eo caſu ſciatis, quod illa nigredo non corruit, quia non fit a contuſione: non enim poſſet tantum perdurare. ſi perdurat vltra 4. dies, non eſt contuſio, ſed refrigeratio, qua non poteſt fieri concoctio: & deuenio tunc ad medicamenta valde calida, vt ſunt ol. tereb. ſtillatum, vel oleum abiet. ſtillatum, nō commune, & infundo guttam: nam huiuſmodi olea ſumme calida ſunt: tertio ſoleo infundere guttam naphtæ: ſed hoc, quoties membrana fuerit denigrata ob frigiditatem: præterea inſpergo membranam ex puluere mānæ, thuris, myrrhæ, & maſtichis, deinde pono emplaſtrū de gummi elemi, & calidis foueo, & ēt manu calida: niſi hæc fiant, breui peribit homo.

Ad membranam inflammatam. Cap. XLII.

SI autem non denigrata, ſed inflammata ſit membrana: quomodo cognoſcimus inflammationem? ex tumore: eſt ita tumida quandoque, vt excedat oſſa, & rubra penitus fiat, & vaſa intendantur, & appareant maxime: tertio amittit proprium motum, ita inflammatur: tunc quid imponēdum? in eo caſu opportunus eſt vſus ol. roſ. non omph. ſed roſacei puri loti quidem, & completi, quod factum ſit ex puriſſimo oleo. Celſus ſolet applicare poſtea folia lenticulæ trita, folia vitis, vna cum butyro, vel adipe anſerino recenti: noſter Paulus, quia videt oportere valentiori vti opera, antequam imponat medicamenta, primum fouet diligentiſſime membranam, decocto althææ, & ſem. lini, & fænugræci: ſi addatis maluam, & violariam, habetis decoctum optimum: poſtea accipit farinam tritici, & ſeminis lini, & infundit decocto dicto, addito adipe gallinæ, vel anſeris, vel ol. roſ. ſed cum videtis inflammationem membranæ, pauci ſanantur, imo rariſſimi: ſi volueritis etiam poteritis imponere tereb. vel ol. abiet. addito vitello oui, vel roſ. vel bitumine loco roſacei.

Inflāmata mēbrana pauci ſanātur.

Ad membrana abſceſſum. Cap. XLIII.

SI autem fieret abſceſſus membranæ, & repēte ſanies colligeretur, debemus aperire membranam, & dare ſtatim exitum materiei, ne fiat vomica, & fluxio ad partes interiores, & cerebrum: licet hoc ego nunquam viderim euenire: nō feci, quia nunquam habui exemplum, nec vidi abſceſſum factum, ita vt materia colligeretur in membrana illa: rupta membrana, infunduntur detergentia dicta, in denigrata membrana.

Quid agendum membrana vulnerata, & fluente ſanguinis copia. Cap. XLIV.

SI autem membrana eſſet vulnerata, & fluat ſanguis coploſus, quid agendū? Domini, celerrime, nulla habita ratione, aut ægrotantis, aut loci affecti, ſi vos videtis locum eſſe circa partem membranæ, in qua ſunt ſinus, prima die aperite os, & ita detegite membranam, etiam quod ſit ſupra ſuturam: quoniam vix fieri poteſt, vt vulneretur ſinus membranæ, quin ſuturæ pars non feriatur: & maius adeſt periculum ex fluxione ſanguinis, quā ex abraſione oſſis in ſutura: ſed (dicet quis) cur tāta vrget neceſſitas? quia ſinus illi ſunt magni multo repleti ſanguine: ſi pūgitur vena inſignis, videmus hominem ſtatim mori, ſi ſanguinem non cohibemus: ille ſinus membranæ, cum ſit in continuo motu, difficilius firmatur. Cum aperueritis, infundatis aloen, & mannam thuris, diſſolutam albo oui, ad mellis craſſitiem, et primum inſpergatis copioſum puluerem dictum: deinde ponatis linamenta, ex pilo leporino, quia habent vim maiorem ſiccandi, ſi non habetis, applicate goſſipium, & mutate ſingulis diebus, vel de tertio in tertium: & hic procedere poteſtis vtraque methodo, & lenien-

te, & ſiccante. Archigenes ſolebat imponere ſuccum calaminthæ: ſed ego non ita laudo: ego ſemper conſtiti in medicamento Galeni: At cum ita factum eſt, quid agendum? ſunt infundenda illa, quæ impediunt inflammationem, & mitigant dolorem.

De vulnerato cerebro. Cap. XLV.

VErum accidit, vt ita vulneretur membrana, vt cerebrum etiam vulneretur, & detegatur: quid tunc agendum? aut ſanguis erit cohibitus, vel non: ſi non cohibitus, facite dicta ad cohibitionem. ſi cohibitus, goſſipio grumos eripito: & tunc poſtea curationem exiccantem non laudo, quia cerebrum eſt molliſſimæ ſubſtantiæ: vnde in hoc caſu ego renera deſidero præceptorem. dicam tamē quid faciam: in illo caſu ego affundo aliquid roſacei: & quum pars frigida eſt, admiſceo aliquid olei abiet. Accipio oleum abiet. & abluo lacte vaccino, vel aqua betonicæ: & mando, vt per retortā extilletur oleum, cineribus tepidis, vt nihil acredinis acquirat: ſi nullam habet acredinem, infundo roſaceo: ſi erit acre, abluo lacte, vel ſero caprino, vel alio auferente acredinem: poſtea ſeparo, ne ſerum deſcendat ad cerebrum, quia fit acidum, & corrumpitur: & poſtea miſceo cum roſ. omph. inſpergo etiam pulueres, vt eſt puluis thuris puriſſimus, aliquando mannam thuris puriſſimam, aliquando pompholygem optime lotam, veram, non quæ defertur ex agro Vincentino: ſed veram, quam Mediolani habemus, ex illis fornacibus, in quibus fit æs album dictum *ottone*, & cum oleo abietino ſtillatitio infundo, & inde inuocato nomine Dei, infundo hæc vſque ad 7. vel vſquequo cerebrum incipiat ſequeſtrari, vel creſcat caro: bonum eſt, quum ſequeſtratur circa 7. vel vltra, ideſt, cum pars eius exit in 4. vel ante 4. malum indicium, ſi vulnus lethale eſt: ſemper loquor ego, hoc vno excepto: quum cognoſco eſſe ſequeſtrationem, videtur illa ſubſtātia, veluti recotium, vel pruina candida, cū foetore moderato. & tunc indicium eſt, naturam præualere, & educere foras, quod corruptū eſt: ſi fuerit liuidū cerebrum, & foetor non adſit, malum eſt ſignum: & tunc infundo ſyr. roſ. recentem, pro detergendo cerebro: ſi multum cerebri exeat, in his parum ſperanda eſt vita: tamen ego inſpergo dictos pulueres, & aliquando admiſceo vitellum oui, vel oleum ſtillatitium: poteſt egredi in magna quantitate, & ſtare vita: ideo non linquatis: multa ſunt exempla a Galeno, a Carpo, & a multis alijs propoſita.

Ego etiam mirabilia expertus ſum: Vidi Zinganū, Ianuario menſe frigidiſſimo, *partiſa-* *Hiſtoria.*
none percuſſum: & ſectum eſt dimidiū fere caput, & maior quantitas cerebri exijt, quam includi poſſit in ouo gallinaceo, & ſanatus eſt. habeo exēpla familiaria multa: lethale quidem vulnus eſt, ſed ſolis prognoſticis non linquendum: quia ſæpenumero ſeruantur homines.

Notate tamen, quod vidi multos, in quibus egreſſum eſt cerebrum: & aliquot remanſere ſtolidi, aliqui ſuperuixere vſque ad 120. dies, aliqui ſanantur, & integri remanent: habui mulierem, concubinam vnius, percuſſam verriculo ignis ab vxore mœchi: ſuperuixit ad 80. vſque: ſed habeo multa exempla illorum, qui ſtolidi facti ſunt, & periere tandem poſt duos, aut tres annos: & vnum habui in quo parua quantitas egreſſa eſt, & manſit ad 80. vſque: ſtolidus non erat, ſed eadem die, qua egreſſus eſt domo, concidit ſtatim mortuus. Itaque nunquam derelinquatis ægros, ſemper ſperate ſalutem.

Quando os fractum eſt, integra adhuc cuti, an aperiendum. Cap. XLVI.

SI os frangatur, integraque remaneat cutis, non lacerata, nec ſecta, integrum quin etiam pericranium, noſque ex ictus ratione, tactu digito- *Prima opi-*
rum, & accidentibus ſuperuenientibus habemus coniecturam fracti *nio.*
oſſis: quid agendum? Alij volunt, vt ſtatim ſecto corio, ſecetur os: alij volunt, vt vindicemus hominem a periculo, abſque ſectione cum medicamentis.

Qui volunt, vt ſecandum ſit, mouentur rationibus: & primo authoritate Hippocrat. qui vult, vt aperiatur os, ne fluat ſanies ad membranam: ſi relinquitur os tectum, fluet ſanies. Secunda ratio ex Celſo & Paulo, qui ſtatim dete- *2. Ratio.*
gunt, & aperiunt: imo Celſus refert, quod quando pars oppoſita fracta eſt, oportet ſecare, &
parum refert, quia facile ſanatur, etiam, ſi nihil aperiatur. Tertia eſt authoritas Hippocr. qui *3. Ratio.*
vocat hunc ictum maximam calamitatem: qua ratione id facit? reſpondent omnes: quia
non poſſumus ſecare & detegere os, & membranam, manente corio integro. Quarto Hipp. *4. Ratio.*

uo-

volebat,ſi caſu contunderetur caro,& corium,vt ſecetur,& detegamus,vt melius poſſit cognoſci contuſio:ergo magis neceſſarium eſt in fractura oſſis. His rationibus mouentur,qui tenent aperiendum pericranium: alij contrarium dicunt,primo,quod hęc fuit mens Hipp. *1. Opinio.* qui in lib. de vulneribus capit. nullam mentionem facit de oſſe ſecando, quum os fuerit tectum: hinc patet,quod Hipp. laudat ſectionem oſſis, in apertione oſſis, de qua mentionem *2. Ratio.* facit. Secunda ratio eſt,quia talis ſectio fruſtra eſt: poſſumus. n. diſcutere & digerere materiam,quod non poſſumus facere oſſe detecto: quando generatur ſanies,& fit oſſis refrigeratio,non poteſt fieri digeſtio bona: ſed vti in phrenitide digerimus,ita in hac,cum calor naturalis ſeruetur: afferunt exemplum in vulneribus abdominis,cum inteſtinũ fractum eſt, con ſuerunt vulnus abdominis,quo ſanato,ſanatum eſt vulnus inteſtini. Hoc videre potuerunt, quoniam fæces conſueto modo per inteſtina egrediebantur, ſic integro corio capitis tanta fiet concoctio,& erit tantus vigor caloris,vt materia parum gignatur,& genita diſcutiatur. *3. Ratio* Præterea eſt authoritas Gal. 3. de fract. con. 43. vbi dicit, quod quoties in fracturis erit pellis ablata, vel corium, ſtatim debemus reducere corium ad partes: reddit rationem, quia aliter medicamenta non bene agent: eo quod priuabitur pars affecta calore: ecce quid faciat proprium indumentum in loco: ſi relinquatur os tectum, omnia bene ſuecedunt: quarto & vltimo a ſimili probabant,non eſſe detegendum os: nam Hipp. in lib. de vuln. cap. cum *4. Ratio à ſimili.* ſecat os modiolo, & peruenit ad extremam laminam, non vult, vt ſtatim auferatur, ſed mandat, vt relinquatur in alteram diem, ne ſtatim refrigeretur membrana: vt aſſueſcat interea rima aeri ambienti: ſi hoc reſpicit Hippocrates in detecto oſſe, quanto magis in oſſe tecto, in quo nulla adeſt refrigeratio? ergo concluditur, quod nunquam debemus ſecare.

Impugnatio vtriuſq; opinionis. Vtraque ſententia peccat, obſtinate manendo. Ego ſum iſtius ſententiæ, quod integro corio, non debemus detegere: excipio tamen in aliquo caſu: & maxime laudo,qui fugiunt ſectionem: pro maiori parte non eſt aperiendum vulnus: nec valent rationes, quod nos, & *Soluit rationes prioris opin.* Hipp. aperiamus membranam,ne fluat ſanies: bene facit Hipp. quando os eſt tectum,gignitur ſanies in minori quantitate,& facilius poteſt educi oſſe tecto: ſecundo quod Hippocra. vocarit calamitatem: merito calamitas appellanda: quia ſuperuenientibus ſymptomati- *Ad 2.* bus neſcimus locum certum, vti ſcimus certe in vulnere, & ideo neſcimus vbi imponendum emplaſtrum: omnis affectio eſt calamitoſa: idcirco non facit ad rem. Quod autem *Ad 3.* Celſus & Paulus vtantur huiuſmodi ſectione: reuera de Celſo poſſum teſtari, quod aperit, etiam non ſuperuenientibus ſymptomatibus: non laudo: magnum enim imminet periculum in ſectione & apertione membranæ.

Paulus certis rationibus facit, quas audietis: neque qui negant aperiendum, omnino ſunt probandi: quoniam ſi fit aliquid ex ijs, quæ non poſſunt ſuperari a natura, vel a medi- *Quando aperiendum.* camentis,facienda apertio: Primum,eſt magna quantitas ſanguinis grumoſi, quæ ſit contenta inter membranam & cranium. Secundum eſt fruſtulum oſſis,pungens membranam.

Tertium eſt os depreſſum ita, vt comprimat membranam, & ventriculos cerebri: in his *Soluit rationes.* caſibus medicamenta & natura non poſſunt operari ſufficienter: ideo dico,quod ſemper in his tribus caſibus, eſt aperiendum os, & detegenda membrana: nec valent rationes iſtorum. Hipp. loquutus eſt de apertione tantum in oſſe detecto. fortaſſe defectus eſt in vltimo, non loquutus eſt Hippocrat. de tali affectione: ſimiliter aliæ authoritates eiuſdem, atque Galen. verum eſt, quod debemus ſeruare indumentum: ſed coacti cura, neceſſario a- *2. Opin. Ad hiſtoriam.* periendum eſt: ad illam hiſtoriam vulnerati in abdomine Ego habeo hiſtoriam vnam ſuperiorum annorum: Erat mulier vulnerata in abdomine, vulnere paruo: medicus conſuit abdomen, ſanatum hoc fuit, ſed intumuit: & aperto egrediebantur fæces, neſcio iam ſi viuat: non ergo valet, ſi acciderit aliquando ſanatio illa. Quare vos moneo, vt ſtatim, *Sententia propria.* fracto oſſe, videatis an ſint accidentia, quæ indicant ſanguinis grumum magnum adeſſe; hoe autem cognoſcitur per egreſſum ſanguinis per nares, per aures, per grauedinem capitis, per ſoporem, per ſtuporem: præterea digitis cognoſceris, ſi fractum ſit os: præterea ſi emungit naſum, ſentiet puncturam: adde, ſi eſt delirium, & præceſſit ſignum puncturæ: cognoſceris etiam foueam depreſſi oſſis: præterea ſtupor erit in media parte corporis, vel totum corpus ſtupidum: tunc aperietis: quia non poteſt natura, & medicamentum integram præſtare ſalutem: in oſſibus puerulorum mollibus, quæ poſſunt reduci a medicamentis, ſolent concedere, vt non aperiantur: at ego vobis dico, vt aperiatis, & reducatis arte os ad ſuam ſedem: ſi hæc ſymptomata non adſint, nulla ratione aperite.

Fracto oſſe, integra cuti exiſtente curatio. Cap. XLVII.

IN principio ſtatim ego ſeruo hanc normam ab alijs non propoſitam: deuenio ad medicamenta habentia vim ſiccandi, & euitandę inflammationis, & ita derado caput, & impono medicamentum adſtringens, leniens, & ſiccans: tale eſt emplaſtrum factum ex farina hordei cum poſca, & ol. roſ. ſed miſceo adſtringentia, vt ladanum, puluerem roſ. myrtillorum, & maſticis: conficio emplaſt. quod matutina, & veſpertina hora muto: exhibeo medicamentum, educens choleram: ab eodem latere impono cucurbitulas ſcarificatas, ſeco venam. Præterea recipio oleum amyg. dulc. & infundo in aures, vt materia effluat per aures. quum venio ad quartam, vtor gargariſmatibus, quæ faciunt ad educendam materiam. Ego vidi homines expuere ſaniem a 4. ad 14. vel a 7. ad 14. nulla ratione alia, niſi quia natura tranſmittere ſolet ad proprios cuniculos: & ideo gargariſmate vtor: accipio aquam hordei, in qua coquo paſſulas, & hyſſopum, & in hac impono mel roſ. vel oxymel ſimplex, & ita mando, vt gargarizet æger: ſoleo accipere ol. amygd. dulcium, ex quo illinantur nares internæ penna: nam ſæpenumero materia fluit per nares, ſi poſt 7. ſuperueniunt accidentia, indicantia collectam ſaniem, aperite. ego non aperio in principio: quoniam, niſi per retentam ſaniem ſuperuenerint accidentia, raro vidi ſuperuenire: longe enim plures ſanantur, non aperto corio, quam aperta membrana: & ſi caſu ſuperuenirent hæc accidentia, tunc aperite.

Noua curatio propria.
Medicamentū purgans.
Sectio vena.
Gargariſma.
Notan.

Poſt vſum emplaſtri huius, ſoleo ego accipere pulu. roſ. myrtill. nucum cupreſſi: ſandal. alb. & rub. pulu. abſinthij, ladani, ſquinanthi, aſari ana drach. j. addo ladanum eodem pondere: ol. roſ. compl. ol. mirt. ana vnc. iij. ceræ vnc. ij. & med. miſce, & conficiatur vng. quo illino vniuerſum caput, & feliciter ſuccedit, a principio vſque ad 7. vtendo hoc poſteriori medicamento, vel priori facta 7. vel 9. deuenio ad diſcuſſoria, vt eſt emplaſtr. de beto. ſuperius deſcriptum, diſſolutum oleo anethino, ſi eſt æſtas, oleo roſ. ſoleo vti, cerato de gummi elemi: aliquando accipio emplaſt. ſacrum, & diluo diapalma ana; aliquando, ſi video multam materiam collectam, miſceo cum emplaſtr. ſacro dimidiam partem cerines emplaſtri. accipio emplaſtr. ſacri, cerines, diapalm. ana, & illino caput: ita agendum eſt: quoties ita curamus caput, ſolet fieri, vt ſanetur homo.

Signa indicantia mortem in vulneribus capitis. Cap; XLVIII.

PEreunt vt plurimum, qui habent membranam, & cerebrum perforatū. hoc apparet ex ariditate labiorum vulneris, quæ fouenda ſunt hydrelæo, & oleo communi: apparet liuor, cui nulla eſt medela. adeſt delirium curandum traditis ab iſtis: indicatur etiam ex febre ſuperueniente. Indicatur ex reſolutione, conuulſione & ſopore: in qua re agite docta ab iſtis: conuulſio ſolet eſſe peculiare accidens, quod vulnerato vno tempore, ex Hipp. 3. de fract. comm. 43. & in prædictionibus Coapis, contundatur reliquum: ſolet accidere, quod vulnerata parte dextra capitis, contundatur pars oppoſita, & eſt lethale ſignum & ita conuellatur, vt pars vulnerata reſoluatur: cuius conuulſionis non ita certa eſt cauſa: vulneratur pars capitis in parte dextra: quando moriturus eſt æger, pars ſiniſtra conuellitur, pars dextra reſoluitur: ergo pars affecta reſoluitur, pars oppoſita conuellitur.

Ariditas labiorū vulneris.
Liuor.
Delirium.
Febris.
Reſolutio.
Conuulſio.
Sopor.

Curatio conuulſionis, & cauſa quare pars affecta reſoluitur, oppoſita conuellitur. Cap. XLIX.

REmedia ſunt, vt inungamus medullam ſpinalem oleo irino completo, oleo liliorum albor. cum arom. ol. ſtillatitio, tereb. naphta, & cæteris calidis: ſed cauſa iſtius rei quæ eſt? Hippocrates hoc vtrumque proponit: Galen. 3. de loc. affect. 6. & 2. de cauſ. ſympt. 2. & in lib. de diff. ſymp. cap. 3. 11. de vſu p. 2. 2. de art. comm. 22. 3. de art. comm. 100. ex his locis ego reperio, quod conuelluntur partes duobus modis: aut ſecundum naturam: aut præter naturam. Primum agam de naturali: conuulſio iſta naturalis, eſt retractio muſculorum, quæ fit a muſculis, inter muſculos tantum fraternos: ſunt partes, quæ fratres, vel ſorores vocantur ab

Conuulſio naturalis.

Hippocrate, 1. de art. 100. vel 2. de art. 22. ſunt ergo partes fraternæ, humani corporis, deſtinatæ ad vnum, & idem opus: dicuntur etiam fraternæ partes, quæ habent latentem coniunctionem, vt merente vna, mœreat altera, percuſſa vna, percuſſionem ſentiat altera, vt laborante ore ventriculi, laborat caput:

Fraternæ partes.

Muſculi fraterni.

muſculi fraterni ibi proponuntur a Galeno, exempli gratia, ad extendendum digitum indicem, concurrunt exteriores, & interiores muſculi: cum exterior agit, & extenditur, internus relaxatur, & concedit velut frater, vel alter agat opus ſuum: inter hæc inſtrumenta, ſi vnum læſdatur, & amittit propriam actionem: alter agit ad partem oppoſitam: cum conuulſio digiti fit, fit, quum muſculus exterior trahit vſque ad ſuum principium, illa actio eſt naturalis digiti, & nō fit niſi a muſculo agente ſuam actionem, licet præter naturam digitus moueatur: iſta conuulſio ſolet ſuperuenire, laſo vno tempore, in alia parte temporis. Nos habemus muſculos temporales, deſtinatos ad eandem actionem: alter eſt ad læuam, alter ad dextram, & trahunt maxillam: ſi ergo offenditur vnus muſculus, trahit maxillam ad vnam partem, & hæc eſt luxatio, & conuulſio, quæ accidit in temporum muſculis.

Conuulſio præter naturam.

Hæc eſt conuulſio naturalis: alia eſt conuulſio præter naturam, quæ fit dupliciter, aut cum conuulſo neruo, hoc eſt, reddito eo breuiori, vel cum fit cum palpitatione, & conuulſione nerui: vnde debemus ſemper diſtinguere conuulſionem, vel in motum conuulſiuum, vel in conuulſionem veram: in qua contracta remaneat pars diuturno tempore. hoc ſcire multum refert: primum de motu conuulſiuo dico, quod motus conuulſiuus fit dupliciter: vel ratione conſenſus, & fraternitatis partium: vel ratione contuſionis neruorum. Audiuiſtis a Galeno, veram conuulſionem eſſe, aut propter exiccationem neruorum, vel repletionem, quoniam breuiores fiunt nerui: non credo, quod in motibus conuulſiuis, ſtatim factis, fit conuulſio, ratione inanitionis, vel repletionis: quoniam non poteſt expleri & euacuari tam celeriter neruus, & inanitus non tam cito reſtauratur. Ergo motus conuulſiuus non habet cauſas veras, quas veræ conuulſiones habent: conuulſiones, quas *granſio* appellamus, ſunt breues, & ſunt motus conuulſiui, non ſunt veræ & perpetuæ conuulſiones, & fiunt a materia halituoſa & tenui, quæ facile eliditur: quod ſi materia fuerit craſſior, perdurant ad menſes, & difficulter ſanantur: motus conuulſiui non fiunt repletione, vel inanitione, ſed fiunt palpitatione, & concuſſione principiorum neruorum: & tales ſunt illi, qui fiunt in epilepſia, vbi adeſt conuulſio, qui debet dici motus conuulſiuus. Idem accidit in vulneribus capitis: nam non vidi hominem conuulſum conuulſione durante: ſed motibus conuulſiuis; & video, quod pars oppoſita laxatur, & relaxatur: ita in muſculis temporum, ſemper vidi motum conuulſiuum: in conuulſione totius lateris, ſemper vidi motus conuulſiuus, & raro conuulſiones: & ita Hippocrates, per conuulſiones, intelligit motus conuulſiuos: cauſa eſt concuſſio principiorum cerebri: ſunt nugæ, quæ dicunt alij: quæ eſt cauſa? Vos ſcitis, quod vapores mali, qui aut ratione putredinis, vel alterius malæ qualitatis conceperint venenum, ſi ſuperueniunt ad cerebrum, ſolent diſſipare ſpiritus animales, & ita ſuperuenit torpor: ſi venit ad principia neruorum, cum perturbet facultatem, facit conuulſionem: hoc patet in epilepſia.

Cauſa torporis.

Cauſa conuulſionis.

Hæc eſt cauſa, cur vapor malignus non facit concuſſionem in cerebro, quia non habet ſubſtantiam aptam, non eſt fibroſum: at nullum corpus poteſt in ſeipſo moueri, quod non ſit fibroſum: ideo vapor petens principia neruorum, quæ ſunt fibroſa, etiam quod ſint molliſſima, habent hanc facultatem in ſe, vt ſubſtantia ipſa poſſit contrahi, & extrahi, & ideo palpitant, & fit contractio in muſculis, & ita fiunt motus conuulſiui.

Cauſa motus conuulſiui.

Hæc eſt cauſa in epilepſia. ſed in capitis vulneribus ego obſeruaui, quod reſoluitur prius latus læſum, & poſtea in oppoſito ſuccedunt conuulſiones: ratio eſt, quia retenta materia, in parte læſa, ita corrumpitur cerebrum, & principia neruorum, vt pereat omnis potentia illarum partium: & ideo fit reſolutio in eo latere: quoniam autem ibi eſt inſignis putredo, faciens vaporem putridum, & venenoſum, cum totus hic exitum habere non poſſit, petit partes ſanas, quæ patiuntur hoc, vt ſuperueniat, velut deperditio facultatum, & tunc cadunt facultates animi ægri: raro æger hoc ſentit & cognoſcit: poſtea cum ille ſpiritus venenoſus petat principia neruorum, quæ non ex toto infecta, & humectata ſanie, & ideo percutiuntur, & concutiuntur: & propterea fit concuſſio: hanc igitur credo eſſe motus conuulſiui cauſam: & aliquando vidi, quod cum relaxatum eſſet latus, etiam poſt mortem remanet conuulſum, in his, qui in capite vulnerantur: ſed loquor de conuulſione manente in vita.

Cauſa reſolutionis vulner.

Hæc ſit ſententia mea conuulſionis non perpetuæ, ſed motus conuulſiui. Hæc de vulneribus capitis ſint ſatis. Et quia confecturus ſum iter in Gallias cum clariſſimis ad Regem Oratoribus, pluribus vacabo diebus.

FINIS TRACTATVS TERTII.

GA-

Digitized by Google

GABRIELIS FALOPPII MVTINENSIS,

Philoſophi, ac Medici præclariſſimi

TOMI SECVNDI. TRACTATVS QVARTVS DE CAVTERIIS.

Quid ſit cauterium, eiusq́; natura. Cap. I.

ACturi de cauterijs, ea, qua poterimus, breuitate, nihil amen, quod neceſſarium ſit, prætermittentes, duo potiſſimum peragemus: alterum quidem, quid ſit cauterium, & quotuplex conficiatur: alterum vero, ad quem vſum à medicis ſit inſtitutum, quæ quidem tractatio, non ſolum medico valde vtilis eſt, ſed & maxime neceſſaria, vt vos videbitis, ſi attente quæ dicturi ſumus (vt ſoliti eſtis) benigneque me docentem audietis. Cauterium itaque, vt nomen ipſum indicat, nil aliud eſt, quam combuſtio quædam membri: uerum cum alia ſit combuſtio perfecta, alia vero imperfecta: perfectam quidem dicimus eam, quando id, quod comburitur, in cinerem vertitur: imperfectam uero uocamus, quando fit carbo, in quo eſt humiditas adhuc quædam, nec adhuc quod comburitur in cinerem conuerſum eſt: ſiquidem tunc non amplius in eo adeſt humiditas: in cauterio, non hæc poſtrema combuſtio efficitur, ſed imperfecta, adeo ut locus ſemiuſtus ſit, & ad carbonis formam uertatur, & talis eſchara, ſeu cruſta à noſtris nominatur, cuius ſignum eſt, quoniam ueluti carbo ad nigrorem uergit. Quæ quidem combuſtio, tanta eſſe debet, quanta & membrum, & eius affectus requirit, ut inferius dicemus. Cauteriorum igitur hæc eſt natura, ut ignis modo corpus noſtrum exedant: hæc autem in duplici potiſſimum ſunt differentia: alia quidem actu feruentia, & ignea, alia uero potentia talia: prima quidem actu talia ſunt, quoniam nullo indigent, ut ſuam edant actionem: ſed ſtatim admota, membrum comburunt: poſtremo uero potentia talia dicuntur, propterea quòd uis hæc non niſi à calore partis illuminata, atque excitata ita partem ipſam calefacit, ut ignis more illam abſumat.

De cauterijs actu igneis, & quo.. Cap. II.

CAeterum (ut ab actu feruentibus, & igneis exordiamur) hæc quidem duplici conſtant materia, atque ſubſtantia: altera quidem dura, ac ſicca: alia uero humida, & molli. materia quidem dura, ac ſolida cauteriorum, ex duobus deſumi poteſt, metallis, ac uegetalibus, utpote ex ſtirpibus ipſis, conficiuntur quidem ex metallis, utpote argento, auro, ære, & ferro, ſeu chalybe: ex auro, & argento, tum ratione loci exurendi, qui præſtantiſſimus ſit: tum etiam ratione hominis, qui nobilitate, & opibus ualde præſtet: ex ære uero, quando maximam exiccationem requirimus, ſcilicet uehementiſſimam. nam niſi hunc habeamus ſcopum, non vtilis hæc eſt materia: quandoquidem dolor nimius excitatur: at quæ ex ferro, ſeu chalybe fiunt, præcellunt, quoniam ſolida ſunt, nec eliquantur, dum igniuntur: quod quidem aurea, vel argentea æreaque patiuntur: eadem, dum ignita ſunt, cãdore id repræſentant, quod non ita in alijs apparet. Neque ob id, ſcriptores inter ſe varios eſſe, ſuſpi-

candum eſt: quod alij quidem hoc, alij vero aliud cauterium extollant: ſiquidem ad diuerſas reſpiciunt intentiones. Ariſtoteles namque in libris problematum, cauteria ex ære reliquis præponit, quoniam ad exiccationem reſpiciebat, ea namque valde exiccant, & in membrum maiorem, quam cætera, faciunt impreſſionem. Auicenna vero cauteria ex auro, & argento magis laudat, propterea quod loci nobilitatem, ac hominis naturā reſpexit: is enim cum diues foret, cognoſceretque aurum humanę naturę quam ſimillimum eſſe, cauteria ex eo valde ſuſtulit, non enim ex his in membro quæpiam mala qualitas imprimi poteſt, quemadmodum forte ex alijs. Arabes autem reliqui, inter quos eſt Albumaſar, cauterium ex ferro valde extollit: quoniam quærit, vt diuturnior impreſſio in membro efficiatur: cum enim ferrum craſſum ſit, neque eliquetur, magis ad profundum penetrat, & diutius in membrum impreſſionem facit. Cauteria quinetiam actualia ex vegetalibus hoc eſt ſtirpibus conficiuntur, vtpote ſarmento viteo accenſo, radice gentianæ accenſa, radice ariſtolochię rotundę, radice aſphodelorum, ligno oleaginoſo, nucleo oliuę, eſca vulgo dicta, quam Græci ἴσκαν nomināt, fungoſa materia quercubus, & iuglandibus innata, de qua Paulus libro ſexto capite nono, hæc enim omnia accenſa, & cum flagrantem carbonem contraxerint, loco apponēda ſunt, vt locus inuratur, & ad eſcharam vertatur: Quæ vero actu humida & mollia actu feruentia parantur, cum nonnulla ex his arte liqueſcant, vt ſulphur, & plumbum: alia vero natura liquida ſint, vt aqua feruens, & oleum feruens, cum quadam reuerentia loco ſunt apponēda, ne totum membrum comburatur: & maximum inde nocumentum, quam iuuamentum conſequatur: ob id ſi ſulphur, vel plumbum liquatum eligemus, pro cauterij materia, horum altero hunc in modum vtemur: vt primum circa locum inurendum excitetur veluti labrum vel agger prominens, qui alueum efficiat ex farina pinſita, aut argilla emollita: atq; poſtmodū in eo ſpatio ſulphur, aut plumbum eliquatū infundatur: pariter in vſu aquæ feruentis, ſeu olei feruentis, eundē circulū ex argilla, aut pinſita farina imponendū eſt circa exurendū locū, vt feruentē liquorem colligat, deinde ad ſanas partes influēs, illas pariter exurat: quod ſi ſecus faciemus, dubio procul ægrotātis mēbrū, & corpus totum in maximum periculum diſtrahemus, quod quidem nequaquam faciendum eſt. Eſt & alius horum cauteriorum vſus, vt in acrocordonibus & verrucis, quæ in manibus obortæ ſunt: has enim ſi ſulphure vrere tentamus, primum aſſumimus dimidium teſtam iuglandis nucis, quæ liberata ab interaneis, tunditur foramine, quod ea magnitudine conſtet, quanta eſt craſſities verrucæ: tunc verruca in hoc foramen impellitur ea ratione, vt exterior, ac gibba pars teſtæ hæreat manui, atque in caua parte ſupra verrucam apponitur ſulphur, quod carbone, aut candela accenditur, & tandiu in loco ſeruatur, donec ardor teſtam penetrans cuti communicari incipiat, ſtatimque totum proijcimus, ſic etiam efficiendum eſt, etſi verrucæ non adſint, locum tamen quapiam alia de cauſa exurere optamus, cauentes tamen, ne per totum combuſtio membrum deueniat, vti dictum eſt.

De cauterijs potentia, & ex quibus conficiantur: ac de primo eorundem genere. Cap. III.

COnſequens autem eſt, vt de his agamus, quæ poteſtate, non actu talia ſunt: indigent enim calore partis, vt ad actum deducantur, & ignis modo comburant. Huius claſſis medicamenta omnia ſicca ſunt, in gradu quarto, atque calida in eodem, & habent craſſam ſubſtantiam, in qua cauſtica vis ſeruatur, vt à partis calore minime diſſipata poſſit exurere.

Talia autem potentia ſunt inter ſeſe, ſecundum magis & minus diſtincta, non alia ſane ex cauſa, niſi vt varijs affectibus, & corporibus accommodentur: non enim omnia omnibus conueniunt: ſed huic quidem vnum, illi vero illud, propterea horum cauteriorum quatuor habemus materias, ſeu ſubſtantias, quæ ſecundum magis & minus diſtinguuntur: primum quidem, materierum huiuſmodi genus eſt eorum medicamentorum: quæ calidiſſima ſunt in quarto extremo craſſiſſima ſubſtantia, & vt plurimum adſtringente: talia quidem perinde ac reliqua corpus ſeu locum comburunt, & combuſtum in cruſtam conuertunt, quæ cruſta, (vt dictum eſt) ἐσχάρα vocatur à Græcis, vnde & hæc ἐσχαρωτικά, hoc eſt cruſtoſa, ſeu combuſta dicuntur, veruntamen præ alijs medicamentis doloriſſima ſunt, quoniam valde igniunt corpus, etiam ἀθρόως, atque ex craſſitudine iſta, magna cum difficultate, in profundum penetrant.

Ex

Ex his autem quædam ſunt ſimplicia: nonnulla vero compoſita: ac rurſus vtrorumque alia quidem ſicca: alia vero præhumida conſtant ſubſtantia. ſimplicia quidem ſicca ſunt, vt miſy, chalcitis, atramentum ſutorium, crudum, & vſtum, vitriolum vocant, vel chalcanthum, cadmia, vel tutia combuſta, & calx non extincta: hæc ſui craſſitie valde calida cum ſint, ingentem inflammationem inducunt, & vehementiſſimum dolorem, vt maxima cum reuerentia corpori ſint apponenda. ſui enim mala qualitate, ſi diutius permaneant, non ſolum exulcerant, ac inflammationem, doloremque ingentem efficiunt, verum & ipſum membrum, ac denique corpus ipſum totum corrumpunt. Nec periculo vacant medicamẽta illa humida ſimplicia, quæ ſub hoc genere continentur, qualia ſunt aqua vocata ſulphuris, quæ & oleum ſulphuris falſo appellatur, cuius præparatio cuilibet ſeplaſiario nota eſt: oleum ſulphuris verum, nec non oleũ vitrioli ita nominatum, quandoquidẽ vehemẽtiſſime igniunt atq; comburunt, vt ex prædictis & conſimilibus nõ niſi verenda ſit applicatio.

Quæ vero compoſita ſicca ſubſtantia conſtant, aut humida ſub eodem genere concluſa, eodem pariter modo, valde deteſtanda ſunt. acutiſſimum namque medicamentum eſt id capitellum vocatum: cuius etiam varia præparatio pharmacopolis nota eſt, cum opio, vel ſine opio, cum auripigmento, vel chalcantho, vel ſine his, quemadmodum inferius oſtendemus, dum eius compoſitionem proponemus, inſuper idem præſtant trochiſci de minio, qui hoc modo parantur.

Recipe paſtæ ex triticea farina optime fermentatæ ℥ iiij.
Sublimati validiſſimi ℥ j.
Minij, cuius in officinis vſus ʒ s.

Tritis optime terẽdis miſce in mortario optime, & trochiſcos, vel globulos ad formam nuclei pinei formabis, qui longiores, non tamen craſſiores ſint. In furno tepido optime ſiccentur, ad vſumque in loco ſicco aſſeruentur: ad hæc inter humida eſt aqua illa erodens dicta, vulgo autem *acqua da partire*, quæ varijs modis præparatur, qui à me conſulto dimittuntur, cum ſemper apud aurifabros eam optime paratam reperiamus.

De modo parandi oleum ex ſulphure, & oleum ex vitriolo. Cap. IIII.

VT autem poſſitis habere modum, quo & oleum ex ſulphure, & vitrioli vobis paretis, quamuis medicamenta hęc maxime violenta ſint, ac deteſtanda, decreui parandi rationem vtriuſque vobis aſſignare. Olei igitur ex ſulphure præparandi talis eſt ratio: Sulphur ignem non expertum, cum vrina pueri, ſeptem diebus in fimo equino calido macerato: deinde habeas catinum magnum huius figuræ, valde cauum, in quo hoc modo collocetur bocia lutata, cum prædicto ſulphure: prius tamen inſtrato fundo catini cinere, tunc tota bo-



cia cooperiatur cinere calidiſſimo, et addatur pruna, donec tota humiditas egreſſa ſit, quod cognoſcitur ea ratione, qua in oleo vitrioli: deinde addatur recipiens, atque rimæ ſtipentur glutine, ex farina, & albo oui, & linteo circunducto. deinde carbones flagrantiſſimi, & continuo ſupra cinerem illum calidum aggregentur, donec ſpiritus, & oleum egrediantur: quod colligendum eſt, vt illud vitrioli: & ſimilis eſt vſus. Cæterum oleum vitrioli ita dictum conficiendi ratio hæc eſt: vitriolum in olla exuritur in fornace, donec rubeum reddatur, tunc refrigeratum molitur in mortario, deinde in cucurbita, vel pomo vitreo, optime luto ſapientum incruſtato (hæc ſunt vaſa, quibus quandoque vtuntur Chymiſtæ) in furno Chymiſtarum, quem vocant *de Reuerbere*, ponitur. additur ignis, primo lentus, non ex carbonibus, ſed lignis opportunis, primo tenuioribus, deinde ſolidioribus, donec omnis humiditas ſiccetur: quod notum erit, ſi deterſum gladiolum, & ſiccatum ori cucurbitæ appones: nam ſi adhuc humiditas exhalet, ſuperficies gladioli humida reddetur: ſi ſiccatum erit, ſicca & ipſa permanet: tunc apponatur recipiens vas dictum, optimeque rimæ ſtipentur.

Ignis augeatur, vt fumus & ſpiritus ex chalcantho in recipiens tranſmittantur: & cum egredi cœperit ſpiritus, ſtatim recipiens eſt tegendum linteo aqua frigidiſſima madente: & cum ſiccatum fuerit, replicandum, donec egredi deſierit ſpiritus. poteſt etiam dimitti

Digitized by Google

vſus huius lintei madētis,ſi timemus ne vas recipiens,ob tenuitatem, frangatur. quare huius rei loco nos exigemus furnum in loco humido, & ſub dio, vt ambiens aer, ſine fracturæ periculo, illud agat, quod linteum ageret, ac ſpiritus denſet, ac cogat. Tunc auferendus eſt ignis, dimittenda omnia, vt refrigerentur: deinde ſumma diligentia, diſiungenda ſunt vaſa, & oleum colligendum. Hoc oleo inciduntur abſceſſus, & quælibet duriſſima caro. Vſus eſt, vt conficiamus gladiolum ex ligno oleæ, & cum illo, tacto vix oleo, ſecando, forando,& reliqua opportuna agamus.

De varia Capitelli compoſitione. *Cap. V.*

VT autem perfecta habeatur de his in primo genere medicamentis cognitio, operæpretium eſſe arbitror: vt & ſuperius polliciti ſumus, capitelli compoſiti cauſtici compoſitionem tradere: primum quidem, quam noſtri parant, confectionem, mox & alteram, quam optimam eſſe exiſtimamus: paratur itaque capitelli compoſitio à medicis, quæ quidem ſimplicior eſt, hunc in modum. Recip. Aquæ ſtillariciæ ex calce, & cinere, ex qua ſunt ſapones nigri vocati q. ſ. ſitque prima aqua, non ſecunda: hæc ponatur in vitreo vaſe, ſit cuiuſcunque generis, & bulliat ſtatim, donec ad mellis, deinde etiam luti conſiſtentiam peruenerit. Sed cum ad mellis craſſitiem eſt, ſunt aliqui, qui addunt opium opportuna quantitate, optime tritum, ac ſimul coquunt: donec ad luti formam medicamentum pertingat, quod tunc ſtatim ab igne & auferendum eſt, & è vaſe extrahendum: & ſimul ac refrigeratur, & lapideſcit, (nam refrigeratione fit durum vti lapis) in fruſta ruptum, ponetur in alio vaſe vitreo ſolido,& anguſtiſſimi oris: quod quidem os cera clauſum ſemper maneat, ac in loco ſicco ſeruetur, alias medicamentum eliquaretur, vt plurimum tamen ſine opio efficitur. Eſt autem huius cauſtici capitelli compoſiti alia ratio, atque eadem optima.

Recip. Cinerum cali, quo vtuntur vitrarij
Calcis non extinctæ ana vnc. xvj.
Chalcanthi vngarici vnc. iiij.
Aluminis fæcis
Sal. Ammoniaci ana vnc. j.

Hæc miſceantur, ac terantur leuiter, & ponantur in vaſe teſtaceo, quod tenuibus foraminibus in fundo ſit perforatum, ac ſuperinfundatur aquæ primæ ex qua fiunt ſapones, ad expurgandos pannos tantum, ac ſupereminear menſura quatuor digitorum ſuper arida dicta, hæc aqua ſenſim ſtillando, egredietur tota. Tunc arida ex vaſe proijce, nouaque alia impone, & ſuper affuſam eandem aquam iterum collige: hocque idem, ſemper renouatis aridis, tribus vicibus facito: hac tamen norma, vt ſeruata proportione in ſecunda, & tertia vice aridorum, pondus ita minuas, vti aquæ menſura minor reddatur, nam ſemper illa deperditur. Hæc aqua ponitur in vitreo vaſe luto incruſtato ad ignem, vt coquatur, vel ad luti conſiſtentiam, vel vt vratur, & in calcem uertatur. Si expectemus uſtionem, medicamentum erit candidius, minus doloroſum, ſed minus ualidum: ſi luti conſiſtentia educatur, fiet lapis, & ualidiſſimum erit: hoc autem extractum ſeruatur in uaſe clauſo, ut dictum eſt, cum de altero ſimpliciori uerba faceremus.

Quomodo prædicta medicamenta mitiora reddi poſſint. *Cap. VI.*

PRoinde licet medicamenta hæc valde ſint periculoſa, fieri tamen poteſt, vt ad mediocrem ſtatim redigantur, ne ita hominem offendant, aut alia ex his, ſed cum alijs mitioribus parentur, quale eſt vnguentum ex capitello, & ex vitriolo, quo vtimur cum ſpecillo, vt oleo vitrioli. Capitellum namque in loco humido patenti vaſe eliquari ſinimus: huic in mortario poſtea tantum huius pulueris deſcripti addimus, quod ſubſtantia ſit humida, minime tamen fluat, atque parum pinguedinis humanæ adijcimus, ac ſimul miſcemus, & terimus,

Recip.

Digitized by Google

Recip. Vitrioli communis ℥ j.
Auripigmenti cocti ʒ s.
Opij ʒ j. miſce & fiat puluis.

Inſuper eſt cauſticum, ex aqua erodente, quo vtimur vt ſuperiori, nihil autem aliud eſt, quam aqua erodens, cum opio, ad vnguenti mollis conſiſtentiam, addita aliquando pinguedine humana: Aegyptiacum etiam pharmacum, quod tale ab Auicenna vocatur, inter hæc cenſeri poteſt: nec non vnguentum Maſſæ, quod ita paratur.

Recip. Sublimati ʒ ij. s.
Opij
Lapidis Hæmat } an. ℈ j. s.
Cetuſſæ

Miſce, & cum ſ.q. vnguẽti populeonis fiat vnguentum. Hæc itaq; medicamenta, ſi ita parentur, cauteria efficient, quę minori cũ detrimento corpori, aut ipſius parti auxiliũ inferẽt.

De ſecundo medicamantorum genere, ex quibus cauteria fiunt. Cap. VII.

SVnt autem & alia pharmacatum ſimplicia, tum etiam compoſita, quæ calidiſſima ſunt, ſed non vt eſcharotica, neque ita ἀθρόως accendunt carbonem, neq; ita craſſarum partium, atq; adſtringentiũ, vt eſcharotica, ſed tenuium magis, & facilius penetrant in profundum, quamuis & ipſa prædicta ſint terrea ſubſtantia, & craſſa, ac carnem corrumpunt, & ea ratione, vt putrefacta videatur: quare σηπτὰ, & σηπτικὰ à Græcis vocantur, à noſtris vero putrefacientia: ſunt autem ſimplicia alia ex ſiccis quibuſdam, vt pote animalibus vt pityocampes: plantis, vt eſt dryopteris, aconita, elematis altera: atque metallis, vt eſt arſenicum cryſtallinum, auripigmentum, ſandaracha Græcorum, *realgar*, chryſocolla, & huiuſmodi: alia ex humidis, quale eſt oleum Arſenici dictum, & id tale genus. ſunt & compoſita, inter quæ eſt id, quod ad carnes canctoſas tollendas, atque multa alia valet.

De olei ex Arſenico apparatu, & de compoſito prædicto. Cap. VIII.

PRoinde non grauabor, & olei ex arſenico præparationem apponere, nec non & compoſitionem illam, quæ ad cancroſas carnes tollendas, & complura etiam alia mirum in modum confert. oleum igitur arſenici hoc modo optime paratur.

Recip. arſenici cryſtallini, vel etiam citrini.
Salis nitri ana lib. j.

Tere optime, & miſce, & pone, vt aiunt Chymiſtę, in bocia contra bociam rimis egregie ſtipatis: ſuperius tamen vas, foramen paruum habeat in ſummo: igni lento appones, tã diu, donec omnis humor ſit egreſſus, quod gladij ſuperficie cognoſces, vt in oleo vitrioli. Tunc apertis vaſis eius mixturæ, quę candidiſſima erit, ſume librã vnam, ſalis ammoniaci libram itidem vnam: miſce optime trita, & ſecũdũ artẽ ſublimato toties, donec in fundo vaſis arſenicum ſolum relinquatur, vt oleum ſolidum, & concretũ. Tunc aſſumes arſenicũ, & collocabis in vaſe vitreo, in loco humidiore, & in liquidiſſimum oleũ mutabitur: cuius vſus eſt, vt reliquorum oleorum vrentium carnem. Supra memoratum vero compoſitum tale eſt.

Rec. Arſenici cryſtallini, itemque citrini an. ℥ s.
Riſagalli ʒ iij.
Aeruginis æris ʒ ij.
Opij ℈ ij.
Axungiæ porcinæ q. s.

Miſce, & tere pro vnguento, quod quidem vſui tibi erit.

De medicamentis ex tertio genere, in quibus cauteria efformantur. Cap. IX.

COnſequuntur poſt prædicta, quæ calidiſſima ſunt pharmaca, vt ſeptica, ſed quæ tenuiori conſtant ſubſtantia, ita vt tantum vim cauſticam ferment, in vrenda cute, ac in ſuperficie, & profundo agunt, vt attrahẽtia. Vnde per hæc vſta cute, atq; extracto humore, ad ipsã veſica excitatur: Et ideo iſta medicamenta veſicatoria appellantur, quorum quidem alia, vt in reliquis, ſunt aut ſimplicia, aut cõpoſita. ſimplicia quidem ſumuntur, aut ex animalibus, vt cantharidibus: aut ex plantis, vt ſinapi, ranunculi radice, & anemones radice, cortice intimo ſambuci, flammula Iouis, allio canino vocato, ac communi, & ſimilibus: compoſita vero quale eſt veſicatorium hoc compoſitum, ex cantharidibus, cuius quidem præparatio talis eſt.

Recip. Medullæ fermenti ℥ j.
Cantharidum integrarum ʒ. j. plus vel minus, vt placuerit.
Quæ tamen ſint præparatæ.
Croci ℈ s.
Aceti ſquillitici q. ſ. miſce, & fiat vnguentum.

Inſuper inter compoſita hæc, mel anacardinum, quod ita apud officinas nominatur, & alia huiuſmodi, ſi quæ reperiuntur à noſtris ſeplaſiarijs, aut Chymiſtis arte optime parata: non enim intentio noſtra eſt, omnia ſimplicia atque compoſita, in medium afferre.

De medicamentis quarto ex genere mitioribus, quæ idem præſtant, vt priora. Cap. X.

POſtremo reperiuntur nonnulla medicamenta, quæ minus valida omnibus alijs ſunt: calida tamen vltra tertium gradum, & ſicca, & cauſticam aliquam in ſe vim habent, & terreſtri, craſſaque ſubſtantia conſtant, & aſtringenti: vt in profundum non poſſint permeare, ſed ſuperficiem tantum erodunt, & eliquant, hæc à Galeno καθαιρετικὰ vocantur, deradentia, ſcilicet & detrahentia, ſuntque perinde ac ſuperiora, & ſimplicia & compoſita: ſimpliciaque ſumuntur ex plantis, vt eſt aſphodelorum puluis, & hermodactylorum puluis, loco appoſitus, & ex metallis, vt eſt alumen cõbuſtũ: ſquama æris: ærugo æris raſilis: æs vſtũ: flos æris: lapis lazuli, & virens: & ipſum præcipitatum: quod omniũ præſtantiſſimum eſt, & aliud quid tale. compoſita quin etiam ex hoc ſunt genere, vt apoſtolicum vocatum, iſis vnguenti forma, vnguentum Damaſcenum, Aegyptiacum, & huiuſmodi. Laudantur præterea nonnulla cauteria, quæ fiunt ex cineribus, & ſale diuerſimode parato. Dioſcorides quidem laudat ficuum cinerem, ſiue caprificuum, vbi agit de ficu: ex quo quidem loco videntur, qui de cauſticis medicamentis ſcripſere, materiam conficiendi æs didiciſſe: ex quercu quoque fit cinis, quæ ſi montana ſit, cuius cortices ſunt rugoſi, aſperi & duri, validiorem quoque & acriorem cinerem producit. Ilex etiam arbor montana, quæ ad meridiem, aut orientem vergit, optimum ad hoc cinerem præſtat. Arbor quoque quæ hic in Italia carpinus dicitur, & nigra potiſſimum, vergens ad meridiem, hoc idem præſtat. Iuniperus vero mitiorem cinerem facit: pariter & fraxinus: ſed omnium mitiſſimus eſt cinis, qui eſt ex nuce: atque ex ſarmentis vitium cinis ſatis acris efficitur, & fortaſſe ad hoc egregius: ex ſtercore pariter adusto animalium, vtpote vaccarum montanarum, ac boum, ſatis validus fit cinis: itidem ſi comburantur ſtercora luporum, is quidem præſtantiſſimus cinis eſt: nuclei oliuarum combuſti idem præſtant, ac nuclei vuarum ſarmenta etiam leguminum, & fabarum in primis: ſi enim ſarmenta ipſarum comburantur, in cinerem optimum noſtro huic propoſito rediguntur: coria inſuper quorundam animalium combuſta, vtpote bouinum, & aliorum quadrupedum animalium, hoc idem faciunt. Qui autem volunt acriorem habere cinerem, in olla incluſa ranas comburunt, atq; præcipue rubeas, ac pariter caudas, & capita viperarum, quæ cinerem acerrimum cõficiunt, dum optime combuſta ſunt: ſunt & alia complura, ex quibus cineres cõfici poſſunt: verũ hæc ſat ſit enumeraſſe: cõueniunt prætерea cauteria, quæ ex ſalibus fiunt, diuerſimode paratis, quæ

quidem,

quidem,prout exigit locus parari queunt.neque ita erodentia,aut putrefacientia ſunt,ſicut trium priorum generum. Vt autem ſciatis,quomodo conficiantur,nonnihil de his ſalibus dicam.

De cauſticis ex ſalibus. Cap. XI.

IMprimis accipiantur cineres,vel acriores vel mitiores,prout ſuperius declaratum eſt:ſi enim vehementiora cauteria cupias,acriores deſumes cineres:ſin mitiora,mitiores: deinde calcem accipito, prout adeſt neceſſitas, vel ſecundum parem portionem, vel etiam minus de calce,ac plus de ipſo cinere:vtpote vnam calcis partem ac duas ipſius cineris, atque vna miſceas: habeas autem ollam magnæ capacitatis: cuius fundus ſit perforatus:& ſtratis paleis in fundo ollæ:tunc ipſis ſuperponas mixtum hoc ex cinere & calce,repletoque ollam vſque ad quartam partem, ita vt tres ollæ partes ſint vacuæ, ſuſpendatur olla, & ex vnaquaque libra mixti octo,aut decem libræ aquæ dulcis puriſſimæ deſumantur, quæ quidem tota aqua deſuper proijciatur:vt ex orificio paruulo deſluat,& in ſuppoſito vaſe colligatur: cum autem tota deſluxerit,denuo ſuperinfundatur,atque hoc frequenter,& fortaſſe per duos dies:quouſque aut rubentem,nigricantemque aquam ſpectabis:quam quidem ſalſuginoſam, & acrem guſtu perſenties.

Hanc vtique aquam,tunc in vaſe æneo eiuſdem capacitatis decoques:cum autē ad quandam ſpiſſitudinem erit decocta: in alio minoris capacitatis decoquatur, ac tertio, & quarto(ſi opus ſit)permutetur,ac coquatur quouſque in ſal redigatur:quod quidem,in vaſe vitreo,anguſtiſſimi orificij optime clauſo,ne aer inſpiret.(facile enim huiuſmodi ſal diſſoluitur)ſeruetur,ac in loco ſicco prope ignem,ne ab humiditate itidem afficiatur. Alius quinetiam parandi modus eſt:ſi hoc modo fiat.

Recip. Vitrioli romani
Aluminis rochæ
Salis gemmæ
Salis nitri
Salis ammoniaci
Aluminis fæcis
} an. ℥ j.

Miſce & tere,& infundantur per diem & noctem in lib.iij.aquæ primæ ſaponis,deinde aquam cola,& aſſumpta illa limpida,bulliat in vaſe vitreo,ad calcinationem,vt dicunt: deinde ſeruetur medicamentum, in vaſe vitreo,clauſo cera. Hæc ſunt, quæ circa cauteriorum materias à nobis dicenda ſunt, vt autem, quæ dicta ſunt ob oculos habeatis, facilimam vobis tabulam,ac ſimplicem tradam,quæ talis ſit.

Cauteriorū nonnulla ſunt
- actu feruentia & ignea, & ex his alia
  - Dura ſubſtantia atq; ſicca, ſiue:
    - metallica, vt
      - Ex auro.
      - Ex argento.
      - Ex ferro.
      - Ex ære.
      - Ex chalybe.
    - vegetabilia accenſa, vt
      - Sarmēto viteo.
      - Raſſice gētianę.
      - Rad ariſtol.rot.
      - Rad.aſphod.
      - ligno oleagineo aſcha.
      - Fūgoſa materia
  - Humida,& molli, quæ talis eſt, aut
    - arte, vt
      - ſulphur liquatū
      - plūbū liquatū.
    - natura, vt
      - Aqua feruens.
      - Oleum feruēs.
- potentia talia quæ in quadruplici ſunt genere,vt verſa pagina oſtendetur.

Caute-

- Cauteriórũ potentialiũ quę in quadruplici ſunt differẽtia, vt prædi- ctum eſt.
  - Quæ calidiſſima ſunt, in quarto extremo, craſſiſſima ſubſtantia, & plurimum adſtringente, corpus comburunt, & eſcharotica ſunt, primi quidem generis, corpuſque igniunt, & ἀθρόως, aut
    - ſimplicia
      - Sicca
        - Miſy.
        - Chalcitis.
        - Sory.
        - Atramentum ſutorium crudum, & vſtum, vitriolum vocant, vel chalcanthum.
        - Cadmia, vel tutia cõbuſta.
        - Calx non extincta.
      - Humida
        - Oleum ſulphuris verum.
        - Oleum vitrioli.
    - compoſita, aut
      - Sicca ſubſtantia, vt
        - Trochiſci de minio & ſimilia.
      - Humidiſſima, vt
        - Aqua illa erodens dicta vulgo *Acqua da partire.*
      - Mediocri ſubſtãtia, vt
        - Cauſticũ ex aqua erodente.
        - Aegyptiacum.
        - Vnguentum ex capitello.
        - Vnguentum Maſſæ.
  - Quæ calidiſſima, ſed nõ vt eſcharotica, neque ita ἀθρόως carnem accendunt, neq; partium ita craſſarum, ſed putrefacientia. Quorum alia ſunt
    - ſimplicia aut ſicca quæ ſumuntur ex
      - Animalibus, vt Pityocampes.
      - plantis,
        - Dryopteris.
        - Aconita.
        - Clematis altera.
      - metallis
        - Arſenicum cryſtallinum.
        - Auripigmẽtum.
        - Sandaraca Græcorum.
        - Reagar.
        - Chryſocolla.
    - compoſita, vt poteſt quale eſt quod ad cancroſas carnes tollendas valet & huiuſmodi.

Caute-

- Cauteriorum reliqua dum genera, q̃ potentia ſunt,
  - Quæ calidiſſima ſunt, vt priora ſeptica, ſed tenuiori cõſtant ſubſtãtia, ita vt vim cauſticam ſeruent, in vrẽda cute, & in ſuperficie, & in profundo agunt, veſicatoria appellantur: aut
    - ſimplicia, q̃ ſumuntur, aut ex
      - Animalibus, vt cantharidibus.
      - Plantis, vt
        - Sinapi.
        - Ranunculi radix.
        - Anemones radix.
        - Cortex intimus ſambuci.
        - Flammula Iouis.
        - Allium caninum vocatum.
        - Allium commune.
    - compoſita, qualia ſunt
      - Veſicatorium ex cantharidibus.
      - Mel anacardinum, & id tale
  - Quę minus calida oĩbus alijs ſunt: calida tñ, vltra tertiũ gradum & ſicca, & cauſticam in ſe vim habent. καθαιρετικὰ à Gale. vocantur, deradentia. ſ. & detrahentia: quorum alia ſunt
    - ſimplicia, ex
      - Animalibus, vt oleum ex teſtis conchularum combuſtarum.
      - Plantis, vt
        - Aſphodelorum puluis.
        - Hermodactylorum puluis, & ſimilia.
      - Metallis, vt
        - Alumen combuſtum.
        - Squamæ æris.
        - Aerugo æris raſilis.
        - Aes vſtum.
        - Flos æris.
        - Lapis lazuli.
        - Præcipitatum.
    - compoſita, vt
      - Apoſtolicum vocatum vnguentum.
      - Iſis, vnguenti forma.
      - Vnguentum Damaſcenum.
      - Aegyptiacum.
      - Salium quodque genus.

De

De cauteriorum vſu. *Cap. XII.*

SVpereſt, vt ad quē vſum cauteria confecta ſint, breuibus expediamus. Eſt autem cauteriorum multiplex vſus, vt membrum, cui applicatur, exiccetur, euacuetur, & corroboretur: ſi enim membrum humidius, ac laxius redditum eſt, ſolemus cauterium membro apponere, vt ipſum exiccemus, ac ad priſtinum ſtatum traducamus: ſit enim mucoſa materia in quopiam membro detenta; cauterio vtimur, ut membrum id ob humiditatem illam ſuperfluam laxius factum, exiccatione robuſtius efficiatur.

Aptum quinetiam eſt cauterium, ad euacuandas materias, ut in ſuperiori exemplo declaratum eſt: ac in his, qui empyemate, aut hydrope hypoſarca uexantur: cauterio enim materias illas euacuamus, in utriſque tamen cum maxima reuerentia: nam ſi quæ ab Hippoc. 6. aphoriſmorum part. 27. ſcripta ſunt, haud recte perpendamus, in maximum ægrum deducemus præcipitium. Dicebat namque Hipp. eo in loco ſuppuratos, ac aquam intercutem patientes, urendos eſſe, non tamen ut pus, aut aqua uniuerſim effluat: tunc enim dubio procul morientur: pus igitur in his & aqua euacuatur, niſi vt & thoracem, & hypochondria ad natiuam reſtituamus temperiem: inſuper cauteria membro apponuntur, vt id ipſum corroboremus: cum enim virtutes ex debita conſtent primarum qualitatum temperie, ſi membrum humidius ſit, ac mollius, nequaquam proprias efficiet operationes: obid, ſi ipſum cauterio, quod calidum eſt, & ſiccum, vel actu, vel potentia, vt ſuperius demonſtratum eſt, ad congruam traducemus temperiem, neceſſario etiam corroborabitur, vt & conſuetas functiones perficiat.

Atque id eſt quod intēdebat Auic. 4. primi, dum de cauterijs ſermonē habet. Eſt & alius, præter hos, vſus: cum vno ex his tamen concurrens, ad ſiſtendam putredinem. nam cum cauterium corruptum erodat, atque cōſumat, exiccat proculdubio membrum putridum. Quo quidem caſu, cauteria actu talia magis conueniunt, nam quæ potentia ſunt, nonnunquam in actione, pluſquam decet, excedent: parantur autem plerumque hæc potentialia à medicis tum vt ægrotantibus adulentur: tum etiam ob aliquos effæminatos, qui ignis aſpectum mirum in modum timent: cum tamen ex illis cauſticis poteſtatis plerumq; magna incurrant incommoda.

Poſtremo, alius eſt ad materierum diuerſionem: cum enim, ob diuerſam membrorum diſcraſiam, multiplicātur humores, qui forte ſint in cauſa, vt membrum nobile, aut totum ipſum corpus ægrotet: aut ad peſſimam temperiem vertatur: tunc in parte quapiam cauterium apponere ſolemus, quæ ignobilis ſit, ac à partibus nobilioribus ſeiuncta.

Verum hoc proprie antiquorum cauterium non eſt, ſed vulgo fontanellæ vocantur, ſiquidem intentio noſtra, hoc caſu, non eſt membrum ſanum reſtituere: ſed potius ſanum ad ægritudinem ducere: imbecillius namque redditur membrum, cum ad ipſum ſuperfluitates totius corporis defluant, atque humidius: quod tamen ex cauterij ſcopo ſiccius, & robuſtius eſſe deberet.

Quocirca perperam cauterium tale dicitur, quemadmodum deſumpſerunt antiqui, ſed ei tale inditum eſt nomen, ob ſimilitudinem, quam cum cauterio antiquorum obtinet, vt vulgo etiam proprie fontanellæ dicantur.

Proinde vſus hi nonnunquam ſeparati viſuntur, quandoque ſimul annexi ſunt, vt in praxi quotidie videbitis.

Quæ requirantur perpendenda in vſu cauteriorum. *Cap. XIII.*

CAeterum, prius totum corpus paretur: nam cum validum, & violētum ſit cauterium, ob dolorem rapium trahentur humores, ex quorū confluxione periculum erit, ne inflammatio vehemens exoriatur: inſuper, ſi mitioribus medicamentis, à quibus purgetur corpus, vti non licet: quanto minus licebit, dum hæc medicamenta validiſſima apponere tentabimus? Caueat autem, quicunque cauterio vti voluerit, ne ipſum loco nobiliori vicinum apponat: quod ſi capiti imponet, caueat ſaltem omnes commiſſuras, quandoquidem locus commiſſurarum periculoſus eſt, ob neruea filamenta, quæ ab ipſa dura prodeunt meninge.

Et licet cerebrum membrum ſit principale, cum & ipſa frigidum ſit, & humidum, capiti cauterium iure imponere poſſumus: quod quidem non ita fit, dum alijs nobilioribus membranis apponere tentamus: caueat item membrum acris ſenſus, ac molle, vt ſunt oculi, & huiuſmodi: valde enim eſt periculum, dum illis cauterium imponimus: vbi vero neceſſe erit ab aliquo membro deriuare, eligemus locum et aptum: ſi enim longius deriuare voluerimus, capite, exempli gratia, laborante, crura eligemus, quibus cauteria applicemus: ſi vero magis propinque, brachia ipſa: quod ſi adhuc propinquius, ipſum collum.

Eligatur autem locus in ipſis cruribus, vbi ipſorum muſculorum caput non vereamur: ſed ſi fieri poteſt, ita cauterium accommodandum eſt, per quatuor digitos, infra genu, & in brachijs, infra ſpatulam adhuc per quatuor digitos. facile namque deprehendemus veluti quandam concauitatem, quæ inter duos muſculos reperitur: Item ſi in alijs membris abſceſſum quempiam aperire voluerimus, vt euacuetur membrum, is vtique locus deligendus eſt, qui decliuior ſit, vt facta apertione, ac vlcere, ſanies commode exire poſſit.

Caueat inſuper, quicunque hanc molitur operationem, perpetuo neruos, venas & arterias, ſaltem maiores, vt facile in nocumentum quidpiam incurrat, ex quo & dolor, & conuulſio conſequatur, ac denique ſanguinis copioſus confluxus: vt autem cauterium commode applicari poſſit, imprimis pili ſunt amouendi, ne ipſius prohibeant actionem: quibus quidem ſemotis, tunc locus eſt adnotandus, qui quidem quopiam ſigno eſt inſigniendus, vtpote re quapiam nigra, quæ aliquod ex emplaſtris durioribus contineat, ſicut tripharmacum: hoc autem quicquid ſit, perforabis, quantum cauterium efficere volueris, & loco aptabis. quo facto, ſi erit cauterium actuale, breui tempore ipſum conficies: ſi vero potentiale, ſuper detectum locum cauterium mollius factum, cum modico ſaliuæ impones, & alium pannum eodem emplaſtro infectum ſuperimpones, donec medicamentum operetur: quod ſi cutis capitis, vel alterius partis foret duriuſcula, ipſam leuiter ſcarificabis: medicamentum enim id tunc facilius operabitur.

Remoto vero medicamine, ſi fuerit apoſtema, ſiue abſceſſus, eſcharam illam incides, nec quidpiam ſentiet æger, & ſanies exibit, quam pro arbitratu exire permittes. Si vero eſcharam remouere intendas, laxantibus medicamentis vtendum eſt: veluti butyro recenti, aut pinguedine porcina, aut gallinæ, quouſque eſchara circulum quendam efficiat, inter ipſam & carnem ſanam: curabis autem, pro tuo arbitratu, ipſam amouere: qua quidem ſemota, vlcus poſtmodum, vt opus erit, curabis. Si vero ſola ſit eſchata, ea remota, aliquid intra vlcus, aut foueam illam impones, vtpote granum ciceris rubri, aut pilulam ceream, aut argenteam: donec, quod exoptas, perficies. Vbi vero increſceret caro, pilulam habeas ceream, cui quippiam piperis commiſcebis, ſicut etiam, vbi fuerit vlcus magnum quam expediat, parua pilula in vlcus immittatur, & locus puluere exiccante inſpergatur. animaduertendum autem eſt, vt locus, cum huiuſmodi fontanellæ, pro diuerſione & deriuatione, conficiuntur, non putreſcat: tunc enim emplaſtra frigida, quæ leuiter exiccent, ſuperponenda ſunt: qualia ſunt alba Galeni, & quod vulgo ceratum album nuncupatur. Quod ſi locus doleret, vtendum eſt his, quæ dolorem leniant, & leuiter infrigident, & exiccent, ſicut linimentum ſimplex, & compoſitum ex altera parte infrigidantis, & altera emplaſtri albi. Hæc ſunt quæ in vniuerſum de cauterijs dicere decreueram, cum vero circa particulares morbos verſabimur, vos etiam docebo, quonam pacto in ipſis etiam cauterijs vti poſſitis.

FINIS TRACTATVS QVARTI.

APPENDIX AD FINEM TRACTATVS DE VLCERIBVS REFERENDA.

DE RHAGADIBVS, & vlceribus pedum.

RHagades ſiue rhagadiæ ſunt fiſtulæ, vel rimæ per longum in externa ſede ad concauitatem terminantes, quæ contracta ſede non ita apparent.

Cauſæ. Cauſæ autem harum ſunt duplices, quarum prima extrinſeca eſt, & ſolent eſſe ſtercora dura in ſede contenta, quæ, dum excernuntur, ſolent huiuſmodi rimas facere: cauſa harum etiam frequens eſt clyſteriorum vſus, & applicatio, quoniam excoriatur locus ille a cannula ænea, & efficit rimas iſtas. Cauſa autem interna eſt fluxus humorum, atque confluxus illorum vitioſorum, qui ſæpius affluentes ad locum affectum concreſcunt in ipſa ſede,& fiſſuras efficiunt.notandum tamen eſt,quod non ſolum huiuſmodi materia effluens ſolet rimas has efficere, ſed etiam humor quidam acris, qui cum ſtercoribus ſæpius effluere conſueuit.

Species. Species harum rhagadum ſunt, prima recens & non calloſa, altera vero vetus & calloſa. Recentes cognoſcuntur ex hiſtoria infirmi; veteres vero ex dolore, vel ſenſu potius *Signa.* obtuſo. Præterea cognoſcuntur etiam ex alijs ſignis contrarijs recentium rhagadum. Factam vero rhagadem à fluxione cognoſcimus per hoc,quoniam eſt humida ſemper & pro funda. Illæ vero rhagades,quæ fiunt ex dilaceratione,non ſunt valde humidæ, neque profundæ. Solent etiam quandoque huiuſmodi rimæ prouenire à morbo Gallico,quæ cognoſcuntur ex hiſtoria infirmi,dum dicit,tunc eas obortas eſſe,cum & perſenſit cætera ſympto mata Gallica.

Præſagiũ. Præſagium autem ſit de facili curatione,exceptis illis,quę à morbo Gallico proueniunt: veteres quoque rhagades non ita facile ſanantur & præſertim illæ, quæ habent obtuſum ſenſum.

Curatio. Si itaque curanda ſit rhagas facta à cauſa intrinſeca: vt ſi proueniat à ſtercore ſicco, primo lubricanda eſt aluus cum victus ratione emolliente, vt ex multis generibus olerum, tum etiam per frequentem vſum caſſiæ. Enema etiam quandoque iniijciatur ex o-*Loci affecti tractatio.* leo,& butyro,vt facilime diſſoluantur ſtercora dura. Circa locum autem affectum, quoniam ſolet in huiuſmodi fiſſuris eſſe inflammatio, ideo imponantur medicamenta ſiccantia, ſed inflammationem prohibentia, vt gummi tragacanthi, gummi Arabicum & huiuſmodi, quibus admiſceantur metallica ſua natura leuia, vt ceruſſa, ſcoria ferri, bolus armena, lapis hæmatites, lapis ſpecularis & huiuſmodi, quæ habent vim ſiccandi & refrigerandi ſimul.

Si rhagades ſint dolorosæ. Si autem doloroſæ ſint rhagades, tunc ſunt ſtupefaciendæ per impoſitionem vnguenti refrigerantis; vnde ego vtor vnguento populeonis,ipſum modicum eliquans, & poſtea intincta in ipſo penna non ſolum fiſſuras illinio,ſed etiam loca circumiacentia.

Curatio rhagadum inueteratarum, & ex fluxione ſa Si autem ſint rhagades ex cauſa intrinſeca,ideſt.fluxione ipſa,vel ſint inueteratæ,tunc ab vniuerſalibus cura incipienda eſt, vt diximus in ani fiſtulis, poſtea ad localia deueniendum,quæ debent eſſe refrigerantia,exiccantia & adſtringentia, vt cadmia lota, ſpodium lotum, pompholyx lota, ſquamma æris, æs vſtum lotum, & cæter. Sed contemperentur

hæc metallica aliquo medicamento liquido, vt vnguento de thutia. Quandoque vero & his addi conuenit bolum orientalem lapidemque hæmatiten. Si autem adſint calli in rhagadibus remoueantur non ſectione, vt dictum eſt in fiſtulis ani, ſed medicamento aliquo exedente, quale eſt Aegyptiacum mixtum cum alumine rochæ. Antiqui vero Medici in remouendis rhagadum callis vtebantur trociſco ex charta combuſta. Ego vero in ablatione calli duriſſimi vtor puluere arſenici præparati & loti. Ablato callo perducatur vlcus ad cicatricem lotionibus & medicamentis, quorum omnium ſuperius facta fuit mentio. Fiunt quoque in ſede vlcera alterius generis ſiue excoriationes prouenientes ob multas cauſas, quorum cura iiſdem perficitur medicamentis, ablutionibus, inunctionibus, & huiuſmodi alijs, vt videbitur perito iudicioſoque chirurgo. Et hæc ſint ſatis de rhagadibus. Vlcera autem, quæ fiunt in planta pedis, vel calcaneo ob multam ambulationem, ſanari poſſunt ſola ablutione facta cum vino auſtero, in quo quandoque etiam poſſunt incoqui roſæ, plantago, & alia huiuſmodi. Et hæc ſufficiant Deoque Optimo Maximo ſit laus.

∴

Harum. Localia.

Si calloſa ſint rhagades.

Pro auferēdo callo,

FINIS TOMI SECVNDI.

A01 1460954

Digitized by Google

A01 1460954

Digitized by Google

F. 11.